3 1761 08124154 9

PURCHASED FOR THE

UNIVERSITY OF TORONTO LIBRARY

FROM THE

CANADA COUNCIL SPECIAL GRANT

FOR

MEDIAEVAL STUDIES

MONUMENTA VATICANA

RES GESTAS BOHEMICAS ILLUSTRANTIA

SUMPTIBUS COMITIORUM REGNI BOHEMIAE
EDIDERUNT AD RECENSENDOS HISTORIAE BOHEMICAE
FONTES DELEGATI

TOMUS V.

ACTA URBANI VI. ET BONIFATII IX.

1378—1404

PRAGAE 1903.
TYPIS GREGERIANIS.

ACTA

URBANI VI. ET BONIFATII IX.

PONTIFICUM ROMANORUM

PARS I.

1378 — 1396.

OPERA

CAMILLI KROFTA

PRAGAE 1903.

TYPIS GREGERIANIS.

DB
193
M6
t. 5.
pars 1.

PRAEFATIO.

Documenta, quae hoc tomo continentur, ad magni momenti periodum spectant, primos quidem annos magni schismatis ecclesiae occidentalis; hoc tempore illi parti ecclesiae, quae pontifici Romano obsequebatur et ad quam etiam regnum Bohemiae cum terris adiacentibus pertinebat, Urbanus papa VI. (1378—1389) et Bonifatius papa IX. (1389—1404) praesidebant. Divisio ecclesiae non mediocriter interiorem eius statum tetigit. Mirari igitur non possumus, etiam in administratione ecclesiastica, praesertim autem in cancellariae apostolicae constitutione, in formis litterarum apostolicarum et registrorum, quibus dictarum litterarum tenores ad nostra usque tempora pervenerunt, diversas hoc tempore mutationes nobis occurrere. Quae res, quo planius documenta, quae tomus hic affert, intelligantur, paucis hic exponendae esse videntur. Primum igitur de registris cancellariae apostolicae, de quibus longe maxima pars documentorum praedictorum deprompta est, deinde de formis litterarum apostolicarum dicam, tum vero modum huiusce editionis, qui nonnullis rebus a modo in tomo primo Monumentorum Bohemiae Vaticanorum observato differt, explicabo, postremo aliquot verbis demonstraturus, quantum et quibus modis documenta, quae per librum hunc usui publico afferuntur, ad historiam terrae nostrae explanandam converti possint.

I. DE REGISTRIS URBANI VI. ET BONIFATII IX.

Tempore, quod magnum schisma ecclesiae praecedebat, apud curiam Romanam plures registrorum series scribebantur. Supplicationes, quibus supplices ex universis ecclesiae partibus a sede apostolica varias gratias petebant, in registris supplicationum descriptae sunt, copiae autem bullarum a summo pontifice editarum duabus seriebus registrorum continentur, quae nunc registra Vaticana vel membranacea et registra Avenionensia vel chartacea vocantur. Principio series utraque copias earundem bullarum continebat, cum series Vaticana nonnisi exemplar registrorum Avenionensium in codicibus membranaceis descriptum fuisset.

Posterioribus vero temporibus non omnes bullae registris Avenionensibus contentae in registra Vaticana reportabantur, et simili modo multae bullae registris Vaticanis inscribebantur, quae nunquam in Avenionensibus registratae fuerunt. Itaque tempore Gregorii XI., Urbani VI. praedecessoris immediati (1373—1378), trina registra bullarum exstabant: 1. Registra chartacea, nunc Avenionensia vocata, quae copias bullarum de gratia i. e. super gratiis supplicibus a sede apostolica concessis confectarum continebant. 2. Illi tomi registrorum Vaticanorum, in quos pars quaedam bullarum de gratia in codicibus Avenionensibus registratarum describebatur. 3. Alii tomi eiusdem seriei, qui litteras secretas et maiorem partem litterarum de curia continebant, earum videlicet, quae non ad instantiam supplicum, sed commodi sedis apostolicae gratia editae fuerunt.[1])

[Urbani VI. registra.] Explorare cupientibus, quo modo res in cancellaria Urbani VI. se habuerit, magnum nobis impedimentum se obicit: registra supplicationum huius pontificis plane deperdita sunt; series registrorum Vaticanorum, quae in archivio Vaticano asservantur, nonnisi tres tomos registrorum Urbani VI. continet (R. Vat. 310 [Urbani VI. secretorum a III.—V.]; R. Vat. 311 [Urb. VI. Secretorum a IX.—XI.]; R. Vat. 312 [Urb. VI. Secretorum a. XII., Bonifacii IX. De curia a. I. II.]);[2]) in bibliotheca denique Vaticana exiguum tantum fragmentum originalis registri eiusdem papae asservatur (cod. Ottobon. 1443). Haec sunt plane omnia, quae e registris Urbani VI., qui plus undecim annos ecclesiae Romanae praeerat, ad nostra tempora pervenerunt. De registris igitur huius papae pauca tantum dici possunt.

Urbani VI. quoque tempore *registra supplicationum* modo sane haud multum differente ab illo, quem mox in registris supplicationum Bonifatii IX. cognoscemus, scripta fuisse certum est.[3])

Registra Vaticana Urbani VI. iam non sunt membranacea, sicut antea fuerunt, sed chartacea. In fine singularum copiarum etiam subscriptiones, quae in litteris originalibus fuerant, describi solent. Tomi, qui supersunt, nonnisi litteras secretas et litteras de curia continent, prout etiam ex inscriptionibus posterioribus temporibus eis adiectis, quas iam annotavi, patet (sunt litterae collectorum, facultates legatorum, litterae ad administrationem temporalis dominii ecclesiastici spectantes, litterae super capellanatu honoris etc.); litterae de gratia — exceptis litteris super capellanatu honoris — in hisce tomis plane deficiunt.

---

[1]) Cf. Tomaseth, Die Register und Secretäre Urbans V. und Gregors XI. (Mittheil. des Inst. für öst. Geschichtsf. XIX, 1898, p. 417 sq.); Tangl, Die päpstlichen Register von Benedikt XII bis Gregor XI (Festgaben zu Ehren Max Büdingers, 1898, p. 289 sq.)

[2]) Etiam Reg. Vat. 347 bullas Urbani VI. et Bonifatii IX. continet, sed non est registrum originale, cum nonnisi copias valde posteriores bullarum ex aliis tomis registrorum exhibeat.

[3]) In bibliothecae Vaticanae cod. Vat. 8224 fol. 162^{b} hoc argumentum bullae Bonifatii IX. 1390 Febr. 11 datae legitur: „Nicolaus de Imola litterarum apostolicarum scriptor et familiaris papae mittitur Luceriam Christianorum pro deferendis (sic) Romam et ad cameram apostolicam res et bona mobilia ad dictam cameram pertinentia in castro ipso per fel. rec. Urbanum VI. praed n. dimissa et praesertim regestra supplicationum et litterarum apostolicarum et alios libros ibidem existentia. Ap. S. Petrum 3. idus Februarii a. primo".

E contrario fragmentum originalis registri, quod antea tetigi, nonnisi bullas gratiosas anni noni pontificatus Urbani VI. exhibet. Modus registrandi litteras de gratia, quem fragmentum hoc nobis offert, tunc idem fere fuisse videtur, ac modus Bonifatii IX. temporibus in registris datariae, nunc *registrorum Lateranensium* nomen gerentibus, observatus, quem paulo post melius cognoscemus. Hic iam in fine singularum copiarum subscriptio registratoris manu eius scripta conspicitur, inter nomen et cognomen eius autem taxa cancellariae annotata est.

Ex quibus colligendum esse videtur: consuetudinem litteras de gratia e codicibus chartaceis in membranaceos aut alios quoscunque transscribendi, Gregorii XI. tempore iam labentem, Urbani VI. papatu plane — exceptis litteris super capellanatu honoris — deperiisse; bullas Urbani VI. in duabus tantum seriebus registrorum describi solitas esse, quarum quidem utraque chartacea erat, altera vero litteras secretas et de curia, altera litteras de gratia continebat.

Notandum tamen est in archivio Vaticano praeter tomos registrorum iam pridem adductos duos adhuc codices exstare, qui ipsi sine dubio registra Urbani VI. dici possunt, quamquam a reliquis multum differunt. Uterque enim litteras nonnullorum pontificum cameram apostolicam tangentes continet, quae ad usus speciales camerae e registris cancellariae descriptae esse videntur. Sunt autem hi: Armarii XXXI tom. 36 (= Urbani VI., Bonifacii IX. etc. bullae capellanorum honoris et processus); Armarii XXXIII tom. 12 (= Litterae decimarum et collectorum Urbani VI., Bonifacii IX., Innocentii VII. et Gregorii XII). Copias bullarum Urbani VI. denique duo libri formularum ad usum cancellariae apostolicae saeculo XIV. exeunte conscripti exhibent, videlicet bibliothecae Vaticanae cod. Vatic. 6330 et cod. Vatic. 6772.

His *registra* quoque specialia *camerae* apostolicae et camerae sacri collegii adiungenda sunt, in quibus obligationes praelatorum a sede apostolica institutorum ad solvendum tributa utrique camerae debita, ‚servitia communia' et ‚minuta' dicta, necnon quitationes camerarii apostolici et camerarii collegii cardinalium de solutione dictorum servitiorum annotabantur, et quae in archivio Vaticano in serie *Obligationum et solutionum* sunt comprehensa.[1]) Ad pontificatum Urbani VI. tomi 47. et 48. seriei adductae spectant, quorum primus (Urbani VI. et Bonifacii IX. solutionum ab a. 1385—1390) quitationes camerarii sacri collegii continet, alter (Urbani VI et Bonifacii IX. obligationum sacri collegii 1385—1397) obligationes praelatorum camerae sacri collegii factas. Diversae litterae camerarii et thesaurarii apostolici (quitationes de annatis, mandata etc.) in libris specialibus registrabantur, ex quibus illius hic mentio est facienda, qui ad Urbani VI. tempus pertinet. Est Armarii XXIX tom. 1 = Diversorum cameralium tom. 1 (= Urb. VI. et Bon. IX. diversorum regestrum ab a. 1388—1391).

[Bonifatii IX. registra.] Registra Bonifatii IX., quae supersunt, omnia fere in archivio Vaticano asservantur, sed istorum quoque magna pars deficit. E registris supplicationum, quae olim 150 tomorum numerum excessisse verisimile est, unicus tantum nunc tomus superest, copias supplicationum mensibus Augusti et Septembris anni 1394 signatarum exhibens, qui hodie extra Vati-

[1]) Latius de hac serie agit Baumgarten, Untersuchungen und Urkunden über die camera collegii cardinalium 1295—1437, Leipzig 1898.

canum, in regia scilicet bibliotheca Eichstaedtensi sub nro. 174 (prius 54) exstat. Registrorum Vaticanorum, quae in archivio Vaticano servata sunt, tomi 312—320 ad pontificatum Bonifatii IX. spectant, tomus autem 312, quem iam cognovimus, etiam bullas Urbani VI. continet, et tomus 318 non pertinet ad seriem Vaticanam, sed registris datariae sive Lateranensibus adnumerandus est, cum nonnisi litteras communes anni septimi contineat, licet ei ‚De curia a. VII.' inscriptum sit. Reliqui dictorum tomorum has in tergo gerunt inscriptiones:

tom. 313 = Litter. divers. an. II—III liber II;
„ 314 = „ „ „ III—VI „ III;
„ 315 = „ „ „ VII—IX „ IV;
„ 316 = „ „ „ IX—XI „ V;
„ 317 = „ „ „ XI—XIII „ VI;
„ 319 = De curia „ XIV „ VIII;
„ 320 = „ „ „ XIII—XV „ IX.

Quin plures adhuc quondam huiusce seriei tomi fuerint, Bonifatii IX. bullas continentes, dubitari non potest, quot autem perierint, nunc quidem dicere non possumus. Certum tamen esse videtur saeculo XVII ineunte (Raynaldi tempore) haud plures dictae seriei tomos exstitisse, quam qui nostris temporibus exstant.

Longe copiosissima series est Lateranensis, quae registra datariae apostolicae amplectitur. In archivio Vaticano tomi 118 huius seriei (Registra Lateranensia tom. 1—118) ad Bonifatii IX. pontificatum spectant, quibus adhuc, ut supra dictum est, tomus 318 seriei Vaticanae est adiungendus. Registrorum itaque Lateranensium Bonifatii IX. archivium Vaticanum 119 tomos possidet, sed magnam etiam huiuscemodi registrorum partem periisse certum est. Praeclarus ille ecclesiasticae historiae investigator Raynaldus in codice manu ipsius scripto, qui nunc bibliothecae Vaticanae est (cod. Vatic. 6952), plura de registris Bonifatii IX. annotavit, ex quibus patet registra datariae Bonifatii IX. iam saeculo XVII ineunte in tomos, quos hodie in serie Lateranensi conspicimus, fuisse ligata. Quorum tomorum numerum tunc 178 fuisse Raynaldus ibidem refert (fol. 375[a]). A tempore itaque Raynaldi 59 tomi registrorum Lateranensium deperditi sunt. Utrum iam antea aliqui huiusmodi tomi perierint, nec ne, dici non potest, verisimile autem esse non videtur. Raynaldus etiam annotavit, quot tomi registrorum datariae ad singulos pontificatus Bonifatii IX. annos spectavissent, quod si cum eorum numero nostro composuerimus, quot singulorum annorum tomi interierint, apparebit.

Anni 1 Raynaldus habuit tomos 12, nunc supersunt 8 (Lat. 2—9)
„ 2 „ „ „ 12 „ „ 11 (Lat. 10—20)
„ 3 „ „ „ 10 „ „ 5 (Lat. 21—25)
„ 4 „ „ „ 4 „ „ 3 (Lat. 27, 29, 30)
„ 5 „ „ „ 11 „ „ 3 (Lat. 31—33)
„ 6 „ „ „ 6 „ „ 5 (Lat. 34—38)
„ 7 „ „ „ 7 „ „ 6 (Lat. 39—43, Vat. 318)
„ 8 „ „ „ 10 „ „ 8 (Lat. 44—51)
„ 9 „ „ „ 14 „ „ 11 (Lat. 52—62)
„ 10 „ „ „ 15 „ „ 9 (Lat. 63—71)
„ 11 „ „ „ 18 „ „ 11 (Lat. 72—81, 83)
„ 12 „ „ „ 19 „ „ 14 (Lat. 84—97)

Anni 13 Raynaldus habuit tomos				10,	nunc supersunt	7 (Lat. 98—104)
„ 14	„	„	„	10 „	„	6 (Lat. 105—109, 114)
„ 15	„	„	„	7 „	„	5 (Lat. 112, 115—118)
Plurium annorum	„	„	13	„	„	7 (Lat. 1, 26, 28, 82, 110, 111, 113)
			178			119

Quamquam igitur ne Bonifatii quidem registra incolumia ad nostra tempora pervenerunt, tamen modum eorum multo melius quam Urbani registrorum cognoscere possumus. *Registra supplicationum* copias petitionum summo pontifici porrectarum continebant, quae aut singulae, aut plures numero in unum rotulum coniunctae in eis describebantur. In fine supplicationum decisio pontificis (Fiat; Fiat, ut petitur etc.) annotata est, adiuncta littera P., per quam sine dubio nomen papae, quod ante suam coronationem habuit, designatur (Petrus Tomacelli), porro data huiusmodi decisionis, quae etiam in litteras super gratia per eandem decisionem concessa transibat. In margine autem dextro superiore singularum supplicationum nomen secretarii vel abbreviatoris apostolici adscribi solebat, cui minuta huiusmodi litterarum conficienda commissa erat. Aliud nomen cuiusdam cancellariae apostolicae officialis in fine rotulorum plerumque occurrit, quod quandoque idem est, ac illud in margine adscriptum, cuique littera R (= Registravi?) praemitti solet.[1])

Registra Vaticana Bonifatii IX. eodem plane modo ac tempore Urbani VI. ordinata sunt, quare eis, quae de illis iam antea dicta sunt, nihil adiungere opus est.

Registra Lateranensia — nisi fragmentum Urbani VI. supra tactum respicimus — a Bonifatio IX. incipiunt. Quamobrem modus eorum hoc loco breviter describendus esse videtur. Registris Lateranensibus copiae litterarum de gratia insunt, h. e. litterarum, per quas alicui iuxta supplicationem sedi apostolicae ab eo porrectam gratiae diversae conceduntur. Copiae huiusmodi bullarum tomis, qui nunc exstant, non statim inscribebantur, sed libellis, quorum quilibet bullas unius generis et unius anni exhibebat (ut bullas de beneficiis vacantibus primi anni pontificatus Bonifatii IX). Posteriore tempore plures libelli tales in unum codicem ita colligati sunt, ut codici ei plerumque bullae unius anni, sed raro unius generis inessent. Multi tamen huiusmodi codicum non tantum diversorum generum, sed etiam plurium annorum bullas complectuntur. Quando libelli praedicti in codices ligati sint, plane ignoramus, tempore tamen Raynaldi, prout supra dictum est, eiusdem modi, ut nunc habemus, codices exstabant. Singuli libelli non ab uno scriptore scripti sunt, sed a pluribus. Tenor bullae integer describi solebat, nisi quod titulus pontificis et salutatio in principio, necnon clausulae „Nulli ergo — Si quis autem," et verba datae in fine abbreviata sunt. Certa tamen bullarum genera (de confessionalibus, de plenaria remissione, de altari portatili, de locis interdictis, de missis ante diem, de capellanatu honoris) nunquam fere integra describebantur, sed tantummodo per nomina papae et illius, cui gratia erat concessa, necnon per ‚incipit' et datam annotabantur. Praeterea litterarum executoriarum atque bullarum „simili modo" confectarum

[1]) Cf. Erler, Ein Band des Supplikenregisters Bonifacius' IX in der kön. Bibliothek zu Eichstätt, Histor. Jahrbuch VIII., 1887, p. 487—495.

partes, quae cum litteris principalibus concordabant, omittebantur. Scriptura registrorum ab illa, quae in aliis codicibus manuscriptis illius temporis occurrit, non discrepat, neque abbreviaturas quasdam speciales praeter consuetas exhibet.

Singulis bullarum copiis diversae notae cancellariae apostolicae adiunctae sunt. In fine earum registratoris litterarum apostolicarum subscriptio manu eius ipsius est adscripta, atque inter nomen et cognomen registratoris taxa pro litteris conficiendis cancellariae apostolicae persolvenda, per grossos turonenses expressa, posita est (N. XX de Benevento). Loco taxae quandoque verba ‚De mandato, Pro deo, Pro domino cardinali, Pro socio, Pro nepote scriptoris' leguntur, quae solutionem taxae totaliter vel ex parte remissam fuisse indicant.[1]) Registrator etiam omnibus correctionibus litterarum, quae in registris factae sunt, nominis sui signum apponebat (Correctum de mandato, Jac. de Teramo). Nota registratoris in tergo quoque medio litterarum originalium apparet (R, cui signum nominis eius est inscriptum).[2]) Toto fere tempore Bonifatii IX. duorum tantum registratorum nomina occurrunt, quos iam sub Urbano VI. registratorum munere functos esse constat,[3]) Nicolai videlicet de Benevento et Jacobi de Teramo. Nicolaus de Benevento, qui etiam litterarum apostolicarum scriptor vocatur, exeunte a. 1403 in curia Romana obiit.[4]) Jacobus de Teramo, operum quoque theologicorum auctor haud ignotus, iam a. 1391 e canonico Aprutino episcopus Monopolitanus, a. 1400 archiepiscopus Tarentinus effectus, a. 1401 ad ecclesiam Florentinam, a. 1410 ad Spoletanam translatus, a. 1417 demum decessit. Qui ad finem usque pontificatus Bonifatii IX. registratoris munere fungebatur, sed etiam abbreviator et scriptor litterarum apostolicarum necnon cubicularius et familiaris apostolicus fuit. His duobus ultimis annis Bonifatii IX. alii registratores accedunt (M. de Sancta Agatha, A. Aldimarius). Registratoris subscriptio quandoque sola nota cancellariae est, quae singulis copiis in registro adiungitur, quandoque autem in margine sinistro superiore alia nota cancellariae legitur. Littera ‚C' illic plerumque tantum conspicitur, qua videlicet verbum ‚Cancellaria' designari certum est; nam eius loco crebro ‚Can, Can^{ria}, Cance^{ria}, Cancell., Cancellaria' ponitur. Eodem loco saepe (maxime annis 1393—1402) in registris nomina officialium quorundam sedis apostolicae apparent, quos secretarios apo-

---

[1]) De taxis cancellariae apostolicae egit T a n g l, Das Taxwesen der päpstl. Kanzlei vom 13. bis zur Mitte der 15. Jahrh., Mittheil. des Inst. für öst. Gesch. XIII, 1892, p. 1 sq.

[2]) Modum procedendi in registratoris officio exercendo bulla Bonifatii IX. ddto. 1401 Jan. 21 (Reg. Lat. 89 fol. 24^a) illustrat, in qua legitur: „Cum . . . Nicolaus Rugeman . . . nuper super certis cuidam ecclesie per nos concessis indulgenciis nostras litteras gratis de mandato nostro procurans et multum importunis instanciis de dilata expedicione stimulatus, eum, qui eas debuit deportare ad registrum litterarum nostrarum, accedens et credens registratas, nondum tamen per ven. fr. n. Jacobum archiepiscopum Tarentinum, registratorem nostrum, signatas, a tergo desuper more suo ad instar signi sui, ut asseritur, quoddam scripsit signum, non tamen animo falsificandi, sed levitatis causa, dictusque archiepiscopus et registrator noster eo deleto suum signum apposuit et dicto Nicolao huiusmodi levitatem indulsit . . ., nos . . . declaramus . . . dictum Nicolaum propter premissa nullius infamie vel criminis maculam incurrisse . . .“

[3]) Cf. notas numerorum 135 et 137 huius libri.

[4]) Officium scriptoriae litterarum apostolicarum, per obitum Nicolai de Benevento, „qui apud sedem apostolicam diem clausit extremum,“ vacans, 1403 Nov. 1 Nicolao Jacobi de Damiano commissum est. Cf. Reg. Lat. 108 fol. 174^a.

stolicos et litterarum apostolicarum abbreviatores fuisse alias scimus. In copiis bullarum hoc libro contentarum nomina, quae sequuntur, loco illo leguntur: Petrus de Bosco, A. de Portugruario, F. de Montepoliciano, Johannes de Bononia, Peregrinus de Zambeccariis, Bertholdus [de Lavazola]. Nonnumquam denique nomen huiusmodi officialis et signum cancellariae simul occurrunt (ut P. de Bosco, C[ancellaria]), quod tamen annis 1395—1400 tantum fieri solet. Quo modo hae notae sint intelligendae, dubium est. Utrum litterae per cancellariam an per cameram secretam i. e. secretarios expeditae, aut utrum earum minutae per abbreviatores cancellariae an per secretarios confectae fuerint, notae illae quodam modo indicare videntur. Attendendum etiam est in originalibus litteris subscriptiones, quae in registris in margine leguntur, sub plica media apparere.[5])

E *registris camerae* apostolicae et camerae sacri collegii cardinalium praeter tomos iam prius adductos (Diversorum cameralium tom. 1, Obligationum et solutionum tom. 47 et 48) sex alii ad pontificatum Bonifatii IX. pertinent, quorum unus, videlicet Oblig. et sol. 55 (= Solutionum ab a. 1396—1402), camerae apostolicae est, reliqui quinque camerae sacri collegii, videlicet Oblig. et sol. 52 (= Obligationum sacri collegii 1390—1400); 57 (= Oblig. s. coll. 1400—1407); 59 (= Solutionum a. 1389—1406); 51 (= Divisionum sacri collegii 1389-1399); 54 (= Divisionum 1399—1407).

In bibliotheca Vaticana liber formularum cancellariae apostolicae exstat (Vat. 3940), qui multas etiam Bonifatii IX. bullas exhibet, sed hae omnes fere in registris quoque leguntur.

II. DE FORMIS PRAECIPUIS LITTERARUM URBANI VI. ET BONIFATII IX.

Litterarum hocce libro contentarum longe maxima pars beneficiorum ecclesiasticorum in regno Bohemiae et terris olim regi Bohemiae subiectis administrationem, quoad a sedis apostolicae dispositione dependebat, concernit. Beneficiorum ecclesiasticorum collationem in quacunque diocesi ad diocesanum (episcopum, archiepiscopum) de iure pertinere constat. Haec tamen diocesanorum potestas ab olim aliorum iuribus circumscribebatur. Omisso iure patronorum, qui episcopo personas ad beneficia ecclesiastica per eum instituendas praesentabant, conventuum et capitulorum potestas advertenda est, praelatos monasteriorum necnon episcopos, dignitarios, canonicos libere eligendi. Modus iste regularis conferendi beneficia ecclesiastica posterioribus medii aevi saeculis saepissime a pontificibus Romanis perrumpebatur, qui praesertim saec. XIV. in dies magis sibi beneficiorum collationem vindicabant.

Tunc praecipue consuetudo auctoritate apostolica de canonicatibus providendi inolevit. Singulis canonicatibus in qualibet ecclesia certas praebendas coniunctas et huiusmodi canonicatuum cum praebendis numerum in plerisque ecclesiis per statuta specialia (statutum de certo canonicorum numero) praescriptum esse notum est. Pontifices autem Romani, ut quam plurimorum petentium

[5]) Cf. Tomaseth l. c. p. 438—447; Erler l. c. p. 492.

desideria adimplere possent, etiam si nulla praebenda vacaret, *gratias exspectativas de canonicatibus* eis concedebant, per quas titulum tantum canonici et locum in capitulo eis conferebant, hanc vel illam de praebendis eiusdem ecclesiae vacaturis eis in futurum reservantes (provisio de canonicatu sub exspectatione praebendae); quandoque vero praeter praebendam etiam aliquam e dignitatibus, personatibus vel officiis eis reservabant (provisio de canonicatu sub exspectatione praebendae, dignitatis, personatus seu officii). De quacunque huiusmodi provisionum aut duae litterae conficiebantur aut una sola. Duarum litterarum altera, illi, cui provisio fiebat, directa, gratiosa vocabatur et bullam in filo serico gerebat, altera, executoria dicta, tribus executoribus vel iudicibus, qui dignitarii ecclesiastici erant ad gratiam apostolicam exsequendam a papa specialiter deputati, dirigebatur, et bulla ei in filo canapis appendebat. Si una tantum bulla conficiebatur, uni soli executori, petitori de canonicatu provisuro, dirigebatur et bulla in filo canapis appensa munita erat. Quatuor igitur formae principales litterarum exspectativarum de canonicatibus discerni possunt, videlicet per quas:

1. Alicui providetur de canonicatu sub exspectatione praebendae [Exemplum: nr. 2 huius libri].

2. Alicui providetur de canonicatu sub exspectatione praebendae, dignitatis, personatus vel officii [Exemplum: nr. 22].

3. Executori mandatur, ut alicui de canonicatu sub exspectatione praebendae provideat [Exemplum: nr. 5].

4. Executori mandatur, ut de canonicatu sub exspectatione praebendae, dignitatis, personatus vel officii provideat [Exemplum: nr. 63.]

Si provisio in forma sub 1. et 2. posita fit, papa ipse petitori de canonicatu providet et praebendam (resp. praebendam, dignitatem, personatum vel officium), si qua vacat, vel cum vacaverit, quam petitor infra mensem ab eius vacatione acceptaverit, conferendam ei reservat; per litteras executorias papa executores de sua provisione certiores facit iisque mandat, ut illum, cui ipse de canonicatu providit, in canonicum faciant recipi eique locum in capitulo assignent, praebendam autem (resp. praebendam, dignitatem, personatum vel officium), quam duxerit acceptandam, cum vacaverit, ei conferant. Utraque litterarum huiusmodi, tam gratiosa quam executoria, similem arengam habet, in qua laudes petitori ob eius virtutes et merita tribuuntur, quaeque saepissime verbis „Vite ac morum honestas“ incipit, si autem ille, cui providetur, nobilis est, verbis „Nobilitas generis“, si graduatus, „Litterarum scientia“, si familiaris apostolicus, „Grata tue familiaritatis“ seu „devocionis“. Litterae sub 3. et 4. adductae formam simplicis mandati habent. Papa ipse per eas non providet petitori, sed mandat uni executori, qui plerumque officialis ecclesiae est, de cuius canonicatu fit provisio, ut ei de canonicatu provideat eique praebendam (resp. praebendam vel dignitatem seu personatum vel officium) reservet. Quod mandatum, quando praebenda reservanda est, ea tantum conditione debet adimpleri, si executor petitorem „idoneum esse reppererit“, quando autem praeter praebendam etiam dignitas, personatus vel officium cum vel sine cura sunt reservanda, si petitorem eis praeditum esse invenerit, quae ad curatum beneficium requiruntur („si eum bene legere, bene cantare . . . . inveneris“). Litterae huismodi mandatum de provisione continentes omnes eandem habent arengam, quae verbis „Dignum arbi-

tramur“ incipit. Forma provisionis per simplex mandatum illis concedebatur, qui examinandi erant, utrum ad beneficia obtinenda essent idonei, illi autem, qui ab examine erant liberi (doctores et licentiati in iure civili et canonico, magistri et licentiati in medicina, doctores, licentiati, baccalarii in theologia, capellani apostolici et apostolicarum litterarum scriptores et abbreviatores) duas super quacunque provisione litteras, gratiosam et executoriam, obtinebant.[1])

Praeter canonicatus etiam *de aliis beneficiis ecclesiasticis gratiae exspectativae* a pontificibus Romanis concedebantur: singulis personis reservabantur unum vel plura e beneficiis certi generis, ad collationem certorum collatorum pertinentibus vel in certa provincia existentibus, si vacabant, vel cum vacarent. Quae reservatio etiam quandoque per duas litteras, gratiosam et executoriam, quandoque per unam solam fit. Communis huiusmodi exspectativarum forma illa est, per quam papa alicui reservat beneficium ecclesiasticum cum cura vel sine cura, cuius fructus certum valorem annuum non excedant, ad collationem certorum collatorum pertinens [Exemplum: nr. 232]. Valor annuus, quem fructus beneficiorum reservatorum non debent excedere, tempore Bonifatii IX. in beneficiis cum cura 25, in beneficiis sine cura 18 marcae argenti erant. Raro gratiae exspectativae occurrunt, per quas alicui simili modo beneficium sine cura tantum reservatur, cuius fructus valorem annuum 18 marcarum argenti non excedant. Aliquando autem plura simul beneficia cum vel sine cura ad certam collationem pertinentia reservantur, ita tamen, ut omnium valor annuus non 25 resp. 18 marcas argenti excedant [Exemplum: nr. 218]; in casibus specialibus valor annuus, quem fructus beneficiorum sic reservatorum ascendere possunt, valde maior statuitur, quod praecipue personis, sedi apostolicae gratis aut necessariis, concedi solebat. [Exemplum: nr. 219; 1049, 1146]. Ad gratias huiusmodi exsequendas tres semper executores per litteras executorias deputantur, eisque mandatur, ut beneficium vel beneficia, quae petitor vigore reservationis apostolicae acceptaverit, auctoritate apostolica ei conferant. Omnes autem gratiae huiusmodi in forma simplicis mandati fieri possunt, per quod executor petitori beneficia illa reservare iubetur. Etiam hoc mandatum ea tantum conditione est perficiendum, si executor eum, cui beneficium est reservandum, ad illud obtinendum idoneum reppererit [Exempla: nr. 283 (beneficium sine cura); nr. 217 (beneficium cum vel sine cura); nr. 1136 (duo beneficia cum vel sine cura)].

Provisiones de canonicatibus sub exspectatione praebendae ac de beneficiis vacantibus vel vacaturis *gratiarum exspectativarum* nomine comprehenduntur. Quarum vigore ille, cui concessae sunt, acceptare potest unum (vel plura) de beneficiis certi generis, quamprimum vacaverit. Acceptationem autem illam infra mensem, postquam vacatio beneficii ei innotuerit, perficere debet. Quia beneficia eiusdem generis pluribus personis reservabantur, mirum non est, unum beneficium, cum vacaverit, haud raro a pluribus appetitum, nec semper ordinem, iuxta quem beneficia reservata acceptari debebant, observatum esse. Propter multitudinem exspectativarum factum est, ut spes adipiscendi beneficii valde esset debilis. Qua de causa illi, qui primo assequi volebant aliquod beneficium vigore gratiae eis

[1]) Cf. Regulas cancellariae (ap. Ottenthal, Die päpstl. Kanzleiregeln, 1888) Urbani V. nr. 4b et Gregorii XI. nros. 43 et 44.

concessae, a sede apostolica impetrare studebant concessionem, ut aliquibus vel omnibus similia beneficia exspectantibus in eorum assecutione *anteferrentur*. Haec concessio tempore Bonifatii haud raro fiebat sive per clausulam antelationis litteris super gratia exspectativa insertam [Exemplum: nr. 1282], sive per litteras speciales [Exempla: nr. 239, 528, 1402]. Decimo quarto pontificatus sui anno (1402 Dec. 22) Bonifatius papa omnes gratias exspectativas, quae tunc nondum erant sortitae effectum, revocavit.[1]) Sed etiam post hanc revocationem iterum gratiae huiusmodi concedebantur, in quibus tamen omnibus per clausulam specialem expressum est, post tres vel quatuor annos a data litterarum exspectativarum earum vigore aliquod beneficium acceptari non posse. [Nri. 2021, 2024].

Praeter gratias exspectativas, per quas petitori unum e beneficiis certi generis, si vacat, vel cum vacaverit, conferendum reservatur, pontifices Romani iurisdictionem ordinariorum per *collationem* certorum *beneficiorum iam vacantium* perrumpebant. Si beneficia, quorum collatio iuxta statuta Lateranensis concilii ab a. 1180 propter diuturnam vacationem ordinariorum culpa commissam ad sedem apostolicam devoluta est, non attendimus, collatio beneficiorum vacantium ad regulam vigore constitutionum fiebat, quibus Romani pontifices a Clemente IV. (1265—1278) incipientes certa genera beneficiorum ecclesiasticorum dispositioni sedis apostolicae reservabant. Per huiusmodi constitutiones, quarum constitutio Benedicti XII. „Ad regimen“ ab a. 1335[2]) maximi est momenti, usque ad tempus Urbani VI. haec praecipue genera beneficiorum ecclesiasticorum sedis apostolicae dispositioni sunt reservata: 1.) beneficia apud sedem apostolicam, id est per obitum quorumlibet, qui apud curiam vel loco ab eadem ultra duas dietas non distante decesserunt, vacantia; 2.) beneficia per obitum cardinalium, officialium et curialium sedis apostolicae necnon commensalium capellanorum et legatorum apostolicorum vacantia; 3.) beneficia vacantia per depositionem vel privationem seu translationem aut muneris consecrationis suspensionem aut per electionis cassationem vel postulationis repulsionem auctoritate apostolica factas[3]); 4.) beneficia vacantia per promotionem illa obtinentium ad regimina patriarchalium, archiepiscopalium et episcopalium ecclesiarum et monasteriorum auctoritate apostolica factam, necnon per assecutionem aliorum beneficiorum incompatibilium, auctoritate apostolica collatorum. Per Urbanum VI. praeterea 1380 Aprilis 6 omnia beneficia per possessorum eorum adhaesionem antipapae vel quibuscunque per processus apostolicos nominatim damnatis dispositioni apostolicae reservata sunt.[4]) Bonifatius IX., qui omnes quoque praedecessorum suorum reservationes confirmavit, iam primo anno pontificatus sui (1389 Dec. 4) dispositioni suae omnia beneficia specialiter reservavit,

[1]) Id bulla verbis „Intenta salutis“ incipiente factum est, quae tota ap. Ottenthal, Die päpstlichen Kanzleiregeln p. 73—79 est edita. Eadem bulla in Reg. Lat. 107 fol. 174a registrata est. Cf. etiam Regularum Bonifatii IX (ap. Ottenthal) nros 39, 40, 46, 48, 64.

[2]) Extravag. comm. lib. III. cap. XIII.

[3]) Huc beneficia vigore constitutionis Johannis pp. XXII., quae incipit „Execrabilis“ (Joh. XXII Extravag cap. 1. tit. III.), vacantia pertinent. Per quam statuitur vigore cuiuscunque dispensationis apostolicae nonnisi unum beneficium incompatibile retineri posse, omnia autem beneficia, quae quis ultra hoc teneat, esse dimittenda.

[4]) Regularum Urbani VI. (ap. Ottenthal, Die päpstlichen Kanzleiregeln) nr. 13et 13a.

„de et super quibus sibi placebit uti speciali reservatione“.[1]) Vigore harum reservationum de beneficiis, quae aliquo modorum praedictorum vacabant, auctoritate apostolica petitoribus providebatur. *Provisiones de beneficiis vacantibus* duobus etiam modis fiebant, videlicet per duas litteras, gratiosam et executoriam [Exemplum: nr. 58], vel per simplex mandatum, quod aut uni aut tribus executoribus dirigitur [Exemplum: nr. 53]. In introductione litterarum super huiusmodi provisionibus post arengam, quae similis est ac in litteris super gratiis exspectativis, titulus, ex quo sedes apostolica de tali beneficio potest disponere et qui in generalibus reservationibus plerumque fundatur, adducitur, necnon modus vacationis eiusdem beneficii enarratur. Ad maiorem securitatem huiusmodi provisionis litteris super eisdem confectis clausula inseri solet, iuxta quam provisio valere debet, etiam si beneficium alio quocunque modo, ac in litteris expressum est, vacaverit. Clausula haec tempore Urbani VI. et Bonifatii IX. magis magisque augetur, cum in ea singuli modi, quibus beneficium vacare potuit, expresse commemorentur. Haud raro autem alicui etiam de beneficiis providetur, quae ipse auctoritate alicuius gratiae apostolicae exspectativae acceptavit [Nr. 352] aut quae ei auctoritate ordinaria sunt collata [Nr. 319]. Aliquando denique provisio sub conditione conceditur, cum executores alicui de beneficio providere iubeantur, si illud vacare reppererint [Nr. 343], aut si eius possessorem eodem beneficio privaverint [Nr. 598]. His mandatis de provisione, quae sub conditione fiunt, illa forma litterarum accedit, per quas iudici mandatur, ut *resignatione* alicuius beneficii, quam eius possessor sponte facere vult, recepta, idem beneficium alteri conferat [Nr. 636]. Tales litterae ad regulam vicecancellario apostolico vel officium cancellariae apostolicae gerenti diriguntur, qui in fine litterarum admonetur, ut „attente provideat, quod in resignatione huiusmodi nulla pravitas interveniat seu eciam corruptela“.

Vicecancellario aut regenti cancellariam etiam similes litterae dirigi solent, per quas ei mandatur, ut a duobus beneficia sua invicem *permutare* volentibus eorundem beneficiorum resignationes recipiat et beneficia sic resignata iuxta permutationem factam eis conferat [Exempl.: nr. 487]. Litterae huiusmodi specialem habent arengam („Apostolice sedis circumspecta“), et per earum clausulam finalem intentio papae exprimitur, „quod permutantibus ex collationibus huiusmodi nullum ius acquiratur, nisi tempore resignationum ius haberent in beneficiis per eos resignatis“.

Litterae similia mandata super resignatione vel permutatione beneficiorum continentes plerumque officiales curiae vel alias personas concernebant, quarum beneficia, cum vacarent, sedis apostolicae dispositioni erant reservata, et quae propterea nonnisi cum speciali eiusdem sedis permissione beneficia sua resignare aut permutare potuerunt. Talibus autem personis aliquando a sede apostolica concedebatur per litteras speciales, ut *quaecunque beneficia* sua sine speciali sedis apostolicae licentia etiam in manibus cuiuscunque ordinarii resignare et pro aliis *permutare* possint [Nri. 561, 700]. Quia satis saepe accidit, ut idem beneficium vacans pluribus personis eodem tempore collatum esset (cf. nros. 867, 872, 966; 1291—1293; 1358 - 1361), uni e competitoribus huiusmodi per litteras speciales

[1]) Regulae Bonifatii IX. (apud Ottenthal, Die päpstlichen Kanzleiregeln) nr. 4.

a sede apostolica concedebatur, ut omnes *gratiae* de eodem beneficio *aliis* forsan *factae* vel faciendae *nullius* essent *roboris* [Nri. 1032, 1295].

Cum litterae gratias exspectativas vel provisiones de beneficiis vacantibus continentes valde sint frequentes, litterae, per quas alicui *certum beneficium* nondum vacans, sed in posterum certo modo *vacaturum reservatur*, raro tantum occurrunt. Reservationem enim beneficii per obitum illud obtinentis vacaturi ius canonicum prohibebat, ne mors alicuius exspectari videretur, quam ob rem nonnisi beneficia per assecutionem alius beneficii incompatibilis, per promotionem ad ecclesiarum cathedralium regimen, per privationem vel per matrimonium contrahendum vacatura reservari potuerunt [Nri. 453, 321].

In quibuscunque litteris apostolicis, per quas certa beneficia ecclesiastica alicui conferuntur vel reservantur, tempore Urbani VI. et Bonifatii IX. fructuum beneficiorum eorundem valor annuus per marcas argenti exprimitur. Omnibus autem litteris provisionum clausula „non obstantibus" inest, in cuius fine beneficia, quae provisus obtinet vel exspectat, aut super quibus litigat, eorumque valor annuus adducuntur. Huic clausulae quandoque alia adiuncta est, per quam statuitur eum, cui de beneficio provisum est, quamprimum illud fuerit assecutus, aliud beneficium, quod iam obtinet, dimittere debere. Quandoque autem eodem loco dispensatio apparet, ut etiam post assecutionem novi beneficii aliud beneficium incompatibile retinere possit. In litteris provisionum cardinalibus aut aliis personis „motu proprio" factarum beneficia, quae provisus obtinet, nominatim non adducuntur et dispensationis specialis loco generalis dispensatio ponitur, iuxta quam provisus beneficium, quod vigore dictarum litterarum fuerit assecutus, cum quibuscunque aliis, quae obtinet vel obtinebit, simul retinere potest [Nri. 219, 399].[1])

A litteris provisionum de beneficiis ecclesiasticis communibus, de quibus adhuc tractatum est, quoad formam litterae super *provisionibus praelatorum*, i. e. archiepiscoporum, episcoporum, monasteriorum praepositorum et abbatum valde differunt.[2]) De qualibet huiusmodi provisionum plures litterae conficiebantur, quarum una promoto dirigebatur, reliquae „simili modo" confectae illis, quos promotio eius tangebat, prout conventui, capitulo, diocesanis, domino temporali etc. [Exempla: nr. 428 (provisio abbatis); nr. 968 (provisio archiepiscopi); nr. 787 (provisio episcopi titularis), cf. nr. 430]. In harum quoque provisionum litteris titulus iuris sedis apostolicae ad easdem provisiones faciendas commemoratur: generalis vel specialis reservatio ecclesiae vel monasterii. Persaepe autem accidit, ut, cum conventus abbatem vel capitulum episcopum contra reservationem praefatam elegissent, pontifex cassata huiusmodi electione electum auctoritate apostolica abbatem aut episcopum instituerit. Litteris super provisionibus praelatorum aliae litterae raro tantum occurrentes accedunt, per quas alicui praelato monasterium (vel ecclesia) ad certum tempus vel ad vitam eius gubernandum commendatur [Nr. 1322].

Promotis auctoritate apostolica paulo post per litteras speciales concedi solebat, ut a quocunque catholico antistite *munus benedictionis* recipere et in

[1]) Dispensationum similium, quae per litteras peculiares fiebant, postea fiet mentio.

[2]) Cf. Eubel, Zum päpstlichen Reservations- und Provisionswesen, Römische Quartalschrift VIII., 1891, p. 169—185.

manibus eius fidelitatis iuramentum praestare possent. [Forma: Tangl, Die päpstlichen Kanzleiordnungen p. 316 nr. 120; Klicman. Monumenta Bohemiae Vaticana I. nr. 455]; quandoque autem duo certi episcopi delegabantur, qui *iuramentum* huiusmodi reciperent [Nr. 634]. Ad archiepiscopatum promoto tales delegati praeterea *pallium* tradere solebant [Nr. 2001].

Nimia et inordinata sedis apostolicae liberalitas in gratiis de beneficiis ecclesiasticis concedendis, quae maxime Bonifatii IX. tempore invaluit, creberrimas inter beneficia huiusmodi appetentes lites excitavit. Quae lites, quamquam *causarum super beneficiis ecclesiasticis* exortarum decisio ad diocesanorum iurisdictionem spectabat, frequenter apud Romanam curiam (‚in palatio apostolico') tractabantur, ad quam sive per appellationem unius partis sive per partium praesentiam in curia devolvebantur aut ad unius partis instantiam a papa advocabantur. Causas huiusmodi papae singulis causarum palatii apostolici auditoribus (quandoque etiam cardinalibus) committebant [Nr. 468], qui in eis modo statuto procedebant easque, facta prius ceteris auditoribus relatione plenaria, cum eorundem auditorum consilio decidebant. Finalem autem decisionem plures quasi semper appellationes praecedebant. Causis palatii apostolici auditoribus commissis pontifices Romani variis modis auctoritatem suam interponebant. Si alter litigantium decessit vel ius suum in beneficio vel ad beneficium, super quo causa movebatur, resignavit vel quocunque modo perdidit, omne ius, quod ei in eodem beneficio competebat, alii per surrogationem conferebatur. Hoc per litteras alicui auditori vel iudici directas fiebat, cui mandabatur, ut ad omne ius, quod personae litiganti in beneficio competebat, alium surrogaret [Nr. 350]. Aliquando vero alter litigantium a papa litteras impetravit, per quas auditori mandabatur, ut, si per eventum litis ei constaret neutri litigantium ius in beneficio seu ad illud competere, idem beneficium ipsi conferret [Nr. 491]. Raro tantum litterae auditoribus directae occurrunt, per quas eis mandatur, ut, si neutrum litigantium ius in beneficio habere invenerint, illi, quem sufficientiorem reppererint, dictum beneficium conferant [Nr. 1963].

Finita causa pontifex Romanus iudices in partibus deputare solebat, qui sententias in eadem causa in palatio apostolico latas exsequerentur et victorem in beneficii, de quo actum erat, possessionem inducerent [Nr. 521, 615]. Quandoque autem ad causam ipsam auctoritate apostolica examinandam et decidendam iudices in partibus deputantur [Nr. 543, 879], quandoque ad fructus beneficii, super quo lis vertitur, sequestrandos [Nr. 488, 613].

In quacunque huiusmodi litterarum, quae causas de beneficiis ecclesiasticis tangunt et verbo „Exhibita" (sc. nobis petitio) plerumque incipientes litterae *de exhibitis* vocantur, processus in causa eadem adhuc facti late enarrari solent, ita ut modus procedendi in causis huiusmodi, qui tunc in palatio apostolico observabatur, clare inde possit cognosci.[1])

Sed etiam causis, quae extra curiam movebantur, nonnumquam Romani

[1]) Quem Theodericus de Nyem libro suo, qui „Stilus palatii abbreviatus" intitulatus est, latius describit. Hic ap. Erler, Der Liber cancellariae apostolicae und der Stilus palatii abbreviatus Dietrichs von Nieheim, Lipsiae 1888 editus est. Cf. etiam Tadra, Kniha protokollů auditorů papežských [= Liber prothocolli auditorum apostolicorum], Věstník král. č. spol. nauk = Sitzb. der kön. böhm. Ges. der Wiss., 1893.

pontifices se immiscebant, mandantes executoribus, ut processus in talibus causis factos aggravarent [Nr. 525, 1473], vel decisiones causarum earundem auctoritate apostolica confirmantes.

Statum beneficiorum ecclesiasticorum denique litterae de eorundem *beneficiorum unionibus* vel incorporationibus tangunt, quarum Bonifatii IX. tempore numerus permagnus nobis occurrit. Per litteras huiusmodi ecclesiae parochiales (vel alia loca ecclesiastica) monasteriis (vel aliis locis ecclesiasticis) uniuntur, ita ut earum vigore abbas et conventus monasterii, cui ecclesia est unita, eiusdem ecclesiae fructus, quamprimum ipsa vacaverit, apprehendere et in usus suos retinere possint. Varii autem modi unionum sunt. Per aliquas litteras unionis statuitur ecclesiam unitam per vicarios perpetuos esse gubernandam, qui sive per abbatem et conventum diocesano loci praesentandi, sive per abbatem (vel priorem) perpetuo instituendi sunt, quibusque a monasterio e fructibus ecclesiae unitae congrua portio pro eorum sustentatione est assignanda [Nr. 721, 1002, 1269]. Aliis autem litteris unionum conceditur, ut ecclesiae unitae imposterum per monachos monasterii, cui ecclesia est incorporata, (quandoque etiam per alios idoneos presbyteros) ad nutum abbatis (vel prioris) ponendos et amovendos gubernentur [Nr. 667]. Secundus modus unionis (incorporatio plena) monasterio, cui ecclesia est unita, sine dubio utilior est; qua de causa monasteria, quibus ecclesiae quaedam primo modo erant unitae, litteras apostolicas impetrare studebant, per quas statuebatur ecclesias huiusmodi, adhuc per vicarios perpetuos gubernari consuetas, de cetero per monachos ad nutum abbatis revocabiles gubernari posse [Nr. 926; cf. nr. 1711]. Plures denique Bonifatii IX. litterae sunt, per quas incorporationes prioribus temporibus auctoritate ordinaria factae auctoritate apostolica confirmantur.

In omnibus litteris, quae uniones tangunt, valor annuus tam beneficii uniendi quam ecclesiae vel monasterii, cui unio fieri debet, per marcas argenti exprimitur. Nimium incorporationum incrementum sistere cupiens Urbanus VI. (sicut iam praedecessor eius immediatus fecerat) 1380 Junii 1 omnes uniones per praedecessores suos factas, quae nondum erant sortitae effectum, revocavit.[1]) Postea autem tam ipse quam Bonifatius IX. quam plurimas uniones concessit. Bonifatius quidem 1402 Decembris 22 omnes uniones, sive per ipsum, sive per Urbanum VI., sive per quosvis ordinarios factas, quae non sunt sortitae effectum, atque illas quoque, quae sunt sortitae effectum alias quam per obitus illorum, qui beneficia unita tempore unionum de illis factarum obtinebant, ac etiam illas, quae factae sunt sine magna necessitate vel ex falsis aut nullis causis, similiter omnes confirmationes unionum auctoritate ordinaria factarum per ipsum concessas revocavit atque statuit vigore concessionum nonnullis monasteriis factarum nullum beneficium adhuc per clericos saeculares regi consuetum deinceps per monachos vel regulares canonicos regi posse, sed in beneficiis huiusmodi saeculares presbyteros vicarios perpetuos esse instituendos.[2]) Sed paulo post hanc revocationem nonnulla monasteria a papa Bonifatio concessionem impetraverunt, ut uniones eis

[1]) Confirmationem huius regulae a Bonifatio IX. factam vide in Reg. Lat. 110 fol. 34 a. Apud Ottenthal, Die päpstlichen Kanzleiregeln p. 50 eadem regula datam 1382 Maii 27 habet. (Regulae Urbani VI. nr. 16.)

[2]) Regulae Bonifatii IX. (ap. Ottenthal l. c.) nr. 70.

factae sub huiusmodi generali unionum revocatione non comprehenderentur [Nr. 2150, 2151], et aliae quoque uniones per eundem pontificem factae sunt [Nri 2152—2155].

Simul cum unionibus Bonifatius papa etiam omnes *exemptiones* monasteriorum ab ordinarii episcopi iurisdictione per se factas revocavit, quae tamen exemptiones ipsius tempore rarissimae erant. Saepius aliae gratiae monasteriis a sede apostolica fiebant. Abbatibus enim eorum concedebatur, ut *insignibus pontificalibus* uti possent [Nr. 32], vel ut *benedictionem* solemnem *elargiendi* potestatem haberent [Nr. 914]. Nonnulli abbates extraordinariam *in monachos* a sede apostolica *iurisdictionem* obtinuerunt [Nr. 560]. Per alias litteras abbatibus *egrediendi monasterium* licentia datur, vel abbatibus cisterciensis ordinis conceditur, ut sub certis conditionibus *carnibus vesci* possint etc.

Ne monasteriorum et ecclesiarum bona distraherentur, nonnumquam per litteras apostolicas praelatus quidam deputabatur, qui *bona* a monasterio vel ecclesia illegitime *alienata* in eius potestatem revocaret [Nr. 357]. Similiter institutis et personis ecclesiasticis per bullas, quae *conservatoriae* dicuntur, tres e vicinarum partium praelatis conservatores contra eorum oppressores et bonorum occupatores deputabantur. Communis talium conservatoriarum forma illa est, quam Clemens papa V. in concilio Viennensi a. 1311 statuit, cuiusque arenga verbis „Militanti ecclesie“ vel, si episcopo conservatores instituuntur, „Ad hoc nos deus“ incipit [Klicman, Monumenta Bohemiae Vaticana I. nr. 92 et 104; Tangl, Die päpstl. Kanzleiordnungen p. 321 nr. 129]. Aliae conservatoriarum formae („Ad reprimendas“, „In supreme dignitatis“, „Frequentes hactenus“) valde raro occurrunt.

Tam monasteria quam ecclesiae saepissime litteras *indulgentiarum* obtinuerunt. Per tales litteras certae indulgentiae omnibus vere poenitentibus et confessis conceduntur, qui certis anni diebus (ad regulam hi esse solent: septem festa Christi et quatuor b. Mariae, festum s. Johannis Baptistae et beatorum apostolorum Petri et Pauli, celebritas omnium sanctorum, festum dedicationis ecclesiae et illius sancti, sub cuius vocabulo ecclesia ipsa est fundata, necnon octavae praedictarum festivitatum resp. sex dies eas sequentes) ecclesiam visitaverint et ad eius reparationem manus adiutrices porrexerint. Bullae super huiusmodi indulgentiis Urbani VI. et Bonifatii IX. tempore arengam verbis „Licet is“ incipientem habere solent [Nr. 153, 366], aliae arengae prout „Splendor paterne glorie“ rarius occurrunt [Nr. 383]. Bonifatii IX. aetate bullis indulgentiarum concessio inseri consueverat, ut abbas vel rector ecclesiae, cui indulgentiae sunt concessae, *confessores* ad Christi fidelium indulgentiarum assequendarum causa confluentium confessiones audiendas *deputare* posset [Nr. 1323]. Similis concessio quandoque per litteras peculiares fiebat [Nr. 1319]. Posteriore etiam eiusdem pontificis tempore consuetudo invaluit ecclesias et monasteria visitantibus indulgentias ad instar indulgentiarum alias ecclesias celebres (praesertim ecclesiam s. Marci de Venetiis, s. Mariae extra muros Assisinatenses etc.) visitantibus concessarum elargiendi [Nri. 1323, 1324]. Praeterea per bullas, quae Christi fideles exhortantur, ut ad ecclesiarum aedificationem vel reparationem subveniant, indulgentiae eisdem Christi fidelibus concedi consueverunt; quae bullae arenga

verbis „Ecclesiarum fabricis" incipiente utuntur [Nr. 411]. Specialis denique formae litterae indulgentiarum praeter formas hic annotatas aliquando occurrunt.

Bonifatius IX. die saepe iam dicta, videlicet 1402 Decembris 22, huiusmodi quoque concessionibus manum admovit. Omnes enim indulgentias factas ad instar indulgentiarum aliis ecclesiis concessarum penitus revocavit et simul etiam concessiones super potestate delegandi confessores Christi fidelium indulgentiarum causa confluentium, quibus illi, qui potestatem huiusmodi obtinuerant, „mirabiliter abuti" dicebantur, cassavit [1])

Bullarum hic mentio facienda esse videtur, per quas *indulgentiae anni iubilaei* omnibus, qui certas ecclesias in Bohemia consistentes certo modo visitaverint, perinde conceduntur, ac si quatuor principales basilicas et ecclesias Romanas personaliter visitaverint Huiusmodi gratia tam communiter omnibus incolis terrarum regi Bohemiae subiectarum facta est (Nr. 669, 724), quam specialiter nonnullis personis [Exemplum: nr. 287].

Personis ecclesiasticis ultra beneficiorum collationes multae et variae gratiae concedebantur. Quarum imprimis diversi generis *dispensationes* sunt commemorandae. Omnes enim dispensationes a statutis iuris communis ad sedis apostolicae iurisdictionem propriam competebant. Sicque per litteras apostolicas cum personis ecclesiasticis dispensabatur, ut beneficia incompatibilia ad certum tempus insimul retinere possent [Nr. 416, 534], prout etiam per bullas de fructibus percipiendis concedebatur illis, qui plura beneficia obtinebant, ut in eorum aliquo residentes, omnium fructus percipere possent. Simili gratia etiam curiae Romanae officiales et in universitate aliqua studiis operam adhibentes donabantur [Formam vide ap. Tangl, Die päpstl. Kanzleiordnungen p. 313 nr. 115; cf. nr. 37 huius libri]. Cum illegitime genitis, quibus iuxta canones sine dispensatione speciali ordines ecclesiasticos assequi non licuit, dispensabatur, ut defectu natalium non obstante se ad sacros ordines promoveri facere possent [Nr. 195]. Quoniam iuxta Viennensis concilii a. 1311 habiti statutum ad subdiaconatum impetrandum decimus octavus, ad diaconatum vicesimus, ad presbyteratum vicesimus quintus, ad episcopatum autem tricesimus annus requirebatur, omnes ordinandos et electos talem aetatem non habentes a sede apostolica dispensationem super aetatis defectu impetrare oportuit [Nr. 367]. Cum certa beneficia ecclesiastica, specialiter quibus animarum cura imminebat, nonnisi in sacris ordinibus constituti obtinere deberent, cum illis, qui in eisdem ordinibus non constituti beneficia huiusmodi assequi volebant, ab ordinibus dispensabatur [Nr. 947, 1403, 1807]. Qui propter delictum ad ordines recipiendos vel presbyteratus officium exercendum vel beneficium quoddam obtinendum inhabilis effectus est, aliquando ab omni inhabilitatis vel irregularitatis macula, quam incurrerat, per dispensationem super irregularitate absolvebatur [Nr. 330].

Urbani VI. et Bonifatii IX. tempore quamplures ecclesiasticae personae *capellanorum apostolicorum* titulo et honore donabantur, quod per bullas arengam „Virtutibus clarens" habentes fiebat. Bullarum huiusmodi duae formae occurrunt, quarum altera simplicior [Nr. 42] tempore Urbani VI. et primis Bonifatii IX. annis, altera plenior [Nr. 1289] posterioribus eiusdem Bonifatii annis adhibebatur.

[1]) Regulae Bonifatii IX. (ap. Ottenthal l. c. p. 76) nr. 73.

Cum capellani apostolici titulo exemptio ab ordinariorum iurisdictione erat coniuncta. Quapropter, cum capellanus quidam esset nominatus, camerarius apostolicus per litteras suas (‚processus') omnibus iudicibus ordinariis prohibebat, ne in novum capellanum ullam iurisdictionem exercerent [Nr. 297].[1]) Capellani apostolici post institutionem suam in camera apostolica fidelitatis iuramentum inter certas caerimonias praestare debebant; quia autem plerumque a curia erant absentes, iudices in partibus ad iuramentum huiusmodi recipiendum deputabantur [Nr. 356]. Sicut capellanatum honoris sic etiam *familiaris apostolici* titulum nonnullae personae impetrabant, quibus simul concedebatur, ut omnibus privilegiis sedis apostolicae familiaribus continuis commensalibus concessis vel concedendis gaudere possent [Nr. 202]. 1402 Decembris 22 Bonifatius declaravit capellanos honoris, qui non erant magistri, licentiati, baccalarii formati in theologia ac doctores iuris canonici et civilis praetextu litterarum eis concessarum et processuum pro eis factorum a iurisdictione superiorum et ordinariorum nullatenus esse exemptos.[2]) De bullis familiaritatis idem papa tunc declaravit, „quod illi, qui tales litteras obtinuerunt, nullo modo gauderent dictis privilegiis, nisi dumtaxat illi, qui re vera sunt familiares apostolici et domestici commensales". [3])

Personis ecclesiasticis beneficia ecclesiastica obtinentibus porro *licentia testandi* dabatur, cuius vigore de bonis suis undecunque non per ecclesiam eis commissam, alias tamen licite acquisitis libere testari valerent. [Formam vide ap. Klicman l. c. nr. 244 et ap. Tangl. l. c. p. 311 nr. 112]. *Tabellionatus* quoque *officium* nonnisi clericis concedebatur. Litterae super tabellionatus officio, sive clerico, qui ad huiusmodi officium exercendum admittitur, sint directae, sive per eas praelato cuidam potestas detur huiusmodi officium alicui vel aliquibus conferendi, arenga „Ne contractuum memoria" sunt insignes [Forma ap. Tangl. l. c. p. 329 nr. 132 et 133]. Simili modo ad *scriptoriae litterarum apostolicarum officium* clerici tantum admittebantur, quod aut per litteras mandatum vicecancellario directum, ut aliquem in scriptorem reciperet, continentes fiebat [Nr. 890], aut per duas litteras, quarum principalis illi, qui scriptor instituendus fuit, dirigebatur, per alteram vicecancellario committebatur, ut eum ad scriptoriae officium admitteret [Nr. 2137].

Tam ecclesiasticis quam saecularibus personis per litteras apostolicas diversae gratiae pure religiosae concedebantur. Per bullas speciales *licentia eligendi confessorem* conceditur [„Benigno"; Klicman nr. 14; Tangl p. 309 nr. 107]; per alias singulis personis indulgetur, ut confessor, quem ipsi elegerint, in mortis articulo *plenam* omnium peccatorum *remissionem* eis concedere possit [„Provenit"; Klicman nr. 15; Tangl p. 307 nr. 106]; vel ut possint habere *altare portatile* [„Sincere devocionis"; Klicman nr. 490; Tangl p. 309 nr. 108]; ut *missam ante diem* celebrari facere possint [„Sincere devocionis"; Klicman nr. 444; Tangl p. 310 nr. 109]; ut *locis* ecclesiastico *interdicto suppositis* divina officia celebrari facere possint [„Devocionis"; Tangl p. 310 nr. 110]. Similiter nonnulla oppida a sede apostolica impetraverunt, ut statim post recessum ex-

[1]) Rarissime exemptio ab ordinariorum iurisdictione singulis personis per litteras speciales concedebatur [Nr. 1622].

[2]) Regulae Bonifatii IX. (ap. Ottenthal) nr. 77.

[3]) Regulae Bonifatii IX. (ap. Ottenthal) nr. 79.

communicatorum divina officia in eis celebrari possent [Nr. 938], nonnulla vero monasteria et ecclesiae celebrandorum divinorum officiorum tempore interdicti gratiam obtinuerunt [Nr. 1426].

Ex iurisdictione ecclesiae in rebus matrimonium concernentibus bullae procedunt, per quas cum personis, quae matrimonium iam contraxerunt vel illud contrahere volunt, super consanguinitate vel aliis matrimonii impedimentis dispensatur (*dispensatio super matrimonio* contracto vel contrahendo).

Haud paucae denique bullae nonnisi confirmationes veterum privilegiorum, compositionum, erectionum etc. continent; per alias declaratur litteras quasdam perinde valere debere, ac si nullum habeant formae defectum, aut gratia per alias litteras facta suppletur vel explicatur etc.

Omnes bullae, de quibus adhuc egimus, sive gratiam sive iustitiam continuerint, litterae communes dicendae sunt, cum ad partium supplicationem earumque utilitatem fuerint confectae. Longe minores numero sunt bullae, quae ad solam curiae utilitatem editae sunt et litterae de curia dicuntur. Praeter bullas, quae ad Romanae eclesiae dominii temporalis administrationem pertinent, bullae legatos et collectores sedis apostolicae necnon cameram apostolicam tangentes huc spectant.

In *legatum apostolicum* praeter officium specialiter ei commissum magna ex parte sedis apostolicae iurisdictio per diversas litteras transferebatur, quarum singulae singulas ei facultates dabant. Pileus episcopus Tusculanus, aestate anni 1394 in Bohemiam regis Venceslai e nobilium Bohemorum manibus liberandi causa destinatus, 32 varias bullas facultates huiusmodi continentes obtinuit. Per alias bullas legato et familiae eius de securo conductu providebatur, necnon proventus ei assignabantur, quod vel per mandata collectoribus directa, ut legato certam summam traderent, fiebat, vel per litteras, per quas clerus illarum partium ad solvendas ‚procurationes' legato admonebatur.

Collectoribus camerae apostolicae collectoriae officium ab eis in certa provincia per aliquot annos exercendum bullis committebatur, in quibus eorum iura et officia omnia expresse enumerabantur [„Ex fideli et sollicita"; nr. 86, 316]. Fructuum et proventuum camerae apostolicae in certa provincia debitorum receptio et administratio ad eos pertinebat. Praeter generales instructiones haud raro a sede apostolica mandata specialia obtinuerunt, ut alicui personae e pecunia camerae certam summam assignarent [Nr. 164, 172], vel ut solutiones quasdam eidem camerae debitas exigerent [Nr. 79, 1648]. Subsidiorum extraordinariorum exactio, prout etiam alia camerae apostolicae negotia, quandoque legatis specialibus committebantur [Nr. 97, 98, 112].[1])

Res *camerae apostolicae* (solutionem annatarum et al.) praeter bullas summi pontificis nonnullae etiam camerarii vel thesaurarii apostolici litterae tangunt. Praeter litteras autem alia quoque documenta hoc tomo continentur, quae de libris camerae apostolicae sunt deprompta, obligationes videlicet et solutiones praelatorum. Cuicunque beneficium quoddam ecclesiasticum auctoritate apo-

[1]) Cf. Kollmann, O kollektorech komory papežské v Čechách [= De camerae apostolicae collectoribus in Bohemia] in Věstník kr. č. spol. nauk [= Sitz. der kön. böhm. Ges. der Wiss.] 1397.

stolica assecuto certas taxas camerae apostolicae solvendas fuisse constat. De beneficiis communibus auctoritate apostolica collatis ‚annatae' h. e. medietas fructuum primi anni collectoribus apostolicis solvebantur. Ili autem, qui ad ecclesias cathedrales vel monasteriorum regimen a sede apostolica promoti sunt, taxas ‚servitia' dictas tam camerae apostolicae quam camerae sacri collegii cardinalium solvere debebant. Cuilibet promoto praeter ‚servitium commune', quod par erat tertiae parti annuorum eius proventuum et cuius alteram medietatem camera apostolica, alteram camera sacri collegii recipiebat, quinque ‚servitia minuta' vel ‚consueta' erant solvenda, quorum quatuor officialibus papae, reliquum officialibus sacri collegii obveniebant.[1]) Ante consecrationem promoti se dicta servitia camerae apostolicae et camerae sacri collegii soluturos obligabant, quae *obligationes* in utriusque camerae registris annotabantur [Nr. 180]; cum postea promotus partem servitiorum vel totum debitum persolvisset, tam a camerario apostolico [Nr. 1338] quam a camerario sacri collegii de hac *solutione* quitabatur [Nr. 109].

III. DE MODO HUIUSCE EDITIONIS ET QUANTUM IPSA AD ILLUSTRANDAM PATRIAE HISTORIAM CONFERRE POSSIT.

In hac editione paranda operam dabam, ut cuiusque documenti — exceptis illis, quae aliqua parte tantum ad regiones nostras pertinent — materia tota consumeretur, ita tamen, ut quodque documentum ipsum per se posset intelligi. Nonnumquam argumenta sola, quae verbis litterae quam constantissime exprimuntur, suppetebant, alio loco afferenda erant excerpta, h. e. verba litterae omnibus clausulis omissis abbreviatae. Quibus excerptis nihil est additum, nisi rarissime singula verba ad sensum intelligendum necessaria, quae semper uncinis angulatis sunt inclusa. Si quid omissum fuit, sive unum, sive plura verba, quatuor punctis significatum est.

Ut autem haec editio, quantum fieri potuit, etiam formas litterarum diversi generis illustraret, e quocunque genere litterarum exemplo unum documentum profertur, continens clausulas vel saltem indicia, ubi reperiri possint. Formae minoris momenti iam, prioribus temporibus adhibitae, quae apud Tangl, Die päpstlichen Kanzleiordnungen, et Klicman, Monumenta Bohemiae Vaticana I inveniuntur, iterum hic excusae non sunt. Ut omnes litterae ad unum de hisce exemplis redigerentur, sicut Klicman faciebat, hic fieri non potuit, nam clausulae litterarum aetatis huius ubique constantem formam non habent, ut habuerunt Clementis VI. temporibus, et rationem habere omnium differentiarum, quae in singulis clausulis occurrunt et non ad rem, sed ad formam tantum spectant, huius editionis natura ferre non potest, cum ne illud quidem attendamus, quod hanc rationem sequi sit difficillimum, immo impossibile. Clausulas, quibus res quaedam inest (clausula antelationis), excerptis non tollebam et argumentis

[1]) Plura vide ap. Baumgarten, Untersuchungen und Urkunden über die camera collegii cardinalium p. XCVII. sq.

quoque convenienter inserebam, illas autem, quae pure formales sunt („etiam si"), plane omittebam. Litterae maioris momenti integrae hic proferuntur.

Ex integre excusis exemplis et ex eo, quod capitulo praecedente exposui, formas litterarum diversi generis satis clare cognosci posse puto. Ut autem appareret, quod genus litterarum singulis documentis nobis occurreret, uniformitate quam maxima argumentorum et excerptorum necnon annotatione arengarum per verba, quibus incipiunt, efficere volui.

Documenta hoc tomo contenta maxima ex parte plane nova sunt, cum pauca iam prius edita fuerint. Quae, si minoris sunt momenti aut in libris ubique existentibus excusa, nonnisi per argumenta proferuntur. Rara tantum in libris, quorum aditus non plane est facilis, edita, quae maioris momenti esse videbantur, hic iterum excudenda putavi.

* * *

Hoc libro relationes curiae Romanae ad terras regi Bohemiae subiectas quoad ecclesiae interiorem administrationem patefiunt. Quae relationes Urbani VI. et Bonifatii IX. aetate plurimae sunt. Tunc enim sedes apostolica singulis ecclesiae provinciis dirigendis auctoritatem suam quam maxime interponebat. Quibus id modis in regno Bohemiae et terris ei adhaerentibus fecerit, editio nostra satis clare edocet. Etiam rerum gestarum indagatores, quibus Bohemiae historia non specialiter curae est, haud pauca hic invenient, quibus abunde de generali administrationis ecclesiasticae illius temporis natura, de institutorum ecclesiasticorum et iuris canonici progressu, et praesertim de diplomatum pontificiorum formis tunc consuetis certiores fient. Imprimis autem opus hoc ad historiae patriae promotionen est destinatum, ad quam illustrandam diversis modis conferre potest.

Ad publicam quidem patriae historiam non multa hic afferuntur, quamquam hac quoque ratione nonnulla documenta sunt consideranda (Vide nros. 1, 26, 40, 46, 83, 117, 174, 711, 728, 794, 795, 852, 1077, 1431, 1458, 1476, 1532, 1562, 1777, 1781, 1844, 1882, 1967, 2056, 2208). Quorum documentorum aliquot potestatis temporalis et ecclesiasticae dissensiones tunc crebro exortas demonstrant. Ex illis, quae de rege Venceslao diversis huius libri locis referuntur, quomodo idem rex in rebus ecclesiasticis egerit, quomodo ad curiam Romanam et regni sui clerum se gesserit, clarius quam adhuc cognosci potest.

Praecipue autem de interiore ecclesiae statu in terris nostris edocemur. Liber hic, quantum Bohemiam attingit, magni momenti opera supplet, videlicet Libros confirmationum (ed. Tingl et Emler) et Acta iudiciaria consistorii Pragensis (ed. Tingl et Tadra). Cum enim illae rerum ecclesiasticarum dioceseos Pragensis administrationem illustrent, quantum archiepiscopus auctoritate ordinaria eam exercebat, ex hoc libro patebit, quatenus eadem administratio a sede apostolica dependerit. Nunc demum cognoscemus, quam graviter tunc sedes apostolica rerum ecclesiasticarum administrationi, quae de iure ad ordinariorum, h. e. episcoporum et archiepiscoporum, potestatem pertinebat, se im-

miscuerit. Quod multitudo ipsa bullarum a Bonifatio IX. editarum et terras nostras tangentium, quae si omnes exstarent, certe 3000 numerum excederent, clare demonstrat.

Sedes apostolica hoc modo ordinariorum potestatem debilitabat, regularem rerum ecclesiasticarum administrationem praesertim quoad beneficia conferenda frangebat, personarum et institutorum ecclesiasticorum iura et ordines magnopere confundebat sicque materiam praestabat litibus creberrimis, quae illo tempore exoriebantur. Quarum nonnullae propter gravitatem et conditiones suas speciali attentione dignae sunt (Vide nr. 93 [monasterium Milocense]; nr. 462 et 511 [mon. s. Georgii Pragae]; nr. 1069, 1370, 1556, 1783, 1861 [praepositura Vyšehradensis]; nr. 584 [mon. Czarnowanz]; nr. 1339, 1378, 1734, 1970 [ecclesia s. Jacobi Brunnae]; 972, 987, 1936, 2100, 2131, 2158 [mon. Plagense]).

Cum eadem sedes apostolica e iuribus, quae sibi ordinariorum damno vindicaverat, quaestum faceret, causa fuit labentis in ecclesia disciplinae, praecipue autem cumulationis beneficiorum, quae aetate illa modo, quo nec ante, nec postea factum est, invaluit. Sufficit in unum congerere, quae hic de personis referuntur, quae curiae Romanae modo aliquo inserviebant (Petrus de Všerub, Franciscus de Benešov, Johannes de Třemošnicz, Johannes de Malesicz, Venceslaus Thiem de Nikolsburg, Johannes de Borsnicz, Nicolaus de Borsnicz, Nicolaus de Glivicz, Nicolaus de Volavia, Johannes de Namslaw, Jacobus Steube, Johannes de Senging, Jeronymus de Seidenberg, Maczeus de Lamberto, Bartholomaeus de Barbatis etc.) vel ei propter auctoritatem suam vel ex qualibet alia causa necessariae erant (Venceslaus Králík de Buřenicz, Nicolaus Puchník, Johannes de Kbel, Henricus Ruwe, Smilo de Vícov etc.). De vita cleri plura praeterea ex aliis quoque documentis (dispensationibus, absolutionibus, beneficiorum privationibus etc.) comperimus. Alia clare demonstrant potestatem temporalem tunc nonnumquam libertatibus ecclesiae contemptis in clericos graviter delinquentes iurisdictionem exercuisse (Vide nr. 1728, 1801; cf. nr. 315 et 1922).

Bullae, quae collationes beneficiorum eorumque uniones concernunt, aetate hac semper fructuum ex eisdem annuatim provenientium valorem commemorant. Quamvis dubium sit, num valor huiusmodi iuste semper annotetur, multa tamen inde ad bonorum ecclesiasticorum in partibus nostris statum illustrandum hauriri posse videntur.

Cum igitur his et aliis modis per librum hunc interior illius temporis status ecclesiae in Bohemia clarius patefiat, magna etiam pars gravissimi illius motus ecclesiae reformationem appetentis, cuius principia Urbani VI. et Bonifatii IX. in Bohemia emergunt, illustrabitur. Cuius motus causa certe non minima fuit communis animorum indignatio, quam ecclesiae administrandae modus excitavit. Ad doctrinas ab ecclesiasticis differentes, quas motus ille peperit, unum tantum documentum spectat (Nr. 420 [Jacobus de Kaplicz]). Alia autem de falsis assertionibus, quae in controversiis plebanorum cum ordinibus mendicantibus exoriebantur, nos edocent (Nr. 413 [Čáslavia]; 539 [Gorlicz]; cf. nros. 1285 et 1733); unum denique Valdensium sectae facit mentionem (Nr. 858).

Grate accipientur, quae profert hic liber de personis rerum illius temporis quolibet modo participibus (Adam de Nežeticz, Jaroslaus episcopus Sareptensis, Johannes de Jenzenstein, Volframus archiepiscopus Pragensis, Zbynko de

Hasenburg, Nicolaus Puchník, Laczko de Kravař, Michael de Causis et frater eius Andreas de Broda Theutonicali, Venceslaus Rohle de Jičín, Mauritius dictus Rvačka, Johannes de Kbel, Venceslaus Králík de Buřenicz, Venceslaus Thiem, Vitko de Černčicz etc.).

Plurima denique ad singulorum locorum, ecclesiarum, nobilium familiarum Bohemiae historiam et nostrae terrae ad finitimos relationes illustrandas utilia hic invenientur.

* * *

Materiae huius tomi partem longe maximam, ut supra dixi, Romanorum pontificum registra, quae in archivio Vaticano asservantur, praebuerunt. E registris omnia, quae ad patriae nostrae historiam pertinent, rerum gestarum indagatores a regni Bohemiae comitiis Romam missi eiusdem regni sumptibus describebant. Quorum hic domini R. Knott mentio specialis est facienda, qui registrorum Bonifatii IX. partem maximam perspexit et inde litteras Bohemiam tangentes accurate descripsit. Cum autem postea actorum Urbani VI. et Bonifatii IX. editio mihi esset commissa, ego, quia Monumenta Vaticana edendi modus interea dilatatus erat et in archivio Vaticano novi registrorum Bonifatii IX. tomi erant reperti, omnes dictorum registrorum tomos iterum perspexi, litteras prius omissas descripsi vel excerpsi vel ab aliis describi feci, dein autem omnes copias tam a me ipso quam ab aliis factas ipse revidi et excerpta nimis brevia, quantum oportuit, supplevi. Si igitur defectus aliqui — quod non est dubitandum — in hoc opere remanserunt, omnes parti meae sunt tribuendi.

Nonnullae bullae de libris formularum cancellariae apostolicae in bibliotheca Vaticana exstantibus necnon de codice quondam Raynaldi, Bonifatii IX. bullarum argumenta continente, depromptae sunt, de quibus iam plura dixi. Extra archivium Vaticanum aliquot bullas partim in originalibus, partim in copiis coaevis codicis, qui „Registrum litterarum receptionis in canonicos ecclesiae Pragensis ab. a 1378—1390“ intitulatur (cod. XIII., prius G. 25) archivium capituli metropolitanae ecclesiae Pragensis praebuit. Ut ex hoc archivio commode haurire possem, illustrissimus dominus episcopus Fr. Krásl gratiosissime mihi permisit. Pauca etiam e caesarea regia bibliotheca Pragensi hausi. Nonnullae bullae, quarum originalia in Vyšehradensi, Crumloviensi, Třeboniensi archiviis exstant, e copiis, quas dom. Friedrich, Gross et Krejčík mihi praestiterant, editae sunt. Aliquot denique huic libro bullas inserui, quas nonnisi e copiis diplomatarii manuscripti musaei regni Bohemiae cognoscebam.

Quoad editionis modum, quem supra latius explicavi, normas in primo tomo Monumentorum Bohemiae Vaticanorum, quem Klicman edidit, observatas sequi conabar, a quibus tamen praesertim propter materiae diversitatem in nonnullis desistendum erat. Opus ad excudendum paratum deputationi historicae regni Bohemiae proposui. Quo approbato ab eadem deputatione dominus S. Steinherz delegatus est, ut illud imprimendum inspiceret. Qui singulas huius libri plagulas, antequam imprimerentur, revidendas recipiebat et ab editoris et typi erroribus haud paucis purgavit. Quia tomus iste nimis magnus esset, si totus simul ede-

retur, e deputationis historicae decreto in duas partes divisus usui publico traditur. Quarum altera cum locorum et personarum indice mox hanc primam sequetur.

In fine viris illustribus ad regnum Bohemiae administrandum ab eiusdem regni comitiis delegatis, deputationi porro historicae dicti regni eiusque sociis, qui huius operis parandi erant participes, necnon omnibus supradictis, qui me in libro hoc conficiendo quolibet modo adiuverunt, quam maximas ago gratias. Grato quoque animo fero omnia consilia et officia, quae mihi amicus meus dom. C. Schellhass Romae eadem occasione praestiterat.

CAMILLUS KROFTA.

Pragae, die 3. Junii 1903.

URBANUS VI.

1378—1389.

1. *Depositio Conradi Henrici de Veselá de electione Urbani VI. et de origine schismatis.*

Deposicio Conradi [a]) Henrici decani Wissegradensis.

Magnifici domini ambaxiatores illustris principis domini regis Arragonie! Exegistis a me iuramentum de dicendo veritatem super nonnullis, que contigerunt in Urbe ac aliis partibus Italie et alibi post mortem domini Gregorii pape undecimi, super eleccione summi pontificis, de hiis, que sciebam et audiveram in illis partibus, et pertinentibus ad predicta; et mandastis in recessu, quod ego [b]) in scriptis redigerem et procurarem vobis mitti deposicionem meam clausam, que talis est. [c]) [1])

In nomine domini. Amen. Anno domini millesimo trecentesimo septuagesimo septimo de mense Septembris [d]) serenissimus princeps et dominus dominus Karolus [e]) Romanorum imperator destinavit me Conradum Henrici decanum ecclesie Wissegradensis Pragensis ad dominum Gregorium papam undecimum predictum [f]) in factis filii sui et serenissimi principis Wenceslai regis Boemie pro regno Romanorum [2]), et cum hoc misit per me quadraginta milia florenorum auri eidem

---

[a]) ‚Corardi' B; similiter et inferius in copia B decanus Vyšehradensis semper ‚Corardus' vocatur [b]) om. B [c]) ‚Magnifici — talis est' in C alia manu posterius adscriptum [d]) ‚de mensis septembris die [spatium]' C [e]) ‚Carolus' B, sic et inferius semper. [f]) om. B. C.

[1]) Ex hac introductione colligitur, istam depositionem pro ambassiatoribus regis Aragoniae scriptam fuisse, qui regis sui iussu a. 1386—1387 per depositiones testium inquirebant, utrum Urbanus VI. an Clemens VII. verus papa esset; conf. Valois, La France et le grand schisme II 210 et Steinherz MIÖG XXI. 637. In manuscripto Viennensi (de quo infra) huic depositioni verba sequentia praecedunt, quae Steinherz l. c. adducit: „Serenissime princeps, sciatis, quod, postquam dominus rex Aragonie, qui nunc regnat, fuit vocatus de Neapoli post mortem patris sui bone memorie, qui se declaraverat pro domino nostro Clemente papa (Petrus IV. 1387 Januarii 5 mortuus est), et predictus rex informatus de Bartholomeo de parte adversa dubitavit de electione domini Clementis, misit solempnem ambaxiatam Avinionem et voluit, sicut fecit, informare se de veritate, et ego veneram de partibus, et dominus noster Clemens multum gaudebat et dixit mihi, ‚tu fuisti presens et vidisti omnia', et sic fui citatus coram dictis ambaxiatoribus, et iuravi, et mandarunt, quod darem deposicionem meam in scriptis eis, et sic feci ut infra sequitur". Patet igitur hanc depositionem a. 1387 scriptam et postea Clemente VII. adhuc vivente († 1394) principi cuidam, quem Procopium Moraviensem fuisse haud iniuste Steinherz l. c. conicit, traditam fuisse. [2]) Cf. litteras regis Venceslai ad papam ddto. 1377 Sept. 22 (Deutsche Reichtagsakten I. p. 137 nr. 85), per quas rex procuratores suos Ekhardum Vormatiensem episcopum et Conradum de Geisenheim decanum Spirensem papae commendat „quibus nostris procuratoribus et citra revocacionem ipsorum honorabilem Cunradum de Wesel decanum Wyssegradensem Pragensis dioc., secretarium et devotum nostrum dilectum, auctoritate presencium duximus et decrevimus adiungendum".

domino Gregorio mutuando. Et postquam idem dominus Gregorius eosdem florenos recepit, incidit in infirmitatem, de qua postmodum sabbato ante Letare [1]) anni predicti septuagesimi octavi diem sum clausit extremum, negocio dicti serenissimi principis Wenceslai regis non expedito. Tunc vidi et audivi ac presens fui in Roma, dum reverendissimi patres domini cardinales congregati essent ad hospitale sancti Spiritus,[a]) quo tunc Romani congregati cum officialibus et bandarensibus [b]) venerunt ad dictum hospitale,[c]) ubi tunc dicti domini cardinales erant congregati,[d]) et tunc iidem officiales Romanorum dixerunt inter cetera talia [e]) verba dictis dominis cardinalibus: ‚patres et domini, supplicamus et rogamus, ut Romanum vel Ytalicum eligatis in papam, et quod ante ingressum [f]) conclavis nos velitis super hoc facere cerciores; alias dubitamus de maximis et irrecuperabilibus periculis, cum cognoscamus corda civium nimium [g]) esse sublevata.‘ Ipsi vero domini cardinales [h]) responderunt eisdem officialibus, quod ad certum aliquod eos artare non poterant quod valeret de iure, rogantes eosdem, quod a talibus desisterent et desistere facerent populares, ne impedimentum facerent eleccioni future. Nam cum eorum desiderium esset curiam retinendi in Urbe, satis cito frustrari poterant [i]) per hos modos, ne ulterius haberent. Et hiis non contenti in execucionem minarum et mortis terrorem gentem rusticam introduxerunt in Urbem, quam [k]) revocare noluerunt, licet per dictos dominos cardinales fuerunt, ut revocarent, instantissime requisiti. Et ut timor [l]) adderetur timori, Romani principes et alii nobiles, per quos sedari poterat furor populi et quietari, per eosdem officiales fuerunt expulsi ab Urbe, super quorum restitucione aut dominorum [m]) ex ipsis humiles preces dominorum cardinalium noluerunt exaudire; et portas Urbis post mortem [n]) Gregorii fecerunt firmari et custodiri, licet domino Gregorio vivente porte trans Tiberim seu sancti Petri et pontes essent in custodia eorum, et claves et custodiam invito pape camerario habere voluerunt et habuerunt. Deinde officiales predicti promiserunt corporaliter per ipsos prestito iuramento dominos cardinales ab omni impressione et violencia tenere securos, necnon promiserunt, quod burgum sancti Petri, in cuius palacio futuri pontificis erat eleccio facienda, ad maiorem securitatem facerent custodiri aut pontes claudi aut taliter facerent communiri, quod secure possent ad ipsius summi pontificis eleccionem procedere; sed nichil de promissis et iuratis per eos servaverunt postea, ut apparuit notorie ex subsequentibus. Eciam dominus Paulus marascalus [o]) Romani populi, in cuius opposito eram hospitatus, dixit ad me: ‚domine decane et vicine carissime, scimus, quod estis de familia domini [p]) imperatoris, quem estimamus dominum nostrum; unde consulimus vobis bona fide, faciatis vobis provisionem fieri pro vobis et familiaribus vestris ad certos dies, quia in hoc Romani firmissime ex deliberato consilio remanserunt, quod, si domini cardinales non eligant Romanum vel Ytalicum in papam, omnes ad pecias incidentur [q]) vel conburentur et similiter

[a]) in C sequitur: ‚ad divinum officium audiendum, sicut consuevit, et post dictam missam consilium habere pro eleccione futuri Romani pontificis‘ hoc autem per lineam alio atramento subtus ductam cancellatum est [b]) ‚banderensibus‘ B [c]) in C sequitur ‚s. Spiritus‘ [d]) in C sequitur ‚pro eleccione tractanda ut supra. Iidem‘ [e]) ‚alia‘ A. B.; ‚inter-verba‘ om. C [f]) ‚congressum‘ B [g]) ‚nimirum‘ B [h]) in C sequitur ‚iuridice‘ [i]) ‚poterunt‘ B [k]) ‚quas‘ A. B [l]) ‚terror‘ A [m]) ‚duorum‘ C [n]) ‚ante mortem et post mortem‘ C [o]) ‚marescallus‘ B, ‚mascallus, C [p]) om. B [q]) ‚incidantur A. B‘

[1]) 27 Martii.

facient familie eorum; et faciatis domini imperatoris pingere arma in portis vestris, et maneatis in domo cum familiaribus, si vultis esse sine periculo,[a]) cum audiveritis rumorem. Istud non potest diu durare, nisi maxime ad tres dies. Ego et dominus cancellarius Urbis, consanguineus meus, oportet nos esse cum Romanis in palacio, sed committimus familie nostre, quod si aliquis insultus fieret contra vos, quod ipsi prohibeant, quantum possunt.'

Deinde instante hora intrandi conclave pro dicta eleccione tractanda seu facienda[b]) venerunt ad palacium domini cardinales, existente[c]) populo pro maiori parte armato in quantitate plenitudinis in platea sancti Petri, qui in ingressu palacii unam constituerunt aciem hominum armatorum, quam circumquaque palacium ordinaverunt ita,[d]) quod nullus ingredi[e]) poterat vel exire Romanis invitis. Paulo post hora tarda cumulabantur terrores,[f]) dum illi, qui capita dicuntur regionum, una cum multis civibus conclave sunt ingressi, petentes vicibus iteratis, ut domini cardinales, antequam ipsi Romani inde[g]) recederent, consolarentur eosdem de eleccione Romani vel Ytalici facienda, pluries et pluries subiungentes,[h]) populum sic fore dispositum, quod istud aliter esse non poterat absque gravi et grandi periculo personarum. Ipsi autem domini cardinales responderunt[i]) plane et modeste, ut audivi et fuit vox communis in Roma de premissis omnibus. Civibus autem abeuntibus ab inde, remansit populus[k]) in palacio per totam noctem tumultuose vociferans: ‚Ytalicum volumus vel Romanum'; nec dictus populus permisit, ut dicebatur publice, claudi palacium illa nocte; plurium portas mansionum palacii fregerunt eadem nocte. Mane autem facto cum domini cardinales orabant ad dominum in devocione missarum super eleccione facienda,[l]) ut audivi pluries tunc dici, tunc populus predictus horrendas voces emisit et pulsavit campanas sancti Petri et Capitolii pro congregacione populi ad rumorem; et hoc de vocibus et pulsacione campanarum predictarum ad rumorem[m]) et arma, ut premittitur, erat publicum et notorium in Urbe, universis sine intermissione tumultuose clamantibus: ‚Romanum vel Italicum eligatis[n]) in papam, aut omnes moriemini in continenti.' Quo audito, ut audivi pluries et publice postea dici, domini cardinales et merito perterriti fuerunt et sine aliqua deliberacione ad clamorem populi[o]) et terrorem[p]) elegerunt, ut dictum fuit tunc publice, Bartholomeum, tunc archiepiscopum Barensem,[1]) et demum populo Romano cum tumultis et clamoribus intrante et in pluribus partibus violenter frangente conclave, in pontificalibus Romano populo pro papa exhibuerunt unum Romanum videlicet dominum Franciscum sancti Petri cardinalem.[2]) Et deinde populus et alii cum impetu[q]) intraverunt palacium[r]), et ad dominum Franciscum predictum pro reverencia facienda cucurrerunt; et medio tempore domini cardinales, prout

---

[a]) ‚periculis' B [b]) ‚fienda' A. C [c]) ‚existante' B [d]) ‚ita' om. B [e]) ‚ingredere' A. B [f]) ‚timores' B [g]) ‚deinde' A. B [h]) ‚suburgentem' B [i]) om. B; in C sequitur ‚iuridice ut supra' [k]) ‚sediciosus populus' C, [l]) ‚fienda' A. C [m]) ‚et hoc — rumorem' om. B; in C alia manu supra linea adscriptum [n]) ‚intelligatis et eligatis' B [o]) in C sequitur: ‚deinde in pontificalibus Romano populo pro papa exhibuerunt unum Romanum videlicet Franciscum s. Petri cardinalem et alium Ytalicum sicud B. Barrensem archiepiscopum timore mortis imminentis, alias non facturi' [p]) ‚timorem' B [q]) ‚Deinde sediciosus populus cum impetu' C [r]) in C sequitur: ‚alii ad B. et alii ad Franciscum predictos'.

[1]) Bartholomaeus Prignanus, archiepiscopus Barensis. postea Urbanus pp. VI [2]) Franciscus de Thebaldeschis, tit. s. Sabinae cardinalis, vocatus ‚s. Petri'

melius potuerunt in strepitu tali, exiverunt palacium[a]) dicentes: ‚Romanum habetis.‘[b]) Sex autem ex dominis cardinalibus intraverunt castrum sancti Angeli, alii ad domos suas et aliqui[c]) extra Urbem. In crastinum vero veni ego ad palacium ad videndum, quod ibi fieret,[d]) et ascendi superius et inveni Bartholomeum in camera superiori versus ortum stantem[e]) et plures cum eo. Inter quos erat[f]) unus de dominis cardinalibus, qui dixit ad Bartholomeum: ‚hic est de imperatore Conradus.‘ Cui idem Bartholomeus dixit: ‚ego nosco eum bene, ipse fuit antiquus amicus meus‘; et recepit me ad osculum. Tunc recommendavi dominum meum imperatorem et filium suum hiis verbis: ‚pater sancte, habeatis vobis recommendatum dominum meum imperatorem et filium suum; modicum restat ad faciendum, alii laboraverunt et vos recipietis deo dante fructum cum honore, solum restat publicacio.‘ Qui dixit et respondit: ‚carissime, permittas me venire ad sedem meam, ego[g]) faciam pro domino tuo plus, quam fecerunt decem predecessores mei, si voluerit esse devotus filius ecclesie.‘ Extunc statim ibidem[h]) vertebat se et ad illos, qui erant ibi, dixit: ‚ubi sunt cardinales?‘ et fuit sibi responsum, quod plures fugissent ad castrum sancti Angeli et alii ad domos eorum et alii extra Urbem propter metum Romanorum. Tunc idem Barholomeus iratus dixit: ‚non debent timere Romanos, ymo Romani timent me; ego fugavi eos de nocte extra palacium, quod nullus poterat michi resistere neque[i]) respondere.‘ Tunc ad quendam ibidem[k]) existentem dixit:[l]) ‚vadatis ad cardinales, qui sunt in castro s. Angeli[m]), quod veniant statim et ponant me in sede mea, si voluerunt pericula et scandala maiora prioribus evitare, et non timeant Romanos, quia Romani sunt mecum.‘ Qui[n]) abiit et reversus dixit, quod domini cardinales dixerant,[o]) quod non auderent venire propter metum Romanorum. Tunc idem Bartholomeus ut furiosus vocavit senatorem dicens: ‚vadatis ad Romanos et dicatis eis, quod ipsi compellant[p]) istos cardinales, qui fugerunt ad castrum sancti Angeli, quod veniant et ponant[q]) me in sedem papatus, alias nichil esse factum, sed ipsi essent delusi et ego cum eis.‘ Et tunc eodem die iidem cardinales venerunt ad palacium et fecerunt reverenciam eidem Bartholomeo, et alii compulsi fuerunt ad veniendum et ad faciendum sibi reverenciam. Et illo sero idem Bartholomeus vidit camerarium cardinalis sancti Angeli[l]) et quasi furiose[r]) inclamavit eundem dicens: ‚ubi est dominus tuus? ipse fugit extra Urbem et vult perfeccior esse aliis cardinalibus; faciatis eum venire, alias ego faciam eum turpiter trahi ad civitatem in scandalum sui et aliorum; credat, quod non possit effugere[s]) manus meas.‘ Et idem Bartholomeus sepius habuit consilium cum Romanis et hoc multum terrebat dominos cardinales, ut audivi. Eciam fuerat ordinatum per ipsum Bartholomeum et Romanos, quod nullus cardinalis permittebatur exire Urbem pro spacio sine speciali mandato ipsius Bartholomei.

[a]) in C sequitur: ‚et populo dicentes: Romanum habetis et Ytali um, recipiatis quem vultis ex eis in papam. Novem autem . . .‘ [b]) ‚Romanum habetis et Ytalicum, quemcunque volueritis recipiatis‘ D [c]) ‚alii‘ B [d]) in C sequitur: ‚et vidi dom. Franciscum sedere in sede in pontificalibus et plures Romanos coram eo; deinde ascendi‘ [e]) ‚stantem in pontificalibus‘ C [f]) in C sequitur: ‚dominus Florentinus, qui‘ [g]) ‚et ego‘ B [h]) om. B. [i]) ‚atque‘ B [k]) ‚ibi‘ B [l]) in C fuit hic: ‚et dixit a l quendam cubicularium dom. Gregorii ord. s. Benedicti‘ sed manu posteriori sup.a linea correctum est [m]) ‚s. Angeli‘ om. B [n]) ‚qui cubicularius reversus dixit‘ C [o]) ‚dicerent‘ A. C [p]) ‚compellent‘ B [q]) ‚ponent‘ A. C [r]) ‚infuriose‘ B [s]) ‚fugere‘ B.

[l]) Guilelmus Noellet, cardinalis s. Angeli

Deinde fuit coronatus in die Pasche [1]), et post hoc habuit consistorium publicum et ibi incepit dicere, quod habebat potestatem deponendi imperatores et reges ac principes et alios loco eorum instituere et ordinare, et multa alia inordinata et inepta ibidem dixit. Post hoc certa die domini cardinales fuerunt constituti coram dicto Bartholomeo et ego cum sociis meis, qui eramus ex parte imperatoris pro facto filii sui videlicet pro approbacione Romanorum regis. Tunc idem Bartholomeus dixit alta voce: ‚domine Gebennensis,[2]) ego volo, quod vos scribatis domino imperatori, consanguineo vestro, et regi Bohemie ac aliis consanguineis et amicis vestris; et vos eciam domine Florentine,[3]) vos eciam promoveatis[a]) facta domini[b]) imperatoris; et vos alii domini cardinales similiter' (quorum multi erant ibi) ‚scribatis domino imperatori et aliis amicis vestris de mea eleccione et coronacione canonica, et ego scribam similiter, et videatis, quod concordetis mecum; et antequam sigilletis litteras vestras, volo et eas videre, si concordant cum litteris meis. Ego expediam istos imperiales et mittam nuncios meos cum eis, et mittam domino imperatori et regi Bohemie raubas meas et eciam aliis principibus, et non tardetis[c]) cum dictis litteris.' Et tunc certi domini cardinales dixerunt eidem Bartholomeo, quod non erat de more cardinalium scribere eleccionem Romanorum pontificum nec unquam scripserant prius; quibus idem Bartholomeus dixit: ‚etsi prius non est factum, ego autem volo, quod sic fiat.'[4]) Tunc post multas altercaciones hinc et inde habitas domini cardinales, qui, ut michi apparebat, timentes non audebant contradicere, ab eius presencia recesserunt.

Et post predicta certa die veni ad dominum nostrum Clementem presentem, tunc in minoribus constitutum, qui vocavit me et dixit: ‚Conrade, maneas hic post collacionem, habeo tibi loqui necessaria'; et finita[d]) collacione mandavit, quod omnes exirent excepto uno cubiculario, videlicet Mutuno[e]), et me. Et fecit sibi apportare librum decreti et dixit ad dictum Mutunem[f]) cubicularium, quod exiret foras, et fecit me claudere hostium camere et dicere eidem, quod omnes repelleret de hostio et fenestris, ne aliquis posset audire, quid loqueretur. Tunc post predicta dixit ad me: ‚Conrade, non habeas pro malo. Ego volo, quod iures michi ea, que tibi dixero, quod non dicas alicui, quam diu sumus in Roma, quia tantum timorem habemus de Romanis ego et alii domini cardinales, et timeo frequenter, quod in quolibet angulo sunt quatuor Romani constituti.' Tunc apperuit librum decreti et legit capitulum: ‚si quis pecunia vel favore humano vel militari aut tumultu populari etc', et postquam dictum capitulum perlegisset ex toto, dixit idem dominus noster: ‚Conrade, tu vidisti et audivisti omnia, que facta sunt ante conclave, in conclave et post, qualiter Romani inhumaniter tractaverunt[g]) nos et compulerunt nos ad dandum eis Romanum vel Italicum, et

---

[a]) ‚promovetis' A. C [b]) om. B [c]) ‚tradetis' A ‚tardatis' B [d]) ‚facta' B [e]) ‚Mutono' B [f]) ‚Mutonem' B [g]) ‚tractabant' B

[1]) d. 18 Aprilis [2]) Robertus de Gebennis, basilicae XII Apostolorum cardinalis vocatus ‚Gebennensis', postea antipapa Clemens VII. [3]) Petrus Corsinus, olim episcopus Florentinus, postea episcopus Portuensis, tit. s. Laurentii in Damaso cardinalis, vocatus ‚Florentinus' [4]) Robertus Gebennensis imperatori iam in litteris suis ddto. 1378 Aprilis 14 de electione Urbani scripserat; collegium cardinalium idem fecit litteris d. 8 Maii ad imperatorem datis; praeterea etiam singuli cardinales de eadem re imperatori scripserunt (cf. Steinherz l. c. 608. 612 .

quomodo nunc eciam iste compellit dominos cardinales ad scribendum suam eleccionem fore canonicam et coronacionem domino imperatori et regi et aliis principibus et notis nostris contra veritatem et consciencias nostras ac contra omnia iura; et si non faceremus in hoc voluntatem suam, omnes sine dubio essemus in periculo mortis. Igitur rogo, quod te velis parare ad viam eundi ad dominum imperatorem ad informandum eum de veritate et de omnibus predictis violenciis seu impressionibus, molestiis et contumeliis illatis et factis dominis cardinalibus, quia ipse credit tibi, et quod non advertat nec curet scripturam meam circa hoc neque aliorum dominorum nostrorum cardinalium, que sibi scribuntur[a]), nec eciam credat nunciis ipsius Bartholomei; et dicas sibi audacter et secure, quam[b]) cito fuerimus extra Urbem in libertate constituti, procedemus ad eleccionem canonicam futuri Romani pontificis; et deinde expediemus factum filii sui, et scribemus cum nunciis nostris[c]) solempnibus totum factum et veritatem, quod nunc non audemus facere, quam diu sumus in Roma.' Deinde eidem domino nostro dixi: ‚reverendissime pater et domine graciose, deus novit, quod fui presens, vidi et audivi, quod omnia, que dixistis, sunt vera et plura alia, et scio, quod maxima violencia est facta vobis[d]) dominis cardinalibus per Romanos, et libenter irem ad dominum meum imperatorem in isto facto ad informandum eum de veritate, sed non presumo propter florenos predictos videlicet XL milia ‚quos relaxavi propter importunas instancias domini camerarii et aliorum, sicut scitis.' Tunc idem dominus noster dixit: ‚quid ergo faciemus?' cui respondi, quod nescirem; tunc idem dominus noster dixit:[e]) ‚oportet nos habere personam notam domino imperatori, cui credat, quia non licet nobis scribere veritatem; nam si littere tales nostre reperirentur, essemus omnes mortui'; et subiunxit: ‚quid videtur tibi de Conrado de Gysenhem[f]), socio tuo,[1]) possum confidere de eo?' Cui respondi et dixi, quod sic, sed quod stringeret eum cum iuramento, sicut michi fecerat. Qui Conradus eciam excusavit se et dixit, quod non audebat ad partes ire, nisi factum filii domini imperatoris esset expeditum, in cuius subsidium eciam erat missus. Tunc dominus noster ad me dixit: ‚Conradus excusavit se, quid videtur tibi de clerico tuo?' Cui respondi, quod bonus esset et fidelis et bene notus in curia domini imperatoris, et esset intelligens et viderat dictam impressionem et presens fuit, sicut aliquis ex nobis. Tunc idem dominus noster fecit eum vocari et interrogabat de nomine eius. Cui dixi: ‚Wenceslaus Stirnando[g]) vocatur.'[h])[2]) Deinde idem dominus noster recepit iuramentum ab eodem clerico, et iniunxit sibi que dicere deberet domino imperatori, scilicet quod non averteret ad litteras suas neque aliorum dominorum cardinalium, nec crederet eorum litteris super canonica eleccione dicti Bartholomei neque nunciis ipsius Bartholomei, quia per metum mortis illa omnia essent extorta; sed postquam essent extra Romam in libertate constituti, tunc per proprios nuncios vellent sibi scribere et notificare ac factum filii sui expedire, ut supra continetur. Eciam per eundem meum clericum scripsi domino meo imperatori totum factum de dicta impressione; quem clericum[i]) et litteras

---

[a]) ‚scribunt' B. C [b]) ‚quod' B [c]) om. B [d]) om. B [e]) ‚quid ergo — dixit' om. B [f]) ‚Visenh.' A. B [g]) ‚Wanceslaus Stirnendo' B, ‚Wencsslaus dictus Stirnado' C [h]) ‚vocaretur' A [i]) ‚scripsi — clericum' om. B

[1]) vide p. 3 nt. 2 [2]) Venceslaus Strnad nomen huius clerici alias ignoti fuisse videtur.

ac informaciones una cum litteris meis idem dominus imperator ex parte domini nostri, tunc cardinalis Gebennensis, graciose recepit, et dixit ad eundem Wenceslauum clericum meum dictus imperator, quod vellet cum collegio remanere; quod audivi ab eodem clerico meo[a]) et aliis fide dignis, qui eciam hoc audiverunt ab imperatore predicto, postquam veni ad partes.

Et deinde domini cardinales insteterunt apud eundem Bartholomeum, ut permitteret eos exire extra Urbem et in Ananiam[b]) ad recentem aërem more consueto, prout alii Romani pontifices facere consueverunt, quia aër esset in estate corruptus in Roma, et quod possent cogitare de provisionibus suis faciendis; et post multas peticiones successive indulsit domino de Agrifolio[1]) et domino Pictauiensi[c2]) cardinalibus, qui dominus Pictauiensis non erat presens coram dicto Bartholomeo, quibus scilicet dominis de Agrifolio et Pictauiensi cardinalibus dictus Bartholomeus indulsit, ut audivi, quod[d]) irent soli in Anagniam, et quod alii cardinales remanerent in Roma cum eo,[e]) sed cito vellet eos sequi cum aliis cardinalibus. Tunc ego cum domino Nicolao de Neapoli, senascalo[f]) Provincie, qui erat promotor domini mei imperatoris et filii sui, ibidem rogavimus dictum Bartholomeum, quod vellet dictum[g]) factum serenissimi principis domini Wenceslai publicare, antequam cardinales exirent de Urbe. Tunc ipse Bartholomeus respondit: ‚ego volo, quod vos alii omnes[h]) de imperatore vadatis ad dominum imperatorem cum nunciis meis, et ego scribam eidem et domino regi, filio suo, de mea eleccione et coronacione canonica; et mittam domino imperatori et filio suo et regine raubas meas et aliis principibus, et ipsi erunt de hoc bene contenti.‘ Cui dixi: ‚pater sancte, expediatis et publicetis factum domini, alias non presumerem ire ad partes, nisi habito fine, et maxime propter pecunias seu florenos, quos relaxavi domino Gregorio, predecessori vestro‘. Qui Bartholomeus iracunde respondit dicens: ‚vade corruptor pecuniarum.‘ Cui Bartholomeo respondi, quod non eram talis, nec scirem pecunias corrumpere neque facere sed facerem[i]) hoc, quod dominus imperator inunxit michi. Tunc unus ex dominis cardinalibus[k]) presens incepit ridere et dixit: ‚Conrade, non habeas verba domini nostri pro malo, ipse iocatur tecum.‘ Et dominus Nicolaus de Neapoli tacuit et recessit ad partem, et immediate supervenit Echardus[l]) episcopus Wormaciensis, et Coradus de Gisenhem,[m]) comprocuratores mei, quos idem Bartholomeus advocavit, me ibidem existente, coram se: ‚venite vos imperiales, paretis vos ad viam, littere mee sunt facte de eleccione et coronacione mea canonica et dominorum cardinalium, quas portabitis cum nunciis meis, et mittam cum hoc raubas meas domino imperatori et regi Bohemie, filio suo, imperatrici[n]) et regine, et ipsi libenter videbunt vos et erunt contenti.‘ Et dixit, quod negocium serenissimi principis domini Wenceslai nolebat expedire cum Conradis, sed volebat habere

---

[a]) ‚remanere — meo‘ om. B [b]) ‚Agnaniam‘ A ‚Anagniam‘ C [c]) ‚Pitauensi‘ A ‚Pictauensis‘ C [d]) ‚ut‘ B [e]) in C sequitur: ‚tunc dom. de Agrifolio rogavit eum, quod non faceret aliquas provisiones in absencia eorum; tunc idem B. hoc promisit, quod non faceret aliquas provisiones in Roma neque gracias, qui cito volebat eos sequi‘ [f]) ‚senescalo‘ B [g]) om. B [h]) ‚quod omnes alii‘ B [i]) ‚feceram‘ A. C [k]) ‚dominus de Agrifolio cardinalis‘ C [l]) ‚Eschardus‘ B [m]) ‚Corardus de Gisenhen‘ B, ‚Conradus de Gysenheim‘ C [n]) sic D, ‚imperatori‘ A. B. C

[1]) Guilelmus de Agrifolio, tit. s. Stephani in Coelio monte cardinalis [2]) Quido de Malosicco (Malesec), episcopus Pictaviensis, tit. s. Crucis in Jerusalem, vulgariter ‚Pictaviensis,

maiores principes, quos dominus imperator haberet, duces, marchiones, archiepiscopos et episcopos. Cui respondi, quod tales nuncios non haberet propter discrimina viarum, et non mitteret sibi tales, quos petebat, et si[a]) dominus noster imperator credidisset nobis et eciam dominus Gregorius, ipse merito nobis credere deberet.[b]) Tunc statim furiose clamavit: ‚tace, tace,' et recepit dictum episcopum per manum et deduxit eum extra cameram et dixit sibi multa, que deberet dicere domino imperatori, quomodo miraculose, ut dicebat, fuisset electus. Deinde fuerat reversus ad cameram et vidit me cum socio[c]) meo stantem et dixit ad nos: ‚ego nolo istud factum cum Conradis expedire.'

Deinde non visitavi eum amplius, sed secutus fui dominos cardinales de collegio[d]) in Anagniam, et ipse Bartholomeus ivit in civitatem Tyburtinam. Tunc domini cardinales intimabant sibi, quod deponeret habitum, quia bene sciret, quod per impressionem esset factus et contra omnia iura, et non esset papa, et volebant contra eum procedere sicut processerunt. Tunc idem Bartholomeus interrogabat, ubi ego essem, et fuit sibi dictum, quod essem in Anagnia cum collegio; qui Bartholomeus statim mandavit pro me trina vice successive, quod omnibus dimissis venirem ad ipsum in Tiburtum, ipse volebat expedire factum regis domini mei predicti. Et post predicta accessi ad dominum nostrum, tunc in minoribus constitutum, videlicet cardinalem Gebennensem, et narravi sibi omnia premissa; qui subiunxit: ‚tu non debes ire quoquam, nos statim procedemus contra ipsum Bartholomeum ad deposicionem suam[e]) secundum iura canonica, quia non est papa sed antichristus, et deinde procedemus ad eleccionem futuri Romani pontificis, qui statim post coronacionem expediat factum domini tui et publicaverit illud solemniter.' Cui respondi: ‚reverendissime pater, michi esset magnum periculum, si non irem illuc, quia Bohemi plures sunt ibi et archiepiscopus Magedeburgensis[1]) et Conradus de Gisenhem, socius meus; et si ipse Bartholomeus expediret factum domini mei cum illis sine me, ego nunquam recuperarem amiciciam[f]) apud dominum meum. Scio enim et firmiter credo, quicquam ipse fecerit, quod hoc non valet, et si essem ibi et expediret dictum factum, ego reverterer ad partes S^{tis} V^{re} et reciperem ab illo, quem sacrum collegium eligeret.' Tunc idem dominus noster dixit: ‚vade et revertaris cito.' Deinde veni ad Tiburtinam civitatem ad dominum cardinalem Florentinum et dixi: ‚pater reverendissime, quid est hoc, quod dominus noster vult?' qui dixit: ‚ipse Bartholomeus vult expedire factum domini tui.' Cui respondi: ‚quomodo potest expedire factum domini mei, cum domini cardinales non sunt cum eo[g]) in Tiburto, et dicunt eum non esse papam?' Et ipse dixit: ‚vade ad eum, ipse dicet tibi.' Cui respondi: ‚ego non faciam, alias contumeliose obruit in me, cum sibi instarem de expedicione predicta'.[h]) Et tandem ivi ad eum et cum eram[i]) coram dicto Bartholomeo, dominus Florentinus accessit ad eum et locutus est sibi secrete. Tunc idem Bartholomeus vocavit me dicens: ‚Conrade venias huc,' et accessi

---

[a]) om. A. B [b]) ‚debet' A [c]) ‚consorcio' B [d]) ‚de collegio' om. B [e]) ‚ad expedicionem deposicionis sue' B [f]) sic D; ‚nuncam recuperarem' A; ‚mutam recuperarem' B; [g]) ‚eo nec' A [h]) in C sequitur: ‚Tunc dominus Florentinus: ego veniam tecum, et cum eram coram dicto B.' [i]) ‚cum eram' om. B

[1]) Petrus Jelito, archiepiscopus Magdeburgensis 1372—1381, antea episcopus Litomyšlensis.

ad eum et feci sibi reverenciam; qui dixit ad me: ‚carissime, non habeas pro malo, quod alias dixi tibi in Roma dura verba, non feci pro malo animo, nisi quia negocium erat magnum et volebam tunc magnos nuncios habere, sed nunc intendo expedire factum domini tui; et expecta modicum, post audienciam loquar tibi.‘ Et finita[a]) audiencia vocavit me ad cameram secretam in presencia domini Florentini cardinalis et dixit: ‚carissime, ego volo expedire factum domini tui et vadas cum domino archiepiscopo Madeburgensi ad dominum imperatorem et dicas sibi, quod factum filii sui sit expeditum, et eciam dicas, quod isti cardinales volunt michi rebellare‘; et multa alia dixit. Cui respondi: ‚pater sancte, dixi vobis alias in Roma, quod sine fine non audebam redire, sic adhuc dico vobis, quod non vadam, nisi facto domini mei publicato.‘ Tunc ipse Bartholomeus dixit: ‚quomodo publicabo;[b]) domini cardinales non sunt hic, et ubi est scriptura et littere, que pertinent ad factum?‘ Cui respondi: ‚pater sancte, vos[c]) noluistis expedire, cum poteratis, sed ego non presumo ire sine fine.‘ Qui dixit: ‚vadas Anagniam ad commissarios, quod[d]) mittant michi litteras et instrumenta, que concernunt factum filii domini imperatoris, et dicas dominis cardinalibus, quod veniant ad me, hic ego expediam factum.‘ Cui respondi: ‚ipsi non credent[e]) michi, scribatis eis per litteras vestras.‘ Tunc idem Bartholomeus dixit: ‚non habeo bullam neque sigillum‘; et vocavit dominum Florentinum et dixit sibi: ‚domine Florentine, scribatis ex parte mea domino cardinali de Agrifolio, commisario, quod mittat michi scripturas, que concernunt factum filii domini imperatoris, et quod dicat cardinalibus, quod parent[f]) se ad veniendum, quia habeo nova de nunciis meis, qui sunt in via veniendi de domino imperatore; et cum venerint, statim volo expedire factum domini regis Romanorum; et antequam sigilletis dictas litteras, volo eas videre.‘ Postea vero recepi litteram et ivi cum ea Anagniam ad dominum nostrum, cui narravi omnia, que feceram et audiveram a dicto Bartholomeo et ab aliis. Et idem dominus noster subinnxit: ‚vade et porta litteram predictam domino cardinali de Agrifolio et audias, quid dicat ad eam.‘ Tunc dominus de Agrifolio perlecta littera dixit ad me: ‚vade et porta eam domino meo cardinali Gebennensi,‘ ita quod tenuerunt me per quinque[g]) dies, antequam darent responsum. Et finaliter idem dominus noster dixit: ‚remaneas hic, statim procedemus contra Bartholomeum[h]) ad deposicionem eius, et deinde procedemus ad eleccionem futuri summi pontificis, qui expediet factum domini tui.‘ Cui respondi: ‚reverendissime pater, permittatis me ire, quia periculum michi est apud dominum meum imperatorem propter pecunias, quas relaxavi, et eciam propter emulos meos, ut superius dixi; et quicquid ipse[i]) Bartholomeus fecerit et facit in isto facto, hoc credo minime valere propter notoriam et manifestam impressionem Romanorum vobis dominis cardinalibus factam, quam vidi et omnes, qui ibi fuerunt. Sed quicquid ibi ipse Bartholomeus fecerit in factis domini mei, ego revertar ad dominacionem vestram et dicam vobis.‘[k]) Tunc recepta licencia veni iterum[l]) in Tiburtum[m]), et presentavi domino Florentino cardinali litteram domini cardinalis de Agrifolio, in qua respondet. Quam litteram

---

[a]) ‚facta‘ B [b]) ‚publicato‘ B [c]) in C sequitur: ‚audivistis relacionem in Roma a commissariis et‘ [d]) ‚quos‘ B [e]) ‚credant‘ B [f]) ‚parant‘ B [g]) ‚tres‘ C [h]) ‚contra B.‘ om. B [i]) ‚ipse dixit‘ B [k]) ‚dicam quicquid evenerit mihi cum dicto Bartholomeo‘ D [l]) ‚veri itineris‘ B [m]) ‚Tiburtam‘ A. C

idem dominus Florentinus cardinalis tradidit Bartholomeo, qui eam perlegit et furibundus factus dixit: ‚quomodo volunt isti cardinales esse contra dominum imperatorem et facta sua impedire? ego volo, quod tu dicas omnia ista imperatori.'[a]) Cuius littere tenor erat talis vel quasi in singulis, et dirigebatur domino cardinali Florentino: ‚reverendissime pater, litteras, quas petitis, et scripturas concernentes filium imperatoris et factum suum, postquam relacio fuit facta in Roma per commissarios, dominus camerarius inclusit dictas scripturas in archivis camere apostolice cum aliis rebus et misit eas in Avinionem.' Et post hoc Bartholomeus dixit ad me:[b]) ‚remaneas hic.' Et deinde in crastino sancti Jacobi,[1]) quando domini cardinales videlicet Florentinus et de Ursinis(!)[2]) et Mediolanensis[3]) debebant ire ad collegium,[c]) requisiti ab ipso collegio et omnibus dominis cardinalibus, qui erant in Anagnia, per publicum instrumentum, ut irent ad providendum Romane ecclesie simul cum eis, sicut publice dicebatur, ipse Bartholomeus vocavit me et socium meum et dixit: ‚ego volo expedire factum domini imperatoris et filii sui, antequam isti cardinales recedant.' Et mandavit pro ipsis in continenti, quod venirent ad ipsum ex causa, et medio tempore, antequam domini cardinales venirent, socius meus Conradus de Gisenhem[d]) predictus traxit se mecum ad partem, et coram duobus notariis publicis et testibus protestatus est, quomodo sacrum collegium amovebat se a dicto Bartholomeo et realiter amoverat se ab eodem, et publice diceretur, dictum Bartholomeum non fuisse nec esse papam, quapropter[e]) quemcunque actum, quem faceremus coram dicto Bartholomeo in dicta publicacione, quod dominum nostrum imperatorem et filium suum per hoc nolebamus involvere neque consentire, ubi predicta constarent esse vera.[4]) Et similiter alia protestacio est facta, quando exigebat iuramentum fidelitatis a nobis ex parte ipsius,[5]) prout hec omnia in duobus publicis instrumentis super hoc confectis videbitis plenius contineri, quorum instrumentorum tenores vobis mittem presentibus interclusos.

Deinde ipse Bartholomeus processit coram eisdem cardinalibus et paucis episcopis, et publicavit factum domini imperatoris et serenissimi principis domini Wenceslai Romanorum et Bohemie regis in quadam camera, super qua publicacione fecit idem Bartholomeus fieri litteras sub bulla sua, quam fecerat de novo et circa festum sancti Jacobi.[6]) Et tunc primo eciam incepit facere et signare rotulos et gracias,[f]) quas ante non fecerat.

Deinde supplicavi eidem Bartholomeo, quod daret michi litteram super publicacione facti domini mei, filii domini imperatoris, pro qua exposueram noningentos florenos de camera, quos ipse Bartholomeus pro maiori parte sibi inbursaverat; qui respondit, quod eandem litteram vellet mittere per suos nun-

[a]) ‚ego — imperatori' om. B [b]) ‚ad me' om. B [c]) in C sequitur: ‚pro eleccione futuri Romani pontificis celebranda et hoc ipso B. ignorante. Sed ipsi domini cardinales aliam causam, pretendebant coram dicto B., deinde vocabat me et . . .' in margine autem alia manu verba quae hoc loco in A et B leguntur, adscripta sunt. [d]) ‚Gisenhen' B, ‚Gisenheim' C [e]) ‚quia propter' A [f]) in D sequitur: ‚quas antea non fecerat, quia dubitabat propter impressionem, quod deponeretur, et voluit se iuvare per predictam publicacionem'

[1]) d. 26. Julii [2]) Poncellus Ursinus, tit. s. Clementis cardinalis ab Urbano VI. in prima eius promotione 1378 Sept. 17 creatus, vulg. ‚de Ursinis' [3]) Simon de Brossano, archiep. Mediolanensis, tit. s. Johannis et Pauli cardinalis, vocatus ‚Mediolanensis' [4]) vide infra Additamentum A [5]) Additamentum B [6]) Litteras approbationis vide infra sub nro. 26 huius libri.

cios, quia negocium esset magnum et ponderosum, et quod ego deberem ire cum eisdem. Cui Bartholomeo respondi et dixi: ‚si non vultis michi dare litteram, respondeatis domino meo super septuaginta millia florenorum, in quibus obligaveram sibi et [a]) camera apostolica; et si placet, renovetis litteras domini Gregorii, predecessoris vestri, qui imposuerat decimam papalem per provincias Pragensem, Magedeburgensem et diocesim Wratislauiensem, et qui collectoribus suis dederat in mandatis colligere dictam decimam per dictas provincias et diocesim et domino meo imperatori solvere dictos septuaginta milia florenorum,[1]) de quibus ego portaveram quadraginta milia; et quicquid remaneret ultra dictam summam quod iidem collectores deberent pro camera apostolica retinere, et ad dictam decimam colligendam dominus imperator vult operam efficacem dare, quod dictam decimam importent sine mora'.[b]) Qui Bartholomeus respondit, quod ipse nollet clerum suum iterato agravari, et quod ipse predictam pecuniam non perceperat nec venisset in usum suum. Cui respondi et dixi, quod cum illa pecunia Romandiola et marchia Anconitana fuissent redempte et liberate, que alias fuissent perdite, si predicta pecunia non fuisset; et hoc eciam oportebat [c]) me probare in Roma per testes fidedignos et per illos, qui illam pecuniam receperant. Et hoc fuit factum in Roma cum de Tiburto fuisset reversus. Et postquam vidi, quod dictus Bartholomeus nullum premissorum voluit facere nec litteras michi assignare, cum qua volebam ire ad dominum nostrum et ad collegium, nec respondere super pecuniis, dixi eidem Bartholomeo, quod parceret michi, quod possem ire ad aliam partem; qui dixit et respondit: ‚non faciam, tu esses [d]) interfectus, si ires ibi.' Cui respondi, quod melius esset michi mori, quam [e]) sic tribulari, et sic ab eo fui separatus.

Et statim ascendi equum et ivi cum familiaribus meis extra Urbem et veni Fundis, ubi inveni dominum nostrum iam electum in papam,[2]) et ibidem mansi [f]) aliquibus septimanis cum domino nostro et dominis cardinalibus. A quibus dominis, videlicet domino nostro et cardinalibus predictis, singulariter a singulis, recepi litteras et informaciones plenas de predicto scismate et de eleccione canonica dicti domini nostri Clementis pape septimi et de non iure Bartholomei ad dominum meum bone memorie dominum Karolum Romanorum imperatorem et serenissimum principem Wenceslaum, filium suum, et ad alios principes et consiliarios ipsius domini imperatoris. Sed, prochdolor, nimis diu fui retentus in Fundis et in via, quod, antequam venirem ad partes, ante decem dies dictus dominus imperator fuerat vita functus,[3]) et archiepiscopus Pragensis, qui fuerat de principalioribus consiliariis ipsius domini imperatoris, receperat anticardinalatum a Bartholomeo, et filius fratris sui archiepiscopalem ecclesiam supradictam,[g]) [4])

---

[a]) ‚in' B [b]) ‚quia dicta decima important' B [c]) om. B [d]) ‚es' B [e]) ‚quod' B [f]) ‚steti' B [g]) in C sequebatur hic ‚et alii preposituras, abbacias et decanatus et alias dignitates et alia beneficia pro se et suis, quod idem B. habuit maximam adhesionem et alii vincebantur pecuniis seculares ab eisdem Bartholomistis et illi, qui fuerunt pro parte domini nostri Clementis, sicud dominus de Coldicz et dominus Thessenensis, illi fuerunt statim missi a domino rege Thessenensis ad Ungeriam et Coldicz ad marchiam Brandeburgensem, ita, prochdolor, quod modicum potui' sed alia manu ita correctum est, ut cum aliis manuscriptis concordaret.

[1]) Cf. Kollmann, O kollektorech komory papežské v Čechách (Věstník král. České spol. nauk 1897) p. 21 [2]) Electio Clementis 1378 Sept. 20 celebrata est [3]) Carolus IV obiit 1378 Nov. 29 [4]) Johannes Očko de Vlašim 1378 Sept. 17 cardinalis creatus archiepiscopatum Pragensem in favorem Johannis de Jenstein, nepotis sui, resignavit.

et alii quam plurimi[a]) promoti fuerunt per Bartholomeum[b]) ad abbacias, dignitates, personatus et officia ac alia beneficia in dicto regno et alibi existencia, sic quod ipse Bartholomeus habuit maximam adhesionem. Alii autem seculares vincebantur ab eisdem cum pecuniis et aliis rebus; et illi, qui erant pro parte domini nostri Clementis septimi, fuerant missi hincinde, unus ad Ungariam, alius ad marchiam Brandeburgensem,[1]) sic quod, prochdolor, modicum potui proficere cum eisdem, quia rex continue erat in venacionibus et erat iuvenis in etate, et consiliarii Bartholomiste, qui erant cum eo, non permiserunt aliquem diu remanere apud regem, quia erant eis suspecti omnes pro parte domini nostri pape Clementis, qui erant et loquerentur cum eodem. Et tunc supervenit[c]) anticardinalis Rauennatensis,[d])[2]) qui procurabat ligas, compromissiones et iuramenta principum et aliorum dominorum tam episcoporum quam secularium pro Bartholomeo et contra partem domini nostri Clementis, et rex Romanorum non advertebat quicquam, quid isti Batholomiste faciebant cum litteris suis et sigillo contra partem domini Clementis. Dominus imperator predictus ante mortem suam multum desiderabat me videre, et voluit se informare de toto facto per me, prout audivi a fidedignis et de illis specialiter, qui fuerunt de consilio suo. Qui flevit amare ante mortem suam, quod non habebat informaciones pro parte domini Clementis, et si vixisset ad medium annum, ut credo, ipse posuisset ordinem in isto scismate, quod nunquam fuisset in tantum processum, sicut fuit et est processum; et credo firmissime, quod libenter et libentissime audivisset partem domini nostri pape Clementis ac sibi et suis adherentibus contra dictum Bartholomeum bonam iusticiam ministrasset. Sed deo, prochdolor, non placuit.[e])

Hec sunt, super quibus[f]) depono per iuramentum per me in vestris manibus[g]) prestitum ego Conradus Henrici supradictus decanus Wissegradensis; in cuius[h]) testimonium propria manu me subscripsi, et cedulam de manu notarii et socii vestri scriptam et per ipsum[i]) michi traditam pro intersigno verba[k]) sequencia tantum continentem: ‚credo in unum deum patrem omnipotentem,' vobis remitto presentibus fideliter interclusam.

Ita est; Conradus Henrici decanus Wissegradensis predictus manu propria scripsi.

Additamentum A.: Instrumentum notarile super protestatione Conradi de Geisenheim 1378 Julii 26 facta.

In nomine domini. Amen. Anno nativitatis eiusdem M°CCC°LXXVIII°, indiccione prima, die lune, XXVI mensis Julii, hora prime vel quasi, pontificatus sanctissimi in Christo patris et domini domini Urbani divina providencia pape

---

[a]) ‚quam plurimi' om. C [b]) ‚per B.' om. B [c]) ‚supervenerunt' B [d]) ‚Rauauen' B [e]) Quod hic sequitur in C alia manu adscriptum est [f]) ‚que testificor et' D [g]) in D sequitur: ‚ad sancta dei evangelia tactis scripturis' [h]) in D sequitur: ‚fidem et' [i]) ‚vos' D [k]) ‚nomina' D.

[1]) C hic nomina affert (cf. p. 13 nt. g), cui si credendum est Thymo de Koldicz, camerae regiae magister, ad Ungariam, Přemysl dux Těšinensis, consiliarius regis, ad marchiam Brandeburgensem missi sunt, de qua missione alias nihil mihi constare potuit. [2]) Pileus de Prata, archiepiscopus Ravennatensis, initio a. 1379 venit in Bohemiam.

sexti anno primo, in mei, notarii publici infrascripti, testiumque presencia subscriptorum ad hec specialiter vocatorum et rogatorum constitutus personaliter honorabilis vir dominus Conradus de Gysenheim, procurator et procuratoris nomine invictissimi principis et domini domini Wenczeslai dei gracia Romanorum regis semper augusti et Boemie[a]) regis, venerabili viro domino Conrado decano ecclesie sancti Petri Wissegradensis prope Pragam, collega et comprocuratore suo, presencialiter eciam ibidem constituto, sollempniter protestando et mentem suam declarando in hoc facto dixit: quia totum sacrum collegium dominorum cardinalium se a dicto domino Urbano papa amoveret et amovit realiter, et publice diceretur et dubitaretur dictum dominum Urbanum nec esse nec fuisse verum papam, et cum tanti negocii celsitudo et magnitudo, videlicet aprobacio persone illustrissimi principis domini Wenczeslai regis predicti Boemie in regem Romanorum et in imperatorem postmodum altissimo disponente promovendum, debeat per dictum dominum Urbanum papam expediri et alia circa hec occurencia concludi cum aliis, que aprobacio per ipsum Conradum Gysenheim procuratorem et collegam suum Conradum Wissegradensem decanum predictum recipi et, si opportunum fuerit, iuramentum in animam ipsius constituentis dicto domino Urbano et ecclesie Romane debeat prestari; sed quia idem dominus Conradus de Gysenheim per hoc timeret et crederet dominum imperatorem involvere et dominum regem prescriptum, dominum suum, in factis suis impedire, protestatus fuit solempniter: quod per nullum actum factum vel fiendum coram dicto domino Urbano papa et per ipsum vellet nec intenderet factum et negocium domini imperatoris et domini Romanorum et Boemie regis, domini sui, seu ipsos dominos imperatorem et regem involvere seu inbrigare quovismodo, ymmo si constaret vel constare posset quoquomodo in futurum, dictum dominum Urbanum non esse nec fuisse verum papam, acta, gesta et agenda coram eo et per eum pro non actis et factis vult habere nec aliquatenus rata et grata observari, sed pocius voluit et vult ea omnia et singula sic acta nullius fore penitus roboris atque firmitatis. Super quibus omnibus et singulis premissis idem dominus Conradus de Gysenheim peciit sibi per me, notarium publicum infrascriptum, unum vel plura publicum seu publica confici instrumenta. Acta sunt hec in ambitu monasterii fratrum minorum in civitate Tyburtina anno, die, mense, hora et pontificatu quibus supra presentibus honorabilibus et discretis viris dominis Bohuncone dicto Pes canonico sancti Georgii in castro Pragensi, Johanne Prussnicz[1]) procuratore tunc in Romana curia domini archiepiscopi Pragensis et Johanne de Gysenheim canonico ecclesie sancti Andree Wormaciensis, testibus ad premissa vocatis specialiter et rogatis.

Et ego Nycholaus de Nezdyc[2]) clericus Pragensis diocesis publicus apostolica et imperiali auctoritatibus notarius, qui huiusmodi protestacioni et aliis omnibus et singulis premissis una cum prenominatis testibus presens interfui

---

[a]) ‚Boemi' cod.

[1]) Johannes de Brusnicz (Prussnicz), canonicus Pragensis 1375—1380, archiepiscopi Pragensis generalis vicarius 1377—1378 (Tomek, Děje Prahy V. 125, 106). In Actis iud. consistorii Prag (ed. Tadra) I. p. 253 inter 11 et 13 Februarii 1378 legitur: ‚M. Johannes Prussnicz Romam recessit'

[2]) Nicolaus de Nezdicz 1380 Maii 30 a Clemente VII. archidiaconatum Pragensem accepit. (Valois I. 291. nt. 2.; cf. ibid. II. 287 nt. 1).

eaque omnia et singula premissa sic fieri vidi et audivi, ideo presens publicum instrumentum desuper confeci, manu mea propria scripsi et in hanc publicam formam redegi signo et nomine meis consignando, rogatus et requisitus in testimonium omnium premissorum.

Additamentum B.: Instrumentum notarile super protestatione Conradi de Geisenheim 1378 Julii 29 facta.

In nomine domini. Amen. Anno nativitatis eiusdem millesimo CCC^{mo}LXXVIII, indiccione prima, die mercurii, vicesima octava mensis Julii, hora prime vel quasi, pontificatus sanctissimi in Christo patris et domini nostri domini Urbani divina providencia pape VI. anno primo, in mei, notarii publici infrascripti, necnon magistri Jacobi de Sicca [1]), similiter notarii publici infrascripti, testiumque presencia subscriptorum ad hec specialiter vocatorum et rogatorum constitutus personaliter honorabilis vir dominus Conradus de Gysenheim procurator et procuratoris nomine nuncciacionis specialis serenissimi principis et domini domini Wenczeslai Romanorum et Boemie regis protestando dixit: quia collegium dominorum cardinalium se a dicto domino Urbano amoveret et amovit realiter, et publice diceretur dictum dominum Urbanum non esse nec fuisse verum papam, et cum tanti negocii celsitudo et magnitudo, videlicet aprobacio persone illustrissimi principis et domini domini Wenczeslai regis prescripti in regem Romanorum in imperatorem postmodum deo annuente assumendum, sit per dictum dominum Urbanum papam sextum expedita, voluit et vult iuramentum per me et dominum Conradum decanum Wissegradensem prope Pragam, collegam et comprocuratorem meum hic presentem, nomine dicti domini regis sibi et ecclesie Romane prestari, sed quia per hoc timeret et crederet dominum imperatorem involvere et dominum regem Boemie ac Romanorum dominum in factis suis impedire, protestatus fuit solempniter: quod per nullum actum factum aut fiendum coram dicto domino Urbano vellet nec intenderet factum ac negocium premissa domini imperatoris et domini regis, filii sui, involvere seu inbrigare, ymmo si constaret vel constare posset quoquo modo in futuro dictum dominum Urbanum non esse nec fuisse verum papam, acta, gesta et agenda coram eo pro non actis et factis vult habere. Super quibus omnibus et singulis premissis idem Corandus (*sic*) de Gysenheim peciit sibi per me, notarium publicum infrascriptum, et magistrum Jacobum predictum, similiter notarium publicum, unum vel plura publicum seu publica confici instrumenta. Acta sunt hec in choro circa altare maius ecclesie sancti Benedicti in Tiburto civitate anno, indiccione, die, mensa, hora et pontificatu quibus supra, presentibus honorabilibus et discretis viris domino magistro Theodorico Tampraro serenissimi domini cesaris prothonotario et secretario, [2]) Henrrico notario seu familiari domini Theodorici predicti et Petro de Antiqua Boleslauia prefati domini Conradi Wissegradensis decani familiari, testibus ad premissa vocatis specialiter et rogatis.

---

[1]) Mag. Jacobus dictus Aristoteles de Sicca (Sušice in Bohemia), advocatus consistorii Pragensis 1371—1385. [2]) Theodericus de Damerow, protonotarius imperatoris, (T a d r a, Kanceláře a písař p. 40).

Et ego Nicholaus de Nezdycz clericus Pragensis diocesis, publicus apostolica et imperiali auctoritatibus notarius, qui huiusmodi protestacioni et aliis omnibus et singulis premissis una cum prenominatis testibus ac notario infrascripto presens interfui eaque omnia et singula sic fieri vidi et audivi, ideo presens publicum instrumentum desuper confeci, manu mea propria scripsi et in hanc publicam formam redegi signo et nomine meis consignando, rogatus et requisitus in testimonium omnium premissorum.

Et ego Jacobus de Sicca clericus Pragensis diocesis, publicus apostolica et imperiali auctoritatibus notarius, una cum notario suprascripto huiusmodi protestacioni et aliis omnibus et singulis premissis in presencia testium subscriptorum presens interfui eaque omnia et singula vidi et audivi, ut supra per notarium suprascriptum plenius est conscriptum. Ideo presens publicum instrumentum feci per notarium predictum conscribi, ad instanciam domini Conradi predicti manu mea propria subscripsi signo meo et nomine consignando, specialiter rogatus et requisitus in testimonium omnium premissorum.

Depositionis Conradi de Veselá in archivio Vaticano in codicibus collectionis ‚de schismate' tres copiae saec. XIV exeuntis exstant. Quarum optima illa est, quae in Armarii LIV tom. 16 fol. 142ª—148ª continetur (= copia A). Eius proxima est copia in Armar. LIV tom. 46 fol. 344ª—356ª contenta (= copia B). Tertia copia, quae est in Armar. LIV tom. 16 fol. 162ª—169ª (= copia C), valde minore fide digna est, cum in ea tenor depositionis in multis locis scienter et ad certum finem immutatus appareat; partim enim eius autor formam, in originali non satis elegantem, meliorem reddere cupit, partim in favorem cardinalium, qui ab Urbano VI. defecerunt, narrationem Conradi immutat, praeterea autem aliqua addit, quae eum rerum, de quibus in depositione narratur, haud ignorantem fuisse testantur (cf. p. 13 nt. g). Copiae B varias lectiones fere omnes annotavi, ex illis copiae C solum eas, quae mihi maioris momenti esse videbantur et rem tangunt. Alia copia in manuscripto archivii curialis Viennensis habetur (= copia D), cuius mentionem facit Steinherz in Mitth. des Inst. für öst. Gesch. XXI. 636; illic variae lectiones huius copiae inveniuntur, quarum nonnullas etiam hic annotavi. — Instrumentorum super protestatione Conradi de Geisenheim (Addit. A. B.) copia in archivii Vaticani Arm. LIV tom. 19 fol. 165ª—166ª exstat, ubi inscriptionem ‚Munimenta' habet. Ibidem supra alia manu eiusdem temporis haec nota adscripta est: ‚Originalia ego vidit (sic) et habet ea Corradus decanus hic infra nominatus, cuius erant, et bonum esset facere vidimus; debent eis mitti una cum deposicione predicti Corradi.' In fine autem manu, qua instrumenta ipsa sunt reportata, adscriptum est: ‚Et ego Petrus de Janariz clericus Pampilonensis dioc., publicus apostolica auctoritate notarius, predicta instrumenta de instrumentis originalibus de verbo ad verbum copiavi et cum ipsis originalibus collacionem feci'. Utrum ille Petrus de Janariz copiam in nostro codice contentam scripserit, an aliam, de qua dicta copia est rescripta (hoc mihi plus verisimile videtur), dubium est. — Depositio et instrumenta apud Gayet, Le grand schisme d'Occident d'aprés les documents contemporains déposés aux archives secrètes du Vatican, 1889. Tom. II. p. 169—187 edita sunt. Ibi Gayet copia A sola usus est, reliquarum rationem non habens. Editio eius errores non paucos continet. Quibus de causis omnia hic iterum edenda esse putavi. De rebus, quas depositio Conradi de Veselá concernit, iam multi disseruerunt, proxime Valois, La France et le grand schisme d'Occident 1896 et Steinherz, Das Schisma von 1378 und die Haltung Karl's IV (in Mitth. des Inst. für öst. Gesch. XXI. 1900 p. 599 sq). Apud hos quae prius de eisdem rebus scripta sunt reperies; quibus tamen addenda est dissertatio bohemica R. Dvořák, Církevní politika Václava IV v prvních letech jeho vlády 1378—1381 (Rezek, Sborník historický II. 1884). De persona Conradi de Veselá vide praeterea Tomek, Děje Prahy III. 181 et al., ac Tadra, Kulturní styky Čech p. 102.156. Cf. etiam indicem praesentis libri.

2. Conrado de Budweis providetur de canonicatu sub exspectatione praebendae ecclesiae Pragensis.

Romae, 1378 Aprilis 30.

Urbanus episcopus servus servorum dei dilecto filio Conrado Henrici de Budueys canonico Pragensi salutem et apostolicam benediccionem. Vite ac morum honestas aliaque probitatis et virtutum merita, super quibus apud nos fidedigno commendaris testimonio, nos inducunt, ut tibi reddamur ad graciam liberales. Volentes itaque tibi, in presbyteratus ordine constituto, premissorum meritorum tuorum intuitu necnon consideracione venerabilis fratris nostri Petri episcopi Portuensis, pro te dilecto familiari suo continuo commensali nobis super hoc humiliter supplicantis, graciam facere specialem, canonicatum ecclesie Pragensis cum plenitudine iuris canonici apostolica tibi auctoritate conferimus et de illo eciam providemus, prebendam vero, si qua in eadem ecclesia vacat ad presens vel cum vacaverit, quam tu per te vel procuratorem tuum ad hoc legitime constitutum infra unius mensis spacium, postquam tibi vel eidem procuratori vacacio illius innotuerit, duxeris acceptandam, conferendam tibi post acceptacionem huiusmodi cum omnibus iuribus et pertinenciis suis donacioni apostolice reservamus, districcius inhibentes venerabili fratri nostro archiepiscopo et dilectis filiis capitulo Pragensibus ac illi vel illis, ad quem vel ad quos in eadem ecclesia prebendarum collacio, provisio, presentacio seu quevis alia disposicio communiter vel divisim pertinet, ne de huiusmodi prebenda interim eciam ante acceptacionem huiusmodi, nisi postquam eis constiterit, quod tu vel procurator predictus illam nolueritis acceptare, disponere quoquomodo presumant, ac decernentes exnunc irritum et inane, si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari; non obstantibus de certo canonicorum numero et quibuscunque aliis statutis et consuetudinibus ipsius ecclesie contrariis, iuramento, confirmacione apostolica vel quacunque firmitate alia roboratis, aut si aliqui apostolica vel alia quavis auctoritate in eadem ecclesia in canonicos sint recepti vel ut recipiantur insistant, seu si super provisionibus sibi faciendis de canonicatibus et prebendis ipsius ecclesie speciales vel de beneficiis ecclesiasticis in illis partibus generales apostolice sedis vel legatorum eius litteras impetrarint, eciam si per eas ad inhibicionem, reservacionem et decretum vel alias quomodolibet sit processum, quibus omnibus, preterquam auctoritate nostra in ecclesia ipsa receptis vel prebendas in eadem expectantibus, te in assecucione huiusmodi prebende volumus anteferri, sed nullum per hoc eis quoad assecucionem prebendarum aut beneficiorum aliorum preiudicium generari, aut si archiepiscopo et capitulo predictis vel quibusvis aliis communiter vel divisim [a] prefata sit sede indultum, quod ad recepcionem vel provisionem alicuius minime teneantur et ad id compelli non possint, quodque de canonicatibus et prebendis ipsius ecclesie aut aliis beneficiis ecclesiasticis ad eorum collacionem, provisionem, presentacionem seu quamvis aliam disposicionem coniunctim vel separatim spectantibus nulli valeat provideri, per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mencionem, et qualibet alia dicte sedis indulgencia generali vel speciali, cuiuscunque tenoris existat, per quam, presentibus non expressam vel totaliter non insertam, effectus huiusmodi nostre

gracie impediri valeat quomodolibet vel differri et de qua cuiusque toto tenore habenda sit in nostris litteris mencio specialis, aut si presens non fueris ad prestandum de observandis statutis et consuetudinibus ipsius ecclesie solitum iuramentum, dummodo in absencia tua per procuratorem ydoneum et, cum ad ecclesiam ipsam accesseris, corporaliter illud prestes; seu si hodie pro alio vel aliis in dicta ecclesia super equali vel equalibus gracia vel graciis litteras nostras duxerimus concedendas, nos enim tam illas quam presentes effectum sortiri volumus, quacunque constitucione apostolica contraria non obstante, seu quod plebanatum curate plebis Sancti Babilli ac ecclesiam sine cura sancte Marie de Valle Babucii Fesulane et Verulane diocesium nosceris obtinere. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre collacionis, provisionis, inhibicionis, constitucionis et voluntatis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignacionem omnipotentis dei et bb. Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum. Datum Rome apud S. Petrum II. kal. Maii pontificatus nostri anno primo.

[Executoria.] Urbanus episcopus servus servorum dei venerabilibus fratribus Bethlemitano et Fesulano episcopis ac dilecto filio decano ecclesie Wyssegradensis prope Pragam salutem et apostolicam benediccionem. Vite ac morum honestas aliaque probitatis et virtutum merita, super quibus apud nos dilectus filius Conradus Henrici de Budweys canonicus Pragensis fidedigno commendatur testimonio &c. [mutatis mutandis ut in littera gratiosa immediate praecedente usque:] noscitur obtinere. Quocirca discrecioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus vos vel duo aut unus vestrum per vos vel per alium seu alios dictum Conradum seu procuratorem suum eius nomine exnunc auctoritate nostra in eadem ecclesia Pragensi recipi facientes in canonicum et in fratrem, stallo sibi in choro et loco in capitulo ipsius ecclesie cum plenitudine iuris canonici assignatis, prebendam huiusmodi per nos, ut premittur, reservatam, si qua tempore huiusmodi nostre reservacionis vacabat vel post vacavit vel cum illam vacare contigerit, post acceptacionem predictam cum omnibus iuribus et pertinenciis suis eidem Conrado auctoritate predicta conferre et asignare curetis, inducentes eum vel dictum procuratorem pro eo in corporalem possessionem prebende ac iurium et pertinenciarum predictorum et defendentes inductum sibique facientes de ipsorum canonicatus et prebende fructibus, redditibus, proventibus, iuribus et obvencionibus universis integre responderi, non obstantibus omnibus supradictis, seu si eisdem achiepiscopo et capitulo vel quibusvis aliis communiter vel divisim a prefata sede indultum existat, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint, per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mencionem, contradictores auctoritate nostra appellacione postposita compescendo. Datum Rome apud S. Petrum II. kal. Maii pontificatus nostri anno primo.

Copia contemporanea in archivii capituli ecclesiae Pragensis cod. XIII (Registrum litterarum receptionis in canonicos ecclesiae Pragensis ab a. 1378—1390; prius G. 25) fol. 51a, et altera ibidem fol. 53a. — Has litteras „videlicet graciosam cum filis sericeis, alteram vero executoriam in cordula canapis veris bullis plumbeis . . . bullatas“ fuisse, ibidem fol. 53a legimus. Vigore earundem litterarum a. 1380 Julii 12 Paulus de Janovicz archidiaconus Pragensis, procurator Conradi de Budweis, receptus est a capitulo Pragensi in canonicum

ad praebendam per mortem Johannis custodis Vyšehradensis vacantem sub ea protestatione, „quod ipsi (i. e. capitulum) in casu, ubi constare posset, quod dom. Petrus episcopus Portuensis, cardinalis Florentinus, et prelibatus dom. Conradus de Budweys, suus familiaris commensalis, adhesissent et adhererent Roberto Gebennensi antipape . . ., quod extunc prescriptas litteras et processus dom. Conradi predicti habent . . . pro non receptis . . . et quod vellent . . . scribere . . . Urbano pp. VI. . . ., quod se . . . in hoc facto declaret“ (ibid. fol. 49[a]).

---

3. Officiali Olomucensi ad petitionem Petri archiepiscopi Magdeburgensis mandatur, ut fundationem monasterii s. Augustini extra muros oppidi Landskronensis Litomyšlensis diocesis et donationem castrorum Krotenful et Kronfeld eiusdem dioc. dicto monasterio, per praefatum archiepiscopum, tunc episcopum Litomyšlensem, necnon incorporationem parrochialis ecclesiae s. Mariae in Landskron eidem monasterio, per Albertum episcopum Litomyšlensem factas, auctoritate apostolica approbet et confirmet. „Piis fidelium votis“ „Rome ap. S. Petrum sexto idus Maii pontificatus nostri anno primo“.

Romae, 1378 Maii 10.

Editum in Cod. diplom. Moraviae XI. p. 100 nr. 111.

---

4. Hynkoni de Opatowecz[1]) providetur de canonicatu sub exspectatione praebendae ecclesiae Pragensis.

Romae, 1378 Maii 11.

Urbanus . . . . Hinconi de Opatowecz canonico Pragensi . . . . Laudabilia probitatis et virtutum merita, super quibus apud nos fidedigno commendaris testimonio, nos inducunt, ut tibi reddamur ad graciam liberales. Volentes itaque tibi, in presbyteratus ordine constituto, ... consideracione carissime in Christo filie nostre Elizabeth Romanorum imperatricis semper auguste et Boemie regine illustris, pro te dilecto cancellario suo et familiari continuo commensali nobis super hoc humiliter supplicantis, graciam facere specialem, canonicatum ecclesie Pragensis . . . . apostolica tibi auctoritate conferimus et de illo eciam providemus, prebendam vero, si qua in eadem ecclesia vacat ad presens vel cum vacaverit, ... conferendam tibi . . . . donacioni apostolice reservamus . . . .; non obstantibus de certo canonicorum numero et quibuscunque aliis statutis et consuetudinibus ipsius ecclesie et felicis recordacionis Urbani pape V. predecessoris nostri, quo cavetur, quod nullus in quibuscunque ecclesiis infra civitatem Pragensem et eius suburbia existentibus duos canonicatus et duas prebendas simul habere valeat[2]), contrariis . . . ., seu si hodie pro alio vel aliis super equali vel equalibus gracia vel graciis in dicta ecclesia litteras nostras duxerimus concedendas . . . ., seu quod dudum, ut asseris, auctoritate ordinaria in canonicum dicte ecclesie receptus fuisti, et quod in Cracouiensi[a]) ac in s. Egidii Pragensi ac in Melnicensi ecclesiis canonicatus et prebendas nosceris obtinere, et quod super prepositura ecclesie Lanciciensis Pragensis [et] Gneznensis diocesium in palacio apostolico te asseris litigare. Volumus autem, quod exnunc huiusmodi recepcio de te in dicta Pragensi ecclesia, ut premittitur, facta et quecunque inde secuta sint cassa et irrita nulliusque roboris vel momenti, quodque, quamprimum vigore

presencium canonicatum et prebendam dicte ecclesie Pragensis fueris pacifice assecutus, canonicatum et prebendam ecclesie Melnicensis predictos, quos, ut prefertur, obtines quosque extunc vacare decernimus, omnino, prout ad id te sponte obtulisti, dimittere tenearis. Nulli ergo .... Datum Rome apud S. Petrum V. idus Maii pont. n. a. primo.

[Executoria.] Urbanus .... episcopo Spoletano et .... abbati monasterii Strahouiensis prope Pragam ac .. decano ecclesie s. Egidii Pragensis ....

Copia in cod. XIII archivii capituli Pragensis (Registrum litterarum receptionis) fol. 8[a] — [a]) sic in executoria; in gratiosa ‚Cracouiensem'. — [1]) Tomek, Děje Prahy V. eum Hynkonem de Opatovicz vocat, sed in codice nostro semper Opatowecz legitur, qua de causa a villa Opatowiec in ducatu Cracoviensi potius quam a villa Opatovice in Bohemia denominatus esse videtur. Cui rei etiam beneficia sua, que in Polonia obtinuit, argumento sunt. [2]) Est bulla Urbani V. ddto 1365 Maii 30, cuius originale in eodem archivio sub XIII, 16 habetur; edita apud Balbinum, Miscellanea dec. I lib. VI p. 98 — A. 1378 Nov. 3 dictus Hynko de Opatowecz exhibuit capitulo ecclesiae Pragensis „litteras gracie sue . . . in forma speciali facte, unam videlicet graciosam in filis sericeis rubei et glauci coloris et aliam executoriam in cordula canapis eius veris bullis plumbeis pendentibus more Romane curie bullatas" (Registrum litt. recept. fol. 7[a]); in canonicum receptus est 1378 Nov. 6 (ibid. fol. 7[b]).

---

5. Officiali Pragensi mandatur, quatenus Francisco de Mělník de canonicatu sub exspectatione praebendae ecclesiae Pragensis provideat.

Romae, 1378 Maii 11.

Urbanus .... dilecto filio .. officiali Pragensi .... Dignum arbitramur et congruum, ut illis se reddat sedes apostolica graciosam, quibus ad id propria virtutum merita laudabiliter suffragantur. Volentes igitur dilectum filium Franciscum Johannis de Melnik clericum Pragensis diocesis, apud nos de vite ac morum honestate aliisque probitatis et virtutum meritis multipliciter commendatum, horum intuitu necnon consideracione karissimi in Chr. filii nostri Karoli Romanorum imperatoris semper augusti et Boemie regis illustris, pro dicto Francisco nobis super hoc humiliter supplicantis, favore prosequi gracioso, discrecioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus, si post diligentem examinacionem dictum Franciscum ad hoc ydoneum esse reppereris, super quo tuam conscienciam oneramus, eidem Francisco de canonicatu ecclesie Pragensis cum plenitudine iuris canonici auctoritate nostra providere procures, faciens ipsum vel procuratorem suum eius nomine in dicta ecclesia in canonicum recipi et in fratrem, stallo sibi in choro et loco in capitulo ipsius ecclesie cum dicti iuris plenitudine assignatis, prebendam vero, si qua in dicta ecclesia vacat ad presens vel cum vacaverit, [quam][a]) idem Franciscus per se vel procuratorem suum ad hoc legitime constitutum infra unius mensis spacium, postquam sibi vel eidem procuratori vacacio illius innotuerit, duxerit acceptandam, conferendam eidem Francisco post acceptacionem huiusmodi cum omnibus iuribus et pertinenciis suis donacioni tue auctoritate predicta reserves, districcius inhibendo venerabili fratri nostro archiepiscopo ac dilectis filiis capitulo Pragensibus ac illi vel illis, ad quem vel ad quos in eadem ecclesia prebendarum collacio, provisio, presentacio seu quevis alia disposicio pertinet communiter vel divisim, ne de huiusmodi prebenda interim eciam ante acceptacionem eandem, nisi postquam eis constiterit, quod Franciscus vel pro-

curator predicti illam noluerint acceptare, disponere quoquo modo presumant, ac nichilominus prebendam huiusmodi, quam reservabis, si, ut premittitur, vacat vel cum vacaverit, post acceptacionem predictam cum omnibus iuribus et pertinenciis supradictis eidem Francisco auctoritate prefata conferas et assignes, inducens per te vel alium seu alios eundem Franciscum vel dictum procuratorem pro eo in corporalem possessionem prebende ac iurium et pertinenciarum predictorum auctoritate prefata et defendens inductum sibique faciens de ipsorum canonicatus et prebende fructibus, redditibus, proventibus, iuribus et obvencionibus universis integre responderi, contradictores auctoritate nostra appellacione postposita compescendo; non obstantibus de certo canonicorum numero et quibuslibet aliis ipsius ecclesie consuetudinibus contrariis . . ., seu si hodie alii vel aliis super equali vel equalibus gracia seu graciis in eadem ecclesia litteras nostras duxerimus concedendas, nos enim tam illas quam presentes effectum sortiri volumus, quacunque constitucione apostolica contraria non obstante. Et insuper si dictus Franciscus ad hoc repertus fuerit ydoneus, ut prefertur, exnunc perinde irritum decernimus et inane, si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari, ac si eidem Francisco die date presencium contulissemus canonicatum eiusdem ecclesie ac prebendam, si qua tunc vacabat vel cum vacaret ibidem, quam idem Franciscus, ut prefertur, duceret acceptandam, eidem Francisco conferendam donacioni apostolice cum interposicione decreti duxissemus specialiter reservandam. Datum Rome apud S. Petrum V. idus Maii pont. n. a. primo.

Copia in Registro litterarum receptionis (cod. XIII archivii capituli Prag.) fol. 33a — a) ‚vel' cod. — Pars clausulae ‚non obstantibus' hic ommissa mutatis mutandis cum nro. 2 huius libri concordat. — Has litteras „bulla plumbea in cordula canapis pendenti" bullatas dictus Franciscus 1379 Martii 28 capitulo praesentavit et 1379 Apr. 2 in canonicum receptus est (Reg. litt. rec. fol. 32b).

---

6. Mathiae Venceslai de Janov[a] *presbytero Pragensis dioc., magistro in artibus, reservatur beneficium ecclesiasticum cum vel sine cura, vacans vel vacaturum, ad collationem archiepiscopi, praepositi, decani et capituli ecclesiae Pragensis communiter vel divisim pertinens. „Litterarum sciencia, vite ac morum honestas" „Rome apud S. Petrum V. idus Maii pont. n. a. primo".*

[Executoria.] *Simili modo: episcopo Pennensi et abbati monasterii de Břevnovia*[b] *Pragensis dioc. ac decano ecclesiae s. Acgidii Pragensis.*

Romae, 1378 Maii 11.

Harum litterarum in Registro litterarum receptionis in canon. Prag. (cod. XIII archivii capit. Prag.) fol. 99a mentio fit, ubi etiam earum principium et finis annotata sunt. — a) ‚Janow' b) ‚Brunonia'

---

7. Officiali Pragensi mandatur, quatenus Ulrico nobilis viri Johannis de Hlohová[a] *militis nato, rectori parrochialis ecclesiae in Srbicz Pragensis dioc., in presbyteratus ordine constituto, consideratione Venceslai Romanorum et Bohemiae*

regis, pro ipso Ulrico capellano suo continuo commensali supplicantis, de canonicatu ecclesiae Pragensis sub exspectatione praebendae in eadem provideat, non obstante, quod dictam parrochialem ecclesiam, cuius fructus sexaginta florenorum auri valorem annuum non excedunt, noscitur obtinere. „Dignum arbitramur" „Rome apud S. Petrum V. idus Maii pont. n. a. primo."

Romae, 1378 Maii 11.

Copia in Registro litterarum receptionis (cod. XIII archivii capit. Pragensis) fol. 46[a] — [a]) ‚Hlohoua' — Has litteras „bulla plumbea in cordula canapis .... bullatas" praesentavit capitulo 1379 Aug. 27 procurator „dom. Vlrici dicti Hlozek plebani ecclesie in Srbicz" et statim eius nomine in canonicum receptus est (ibid. fol. 45[a]).

---

8. *Officiali Pragensi mandatur, quatenus Benešio Ulrici de Chobolicz presbytero Pragensis dioc. consideratione Elizabeth Romanorum imperatricis, pro ipso Benešio capellano suo commensali supplicantis, de canonicatu ecclesiae Pragensis sub exspectatione praebendae in eadem provideat. „Dignum arbitramur" „Rome apud S. Petrum V. idus Maii pont. n. a. primo."*

Romae, 1378 Maii 11.

Copia in Registro litterarum receptionis in canon. Prag. (cod. XIII archivii capit. Prag.) fol. 35[b] — Has litteras „bulla plumbea in cordula canapis pendenti . . . bullatas" dictus Benešius 1379 Martii 28 capitulo praesentavit (ibid. fol. 35[a]), et ab eo 1379 Apr. 2 in canonicum receptus est (fol. 37[b]).

---

9. *Officiali Pragensi mandatur, quatenus Gallo de Kněžicz[a]) rectori parrochialis ecclesiae in Chotěvicz[b]) Pragensis dioc., qui, ut asseritur, ex utroque parente de militari genere procreatus et in presbyteratus ordine constitutus existit, consideratione Caroli Romanorum imperatoris et Bohemiae regis, pro dicto Gallo capellano suo commensali supplicantis, de canonicatu sub exspectatione praebendae ecclesiae Pragensis provideat, non obstante, quod dictam parrochialem ecclesiam noscitur obtinere. „Dignum arbitramur" „Rome apud S. Petrum V. idus Maii pont. n. a. primo."*

Romae, 1378 Maii 11.

Registrum litterarum receptionis (cod. XIII archivii capituli Prag.) fol. 39[b] — [a]) ‚Kniezicz' [b]) ‚Chotiewicz' — Has litteras „bulla plumbea in cordula canapis pendenti . . . bullatas" procurator dicti Galli 1379 Apr. 19 capitulo praesentavit et 1379 Apr. 24 eius nomine in canonicum receptus est (ibid. fol. 38[a]).

---

10. *Officiali Pragensi mandatur, quatenus Sezemae Ulrici de Usk[a]) canonico Olomucensi, qui in diaconatus ordine constitutus et ex utroque parente de genere baronum procreatus existit, consideratione Caroli Romanorum imperatoris et regis Bohemiae de canonicatu ecclesiae Pragensis sub exspectatione praebendae*

in eadem prorideat. „Dignum arbitramur" „Rome ap. S. Petrum V. idus Maii pont. n. a. primo."

Romae, 1378 Maii 11.

Copia valde abbreviata in Registro litterarum receptionis in canon. Prag. (cod. XIII archivii capituli Prag.) fol. 27[a] — [a]) ‚Vlrici de Vsk'. — Has litteras „vera bulla plumbea in cordula canapis pendenti bullatas" praesentavit capitulo Pragensi 1379 Martii 12 „dom. Sezema de Vsk prepositus Tynensis, procurator . . . dom. Sezeme nepotis sui de Vsk" (ibid. fol. 27[a]).

---

11. *Jacobo de Habelschwerdt*[a]) *presbytero providetur de canonicatu sub exspectatione praebendae ecclesiae Pragensis, non obstante, quod altare corporis Christi situm in s. Mariae Magdalenae et quandam perpetuam vicariam in s. Crucis Vratislaviensibus ecclesiis noscitur obtinere. „Vite ac morum" „Rome ap. S. Petrum IIII. idus Maii pont. n. a. primo." — Simili modo praeposito s. Aegidii Pragensis et decano S. Emilianii Burdegalensis dioc. ac scholastico Vyšehradensis*[b]) *prope Pragam ecclesiarum.*

Romae, 1378 Maii 12.

Registrum litterarum receptionis in can. Prag. (cod. XIII. archiv. cap. Prag.) fol. 94[a] — [a]) ‚Jacobo Habilswerde' [b]) ‚Wissegraden'. — Has litteras, unam gratiosam cum bulla in filis sericeis, alteram executoriam in cordula canapea dictus Jacobus 1383 Dec. 13 capitulo praesentavit et statim in canonicum receptus est (ibid. fol. 93[a]).

---

12. *Hermanno plebano in Hustopeč (Auspitz)*[a]) *Olomucensis dioc. providetur de canonicatu sub exspectatione praebendae ecclesiae Pragensis. „Rome ap. S. Petrum IIII. idus Maii pont. n. a. primo."*

Romae, 1378 Maii 12.

Harum litterarum in Registro litterarum receptionis (cod. XIII archivii capit. Prag.) fol. 38[b] mentio fit; quas dictus Hermanus 1380 Apr. 7 capitulo praesentavit et 1380 Apr. 9 in canonicum est receptus (fol. 38[b]) — [a]) ‚Auspecz'

---

13. *Venceslao de Radeč providetur de canonicatu sub exspectatione praebendae ecclesiae Pragensis.*

Romae, 1378 Maii 13.

Urbanus .... Wenceslao de Radecz canonico Pragensi, bacallario in decretis.... Litterarum sciencia, vite ac morum honestas aliaque laudabilia probitatis et virtutum merita, super quibus apud nos fidedigno commendaris testimonio, nos inducunt, ut tibi reddamur ad graciam liberales. Volentes itaque tibi, in presbyteratus ordine constituto, qui, ut asseris, examinatorum pauperum clericorum Maguntinensis, Coloniensis et Treuerensis provinciarum in communi pauperum forma [gracias] impetrare volencium per nos deputatorum coadiutor fuisti, ... graciam facere specialem, canonicatum ecclesie Pragensis . . . . apostolica tibi auctoritate conferimus et de illo eciam providemus, prebendam vero, si qua in

dicta ecclesia vacat ad presens vel cum vacaverit, ... conferendam tibi . . . . donacioni apostolice reservamus . . . .; non obstantibus . . . ., quod canonicatum et prebendam in Ratisponensi et capellam s. Anne in Olomucensi ac altare [s.] Marie nivis in predicta Pragensi ecclesiis sita nosceris obtinere. Volumus autem, quod, quamprimum vigore presencium dictos canonicatum et prebendam ecclesie Pragensis fueris pacifice assecutus, predictum altare . . . . omnino, prout ad id eciam te[a]) obtulisti, dimittere tenearis . . . . Datum Rome ap. S. Petrum III. idus Maii pont. n. a. primo.

[Executoria.] Urbanus . . . . episcopo Luthomislensi et . . . . preposito Olomucensis ac Gotscalco Houeman canonico Coloniensis ecclesiarum . . .

Reg. litt. receptionis in can. Prag. fol. 30[a] (executoria fol. 29[a]) — [a]) ‚se' cod. — Has litteras „unam videlicet graciosam in filis sericeis rubei et clauci coloris et aliam executoriam in cordula canapis . . . bullis plumbeis pendentibus . . . bullatas" procurator dicti Venceslai 1379 Martii 28 capitulo exhibuit et statim eius nomine in canonicum receptus est (fol. 28[a]).

---

14. *Erhardo Erhardi mercatoris de Norimberga,[a]) magistro in artibus, qui etiam in sacra pagina baccalarius existit, providetur de canonicatu sub exspectatione praebendae ecclesiae Pragensis. „Litterarum sciencia, vite" „Rome ap S. Petrum III. idus Maii pont. n. a. primo." — Simili modo episcopo Racanatensi[b]) et Pragensi ac Bambergensi officialibus.*

Romae, 1378 Maii 13.

Registrum litt. recept. in can. Prag. fol. 74[b] — [a]) ‚Nurenberg' [b]) ‚Rachanacen'. — Hae litterae, gratiosa cum bulla in filis sericeis rubei et glauci coloris et executoria cum bulla in cordula canapea, 1381 Aug. 14 nomine dicti Erhardi capitulo praesentatae sunt, et ipse 1381 Aug. 19 in canonicum receptus (ibid. fol. 74[a], 76[b]). In archivio capituli eccl. Prag. sub XVI., 11 b fragmentum originalis bullae Urbani VI. sine data asservatur, per quam officiali Bambergensi mandatur, quatenus Johanni Erhardi mercatoris clerico Bambergensis dioc. de canonicatu sub exspectatione praebendae ecclesiae s. Petri in Vyšehrad Pragensis provideat.

---

15. *Officiali Pragensi mandatur, quatenus Nicolao rectori parrochialis ecclesiae s. Adalberti sub monte Vyšehradensi[a]) Pragensis, „qui, ut asserit, antiquus studens in theologia existit," de canonicatu sub exspectatione praebendae ecclesiae Pragensis provideat, non obstante, quod dictam parrochialem ecclesiam noscitur obtinere. „Dignum arbitramur" „Rome apud S. Petrum III. idus Maii pont. n. a. primo."*

Romae, 1378 Maii 13.

Registrum litt. recept. in canon. Prag. fol. 61[b] — [a]) ‚Wissegradensi' — Has litteras „bulla plumbea in cordula canapis pendenti . . . bullatas" dictus Nicolaus 1380 Aug. 30 capitulo exhibuit (fol. 61[a]) et 1380 Sept. 12 „dom. Nicolaus rector seu plebanus ecclesie s. Adalberti in Podscalo Nove civitatis Pragensis, collector fructuum camere apostolice pro civitate et diocesi Pragensibus specialiter deputatus, in canonicum receptus est." — Istum Nicolaum plebanum s. Adalberti eundem esse ac illum Nicolaum Calvum de Bavorov, qui etiam eodem tempore canonicus Pragensis et paulo post (ab 1382 Dec. 5) collector apostolicus in provincia

Pragensi fuit, Tadra putavit (Kulturní styky p. 79). Hanc opinionem erroneam esse Acta iudiciaria consistorii Pragensis II. p. 270 (ed. Tadra) testantur, ubi ad 1384 Maii 14 legitur: „d. Nicolaus vicedecanus ecclesie Pragensis [i. e. Nicolaus Calvus de Bavorov, (cf. infra nros. 87 et 172)] constituit suos fideiussores ... Nicolaum, olim collectorem iurium camere apostolice, plebanum s. Adalberti in Podscalo sub Wissegrado.“ Noster Nicolaus plebanus s. Adalberti filius Svachonis vel Mařikonis fuit et Collecta nominabatur. A. 1385 dicta ecclesia s. Adalberti per diffinitivam sententiam generalis vicarii Pragensis privatus est („qua [i. e. ecclesia s. Adalberti in Podskal] hon. virum Nicolaum Collectam dictum per nostram sententiam diffinitivam propter divinorum prophanacionem et aliis de causis ... privavimus“, Libri confirm. ad 1385 Nov. 13; cf. Acta iud. II. 339. 341. 342.), et 1386 Dec. 7 Acta iudiciaria II. 407 iam „Nicolaum Swachonis alias Marziconis, olim rectorem ecclesie s. Adalberti in Podskalo Pragensis,“ commemorant.

---

16. *Officiali Pragensi mandatur, quatenus Venceslao dicto Moravec*[a]) *plebano ecclesiae in Benešov*[b]) *de canonicatu sub exspectatione praebendae ecclesiae Pragensis provideat. „Rome ap. S. Petrum III. idus Maii pont. n. a. primo.“*

Romae, 1378 Maii 13.

Huius bullae in Registro litt. receptionis in canon. Prag. fol. 37[b] fit mentio, quam dictus Venceslaus 1379 Apr. 13 capitulo exhibuit et statim in canonicum receptus est. — [a]) ‚Morawecz‘ [b]) ‚Benessow‘.

---

17. *Officiali Litomyšlensi*[a]) *mandatur, quatenus Jacobo Brunonis*[b]) *de canonicatu sub exspectatione praebendae ecclesiae Pragensis provideat, non obstante, quod canonicatum et praebendam ecclesiae Vratislaviensis noscitur obtinere. „Dignum arbitramur“ „Rome apud S. Petrum III. idus Maii pont. n. a. primo.“*

Romae, 1378 Maii 13.

Registrum litt. receptionis in canon. Prag. fol. 71[a] — [a]) ‚Luthomislen‘ [b]) ‚Brunnonis‘.

---

18. *Officiali Litomyšlensi*[a]) *mandatur, quatenus Vojtěchio de Otaslavicz*[b]) *canonico Olomucensi, in presbyteratus ordine constituto, qui, ut asserit, nobilis ex utroque parente existit, de canonicatu ecclesiae Pragensis sub exspectatione praebendae in eadem provideat, non obstante, quod canonicatum et praebendam ecclesiae Olomucensis ac parrochialem ecclesiam in Vyšnová*[c]) *Olomucensis dioc. noscitur obtinere. „Dignum arbitramur“ „Rome ap. S. Petrum III. idus Maii pont. n. a. primo“.*

Romae, 1378 Maii 13.

Registrum litt. recept. in can. Prag. fol. 65[b] — [a]) ‚Luthomislen‘ [b]) ‚Woithechio de Othaslauicz‘ [c]) ‚Wyssnoue‘ — Hae litterae 1380 Oct. 22 dicti Vojtěchii nomine capitulo praesentatae sunt, et 1380 Oct. 25 procurator eius in canonicum receptus (ib. fol. 65[a] et 66[a]).

---

19. *Ecclesiam monasterii ss. Nicolai et Catherinae ord. s. Augustini Litomyšlensis dioc., quod Petrus archiepiscopus Magdeburgensis*[1]) *canonice fundasse et dotasse dicitur, certis diebus anni devote visitantibus unus annus et quadraginta dies resp. centum dies de iniunctis eis poenitentiis relaxantur. „Splendor paterne glorie“ „Rome ap. S. Petrum III. idus Maii pont. n. a. primo.“*

Romae, 1378 Maii 13.

Editum in Cod. diplom. Moraviae XI. p. 101 nro. 112. — [1]) Petrus Jelito archiepiscopus Magdeburgensis aa. 1372—1381.

---

20. *Johanni de Praga providetur de canonicatu sub exspectatione praebendae ecclesiae Pragensis.*

Romae, 1378 Maii 14.

Urbanus . . . . Johanni Wenceslai de Praga canonico Pragensi, baccalario in theologia . . . . Litterarum sciencia, vite ac morum honestas . . . . Volentes itaque tibi, qui eciam, ut asseris, in artibus magister existis et duos libros sentenciarum pro forma legisti et finisti, ... graciam facere specialem, canonicatum ecclesie Pragensis . . . . apostolica tibi auctoritate conferimus et de illo eciam providemus, prebendam vero, si qua in eadem ecclesia vacat ad presens vel cum vacaverit . . . ., conferendam tibi . . . . donacioni apostolice reservamus . . . .; non obstantibus de certo canonicorum numero et constitucione fel. rec. Urbani pp. V. predecessoris nostri, qua cavetur, quod nullus in maiori et alia seu duabus ecclesiis civitatis Pragensis et suburbiorum eiusdem duos canonicatus et prebendas insimul retinere possit,[1]) ac quibuscunque aliis statutis et consuetudinibus ipsius ecclesie contrariis . . . .; seu si hodie pro alio vel aliis super equali vel equalibus gracia seu graciis in dicta ecclesia litteras nostras duxerimus concedendas . . . .; seu quod in Quinque-ecclesiensi et Omnium Sanctorum in castro Pragensi ecclesiis canonicatus et prebendas nosceris obtinere . . . . Datum Rome ap. S. Petrum II. idus Maii pont. n. a. primo.

[Executoria.] Urbanus . . . . episcopo Racanatensi et . . . . archidiacono ac custodi ecclesie Pragensis . . . .

Registrum litt. recept. in canon. Prag. fol. 67[b] — Hae litterae, gratiosa cum bulla in filis sericeis et executoria cum bulla in cordula canapea, 1381 Mart. 6 nomine „magistri Johannis alias Jenkonis Wenceslai de Praga“ capitulo exhibitae sunt, et eius procurator statim in canonicum receptus (fol. 67[a]) — [1]) v. nri. 4 not. 2.

---

21. *Ulrico dicto Medek providetur de canonicatu sub exspectatione praebendae ecclesiae Pragensis „Rome ap. S. Petrum II. idus Maii pont. n. a. primo.“*

Romae, 1378 Maii 14.

Harum litterarum in Reg. litt. recept. in canon. Prag. fol. 73[a] mentio fit, quas „discr. vir Vlricus dictus Medek rector parrochialis ecclesie in Vgezd Pragensis dioc.“ 1381 Maii 24 capitulo exhibuit et statim in canonicum receptus est. Earum data autem ibid. fol. 1[a] legitur.

---

22. Fridmanno de Usk providetur de canonicatu ecclesiae Pragensis sub exspectatione praebendae, dignitatis, personatus vel officii.

Romae, 1378 Maii 15.

Urbanus .... dilecto filio Fridmanno quondam Nicolai de Vsk nato, canonico Pragensi, in theologia bacallario .... Litterarum sciencia, vite ac morum honestas aliaque probitatis et virtutum merita, quibus personam tuam fidedignorum testimonio iuvari percepimus, nos inducunt, ut te dono specialis favoris et gracie prosequamur. Volentes itaque tibi, in presbyteratus ordine constituto, qui eciam, ut asseris, in theologia bacallarius formatus et in artibus magister existis, ... graciam facere specialem, canonicatum ecclesie Pragensis .... apostolica tibi auctoritate conferimus et de illo eciam providemus, prebendam vero ac dignitatem, personatum vel officium cum cura vel sine cura, eciam si ad dignitatem huiusmodi consueverit quis per eleccionem assumi, dummodo dignitas ipsa in cathedrali ecclesia maior post pontificalem non existat, si que vel si qui aut si qua in dicta ecclesia vacant ad presens vel cum simul aut successive vacaverint, quas vel quos aut que tu per te vel procuratorem tuum ad hoc legitime constitutum infra unius mensis spacium, postquam tibi vel eidem procuratori vacacio illarum vel illorum innotuerit, duxeris accept ndos vel acceptandas seu acceptanda, conferendos vel conferendas seu conferenda tibi post acceptacionem huiusmodi cum omnibus iuribus et pertinenciis suis donacioni apostolice reservamus ....; non obstantibus constitucione fel. rec. Urbani pp. V predecessoris nostri, qua cavetur, ne aliquis in civitate Pragensi duos canonicatus et duas prebendas obtinere valeat[1]) ...., seu si hodie pro alio vel aliis in eadem ecclesia super equali vel equalibus gracia vel graciis litteras nostras duxerimus concedendas ...., aut quod in Omnium Sanctorum castri Pragensis et in de Tyn Pragensis diocesis ecclesiis canonicatus et prebendas nosceris obtinere .... Datum Rome ap. S. Petrum idus Maii pont. n. a. primo.

[Executoria.] Urbanus .... preposito ecclesie Cracoviensis et .. Pragensi ac .. Olomucensi officialibus ....

Reg. litt. recept. in canon. Prag. fol. 20b — Clausula ‚non obstantibus' in partibus omissis mutatis mutandis cum nro. 2 huius libri concordat. — Has litteras „unam videlicet graciosam in filis sericeis rubei et clauci coloris et aliam executoriam in cordula canapis . . . bullis plumbeis pendentibus bullatas" „mag. Fridmanus natus Nicolai de Vsk, in theologia bacalarius, Omnium Sanctorum in castro Pragensi et s. Cristofori in Tyn Pragensis dioc. ecclesiarum canonicus," 1378 Dec. 20 capitulo praesentavit et 1379 Jan. 27 in canonicum receptus est (ibid. fol. 19b et 20a) — [1]) vide nri. 4 not. 2.

---

23. Archiepiscopo Paduano mandatur, quatenus Johanni de Jeřeň de canonicatu ecclesiae Pragensis sub exspectatione praebendae provideat.

Romae, 1378 Maii 15.

Urbanus.... dilecto filio (*sic*) archiepiscopo ecclesie Paduane (!) .... Dignum arbitramur .... Volentes itaque .... Johannem de Jerzan rectorem parrochialis ecclesie in Masseczow Pragensis diocesis, bacallarium in decretis, ... favore prosequi

gracioso, discrecioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus, si post diligentem examinacionem dictum Johannem, in presbyteratus ordine constitutum, qui, ut asseritur, de nobili genere ex utroque parente procreatus dilectorum filiorum scolarium studii Paduani vicerector existit quique post adepcionem gradus bacallariatus in Bononiensi et dicto Paduano studiis per septennium in iure canonico studuit, ad hoc ydoneum esse reppereris, ... eidem Johanni de canonicatu ecclesie Pragensis . . . . auctoritate nostra provideas . . . . , prebendam vero, si qua in eadem ecclesia vacat ad presens vel cum vacaverit . . . . , conferendam dicto Johanni . . . . donacioni tue eadem auctoritate reserves . . . . ; non obstantibus . . . ., seu quod idem Johannes dictam parrochialem ecclesiam, cuius fructus, redditus et proventus quadraginta quatuor florenorum auri secundum communem extimacionem valorem annuum, ut ipse asserit, non excedunt, noscitur obtinere . . . . Datum Rome ap. S. Petrum idus Maii pont. n. a. primo.

Registrum litt. recept. in canon. Prag. fol. 26[a] et iterum ibid. fol. 42[b] — Has litteras bulla plumbea in cordula canapea bullatas procurator dicti Johannis 1378 Dec. 22 capitulo praesentavit et 1379 Maii 10 idem procurator in canonicum receptus est (ibid. fol. 25[b] et 41[b]).

---

24. *Hermanno de Winterswick,* [a]) *in presbyteratus ordine constituto, in sacra theologia et in artibus magistro, providetur de canonicatu sub exspectatione praebendae ecclesiae Pragensis, non obstante, quod cantoriam Vratislaviensis ac eiusdem Vratislaviensis necnon Omnium Sanctorum in castro Pragensi ecclesiarum canonicatus et praebendas noscitur obtinere; quos canonicatum et praebendam ecclesiae Omnium Sanctorum dimittere tenetur, quamprimum vigore praesentium canonicatum et praebendam ecclesiae Pragensis fuerit assecutus. „Litterarum sciencia, vite" „Rome ap. S. Petrum idus Maii pont. n. a. primo". — Simili modo praeposito ecclesiae Cracoviensis et Pragensi ac Olomucensi officialibus.*

Romae, 1378 Maii 15.

Registrum litt. recept. in canon. Prag. fol. 14[a] — [a]) ‚Winterswik' — Has litteras, „unam videlicet graciosam in filis sericeis rubei et clauci coloris et aliam executoriam in cordula canapis . . . bullis plumbeis . . . bullatas" dictus Hermannus 1378 Nov. 6 capitulo praesentavit et 1378 Nov. 9 in canonicum receptus est (fol. 13[b] et 19[b]).

---

25. *Conrado de Třebovel canonico ecclesiae Pragensis mandatur, quatenus Petro nato Andreae de Městec, presbytero Pragensis dioc., beneficium ecclesiasticum cum vel sine cura ad collationem praepositi, decani et capituli ecclesiae Pragensis pertinens reservet. „Rome ap. S. Petrum idus Maii pont. n. a. primo.*

Romae, 1378 Maii 15.

Huius bullae in instrumento notarili ddto 1370 Febr. 17 apud Tadra, Listář veřejného notáře ve 14 stol. (Věstník uč. spol. 1893) p. 52 nr. 38 edito mentio fit, ubi etiam initium et finis eius cum data inserta sunt.

---

26. Venceslai regis Romanorum electio approbatur.

Tiburti, 1378 Julii 26.

Urbanus etc.[a]) carissimo in Christo filio Wenceslao regi Romanorum illustri[b]) salutem etc. Qui celestia simul et[c]) terrena moderatur, Romano pontifici[d]) in personam beati Petri, eterne vite clavigeri, celestis simul et terreni iura imperii et potestatis plenitudinem supra cunctos fideles concessit, ut circa ea[e]) invigilet et intendat,[f]) que fidelibus ipsis ampliora pacis et iusticie commoda afferre possint; ad hoc enim tanto[g]) diligencioribus studiis tenetur intendere,[h]) quanto ex iniuncte sibi apostolice servitutis officio continuis stimulis perurgetur;[i]) et quia recte[k]) ordinata regimina consueverunt nutrire iusticiam et subiectis populis pacem dare, auctoritas eiusdem pontificis, cui per prophetam a domino dictum novimus: ‚ecce, constitui te super gentes et regna, ut evellas, destruas et disperdas, dissipes,[l]) edifices et plantes', [m]) nequaquam ad erigenda et dirigenda mundi regimina debet torpescere,[n]) sed pocius, cum[o]) expedit, ad id apponere[p]) sollicitudinis sue partes. Sane dudum pro parte carissimi in Christo filii nostri Karoli Romanorum[q]) imperatoris semper augusti, genitoris tui, exposito felicis recordacionis Gregorio pape XI. predecessori nostro, quod ipse imperator, sepe cogitans etatem suam iam in senectute positam ad senium[r]) vergere viribusque corporalibus minui seque non sic habilem esse[s]) ad imperii gubernacula utiliter exercenda,[t]) personam suam indigere noscebat auxilio fidelis et strenui adiutoris, et se super hoc cum principibus Alamannie[v]) et presertim cum electoribus imperii per se et amicos suos sepius contulisse[x]) et ipsorum consilium requisisse, qualiter posset in hac parte rei publice utiliter provideri, quodque ipse imperator invenerat[y]) ipsorum electorum omnium beneplacitum et consilium fore,[z]) [quod][aa]) consideratis devocione ad deum et Romanam ecclesiam, circumspeccionis industria, forma corporis, fidelitate ad dictum imperium et precipue ad personam ipsius imperatoris, necnon regali potencia, bonisque moribus et condicionibus tuis, qui rex Bohemie existebas prout existis, licet tunc minoris esses etatis, eligereris[bb]) in regem Romanorum in imperatorem postmodum promovendus,[cc]) et pro parte ipsius imperatoris eidem Gregorio predecessori humiliter supplicato,[dd]) ut, cum dicti electores dispositi essent de consensu ipsius imperatoris huiusmodi eleccionem de te celebrare, idem predecessor eleccioni huiusmodi suum beneplacitum et assensum prestare et graciose[ee]) impertiri de benignitate apostolica dignaretur:[1]) idem predecessor, ut huiusmodi eleccio ea vice dumtaxat celebrari valeret, suum beneplacitum et assensum ac favorem et graciam auctoritate apostolica extitit impertitus, prout in eiusdem predecessoris litteris inde confectis plenius continetur.[ff])

Postmodum vero[gg]) pro parte tua prefato predecessori exposito, quod prefati[hh]) electores in loco[ii]) ad hoc debito et consueto te in regem Romanorum concorditer elegerant,[kk]) tuque huiusmodi eleccioni consenseras, ac eidem predecessori supplicato, ut eandem eleccionem approbare et[ll]) personam tuam ad suscipiendum imperialis[mm]) dignitatis fastigium idoneam fore declarare ac decernere[nn]) dignaretur: idem predecessor, facta sibi de huiusmodi eleccione fide plenaria, se de tuis moribus et condicionibus et aliis, que ad tanti culminis apicem requiruntur, diligencius informavit, et super his cum fratribus suis sancte Romane ecclesie

cardinalibus deliberacione prehabita diligenti [oo]), disposuerat [pp]) eleccionem predictam approbare et personam tuam declarare et decernere habilem et idoneam esse ad suscipiendum imperialis celsitudinis dignitatem. Sed quia, priusquam [qq]) ipse predecessor ad faciendum approbacionem et declaracionem huiusmodi procederet, gravis [rr]) eum corporalis egritudo invasit, ac deinde ex huiusmodi egritudine dicto predecessore, sicut domino placuit, ab hac luce subtracto nobisque divina favente [ss]) clemencia ad apicem summi apostolatus assumptis, pro parte tua per sollempnes ambasciatores et nuncios tuos coram nobis et fratribus nostris fuit expositum, quod predicti electores habitis super hoc diligentibus tractatu et deliberacione, prout tanti magnitudo negocii requirebat, in loco ad hoc debito et consueto, ut prefertur, te in regem Romanorum in imperatorem postmodum promovendum [tt]) unanimiter duxerant [vv]) eligendum, tuque super hoc deliberacione prehabita diligenti ad ipsorum electorum et multorum aliorum [xx]) instanciam huiusmodi eleccioni consensum tuum libere prestiteras, [yy]) ac per eosdem ambasciatores et nunccios pro parte tua nobis extitit humiliter supplicatum, [zz]) u eandem eleccionem auctoritate apostolica approbare et [a*]) personam tuam habilem et idoneam ad suscipiendum [b*]) predictam imperialis celsitudinis dignitatem decernere et declarare de benignitate solita dignaremur.

Nos igitur, eciam ad habundantem cautelam de [c*]) huiusmodi unanimi et concordi eleccione tua fide plenaria nobis facta, [d*]) de persona tua, in quantum tua [e*]) paciebatur absencia, de tuis quoque moribus et condicionibus ac aliis, que ad huiusmodi culminis apicem requiruntur, diligencius inquisito, volentes huiusmodi disposicionem [f*]) et propositum dicti predecessoris nostri [g*]) execucioni debite demandare, prehabitaque [h*]) super his cum nostris fratribus diligenti deliberacione, huiusmodi tuis supplicacionibus inclinati de ipsorum fratrum consilio ad laudem et gloriam omnipotentis dei patris et filii et spiritus sancti ac beate [i*]) et [k*]) gloriose semperque virginis Marie et beatorum apostolorum [l*]) Petri et Pauli et exaltacionem et honorem Romane ecclesie ac bonum et promocionem imperii et prosperum statum mundi te in specialem nostrum et dicte ecclesie filium suscipimus, tibi nostros favorem et graciam concedentes, tuaque persona idonea reputata, nominamus, [m*]) denunciamus, assumimus et declaramus regem Romanorum, tuam approbantes personam teque sufficientem et habilem declarantes ad suscipiendum imperialis celsitudinis dignitatem, ac decernentes unccionem et consecracionem imperialem per manus nostras tibi oportunis loco et tempore impendendas, [n*]) supplentes nihilominus omnem defectum, si quis [o*]) aut racione forme aut racione persone tue aut personarum dictorum electorum seu ex quavis alia racione sive causa in eleccione huiusmodi intervenerit quovis modo, ex certa sciencia et de apostolice [p*]) plenitudine potestatis, precipientes eciam omnibus fidelibus et vasallis imperii, ut tibi sicut regi Romanorum in imperatorem promovendo pareant efficaciter et intendant. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre [q*]) suscepcionis, concessionis, nominacionis, [r*]) assumpcionis, declaracionis, approbacionis [s*]), constitucionis, supplecionis et precepcionis [t*]) infringere [v*]) vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignacionem omnipotentis dei ac bb. Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum. Datum Tibure [x*]) VII. kal. Augusti pontificatus nostri anno primo.

Haec bulla iam apud Tadra, Summa cancellariae (Cancellaria Caroli IV.) p. 209 nro. 363 e formularii cancellariae imperialis copia satis erronea saec. XVIII, (cod. 12254 archivii marchionatus Moraviae Brunensis) edita est; cuius copiae varias lectiones hic littera B adnotavi. Ego tres alias eiusdem bullae copias inveni, quarum optima (= F) in formulario cancellariae apostolicae tempore Urbani VI. confecto continetur (bibliothecae Vaticanae cod. Vatic. 6330 fol. CCLXXIX[b]); illic autem data ommissa est. Ab hac copia altera copia saec. XVI (= R) dependere videtur, quae est in eiusdem bibliothecae cod. Regin. 350 fol. 31[a]. Tertia copia saec. XV exeuntis (= A) in archivii Vaticani Armar. XXXII tom. 57 fol. 3[a] continetur, quae eandem datam adducit ac illa apud Tadra edita, sed in pluribus partibus a reliquis tribus copiis valde differt et fere in omnibus cum bulla Clementis VII. antipapae super approbatione regis Venceslai de mense Octobris 1378 concordat (ed. Deutsche Reichstagsakten I. p. 149 nro. 93). Quae bulla Clementis sine dubio ad exemplum bullae Urbani VI. facta est, nam mutatis mutandis eiusdem est ac illa tenoris, sed verba bullae Urbani VI., quae de permissione papae, ut electio Venceslai possit celebrari, ac de huius electionis approbatione narrant, in bulla Clementis ommissa sunt et non nisi approbatio personae electi regis per eam exprimitur. In eundem modum tenor bullae Urbani VI. in copia A est immutatus, qua de causa non dubitari posse videtur, quin huius copiae autori tenor bullae Clementis VII. haud ignotus fuerit. Cum copia A et cum dicta bulla Clementis paucis exceptis etiam tenor bullae super approbatione regis Venceslai concordat, quae apud Pelzel, Karl IV. Th. II. Urkundenbuch nr. 251 e formulario quodam, quod ille copiarium Melicense vocat, edita est; sed quia nomen papae et data illic desunt, dici non potest, utrum illa Clementis VII. an Urbani VI. bullae copia sit. Conf. Weizsäcker, Deutsche Reichstagsakten I. p. XCII, et quod ego de hac re scripsi in Český časopis historický VII. 453 — [a]) om. F. R. B; in F. R haec inscriptio praecedit: Denuntiatur et constituitur rex Romanorum et declaratur habilis et idoneus ad suscipiendam imperialis celsitudinis dignitatem,' in B autem: ‚Literae Urbani pontificis maximi' [b]) ‚regi Romanorum semper augusto et Boemie regi illustri' A ‚regi Bohemiae, Romanorum semper augusto et Boemie regi' B [c]) om. B [d]) sequitur ‚imperator' B [e]) ‚ut terra ea' B [f]) ‚intendit' B [g]) om. B [h]) ‚attendere' B [i]) ‚studiis pervigetur' A ‚purgetur' B [k]) ‚ratione' B [l]) om. B [m]) ‚ut evellas, destinas et disperdas, dissipes, hedifices et plantes' A; ‚ut evellas, destruas et dissipes, dispendas, edifices et plantes' R [n]) ‚compescere' B) [o]) om. A. R; ‚cuius' B [p]) ‚ponere' A. R [q]) ‚Romani' F [r]) ‚senium iam' B [s]) in A sequitur ‚prout consueverat' [t]) ‚utilem exercendi' R [v]) ‚Allemaniae' B ‚Alamannis' R [x]) ‚contulisset' R [y]) ‚invenerant' A ‚inverat' B [z]) ‚fere' R [aa]) ‚pro' F. A. R ‚quidem' B [bb]) ‚eligeris' A. R. B [cc]) ‚Romanorum et imperatorem postmodum promovere' R [dd]) ‚supplicat' B; ‚supplicatum est' R [ee]) ‚generose' B [ff]) ‚et pro parte — continetur' om. A [gg]) ‚Postmodum vero elapsis certis temporibus' A [hh]) ‚predicti' A [ii]) ‚in loco' om. F. R [kk]) ‚eligerunt' F ‚elegerunt' B. R [ll]) ‚eandem eleccionem approbare et' om. A [mm]) ‚imperiale' B [nn]) ‚ac decernere' om. B [oo]) ‚diligenti ac decernere habilem' B [pp]) ‚disposuerat personam tuam approbare ac ipsam declarare' A [qq]) ‚prius' F [rr]) ‚gravius' A [ss]) ‚disponente' A [tt]) ‚post movendum' R [vv]) ‚duxerent' F ‚ducentes' R [xx]) ‚aliam' R [yy]) ‚praestiteris' B [zz]) ‚supplicandum' B [a*]) ‚eleccionem auctoritate apostolica approbare et' om. A [b*]) ‚suscipiendam' B [c*]) ‚ad' R [d*]) ‚facta et' B [e*]) ‚de tua' R [f*]) ‚disponere' B [g*]) om. A [h*]) ‚prehabita' R [i*]) ‚ac beate' om B [k*]) ‚et ut' B [l*]) om. A [m*]) ‚te nominamus' B [n*]) ‚impendendam' R [o*]) ‚omnes defectus si qui' R [p*]) ‚apostolica' B [q*]) ‚Nulli ergo etc. nostre' F. R ‚nostrarum' A [r*]) ‚nominacionis, denunciacionis' A [s*]) ‚approbacionis, decreti' A [t*]) ‚precepti' A [v*]) in F et R non sequitur hic nisi: ‚etc. Datum etc.' [x*]) ‚Nulli ergo etc. Datum Tibure' B — [1]) Cf. Deutsche Reichstagsakten I. p. 140 nr. 87.

---

27. Venceslao regi Bohemiae in regem Romanorum electo intimatur, septimo kal. Augusti (Julii 26) cum in publico consistorio a papa regem Romanorum in imperatorem promovendum pronuntiatum fuisse, impedimenta autem, propter quae haec pronuntiatio fuit dilata, Pavonem episcopum Polignanensem, Carolum Carazulum dictum Caraffa et Carolum Branchasium milites Neapolitanos, praesentium latores,

ei viva voce relaturos esse; atque invitatur ad curiam apostolicam visitandam. „In spiritu exultacionis“ „D. Tybure 4. kal. Augusti pont. n. a. primo.“

Tiburti, 1378 Julii 29.

Ed. ap. Weizsäcker, Deutsche Reichstagsakten I. p. 147 nr. 92; cf. apud Tadra, Summa cancellariae p. 211 nr. 364, litteras eiusdem tenoris (mutatis mutandis) et eiusdem datae, sed Carolo Romanorum imperatori directas.

***28.** Officiali Litomyšlensi mandatur, ut causam inter perpetuos vicarios et ministros ecclesiae s. Stephani Litoměřicensis et Henzlinum Andreae super quadam vinea exortam dirimat.*

[post 1378 Septembris 13.] [1])

[Urbanus ....] dilecto filio officiali Lutomuslensi .... Exhibita nobis pro parte dilectorum filiorum universorum perpetuorum vicariorum et ministrorum ecclesie s. Stephani opidi in Luthomenicz Pragensis diocesis peticio continebat, quod olim ipsi quandam vineam, in dicta diocesi consistentem et ad eosdem vicarios et ministros iusto titulo communiter pertinentem, Henzlino Andree, qui se gerit pro perpetuo vicario in eadem ecclesia, sub certa pensione annua ad tempus vite dicti Henzlini locaverunt, quodque postmodum, cum dictus Henzlinus eandem vineam, que tempore locacionis huiusmodi ab omni exaccione regali et qualibet onerosa solucione libera existebat, servituti et exaccioni opidanorum opidi predicti contra iusticiam subiecisset, intendens eandem vineam a dicta ecclesia alienare et eam cuidam fratri suo approp[r]iare, prefati vicarii et ministri eundem Henzlinum super hoc, petendo ipsum condempnari et compelli ad restituendum eis dictam vineam liberam et satisfaciendum ipsis de dampnis, que propterea ipsi vicarii et ministri incurrerant, coram dilecto filio officiali Pragensi non ex delegacione apostolica traxerunt in causam, idemque officialis, cognitis huiusmodi cause meritis et iuris ordine observato, diffinitivam pro dictis vicariis et ministris et contra eundem Henzlinum sentenciam promulgavit; et licet predictus Henzlinus ab huiusmodi sentencia, eam iniquam fore falso asserens, ad sedem apostolicam appellasset, quia tamen idem Henzilinus huiusmodi appellacionem suam, legitimo impedimento cessante, non extitit infra tempus legitimum prosecutus, prefatus officialis predictam sentenciam suam exequendo, prefatos vicarios et ministros in corporalem possessionem prefate vinee mandavit et fecit induci; postmodum vero idem Henzilinus de premissis tacito, falso pretendens se predicta vinea per dictos vicarios et ministros fuisse indebite spoliatum, super huiusmodi appellacione sua apostolicas ad dilectum filium decanum ecclesie Patauiensis, cum ipsorum vicariorum et ministrorum, ut licebat, potenciam merito perhorrescens, eos infra civitatem seu dictam diocesim Pragenses nequiret convenire secure, sub certa forma litteras impetravit; idemque decanus dilectis filiis in Luthomenicz et in Zuliricz [2]) parrochialium ecclesiarum rectoribus dicte diocesis super hiis de facto vices suas commisit et mandavit eisdem, ut se de huiusmodi spoliacione informarent et, si per informationem huiusmodi reperirent, dictum Henzlinum fuisse predicta vinea ut prefertur spoliatum, ipsum ad eandem vineam restituerent; ipsique rectores huiusmodi commissionis pretextu

prefatos vicarios et ministros monuerunt, ut predicto Hnzlino (*sic*) eandem vineam restituerent, et quia idem vicarii et ministri id facere recusarunt, prefati rectores in eosdem vicarios et ministros excommunicacionis sentenciam promulgarunt ipsosque mandarunt et fecerunt excommunicatos publice nunctiari. Propter quod pro parte vicariorum et ministrorum predictorum, senciencium se[a]) exinde indebite gravari, fuit ad sedem appellatum predictam, prefatusque decanus dictam excommunicacionis sentenciam eciam post et contra appellacionem huiusmodi de facto et multipliciter aggravavit. Quare pro parte dictorum vicariorum et ministrorum fuit nobis humiliter supplicatum, ut ipsos ab huiusmodi excommunicacionis sentencia simpliciter vel ad cautelam absolvi mandare et alias providere ipsis super premissis de oportuno remedio dignaremur. Nos igitur huiusmodi supplicacionibus inclinati discrecioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus vocatis qui fuerint evocandi, et auditis hinc inde propositis, quod iustum fuerit sumarie et de plano sine strepitu et figura iudicii appellacione remota decernas, faciendo quod decreveris per censuram ecclesiasticam firmiter observari. Testes autem, qui fuerint nominati, si se gracia, odio vel timore subtraxerint, censura simili appellacione cessante compellas veritati testimonium perhibere . . . . Datum etc.

Bibliotheca Vaticana — Cod. Vat. 6330 (formularium cancellariae apostolicae) fol. CCCXLVI[b] — [a]) ‚sentenciam' cod. — [1]) Hanc bullam post 1378 Sept. 13 datam fuisse ex notitia colligo, quae in Actis iud. consistorii Pragensis (ed. Tadra) I. p. 301 legitur in haec verba: „die 13. m. Septembris .... m. Cunsso vicarius etc. arbiter in causa, que inter d. Henslinum perpetuum vicarium s. Stephani in Luthomericz ex una et ministros seu vicarios dicte ecclesie coram decano Pathaviensi parte vertebatur ex altera, se de huiusmodi arbitrio omnino exoneravit." In nostra enim bulla causam huiusmodi iam a decano Pataviensi plebanis in Litoměřicz et Želenicz(?) commissam fuisse comperimus. Conf. Acta iud. I. 304. [2]) Forse Želenicz parrochia in districtu Teplicensi.

---

29. Johanni basilicae XII Apostolorum cardinali providetur de canonicatu et praebenda ac praepositura maioris necnon de praepositura s. Appollinaris Pragensium ecclesiarum.

[1378 Septembris 17—20.] [1])

Urbanus .... dilecto filio Johanni tituli basilice XII Apostolorum presbytero cardinali . . . . Dum exquisitam tue circumspeccionis industriam diligenter attendimus et paterna meditacione pensamus, quod tu Romanam ecclesiam, cuius honorabile membrum existis, tuorum honoras magnitudine meritorum, dignum reputamus et congruum, ut eam tibi in tuis oportunitatibus reperias liberalem. Dudum siquidem omnes dignitates, personatus et officia ceteraque beneficia ecclesiastica, per privaciones seu amociones quorumcunque per nos seu auctoritate nostra factas seu imposterum faciendas vacancia et inantea vacatura, collacioni et disposicioni nostre reservantes, decrevimus extunc irritum . . ., si secus . . . . contingeret attemptari. Postmodum vero canonicatu et prebenda ac prepositura maioris necnon prepositura s. Apolinaris Pragensium ecclesiarum, quos iniquitatis filius Robertus olim basilice XII Apostolorum s. Romane ecclesie presbyter cardinalis ex dispensacione sedis apostolice obtinebat, ex eo vacantibus, quod nos nuper

eundem Robertum a Romana curia absentem suis demeritis exigentibus dictis canonicatu et prebenda ac prepositura privavimus et amovimus ab eisdem, ... nos oportunitatibus tuis et ut incumbencia tibi onera expensarum, que te subire oportet continue, possis commodius supportare, de alicuius subvencionis auxilio providere volentes tibique graciam facere specialem, canonicatum et prebendam ac preposituras predictas, eciam si dignitates principales in eisdem ecclesiis existant et eis cura immineat animarum ac ad ipsas consueverit quis per eleccionem assumi, sic vacantes, cum plenitudine iuris canonici et omnibus iuribus et pertinenciis suis motu proprio .... apostolica tibi auctoritate conferimus et de illis eciam providemus ....; non obstantibus quibuscunque statutis et constitucionibus apostolicis ac consuetudinibus ecclesiarum predictarum contrariis .... Nos insuper tecum, ut canonicatum et prebendam ac preposituras predictas libere recipere et una cum basilica XII Apostolorum de Urbe, que titulus tui cardinalatus existit, necnon prioratibus, dignitatibus, personatibus, officiis, canonicatibus et prebendis, ecclesiis et aliis beneficiis ecclesiasticis, secularibus et regularibus, cum cura et sine cura, que obtines et expectas [.... retinere possis, ... dispensamus] .... Datum etc.

Bibliotheca Vaticana -- Cod. Vatic. 6330 (formularium cancellariae apostolicae) fol. CCCLIX[a] — [1]) 1378 Sept. 17 Johannes archiepiscopus Pragensis cardinalis creatus est, 1378 Sept. 20. Robertus Gebennensis in antipapam electus.

---

30. *[Johanni basilicae XII Apostolorum presbytero] cardinali, nuper a vinculo, quo Pragensi ecclesiae tenebatur, liberato, reservantur tot beneficia ecclesiastica in provincia Pragensi vacantia vel vacatura praeter parrochiales ecclesias, ut eorum fructus trium milium florenorum secundum taxationem decimae valorem annuum non excedant. Datum „. . . . Octobris pont. n. a primo“.*

1378 [Septembris 17 — Octobris 15].

Orig. membr. fuit involucrum codicis cuiusdam et nunc eius fragmentum valde mutilatum in archivio capituli ecclesiae Pragensis sub XV. 23 adservatur.

---

31. *[Johanni basilicae XII Apostolorum] presbytero cardinali mandatur, ut electionem Petri abbatis in Vilémov auctoritate apostolica confirmet.*

Romae, [1378 Sept. 17 — Nov. 29]. [1])

[Urbanus . . . .] dilecto filio . . presbytero cardinali Prage commoranti . . . Iuxta pastoralis officii debitum ecclesiarum et monasteriorum omnium, quorum nobis licet immeritis est generalis cura commissa, cupimus utilitatibus providere. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte .... Petri dicti Pessik monachi monasterii in Wylemow ord. s. Benedicti Pragensis diocesis peticio continebat, quod nuper prefato monasterio[a]) per obitum quondam Andree ipsius monasterii abbatis, qui extra Romanam curiam diem clausit extremum, vacante, dilecti filii conventus dicti monasterii vocatis omnibus, qui eleccioni huiusmodi voluerunt et debuerunt

et potuerunt commode interesse, die ad eligendum prefixa convenientes in unum, prefatum Petrum, ordinem ipsum expresse professum et in sacerdocio constitutum, in eorum et dicti monasterii abbatem concorditer elegerunt, idemque Petrus eleccioni huiusmodi illius sibi presentato decreto consenciens, eleccionem eandem a te, tunc archiepiscopo Pragensi, quem nuper a vinculo, quo ecclesie Pragensi, cui tunc preeras, tenebaris, de apostolice potestatis plenitudine absolvimus et in s. Romane ecclesie presbyterum cardinalem duximus assumendum, obtinuit auctoritate ordinaria confirmari canonice, in hiis omnibus statutis a iure temporibus observatis.[2]) Quare pro parte dicti Petri nobis fuit humiliter supplicatum, ut eleccionem et confirmacionem predictas confirmare de benignitate apostolica dignaremur. Nos itaque volentes eundem Petrum . . . . consideracione carissimi in Chr. filii nostri Karoli Romanorum imperatoris semper augusti et Bohemie regis illustris, nobis eciam super hoc humiliter supplicantis, favore prosequi gracioso ac statui eiusdem monasterii, quod in regno Bohemie consistit, salubriter providere . . . ., circumspeccioni tue . . . . committimus et mandamus, quatenus, si vocatis qui fuerint evocandi eleccionem de persona ydonea canonice celebratam ac confirmacionem huiusmodi canonicam fore inveneris, eleccionem et confirmacionem easdem eciam si provisio dicti monasterii disposicioni apostolice generaliter vel specialiter reservata existat, apostolica auctoritate confirmes, curam et administracionem dicti monasterii dicto Petro in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, ac faciendo sibi a suis subditis obedienciam et reverenciam debitas exhiberi . . . .; et nichilominus eidem Petro munus benediccionis per aliquem catholicum antistitem, graciam et communionem apostolice sedis habentem, impendi facias et procurari. Volumus autem, quod idem antistes, qui dictum munus impendet, ab eodem Petro nostro et eiusdem Romane ecclesie nomine recipiat fidelitatis debite solitum iuramentum iuxta formam, quam sub bulla nostra mittimus interclusam, formam autem iuramenti, quod idem Petrus prestabit, nobis de verbo ad verbum per eius patentes litteras suo[b]) sigillo signatas procuret quantocius destinare, quodque per hoc archiepiscopo Pragensi pro tempore existenti, cui dictum monasterium ordinario iure subesse dinoscitur, nullum imposterum preiudicium generetur. Datum Rome etc.

Bibl. Vatic — Cod. Vatic. 6330 (formularium) fol. CCCXXXV[b] — [a]) cod. ‚monacho' [b]) cod. ‚sub' — [1]) 1378 Sept. 17 Johannes archiepiscopus Pragensis cardinalis creatus est; 1378 Nov. 29 imperator Carolus mortuus est. [2]) Confirmationem illam ddto. 1378 Aug. 11 vide in Libris confirmationum III. IV. p. 96.

---

32. Petro abbati monasterii in Vilémov conceditur, ut insigniis pontificalibus uti possit.

[1378 Sept. 17 — Nov. 29] [1])

[Urbanus . . . .] . . . . Petro abbati monasterii beatorum Petri et Pauli apostolorum in Wylemow ord. s. Benedicti Pragensis diocesis . . . . Exposcit tue devocionis sinceritas . . . . Hinc est, quod nos carissimi in Chr. filii nostri Caroli Romanorum imperatoris semper augusti et tuis supplicacionibus inclinati, ut tu, quoad vixeris, mitra, baculo et anulo ac aliis insigniis pontificalibus licite uti possis, fel. rec.

Alexandri pp. IIII. predecessoris nostri, que incipit ‚Abbates', et aliis quibuscunque constitucionibus apostolicis in contrarium editis nequaquam obstantibus, tibi auctoritate apostolica . . . . indulgemus, ita tamen, quod huiusmodi nostra concessio ad successores tuos, abbates dicti monasterii, nullatenus extendatur. Nulli ergo . . . . Datum etc.

Bibl. Vatic. — Cod. Vat. 6330 (formularium) fol. CCXCIV^{b}—^{1}) Cf. not. 1 numeri praecedentis.

33. Decano Legnicensi mandatur, ut causam inter Andream plebanum in Deštná et quosdam armigeros Pragensis dioc. decidat.

Romae, 1378 Octobris 21.

Urbanus . . . . decano ecclesie Legnicensis Wratislauiensis diocesis . . . . Conquestus est nobis Andreas rector parrochialis ecclesie in Thesua Pragensis diocesis, quod nobiles viri Damianus burgravius de Kusnik, Vlricus baro baronie de Rosmberg, Johannes dictus Lisnec de Kusnik et Snathennius dictus Possek, armigeri dicte diocesis, super quibusdam pecuniarum summis, terris, possessionibus et rebus aliis iniuriantur eidem. Cum autem dictus rector, sicut asserit, dictorum iniuriancium potentiam merito perhorrescens, eos infra civitatem vel diocesim Pragensem nequeat convenire secure, discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatinus partibus convocatis audias causam et appellatione remota usuris cessantibus debito fine decidas, faciens quod decreveris per censuram ecclesiasticam firmiter observari, proviso, ne in terram dictorum nobilium interdicti sententias proferas, nisi super hoc a nobis mandatum receperis speciale . . . . Testes autem, qui fuerint nominati, si se gracia, odio vel timore subtraxerint, censura simili appellatione cessante compellas veritati testimonium perhibere. Datum Rome apud S. Mariam in Transtiberim XII. kal. Novembris pont. n. a. primo.

Orig. cum bulla in filo canapis in caesarea regia bibliotheca Pragensi. In plica ad dext.: G. STEPHANI. A tergo supra: (ad sin.) N; (med.) IO. DE GLOGOUIA.

34. Episcopo Racanatensi et Bechynensi et Horšoviensi[a]*) ecclesiae Pragensis archidiaconis mandatur, quatenus Nicolao Crucis de Žitenicz*[b]*) clerico Pragensis dioc. reservent beneficium ecclesiasticum cum vel sine cura, cuius fructus, si cum cura fuerit, vigintiquinque, si vero sine cura fuerit, decem et octo marcarum argenti valorem annuum non excedant, ad collationem archiepiscopi Pragensis et praepositi, decani et capituli singulorumque canonicorum et personarum ecclesiae Pragensis pertinens, si quod vacat vel cum vacaverit.* „*Vite ac morum*" „*Rome apud S. Mariam trans Tiberim II. kal. Decembris pont. n. a. primo.*"

Romae, 1378 Novembris 30.

Copia abbreviata in Reg. litt. recept. in can. Prag. fol. 72^{b} — [a]) ‚Horssouiensi' [b]) ‚Zitenicz' — Has litteras bulla plumbea in cordula canapea bullatas suprascriptus Nicolaus 1381 Maii 8 capitulo praesentavit.

35. Tervardo abbati monasterii Gradicensis prope Olomucz praemonstratensis ord. eiusque successoribus indulgetur, ut pontificalibus insigniis uti possint. „Exposcit vestre devocionis" „Rome apud S. Mariam trans Tyberim XIII. kal. Januarii pont. n. a. primo."

Romae, 1378 Decembris 20.

Ed. in Cod. diplom. Moraviae XI. p. 121 nro. 132.

---

36. Martino de Bor providetur de canonicatu sub exspectatione praebendae ecclesiae Pragensis, non obstante, quod altare s. Stanislai situm in ecclesia Pragensi noscitur obtinere, quod autem dimittere tenetur, quamprimum dictorum canonicatus et praebendae possessionem pacificam fuerit assecutus. „Vite ac morum" „Rome apud S. Mariam in Transtiberim tercio nonas[a]) Januarii pont. n. a. primo." — Simili modo: episcopo Racanatensi[b]) et abbati monasterii Strahoviensis prope Pragam ac officiali Pragensi.

Romae, 1379 Januarii 3.

Reg. litt. receptionis in can. Prag. fol. 78[a] — [a]) cod. ‚nonis', [b]) ‚Ratanensi' — Has litteras „unam videlicet graciosam in filis sericeis rubei et clauci coloris et aliam executoriam in cordula canapea . . . bullis plumbeis . . . bullatas" procurator „dom. Martini dicti Ispan de Bor" 1381 Oct. 10 capitulo praesentavit et statim in canonicum receptus est.

---

37. Doctoribus, magistris et scholaribus studii Pragensis ad octo annos indulgetur, ut in dicto studio morantes fructus beneficiorum suorum percipere possint.

Romae, 1379 Januarii 8.

Urbanus .... dilectis filiis universis doctoribus, magistris et scolaribus studii Pragensis .... Dum attente consideracionis indagine perscrutamur, quod per litterarum studia cooperante illo, a quo omnium carismatum dona perveniunt, viri efficiuntur scienciis eruditi, per quos equum ab iniquo discernitur, erudiuntur rudes, provecti ad alciora conscendunt, et fides catholica roboratur, libenter non solum loca, ubi huiusmodi pollent studia, sed studentes in eis munimus graciis et libertatibus honoramus. Vestris itaque supplicacionibus inclinati vobis auctoritate apostolica tenore presencium indulgemus, ut vos et vestrum singuli dicto studio insistendo fructus, redditus et proventus vestrorum beneficiorum ecclesiasticorum, que in quibus[vis] ecclesiis sive locis obtinetis, et[a]) imposterum vos et vestrum singulos contigerit obtinere, eciam si dignitates, personatus vel officia existant et curam habeant animarum, dummodo in cathedralibus post pontificales maiores vel in collegiatis ecclesiis principales huiusmodi dignitates non existant, cum ea integritate usque ad octo annos a data presencium computandos, cottidianis distribucionibus duntaxat exceptis, percipere valeatis, cum qua illos perciperetis[b]), si in ecclesiis, in quibus beneficia huiusmodi consistunt, personaliter resideretis, et ad residendum interim in eisdem ecclesiis minime teneamini neque ad id a quoquam inviti valeatis aliquatenus coartari; non obstantibus, si in dictis ecclesiis

non feceritis primum personalem residenciam consuetam, et quibuscunque constitucionibus apostolicis provincialibus et sinodalibus necnon statutis et consuetudinibus ecclesiarum, in quibus huiusmodi beneficia fuerint, contrariis, iuramento, confirmacione apostolica vel quacunque firmitate alia roboratis, eciam si de illis servandis et non impetrandis litteris apostolicis contra ea et ipsis litteris non utendo eciam ab aliis impetratis seu alio quovis modo concessis per vos vel procuratores vestros prestiteritis [vel] vos forsitan imposterum prestare contigerit iuramentum; seu si locorum ordinariis a sede apostolica sit indultum vel interim indulgeri contingat, quod canonicos et personas ecclesiarum suarum civitatum et diocesium, eciam in dignitatibus vel personatibus seu officiis constitutas, per subtraccionem proventuum suorum ecclesiasticorum vel alias compellere valeant ad residendum personaliter in eisdem; aut si eisdem ordinariis et dilectis filiis capitulis dictarum ecclessiarum vel quibusvis aliis communiter vel divisim a prefata sede indultum existat vel medio tempore contigerit indulgeri, quod canonicis earundem ecclesiarum, eciam in dignitatibus vel personatibus seu officiis constitutis, non residentibus in eisdem vel qui huiusmodi in eis residenciam non fecerint, fructus, redditus et proventus beneficiorum predictorum ministrare minime teneantur, quodque ad id compelli non possint, per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mencionem; et quibuscunque privilegiis, indulgenciis et litteris apostolicis generalibus vel specialibus, quorumcunque tenorum existant, per que presentibus non expressa vel totaliter non inserta effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differi et de quibus quorumque tenoribus de verbo ad verbum habenda sit in nostris litteris mencio specialis; proviso, quod interim beneficia huiusmodi debitis obsequiis non fraudentur, et animarum cura in eis, quibus illa imminet, nullatenus negligatur, sed per bonos et sufficientes vicarios, quibus de beneficiorum ipsorum proventibus necessaria congrue ministrentur, diligenter exerceatur, et deserviatur inibi laudabiliter in divinis. Nulli ergo . . . . Datum Rome apud S. Mariam in Transtiberim VI. idus Januarii pont. n. a. primo.

[Executoria] Urbanus . . . . episcopo Wratislauiensi et . . . . Omnium Sanctorum in castro Pragensi ac s. Petri extra muros Ma[gun]tinenses decanis ecclesiarum . . . . [‚Dum attente consideracionis — laudabiliter in divinis‘ ut in littera gratiosa hic praecedente.] Quocirca discrecioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus vos vel duo aut unus vestrum per vos vel alium seu alios faciatis auctoritate predicta eisdem personis dictos fructus, redditus et proventus per huiusmodi octo annos iuxta huiusmodi concessionis nostre tenorem integre ministrari; non obstantibus omnibus supradictis, seu si eisdem ordinariis et capitulis vel quibusvis aliis communiter vel divisim a prefata sede indultum existat, quod interdici, suspendi [vel] excommunicari non possint.... Datum Rome apud S. Mariam in Transtiberim VI. idus Januarii pont. n. a. primo.

Reg. litt. receptionis in canon. Prag. in folio numero carente, quod foliis 81 et 82 interpositum est; executoria ibid. fol. 82b — a) cod. ‚ut‘ b) cod. ‚percipietis‘.

38. *Scholastico ecclesiae Pragensis mandatur, quatenus bona monasterii S. Coronae Pragensis dioc., nonnullis clericis et laicis per abbates et conventum dicti monasterii ad tempus vel perpetuo concessa ad proprietatem eiusdem monasterii revocet. „Ad audientiam nostram" „Romae apud S. Mariam trans Tiberim idus Januarii pont. n. a. primo."*

Romae, 1379 Januarii 13.

Ed. apud Pangerl, Urkundenbuch des ehem. Cisterciienserstiftes Goldenkron (Font. rer. Austr. Abth. II. Bd. 37.) p. 155 nro. 85.

---

39. *Johanni abbati monasterii Velehradensis cisterciensis ord. Olomucensis dioc. eiusque successoribus ad petitionem Johannis episcopi Olomucensis indulgetur, ut pontificalibus insigniis uti possint. „Exposcit vestre devocionis" „Rome apud S. Mariam trans Tiberim II. nonas Aprilis pont. n. a. primo."*

Romae, 1379 Aprilis 4.

Ed. in Cod. dipl. Moraviae XI p. 134 nro. 146.

---

40. *Instrumentum super receptione iuramenti facti a Venceslao rege Romanorum Urbano papae VI.*

Pragae, 1379 Aprilis 5.

In nomine domini. Amen. Noverint universi et singuli presens publicum instrumentum inspecturi, quod anno a nativitate eiusdem millesimo trecentesimo septuagesimo nono, indiccione secunda, die martis, quinta mensis Aprilis, pontificatus sanctissimi in Christo patris et domini nostri domini Urbani divina providencia pape VI. anno primo, in mei, notarii publici, et testium infrascriptorum ad hoc specialiter vocatorum et rogatorum presencia personaliter constituti reverendissimi in Christo patres et domini domini Pileus Rauennas et Johannes Pragensis, s. Romane ecclesie cardinales, in presencia serenissimi principis et domini domini Wenceslai Romanorum et Boemie regis ostenderunt et in medium produxerunt quandam bullam seu litteras dicti domini nostri pape, more Romane curie bullatas, eisdem dominis cardinalibus a sede apostolica transmissas, iuramentum, quod reges Romanorum pro tempore sedi apostolice prestare consueverunt et tenentur, in se continentes; quas litteras seu iuramentum dicti domini cardinales nomine et ex parte dicti domini nostri pape et sedis apostolice ibidem per discretum virum magistrum Johannem notarium dicti domini cardinalis legi mandarunt et fecerunt de verbo ad verbum alta et intelligibili voce, predicto domino rege audiente, litteras sciente, intelligente. Et statim dictus dominus rex, deliberacione matura prehabita, cum reverencia surgendo manum suam dextram ad quendam librum apertum ibidem ostensum, in quo sacrosancta dei evangelia fuerant descripta, posuit et iuravit, prout et quemadmodum in tenore dicti iuramenti, in dicta bulla seu littera apostolica descripti et, ut premittitur, ibidem publice lecti, lacius continetur. Cuius tenor talis est: ‚Ego Wenceslaus Roma-

norum rex in imperatorem promovendus iuro et promitto per patrem et filium et spiritum sanctum et per has reliquias sanctorum, quod Romanam ecclesiam et dominum Urbanum papam VI. summumque pontificem et eius successores canonice intrantes exaltabo iuxta meum posse, et non ero in consilio aut consensu vel facto aut exhortacione, ut vitam perdant aut membrum neque honorem, quem habent vel habebunt, vel capiantur mala capcione, et in Romana urbe nullum placitum aut ordinacionem faciam[a]) de hiis, que ad dominum nostrum papam aut ad Romanos pertinent, sine ipsius domini pape consensu; papatum Romanum et regalia sancti Petri adiutor eis ero ad retinendum et defendendum contra omnes homines, et quidquam de terra seu patrimonio beati Petri ad meam potestatem venire contingeret, eidem domino pape reddam; cuicunque regimen[b]) seu administracionem Italie vel alicuius partis eiusdem commisero, iurare illum faciam, quod adiutor domini pape sit ad defendendum et retinendum patrimonium et terras beati Petri et specialiter Bononiensem et Perusinam civitates et earum comitatus et districtus iuxta suum posse. Sic me deus adiuvet et hec sancta dei evangelia.'[c]) De quibus omnibus dicti domini cardinales mandaverunt et dictus dominus rex consensiit fieri unum et plura publica instrumenta per dictum magistrum Johannem et me infrascriptum notarios publicos ibidem presentes. Acta fuerunt hec Prage in curia nostra episcopali Pragensi in novo parvo esturio dicte curie hora vesperorum vel quasi sub anno, die, mense, indicione et pontificatu, quibus supra, presentibus reverendissimis in Christo patribus domino Ludouico Maguntinensi, Johanne Pragensi archiepiscopis, Johanne Olomucensi et Alberto Luthomuschlensi episcopis, et magnificis et nobilibus viris dominis Mathia de Thedio comite Charwatzie, Conrado Kreyer magistro curie dicti domini regis, Petro de Wartinberg domino in Cost, Thymone de Koldicz et Pu[r]chardo de Janowicz, baronibus regni Boemie, testibus ad premissa vocatis specialiter et rogatis.

Et ego Gherardus de Encheren clericus Traiectensis diocesis, publicus apostolica auctoritate notarius, premissis omnibus et singulis, dum prout superius conscripta sunt agerentur et fierent, una cum predictis testibus presens interfui, eaque omnia et singula sic fieri vidi et audivi. Ideoque de mandato dictorum dominorum cardinalium de expresso consensu dicti domini regis presens publicum instrumentum exinde in notam recepi et per alium fideliter scribi feci et in hanc publicam formam redegi, et propria manu hic me subscripsi ac signo meo solito signavi rogatus et requisitus in fidem et testimonium omnium et singulorum premissorum.

Copia saec. XV exeuntis in Arm. XXXII tom. 57 fol. 4[a], ubi supra in margine alia manu saec. XV adscriptum est: „Instrumentum recepcionis iuramenti d. Wenczeslai regis Romanorum facti domino Urbano pp. VI[o] habetur libro primo eiusdem.“ — a) ‚faciant‘ cod. b) ‚regimem‘ cod. c) Hic sequitur in cod.: ‚Engelbertus‘, quod forse nomen scriptoris est in hoc instrumentum per errorem cum iuramenti tenore transsumptum. — In Arm. XXIX tom. 1 fol. 134[b] litterae, Marini camerarii apostolici, ddto 1390 Febr. 23 registratae sunt, per quas ipse notum facit „quod in registris camere apostolice reperimus instrumentum iuramenti prestiti per illustrissimum principem et dominum dom. Wenceslaum Romanorum et Boemie regem, non rasum, non cancellatum, non abolitum, nec in aliqua sui parte suspectum, cuius tenor de verbo ad verbum sequitur et est talis: In nomine dom.Amen. Noverint oc. [ut in instrumento hic supra edito usque:] in presencia . . . Wenceslai Romanorum et Boemie regis ostenderunt etc., ut habetur instrumentum totum de verbo ad verbum in registris bullarum in fine.“ — De supra-

scripta praestatione iuramenti per regem Venceslaum etiam Johannes de Jenzenstein, qui postea archiepiscopus Pragensis factus est, litteris suis ad papam scribit, quas litteras data carentes vide ap. Loserth, Der Codex epistolaris des Erzbischofs von Prag Johann von Jenzenstein (Arch. für öst. Gesch. LV) p. 331 nro. 27.

---

41. *Venceslaus rex Romanorum de victoriis papae, videlicet de castri s. Angeli deditione, Britonum Vasconumque conflictu, civitatis Neapolitanae devotione et reginae Johannae conversione, certior fit, atque invitatur, ut in Italiam veniat imperiale diadema suscepturus ac praesenti scismati finem impositurus. „Super universis victoriis“ „Rome apud S. Mariam trans Tiberim VIIII. kal. Junii pont. n. a. secundo.“*

Romae, 1379 Maii 24.

Ed. Palacký, Über Formelbücher II. p. 33 nro. 22. Origin. valde mutilatum fuit involucrum codicis cuiusdam et nunc in archivio capituli ecclesiae Pragensis sub XV, 33 asservatur. Sub plica ad dext.: N. TRICARDI.

---

42. *Venceslaus de Bohemia in sedis apostolicae capellanum recipitur.*

Romae, 1379 Junii 15.

Urbanus .... dilecto filio Wenceslao de Boemia ordinis fratrum predicatorum professori, capellano nostro .... Virtutibus clarens [et meritis, sicut fame laudabilis testimonio commendaris, illam in nostro et apostolice sedis conspectu graciam meruisti, quod personam tuam paterna benivolencia prosequamur et eam libenter attollamus honoris gracia specialis. Ut igitur in effectu percipias, quod suggerit nostre mentis affectus, te in nostrum et dicte sedis capellanum graciose recipimus ac nostrorum et ipsius sedis capellanorum consorcio favorabiliter aggregamus, intendentes, quod per hoc favoris apostolici presidia plenius sorciaris; sic igitur de bono in melius studiis virtutum intendas, quod merito ad faciendum tibi pleniorem graciam invitemur]. Nulli ergo [omnino hominum liceat hanc paginam nostre recepcionis et aggregacionis infringere vel ei ausu temerario contraire]. Si quis autem .... Datum Rome apud S. Petrum XVII. kal. Julii pont. n. a. secundo.

Armar. XXXI. tom. 36 fol. 4a — Uncinis [ ] inclusa ex alio simili documento, quod ibidem fol. 1a continetur, suppleta sunt.

---

43. *Monasterium S. Coronae cisterciensis ord. Pragensis dioc. sub b. Petri et sedis apostolicae protectione suscipitur. „Cum a nobis petitur“ „Romae ap. S. Petrum IV. nonas Julii pont. n. a. secundo“.*

Romae, 1379 Julii 4.

Ed. apud Pangerl, Urkundenbuch des ehem. Cistercienserstiftes Goldenkron p. 158 nro. 87.

---

44. *Officiali Pragensi mandatur, quatenus Benešio*[a]) *nato nobilis viri Ctiborii de Švamberk*[b]) *militis, clerico Pragensis dioc., de canonicatu sub exspectatione praebendae ecclesiae Pragensis provideat.* „*Dignum arbitramur*“ „*Rome apud S. Petrum V. idus Julii pont. n. a. secundo.*“

Romae, 1379 Julii 11.

Registr. litt. recept. in can. Prag. fol. 87[a] — [a]) ‚Benessium‘ [b]) ‚Cztiborii de Swamberk‘ — Has litteras cum bulla plumbea in cordula canapea dictus Benešius 1382 Martii 29 capitulo praesentavit et statim in canonicum receptus (fol. 86[b]).

---

45. *Dotatio hospitalis Bohemorum Romae confirmatur.*

Romae, 1379 Augusti 1.

Urbanus .... ad perpetuam rei memoriam. Humilibus et honestis supplicum votis libenter annuimus illaque prosequimur favoribus oportunis. Sane petitio[a]) pro parte carissime in Chr. filie nostre Elizabeth Romanorum imperatricis semper auguste continebat, quod olim ipsa et clare memorie Carolus Romanorum imperator, vir eius, cupientes terrena in celestia et transitoria in eterna felici commertio commutare et pie compatientes pauperum et miserabilium personarum necessitatibus ac ad opera misericordie ferventer aspirantes, quandam domum in alma Urbe consistentem, prope campum Floris et inter s. Stephani et s. Blasii parrochiales ecclesias sitam, de propriis eorum pecuniis emerunt seu emi fecerunt, ac voluerunt et ordinaverunt, quod domus ipsa esset hospitale pauperum debilium et infirmorum de partibus Bohemie ad prefatam Urbem pro tempore venientium, ipsamque domum huiusmodi pauperibus donarunt et ei[s]dem assignarunt, proponentes domum seu hospitale huiusmodi sufficienter dotare; quodque postmodum imperator et imperatrix predicti, diversis aliis arduis negotiis Romani imperii impediti, dilectis filiis Petro Rosemberg preposito capelle regie Omnium Sanctorum in castro Pragensi et nobilibus viris Vlrico et Johanni de Rosemberg fratribus, domicellis Pragensis diocesis, commiserunt et mandaverunt, ut domum seu hospitale huiusmodi nomine ipsorum imperatoris et imperatricis sufficienter dotarent; prefatique domicelli, commissionem et mandatum huiusmodi exequentes, decem et novem sexagenas cum medio fertone census annui et perpetui pagamenti boemici, videlicet in vila Otlin[1]) novem sexagenas et prope introitum ville in Przibenicz dicte diocesis decem alias sexagenas cum medio fertone donarunt et etiam assignarunt, prout in patentibus litteris inde confectis dictorum prepositi et domicellorum sigillis munitis dicitur plenius contineri. Quare pro parte dicte imperatricis fuit nobis humiliter supplicatum, ut huiusmodi voluntati et ordinationi predictorum imperatoris et imperatricis [ac] donationi et assignationi, per dictos domicellos, ut prefertur, factis, robur apostolice firmitatis adicere de spetiali gratia dignaremur. Nos igitur huiusmodi supplicationibus inclinati voluntatem et ordinationem ac donationem et assignationem huiusmodi ratas habentes et gratas, illas auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre confirmationis et communitionis infringere.. ... Datum Rome ap. S. Petrum kalendas Augusti pont. n. a. secundo.[b])

Orig. cum bulla in filo serico in archivio Třeboniensi exstat (I A 3 Kβ No. 31 c) — a) ‚petitio petitio' orig. b) ‚Rome — secundo' alio atramento per aliam manum. — In plica ad dext: P. DE MONTE FLASCONIS; sub plica ad sin: XX, OLDRATUS, JO. DE SANCTO JUSTO COM[PUTAVI] ET COM[PLEVI]. In tergo: R[EGISTRATA]; apud filum: LITTERE HOSPITALIS BOHEMORUM. — Editum cum multis erroribus ap. Dobner, Annales Hageciani III., 1765, p. 399. Traductionem germanicam vide ap. Waal, Das böhm. Pilgerhaus in Rom, Prag 1873, p. 38; bohemicam apud Borový, Národní dům český v Římě, 1874, p. 26. Conf. etiam Mareš, Český hospic v Římě (Časopis čes. musea 1890, p. 65) — 1) Oltyně in districtu Táboriensi.

46. *Archiepiscopo Pragensi eiusque suffraganeis notum fit, Johannam olim Jerusalem et Siciliae reginam, quae, licet primo Urbano papae VI. in multis tamquam Romano pontifici oboedientiam praestitisset, tamen postmodum antipapae Clementi VII. adhaesit eique magnas pecuniarum summas et alia subsidia praebuit, postea vero per solemnes nuncios ab Urbano papa veniam postulavit, sed nihilominus etiam post hanc fictam conversionem hostibus eius auxilium praebere eique nocere non destitit, per sedis apostolicae diffinitivam sententiam excommunicatam, omnibus dignitatibus et honoribus, regnis et terris, feudis et bonis privatam et eius personam expositam fuisse Christi fidelibus capiendam, ut sic capta indilate ad dictam sedem transmitteretur et, si id fieri non posset, tam diu in artis carceribus sub fida custodia detineretur, donec ipsam detinentes aliud a sede apostolica haberent in mandatis; praeterea omnes, qui iuramento fidelitatis seu hominii vel alias eidem Johannae erant astricti, ab huiusmodi obligationibus absolutos esse, et omnibus, qui crucis caractere assumpto ad praedictae Johannae exterminium se accingerent et illam pro posse persequerentur, illam indulgentiam illudque privilegium esse concessa, quae accedentibus in Terrae sanctae subsidium conceduntur. Mandatur itaque dicto archiepiscopo ac eius suffraganeis, quatenus quilibet eorum singulis diebus dominicis omnia supradicta in eorum ecclesiis cathedralibus publicent et exponant alta voce et intelligibiliter in vulgari ac etiam per religiosos praedicatorum, minorum, heremitarum s. Augustini et s. Mariae de Montecarmelo ordinum in ipsorum ecclesiis eodem modo publicari et exponi faciant ac praesentium litterarum copias dictarum ecclesiarum portis publice affigi. Verum quia dictae litterae propter viarum discrimina vel alias non possunt eorum singulis commode praesentari, praedictus archiepiscopus suis suffraganeis et aliis praelatis civitatis et diocesis Pragensium ipsique suffraganei eorum subditis illarum litterarum transsumptum manu publica confectum transmittere debent. „Adversus enormes" „Rome ap. S. Petrum X. kal. Octobris a. secundo."*

Romae, 1379 Septembris 22.

Bibliotheca Vaticana. Cod. Vatic. 6772 (formularium cancellariae apostolicae saec. XIV. exeuntis) fol. 75a cum hac suprascriptione „Processus contra Johannam olim reginam Sicilie mandatur publicari". De publicatione huius bullae Acta ind. consistorii Prag. I (ed. Tadra) p. 377 narrant in haec verba: „die VI. m. decembris (1379) h. q. tercia in loco capituli ecclesie Pragensis d. Jenczo officialis ac vicarius d. archiepiscopi Pragensis processum d. Urbani pp. VI. eius vera bulla bullatum contra reginam Jerusalem alias Sicilie factum et datum in presencia multorum plebanorum et religiosorum civitatis Pragensis ad hoc vocatorum publicavit et insinuavit et mandavit ipsam nuncciari excommunicatam."

47. *Episcopo Litomyšlensi et abbati monasterii Scotorum in Vienna Pataviensis dioc. ac archidiacono Vratislaviensi mandatur, ut Jodocum marchionem Moraviae ac magistrum civium, iudicem, iuratos et scabinos civitatis Olomucensis, qui decanum et capitulum ecclesiae Olomucensis de praefata civitate eiusque territorio ac de terris dicti marchionis banniverunt et proscripserunt, tam diu excommunicatos esse et civitatem praefatam ac terras dicti marchionis ecclesiastico interdicto subiacere publice nuntient, donec bannitionem et proscriptionem huiusmodi revocaverint et iniuriam exinde passis satisfecerint competenter.* „*Dudum per fel. rec. Urbanum pp. V.*“ „*Rome ap. S. Petrum idibus Octobris pont. n. a. secundo.*“

Romae, 1379 Octobris 15.

Ed. in Cod. diplom. Moraviae XI p. 151 nro. 166.

---

48. *Judicibus mandatur, quatenus Adae de Nežeticz beneficium cum vel sine cura reservent.*

[1378—1379 (1383)]

Urbanus . . . . decano et . . thesaurario ac . . scolastico ecclesie Olomucensis . . . . Honestatis et sciencie meritis placere studentes libenter prosequimur gracie apostolice munificencia speciali, ut, dum votiva percepcione bonorum prospexerint se fecundos, virtutum adiectione continua se reddere gaudeant insignitos. Cum itaque, sicut accepimus, ... Adam Benessii de Nezetytz rector parrochialis ecclesie in Ostrauia Olomucensis diocesis, magister in artibus, per leccionum exercicium liberalium artium studio laudabiliter insistendo adeo divina gracia sibi suffragante profecerit, quod in eis honorem magisterii recipere meruit, nos volentes eidem Ade, in presbyteratus ordine constituto, ut ex ipsius studii commendando labore fructum sibi gaudeat pervenisse, premissorum intuitu graciam facere specialem, beneficium ecclesiasticum cum cura vel sine cura, cuius fructus, redditus et proventus, si cum cura viginti quinque, si vero sine cura foret, decem et octo marcharum argenti secundum taxacionem decime valorem annuum non excederent, ad collacionem, provisionem seu quamvis aliam disposicionem . . . . episcopi Olomucensis pertinens, dummodo in ecclesia cathedrali non existat, si quod in civitate vel diocesi Olomucensibus vacabat tunc vel cum vacaret . . . ., conferendum eidem Ade . . . . donacioni apostolice reservavimus . . . .; non obstantibus . . . ., seu quod dictus Adam parrochialem ecclesiam in Ostrauia predictam, cuius fructus . . . . quindecim librarum turonensium parvorum secundum taxacionem decime valorem annuum, ut asserit, non excedunt, noscitur obtinere Volumus autem, quod ipse, quamprimum vigore presencium huiusmodi beneficium fuerit pacifice assecutus, dictam parrochialem ecclesiam . . . . omnino dimittere teneatur. Quocirca discrecioni vestre . . . . mandamus, quatinus . . . . huiusmodi beneficium [per nos, ut] premittitur, reservatum, si tempore huiusmodi reservacionis [nostre vacabat vel extunc vacavit aut cum illud vacare contigerit, prefato Ade . . . .] auctoritate apostolica [conferre et assignare curetis] . . . .

Fragmentum originalis, quod fuit involucrum codicis cuiusdam, in tres partes scissum (quarta pars cum fine bullae et cum data deest) in archivio capituli ecclesiae Pragensis XVII,

12 b asservatur. A tergo: (supra) R. FRANCISCUS VOLCS; (inferius) R — Istas litteras ante a. 1379 vel certe ante 1383 editas fuisse ex hoc colligo: a. 1379 fuit receptus ad universitatem iuristarum Pragensem „mag. Adam plebanus in Ostromet (?)“ (Monum. univ. Prag. II./I p. 34) et a. 1383 „mag. Adam de Moravia“ baccalarius in decretis effectus est (ibid. p. 11). Si hae duae notitiae nostrum mag. Adam de Nežeticz plebanum in Ostravia concernunt, quod mihi haud dubium esse videtur (parrochia ‚Ostromet‘ vel similis nominis in Bohemia et Moravia non existit), praesens bulla non post. a. 1379 edita esse potest, cum magistrum Adam studiis iuris insistere non commemoret; sin autem hoc ommitti potuisse putaverimus, dubitari non potest, quin mag. Adam in hac bulla baccalarius in decretis vocaretur, si ipsa post 1383 esset edita. — A. 1384 „Adam de Nesetyz“ licenciatus, a. 1389 „Adam de Nezetycz Olomucensis ac Brunensis ecclesiarum canonicus“ doctor in decretis effectus est (Monum. univ. II./I. p. 2. 4). Tempore posteriori mag. Adam de Nežeticz archidiaconus Gradicensis in ecclesia Pragensi (a. 1396—1417) et archiepiscopi Pragensis generalis vicarius fuit (a. 1396—1414). Historiam sui temporis scripsisse dicitur, quae nunc deperdita est. (Palacký, Würdigung p. 303). Cf etiam Ott, Beiträge zur Receptionsgeschichte des röm.-canonischen Processes in den böhm Ländern, Leipzig 1879, p. 89. 99. 102.

---

49. *Pileo s. Praxedis et Johanni basilice XII Apostolorum presbyteris cardinalibus committitur, ut, cum Gherardus abbas Cisterciensis antipapae adhaeserit, ipsi generale capitulum abbatum ordinis cisterciensis in partibus Alamanniae, Bohemiae et Poloniae constitutorum convocent.*

[1379 init. — 1380 init.] [1])

Urbanus . . . . Pileo tituli s. Praxedis et Johanni basilice XII Apostolorum presbyteris cardinalibus in partibus Alamannie et Boemie commorantibus . . . . Pastoralis officii cura nobis licet immeritis ex alto commissa cor nostrum continua pulsat instancia, ut gregem nobis traditum a noxiis et adversis preservare solita diligencia studeamus et oves nobis commissas, ne luporum paciantur incursus et eorum morsibus lanientur, satagamus nostre proteccionis munimine[a]) confovere. Cum itaque, sicut ex multorum abbatum et monachorum ordinis cisterciensis conquestione percepimus, Gherardus, qui se gerit pro abbate monasterii Cisterciensis Cabilonensis diocesis, in reprobum sensum datus iniquitatis alumpno Roberto olim basilice XII Apostolorum presbytero cardinali, nunc antipape, qui se Clementem papam ausu temerario nominare presumit, eciam post et contra processus per nos contra ipsum Robertum et nonnullos eius complices et fautores factos et in diversis mundi partibus publicatos publice adherere et favere presumpserit et presumat, et propterea . . . . abbates, priores, prepositi et alii religiosi predicti ordinis in partibus Alamannie, Boemie, Polonie constituti tamquam prudentes et fideles Romane ecclesie filii, consorcia predicti Gherardi et aliorum professorum dicti ordinis prefato Roberto favencium seu adherencium studeant evitare: nos cupientes predictorum devotorum et fidelium filiorum statui et honori salubriter providere et, ne pretextu scismatis, quo prefatus Gherardus et eius complices involuti fore noscuntur, predicti fideles filii circa regularem observanciam vel alias possint in eorum iuribus detrimenta subire, precavere volentes, circumspeccioni vestre, de qua plenam in domino fiduciam obtinemus, per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus omnes et singulos abbates et alios prelatos et religiosos dicti ordinis in dictis partibus constitutos, qui secundum

statuta et consuetudines eiusdem ordinis consueverunt vel tenentur ad generale capitulum dicti ordinis convenire, ad aliquem locum ydoneum, de quo vobis videbitur, pro huiusmodi generali capitulo dicti ordinis celebrando auctoritate nostra convocare studeatis, et ibidem huiusmodi generale capitulum dicti ordinis teneri et celebrari faciatis, et ea, que in eodem capitulo racionabiliter fuerint statuta seu eciam ordinata, auctoritate nostra confirmetis et eciam approbetis usque ad nostrum beneplacitum duratura. Nos enim eisdem abbatibus et prelatis et aliis religiosis prefati ordinis in dictis partibus constitutis, [ut] usque ad dictum beneplacitum nostrum omnibus privilegiis, immunitatibus et libertatibus ac potestatibus uti et gaudere possint, quibus uti et gaudere consuevit totus ordo predictus dummodo illis, antequam huiusmodi scisma fuisset exortum, non [esset] alias derogatum, tenore presencium auctoritate apostolica indulgemus, volentes et auctoritate predicta decernentes, quod ipsi abbates ac prelati et alii quicunque religiosi dicti ordinis in predictis partibus constituti in nullo teneantur seu debeant obedire prefato Gherardo, qui se gerit pro abbate dicti monasterii Cisterciensis, seu eiusdem sequacibus vel adherentibus quoquomodo, sed [eos] ab illorum iurisdiccione, dominio et potestate prorsus exemptos ac liberos usque ad nostrum beneplacitum decernimus per presentes, subicientes ipsos illi vel illis, de quo vel de quibus in dicto capitulo per vos, ut premittitur, congregando ordinatum fuerit et per vos vel vestrum alterum exstiterit approbatum, contradictores per censuram ecclesiasticam appellacione postpostposita compescendo; non obstantibus quibuscunque privilegiis, indulgenciis et litteris apostolicis specialibus vel generalibus predicto ordini vel eius locis aut personis ab apostolica sede concessis . . . .; quodsi forsan ambo vos premissis non potueritis interesse, alter vestrum ea nichilominus exequatur. Datum etc.

Bib. Vaticana. Cod. Vatic. 6330 fol. CCCCXXIII[b] — [a]) ‚minimee' cod. — [1]) Pileus archiepiscopus Ravennatensis ab initio a. 1379 „in partibus Alamaniae et Bohemiae" morabatur; Johannes Očko archiepiscopus Pragensis et cardinalis 1380 Jan. 14 mortuus est.

---

50. *Judici mandatur, ut Petro de [Janovicz] praeposituram ecclesiae Pragensis conferat.*

[1380 Januarii 14—Febr.][1])

Judici . . . . Dignum arbitramur . . . . Dudum siquidem omnes dignitates, personatus et officia ceteraque beneficia ecclesiastica cum cura et sine cura quorumcunque Romane ecclesie cardinalium, tunc vacancia et imposterum vacatura, collacioni et disposicioni nostre duximus reservanda . . . . Cum itaque postmodum prepositura ecclesie Pragensis, quam bone mem. Johannes basilice XII Apostolorum presbyter cardinalis ex concessione et dispensacione[a]) sedis apostolice dum viveret obtinebat, per eiusdem Johannis cardinalis obitum, qui extra Romanam curiam diem clausit extremum, vacaverit et vacet ad presens, ... nos volentes dilectum filium Petrum de . . canonicum . ., qui, ut asseritur, de nobili genere procreatus existit, ... consideracione carissimi in Chr. filii nostri Wenceslai Romanorum et Boemie regis illustris, pro dicto Petro, dilecto suo, nobis super hoc humiliter supplicantis, favore prosequi gracioso, ... mandamus, quatenus, si post

diligentem examinacionem dictum Petrum .... [idoneum esse reppereris], ... prefatam prepositurarn, que dignitas curata et maior post pontificalem in eadem ecclesia existit, et ad quam quis per eleccionem assumitur, cuiusque et Wratislauiensis ac Melnicensis Pragensis diocesis ecclesiarum canonicatuum et prebendarum, quos dictus Petrus obtinet, fructus .... quingentarum marcharum argenti .... valorem annuum, ut asseritur, non excedunt, ... eidem Petro auctoritate nostra conferas et assignes ....; non obstantibus ...., quod idem Petrus in dictis Pragensi et Wratislauiensi ac in Melnicensi canonicatus et prebendas ac in Boleslauiensi dicte Pragensis diocesis ecclesiis prepositurarn noscitur obtinere. Volumus autem, quod ipse Petrus, quamprimum vigore presencium dictam prepositurarn ecclesie Pragensis fuerit pacifice assecutus, prefatam prepositurarn Boleslauiensis ac canonicatum et prebendam Pragensis ecclesiarum .... omnino, prout eciam ad id se sponte obtulit, dimittere teneatur .... Datum etc.

Bibl. Vatic. Cod. Vatic 6330 fol. 27[a] — [a]) ‚disposicione' cod. — [1]) Johannes Očko cardinalis 1380 Januarii 14 mortuus est; in mense Februarii Petrus de Janovicz iam praepositus nominatur (Tomek, Děje Prahy V. p. 119).

---

51. *Johanni archiepiscopo Pragensi facultas conceditur duabus personis de duobus canonicatibus sub exspectatione praebendarum providendi ac duabus aliis duas dignitates, personatus vel officia reservandi.*

Romae, 1380 Martii 29.

Urbanus .... venerabili fratri Johanni archiepiscopo Pragensi .... Personam tuam nobis et apostolice sedi devotam paterna benivolencia prosequentes, illam graciam tibi libenter impendimus, per quam te possis reddere graciosum. Tuis itaque supplicacionibus inclinati fraternitati tue providendi hac vice dumtaxat auctoritate apostolica duabus personis ydoneis, eciam si earum quelibet unum beneficium ecclesiasticum obtineat, quas ad hoc duxeris eligendas, cuilibet earum videlicet de canonicatu tue Pragensis ecclesie ...., reservandi quoque auctoritate prefata donacioni tue hac vice dumtaxat pro singulis personis eisdem singulas prebendas, necnon pro duabus aliis personis ydoneis, quas elegeris, eciam si earum quelibet unum beneficium ecclesiasticum obtinet, duas dignitates aut duos personatus vel duo officia cum cura vel sine cura, dummodo aliqua ex huiusmodi dignitatibus maior post pontificalem in dicta Pragensi ecclesia et in collegiata principalis non existat, quorum quidem singulorum dignitatum, personatuum vel officiorum fructus, redditus et proventus, si cum cura, vigintiquinque, si vero sine cura fuerit, decem et octo marcarum argenti secundum taxacionem decime valorem annuum non excedant, ad collacionem, provisionem, presentacionem seu quamvis aliam disposicionem .... archiepiscopi Pragensis pro tempore existentis pertinentes seu pertinencia, si que vel si qui aut si qua tempore reservacionis huiusmodi vacabunt, ... conferendas vel conferendos seu conferenda singulis personis eisdem .... plenam et liberam tenore presencium concedimus facultatem. Volumus autem, quod de nominibus et cognominibus personarum, quibus canonicatus et prebendas necnon dignitates vel personatus seu officia huiusmodi per te conferri contigerit, ut prefertur, ac de die collacionum et provisionum

huiusmodi cameram nostram apostolicam seu collectorem reddituum et proventuum eidem camere debitorum in illis partibus deputatum certificare procures. . . . . Datum Rome ap. S. Petrum quarto kal. Aprilis pont. n. a. secundo.

Insertum litteris Johannis archiepiscopi Pragensis ddto. 1382 Febr. 11, quarum copia est in Reg. litter. recept. in canon. Prag. fol. 85a.

---

52. *Pavoni episcopo Polignanensi mandatur, ut omnes pecunias, quas nomine camerae apostolicae receperit, necnon inventarium bonorum quondam Johannis archiepiscopi Pragensis eiusque testamentum, si quod fecerit, Romam transmittat.*

Romae, 1380 Aprilis 19.

Urbanus . . . . Pauoni episcopo Polignianensi, apostolice sedis nuncio . . . . Volumus et presencium tibi tenore mandamus, ut absque alicuius more dispendio omnes pecuniarum summas, quas nomine camere apostolice receperis, ad eandem cameram per cambium tuciori modo, quo fieri potest, transmittas, scribendo et significando gentibus dicte camere particulariter et distincte, a quibus personis et ex quibus causis easdem pecunias receperis, et gentes ipsas super hiis taliter certificando, quod computa et raciones de gestis et administratis per te in officio collectorie, quod exerces, possint clare videri et pro tuicione et cautela tua in libris dicte camere fideliter scribi et annotari. Et insuper, cum ad nostram noticiam pervenerit, quod bone memorie Johannes basilice XII Apostolorum presbyter cardinalis nuper in civitate Pragensi ab hac luce migraverit,[1]) et per aliquos dicatur, quod idem cardinalis certum testamentum condidit, alii vero dicant, quod ab intestato decesserit, nos attendentes, quod de more est, ut testamenta quorumcumque Romane ecclesie cardinalium Romano pontifici debeant presentari, volumus et fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus de bonis dicti cardinalis facias confici manu publica inventarium, et nichilominus testamentum, si quod fecerit, vel eius transsumptum publica manu conscriptum ad nostram presenciam quantocius transmittas, in premissis te ita solicitum exhibendo, quod de negligencia nequeas reprehendi, sed pocius de obediencie promptitudine commendari. Datum Rome apud S. Petrum XIII. kal. Maii pont. n. a. tercio.

R. Vat. 310 fol. 4a — In fine eadem manu adscriptum est: DE CURIA. — [1]) Johannes archiepiscopus Pragensis et cardinalis 1380 Jan. 14 mortuus est.

---

53. *Archiepiscopo Pragensi mandatur, quatenus Pertoldo de Častkov conferat canonicatum et praebendam ecclesiae Pragensis, si Hynkonem dictum Kluk eis sententialiter privaverit.*

Romae, 1380 Octobris 19.

Urbanus . . . . archiepiscopo Pragensi . . . . Nobilitas generis, vite ac morum honestas aliaque probitatis et virtutum merita, super quibus apud nos dilectus filius Pertoldus de Czastkow rector parrochialis ecclesie in Hlohowa Pragensis diocesis fidedignorum commendatur testimonio, nos inducunt, ut sibi red-

damur ad graciam liberales. Hodie siquidem ad audienciam nostram deducto, quod Hinko dictus Kluk olim canonicus Pragensis iniquitatis alumpno Roberto olim basilice XII Apostolorum cardinali, nunc antipape, qui se Clementem papam ausu temerario nominare presumit, eciam post et contra processus per nos contra ipsum Robertum et quoscunque eius sequaces, fautores et adherentes eidem factos et solempniter publicatos, per quos ipsum Robertum tamquam scismaticum et hereticum puniendum sentencialiter condempnavimus, adherere et favere presumpserat et presumebat, nos attendentes, quod veris existentibus supradictis prefatus Hinko canonicatu et prebenda ecclesie Pragensis, quos ipse tunc temporis obtinebat, ipso iure privatus extiterat, tibi per alias nostras litteras dedimus in mandatis, ut vocatis dicto Hinkone et aliis, qui forent evocandi, super premissis inquireres auctoritate nostra diligencius veritatem et, si per inquisicionem huiusmodi invenires ita esse, eundem Hinkonem auctoritate nostra canonicatu et prebenda prefatis sentencialiter declarares esse privatum, eumque realiter amoveres ab eisdem, prout in dictis litteris plenius continetur. Nos igitur attendentes, quod, si dictus Hinko eidem Roberto adheserit, ut prefertur, canonicatus [et] prebenda predicti vacaverunt et vacare noscuntur ad presens, nullus[que] preter nos hac vice de ipsis disponere potuit neque potest pro eo, quod nos diu ante vacacionem huiusmodi omnes canonicatus et prebendas ceteraque beneficia ecclesiastica, [per] adhesionem huiusmodi tunc vacancia vel inantea vacatura, collacioni et disposicioni nostre reservantes, decrevimus extunc irritum et inane, si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari, ac volentes prefatum Pertoldum, qui, ut asseritur, de nobili genere procreatus existit, ... consideracione karissime in Chr. filie Johanne Romanorum et Boemie regine illustris, pro dicto Pertoldo, dilecto capellano suo et continuo commensali, nobis super hoc humiliter supplicantis, favore prosequi gracie specialis, fraternitati tue . . . . mandamus, quatenus, si per te prefatum Hinkonem dictis[a]) canonicatu et prebenda privatum declarari contigerit, ut prefertur, eosdem canonicatum et prebendam, quorum fructus . . . . quinquaginta marcharum argenti secundum communem extimacionem valorem annuum, ut asseritur, non excedunt, ... prefato Pertoldo auctoritate predicta conferre et assignare procures, inducens per te vel alium seu alios predictum Pertoldum vel procuratorem suum eius nomine in corporalem possessionem canonicatus et prebende iuriumque et pertinenciarum predictorum, et defendens inductum, amoto exinde dicto Hinkone et quolibet alio detentore, ac faciens Pertoldum vel procuratorem eius pro eo ad prebendam predictam auctoritate prefata in eadem ecclesia Pragensi in canonicum recipi et in fratrem, ... sibique de ipsorum canonicatus et prebende fructibus, redditibus et proventibus, iuribus et obvencionibus universis integre responderi . . . .; non obstantibus quibuscunque statutis et consuetudinibus ipsius ecclesie Pragensis contrariis . . . ., aut si aliqui . . . . super provisionibus sibi faciendis de canonicatibus et prebendis in dicta ecclesia Pragensi speciales vel aliis beneficiis ecclesiasticis in illis partibus generales apostolice sedis vel legatorum eius litteras impetrarint . . . ., quibus omnibus in assecucione canonicatus et prebende predictorum prefatum Pertoldum volumus anteferri . . . ., aut quod dictus Pertoldus prefatam parrochialem ecclesiam, cuius fructus . . . . XII marcarum argenti

secundum estimacionem eandem valorem annuum, ut asseritur, non excedunt [noscitur obtinere]. Nos enim, prout est, irritum decernimus et inane, si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter attemptatum est forsan hactenus, vel contigerit imposterum attemptari. Datum Rome ap. S. Petrum XIIII. kal. Novembris pont. n. a tercio.

Reg. litt. recept. in canon. Prag. fol. 88[a]—[a]) ‚de' cod. — Clausula ‚non obstantibus' in partibus ommissis cum illa nri. 2 concordat, finis autem illius a verbis ‚seu si hodie' usque ‚non obstante' hic deest. Has litteras cum bulla in cordula canapea a. 1382 Maii 16 dictus Pertoldus capitulo praesentavit, sed quia praebendam olimHynkonis Kluk iam Ulricus dictus Hložek obtinebat, lis super eadem exorta est.

54. *Archiepiscopo Pragensi mandatur, quatenus Přibislao de Pořešín de canonicatu sub exspectatione praebendae et de decanatu ecclesiae Pragensis provideat.*

[post 1380 Octobris 19.]

[Urbanus . . . .] . . . . archiepiscopo Pragensi . . . . Dignum arbitramur . . . . Nuper siquidem ad audienciam nostram deducto, quod Hynko dictus Kluk olim decanus ecclesie Pragensis perdicionis alumpno Roberto olim basilice XII Apostolorum presbytero cardinali, nunc antipape, qui se Clementem papam ausu temerario nominare presumit, ... adherere et favere presumpserat et eciam presumebat, nos attendentes, quod veris existentibus supradictis prefatus Hynko decanatu dicte ecclesie, quem obtinebat, ipso iure privatus extiterat, tibi per alias nostras litteras dedimus in mandatis, ut vocatis dicto Hynkone et aliis, qui forent evocandi, super premissis auctoritate nostra inquireres diligencius veritatem et, si per inquisicionem huiusmodi invenires ita esse, prefatum Hynkonem decanatu predicto eadem auctoritate declarares fuisse et esse privatum, eumque realiter amoveres ab eodem, prout in dictis litteris plenius continetur. Nos igitur attendentes, quod, si dictus Hynko dicto Roberto adheserit, ut prefertur, predictus decanatus vacavit et vacat ad presens, nullusque de ipso preter nos hac vice disponere potuit neque potest pro eo, quod nos diu ante vacacionem huiusmodi omnes dignitates, personatus et officia ceteraque beneficia ecclesiastica cum cura et sine cura quorumcumque, per adhesionem huiusmodi vacancia et inantea vacatura, collacioni et disposicioni nostre reservantes, decrevimus extunc irritum . . . ., [si secus . . . .] contingeret attemptari, ac volentes . . . . Przibislaum Marquardi de Porossyn clericum Pragensis diocesis . . . . consideracione carissimi in Chr. filii nostri Wenceslai Romanorum et Boemie regis illustris, pro dicto Przibislao, dilecto suo, ... supplicantis, favore prosequi gracioso, [fraternitati tue . . . .] mandamus, quatenus, si prefatum Hynkonem decanatu predicto per te privatum declarari et ab eo amoveri contigerit, ... et . . . . dictum Przibislaum . . . . ydoneum ad dictum decanatum obtinendum esse reppereris . . . ., canonicatum eiusdem ecclesie . . . . et decanatum predictum, qui dignitas curata non tamen maior post pontificalem in eadem ecclesia existit et ad quem quis per eleccionem assumitur, cuiusque fructus . . . . octuaginta marcharum argenti . . . . valorem annuum, ut asseritur, non excedunt, ... prefato Przibislao auctoritate predicta conferre et assignare procures, ... prebendam vero, si qua in dicta ecclesia vacat ad presens vel cum vacaverit, ... conferendam eidem Przibislao . . . . eadem

auctoritate reserves . . . .; non obstantibus . . . ., quod idem . . patitur in etate defectum, cum in XXII etatis sue anno constitutus existat. Tu enim cum eodem . ., ut dictum decanatum, si eum per te sibi conferri et de eo provideri contingat, libere recipere et licite retinere valeat, ... auctoritate predicta dispenses . . . . Datum etc.

Bibl. Vaticana. Cod. Vatic. 6330 fol. 32b — Data huius bullae e numero praecedente colligitur. E Registro litt. receptionis in canon. Prag. fol. 55b. 58b patet dicto Přibislao Marquardi de Pořešín iam 1380 Junii 30 per Pileum. tit. s. Praxedis cardinalem, legatum apostolicum, de eodem decanatu, quo Hynko Kluk ab eodem Pileo privatus declaratus est (ibid. fol 57a), provisum fuisse.

---

55. *Johannes et Conradus de Chuna mercatores in Norimberga quitantur de sex milibus florenorum eorum nomine camerae apostolicae persolutis.*

Romae, 1380 Novembris 10.

Urbanus . . . . Johanni et Conrado de Chuna mercatoribus in opido Nuremberg Bambergensis diocesis commorantibus et eorum fratribus . . . . Cum . . . . Franciscus de Medicis de Florencia mercator in Romana curia . . . . Lito episcopo Imolensi, thesaurario nostro, per literas . . . . Ludovici de Auenantis de Ferraria campsoris racione cuiusdam cambii in opido de Noremberg Bambergensis diocesis per vos facti cum . . . . Pauone episcopo Polingnianensi, collectore fructuum et proventuum camere apostolice in Alamannia et Boemia debitorum, persolverit sex milia florenorum auri ad pondus camere per vos ab eodem Pauone episcopo de pecuniis dicte camere in dicto opido receptorum, nos volentes vestris et omnium, quorum interest, super hoc indempnitatibus et periculis precavere, vos et vestrum quemlibet et alios, quorum interesse potest, de ipsa summa sex milium florenorum, per dictum thesaurarium receptorum a dicto Francisco, ut prefertur, tenore presencium quitamus et plenarie liberamus. Datum Rome ap. S. Petrum IV. idus Novembris pont. n. anno tercio.

R. Vat. 310 fol. 82a — Ibidem fol. 83a alia bulla dictis „Johanni et Conrado de Cuma mercatoribus in opido de Noremberg Bambergensis dioc. commorantibus“ sub eadem data concessa continetur, in qua verbis plane congruentibus de solutione supradicta narratur et decernitur, ut si forsan contigerit illas primas litteras „aliquo casu deperdi vel eas non apparere, presentes litere de huiusmodi quitacione et liberacione dictorum sex milium florenorum semel dumtaxat . . . . facta plenam fidem faciant ubicunque“. In fine autem haec nota invenitur: „Item alie due bulle sub eodem tenore de verbo ad verbum ut supra in precedenti.“ —

---

56. *Michael Leonis monachus expresse professus monasterii s. Ambrosii Pragensis ordinis s. Benedicti in capellanum sedis apostolicae recipitur. „Virtutibus clarens“ „Rome ap. S. Petrum nonis Februarii a. tercio.“*

Romae, 1381 Februarii 5.

Armarii XXXI. tom. 36 fol. 6a.

57. *Philippo Ulrici de Želetav* [a]*) providetur de canonicatu sub exspectatione praebendae ecclesiae Pragensis, non obstante, quod parrochialem ecclesiam in Boskovicz (?)* [b]*) et Brunensis Olomucensis dioc. cum praebenda ac Vratislaviensis ecclesiarum sub exspectatione praebendae canonicatus noscitur obtinere. „Vite ac morum" „Rome apud S. Petrum VII. idus Februarii pont. n. a. tercio". — Simili modo abbati in Strahovia et decano s. Petri Vyšehradensis* [c]*) prope Pragam et praeposito s. Petri in Brunna Olomucensis dioc. ecclesiarum.*

Romae, 1381 Februarii 7.

Reg. litt. recept. in canon. Prag. fol. 100[a] — [a]),Vlrici de Zeltav' [b]),Reskobicz' [c]),Wissegraden.' — Has litteras, gratiosam cum bulla in filis sericeis rubei et clauci coloris et executoriam cum bulla in cordula canapis 1384 Martii 7 dictus Philippus capitulo praesentavit et 1384 Martii 9 in canonicum receptus est (ibid. fol. 99[b] et 103[a]).

---

58. *Petro de Všerub providetur de canonicatu et praebenda ecclesiae Pragensis vacantibus.*

Romae, 1381 Martii 9.

Urbanus .... dilecto filio magistro Petro de Wsebor (*sic*) canonico Pragensi, scriptori nostro .... Grata tue devocionis obsequia, que nobis et apostolice sedi fideliter impendisti et adhuc sedulis studiis impendere non desistis, necnon laudabilia probitatis et virtutum merita, quibus personam tuam novimus insignitam, nos inducunt, ut tibi reddamur ad graciam liberales. Dudum siquidem omnes canonicatus et prebendas ceteraque beneficia ecclesiastica quorumcunque collectorum fructuum et proventuum camere apostolice debitorum, tunc vacancia et inantea vacatura, collacioni et disposicioni nostre reservantes, decrevimus extunc irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari. Cum itaque postmodum canonicatus et prebenda ecclesie Pragensis, quos quondam Johannes de Luthomisl, [qui] ipsius ecclesie canonicatum et prebendam obtinens fructuum et proventuum huiusmodi in provincia Pragensi collector extitit, dum viveret, obtinebat, per ipsius Johannis obitum, qui extra Romanam curiam diem clausit extremum, vacaverint et vacare noscantur ad presens, nullusque preter nos hac vice de dictis canonicatu et prebenda disponere potuerit neque possit reservacione et decreto obsistentibus supradictis, nos volentes tibi, qui eciam litterarum apostolicarum abbreviator existis, premissorum obsequiorum et tuorum meritorum intuitu graciam facere specialem, canonicatum et prebendam predictos, quorum fructus, redditus et proventus viginti sexagenas (*sic*) marcarum argenti secundum communem extimacionem valorem [annuum], ut asseris, non excedunt, sic vacantes cum plenitudine iuris canonici ac omnibus iuribus et pertinenciis suis apostolica tibi auctoritate conferimus et de illis eciam providemus, decernentes, ut est, irritum et inane, si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter attemptatum forsan est hactenus, vel contingeret imposterum attemptari; non obstantibus quibuscunque statutis et consuetudinibus ipsius ecclesie contrariis ...., seu quod in dicta Pragensi perpetuam vicariam ‚prepositure' nuncupatam et in s. Petri extra muros Maguntinenses, super quibus olim per plures annos in palacio

apostolico, ut asseris, litigasti, quorum duodecim, et in Olomucensi ecclesiis canonicatus et prebendas, quorum decem, obtines, et quod nuper tibi de canonicatu et prebenda ecclesie s. Petri Wissegradensis prope Pragam, quorum possessionem nondum es assecutus et quorum viginti octo marcarum argenti fructus, redditus et proventus secundum dictam extimacionem valorem annuum, ut asseris, non excedunt, per nostras litteras duximus providendum, et quod eciam tibi nuper de canonicatu sub expectacione prebende dicte Pragensis ecclesie graciose concessimus provideri. Volumus autem, quod, quamprimum vigore presencium dictos canonicatum et prebendam ecclesie [Pragensis] fueris pacifice assecutus, predictam vicariam . . . . omnino, prout ad id te sponte obtulisti, dimittere tenearis, quodque huiusmodi concessionis gracia et quecunque inde secuta extunc sint cassa et irrita ac nullius roboris vel momenti . . . . Datum Rome ap. S. Petrum VII. idus Marcii pont. n. a. tercio.

[Executoria.] Urbanus . . . . episcopo Rathanensi et . . . . abbati [monasterii] Strahouiensis prope Pragam ac officiali Pragensi . . . . Grata lilecti filii magistri Petri de Swserob canonici Pragensis, scriptoris nostri . . . .

Reg. litt. receptionis in canon. Prag. fol. 80[a] — Clausula ‚non obstantibus' mutatis mutandis ut in nro. 53. — Vigore harum litterarum procurator Petri de Všerub 1381 Octobris 13 ad supranominatam praebendam receptus est (ibid. fol. 79[b]).

---

59. Mathiae de Janov providetur de canonicatu sub exspectatione praebendae ecclesiae Pragensis.

Romae, 1381 Aprilis 1.

Urbanus . . . . Mathie Wenzceslai de Janow canonico Pragensi, magistro in artibus . . . . Litterarum sciencia, vite ac morum honestas . . . . Volentes itaque tibi, qui presbyter es et, ut asseris, per sex annos[a]) in theologia Parisius studuisti, ... graciam facere specialem, canonicatum ecclesie Pragensis . . . . apostolica tibi auctoritate conferimus et de illo eciam providemus, prebendam vero, si qua in dicta ecclesia vacat ad presens vel cum vacaverit, ... conferendam tibi . . . . donacioni apostolice reservamus . . . . ; non obstantibus . . . ., quod beneficium ecclesiasticum cum cura vel sine cura, ad collacionem, provisionem, presentacionem seu quamvis aliam disposicionem . . . . archiepiscopi Pragensis ac . . . . decani et capituli ecclesie Pragensis communiter vel divisim pertinens, auctoritate litterarum nostrarum te asseris expectare[1]) . . . . Datum Rome ap. S. Petrum kal. Aprilis pont. n. a. tercio.

[Executoria.] Urbanus . . . . episcopo Pragensi (*sic*)[2]) et . . . . abbati monasterii Brewnoniensis prope Pragam ac decano ecclesie s. Egidii Pragensis . . . .

Registrum litt. recept. in canon. Prag. fol. 79[a] — [a]) ‚annos studuisse' cod. — [1]) vide nrm. 6 huius libri [2]) ‚Pragensi' hic per errorem loco ‚Pennensi' scriptum esse videtur. — Has litteras mag. Mathias de Janov 1381 Oct. 12 personaliter capitulo praesentavit et statim in canonicum receptus est (Reg. litt. rec. fol. 78[b]). — Litterae et protocollum de receptione apud Loserth, Hus und Wiclif 1884. p. 268 non sine erroribus edita sunt.

60. *Petro Massen de Kottbus,*[a]) *in artibus et medicina magistro, consideratione Elizabeth Romanorum imperatricis, pro eo, physico et familiari suo continuo commensali, supplicantis, providetur de canonicatu sub exspectatione praebendae ecclesiae Pragensis, non obstante, quod b. Mariae Wurczinensis Misnensis dioc. cum praebenda, quorum fructus 20 florenorum auri valorem annuum non excedunt, et Vratislaviensis ecclesiarum sub exspectatione praebendae necnon dignitatis, personatus vel officii canonicatus auctoritate quarundam litterarum apostolicarum noscitur obtinere. „Litterarum sciencia, vite" „Rome ap. S. Petrum kal. Aprilis pont. n. a. tercio." — Simili modo decanis s. Aegidii et Omnium Sanctorum in castro Pragensi ecclesiarum ac officiali Pragensi.*

Romae, 1381 Aprilis 1.

Reg. litt recept. in canon. Prag. fol. 126[b], executoria ibid 127[a] et 126[a]. — [a]) ‚Kothebus' — Hae litterae 1389 Apr. 22 capitulo sunt praesentatae et dictus Petrus in canonicum statim receptus. (ibid. fol. 124[b]).

---

61. *Ulricus Sbroschonis de Vysoká*[a]) *ordinis fratrum minorum professor in capellanum sedis apostolicae recipitur „Virtutibus clarens" „Rome ap. S. Petrum V. idus Junii a. quarto."*

Romae, 1381 Junii 9.

Armarii XXXI tom. 36 fol. 7[b] — [a] ‚Wyssoka'

---

62. *Abbas monasterii Strahoviensis prope Pragam et decani Olomucensis ac Vratislaviensis ecclesiarum conservatores praepositi et conventus monasterii Zderaziensis Pragensis sacrosancti sepulchri dominici Jerosolimitani ord. s. Augustini per praepositum soliti gubernari usque ad quinquennium instituuntur. „Militanti ecclesie" „Rome ap. S. Petrum XI. kal. Julii pont. n. a. quarto".*

Romae, 1381 Junii 21.

Insertum instrumento notarili ddto. 1388 Martii 20, cuius originale in caesarea bibliotheca Pragensi asservatur.

---

63. *Officiali Pragensi mandatur, quatenus Andreae de Usk de canonicatu ecclesiae Pragensis sub exspectatione praebendae, dignitatis vel officii provideat.*

Romae, 1381 Junii 23.

Urbanus . . . . officiali Pragensi . . . . Dignum arbitramur . . . . Volentes igitur dilectum filium Andream de Vssk rectorem parrochialis ecclesie in Czaslauia Pragensis diocesis, qui, ut asseritur ex utroque parente [de] baronum genere procreatus existit, ... favore prosequi gracioso, discrecioni [tue] . . . . mandamus, quatenus, si post diligentem examinacionem dictum Andream ad obtinendum canonicatum et prebendam ecclesie Pragensis ydoneum esse reppereris, ei de canonicatu ecclesie predicte[a]) cum plenitudine iuris canonici auctoritate nostra providere procures . . . ., et si per examinacionem huiusmodi ipsum Andream bene legere, bene construere et bene cantare et congrue loqui latinis

verbis et alias ad obtinendum dignitatem, personatum seu officium cum cura vel sine cura idoneum fore inveneris, vel eciam si bene non cantaret, dummodo in tuis manibus iuret ad sancta dei evangelia, quod infra annum a tempore examinacionis huiusmodi computandum bene cantare addiscet, dignitatem, personatum seu officium cum cura vel sine cura, eciam si ad huiusmodi dignitatem quis consueverit per eleccionem assumi, dummodo dignitas ipsa maior post pontificalem in cathedrali vel in collegiata ecclesia principalis non existat, et si forsan ita esse non reppereris, et si dictus Andreas non bene cantet et non iuraverit, ut prefertur, dummodo ipsum alias post diligentem examinacionem ad obtinendum huiusmodi prebendam et officium sine cura ydoneum esse inveneris, super quibus tuam conscienciam oneramus, prebendam et officium sine cura dumtaxat, cuius quidem[b]) dignitatis, personatus vel officii fructus, redditus et proventus, si cum cura, XXV, si vero sine cura fuerit, XVIII marcarum argenti secundum taxacionem decime valorem annuum non excedant, ad collacionem, provisionem, presentacionem, eleccionem seu quamvis aliam disposicionem venerabilis fratris nostri . . archiepiscopi Pragensis et dilectorum filiorum prepositi, decani et capituli dicte ecclesie Pragensis communiter vel divisim pertinentes seu pertinencia, si que vel si qui aut si qua vacant ad presens vel cum vacaverint, ... conferendos vel conferendas seu conferenda eidem Andree . . . . donacioni tue auctoritate predicta reserves . . . .; non obstantibus de certo canonicorum numero et quibusvis statutis et consuetudinibus ipsius Pragensis vel alterius ecclesie, in qua dignitas huiusmodi forsan fuerit, contrariis . . . ., seu quod idem Andreas dictam parrochialem ecclesiam noscitur obtinere. Volumus autem, quod idem Andreas, quamprimum vigore presencium dignitatem vel personatum seu curatum officium fuerit pacifice assecutus, ... predictam parrochialem ecclesiam, ... omnino, prout eciam ad id se sponte obtulit, dimittere teneatur. Et insuper si dictus Andreas ad hoc repertus fuerit idoneus, ut prefertur, exnunc perinde irritum decernimus ac inane, si secus super hiis a quoquam . . . . contigerit attemptari, ac si die date presencium eidem Andree canonicatum ecclesie Pragensis predicte contulissemus ac prebendam necnon dignitatem, personatum vel officium, si que vel si qui aut si qua tunc vacabant vel cum vacarent, ... conferendas vel conferendos seu conferenda eidem Andree donacioni apostolice cum interposicione decreti duxissemus specialiter reservandas vel reservandos seu eciam reservanda. Datum Rome ap. S. Petrum nono kal. Julii pont. n. a. quarto.

Reg. litt. recept. in canon. Pragenses fol. 91[a] — [a]) ‚et prebende' cod. [b]) ‚pridem' cod. — Clausulae hic ommisae mutatis mutandis cum nro. 5. huius libri concordant; pars clausulae ‚non obstantibus' a verbis ‚seu si hodie' usque ‚non obstante' hic deest. — Has litteras bulla plumbea in cordula canapea bullatas procurator dicti Andreae 1383 Jan. 30 capitulo praesentavit (Reg. lit. rec. fol. 90[b]).

---

64. *Paro episcopus Polignanensis quitatur de mille florenis auri camerae apostolicae persolutis.*

Romae, 1381 Octobris 1.

Urbanus . . . . Panoni episcopo Polinianensi, apostolice sedis nuncio . . . . Quia per manus . . . . Sabini Henriencii de Bitricto capellani et familiaris tui,

nobis tuo nomine assignantis, recepimus mille florenos auri currentes de pecuniis, quas in ipsis partibus pro nobis et camera apostolica recepisti, ideo volentes tibi super hoc de oportuna providere cautela et assignacionem huiusmodi, nobis ut premittitur factam, ratam et gratam habentes, te et heredes ac successores tuos in perpetuum tenore presencium auctoritate apostolica de huiusmodi mille florenis absolvimus, quitamus et plenarie liberamus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre absolucionis, quitacionis et liberacionis infringere . . . . Datum Rome ap. S. Petrum kal. Octobris a. quarto.

R. Vat. 310 fol. 147a — In registro sub copia praesentis bullae hae notae inveniuntur (ad dexteram): X, P. DE ALATRO, A. DE GAETA, L. DE FORLIVIO.

---

65. *Ad petitionem Theoderici Sedlicensis, Henrici Plasensis, Gerlaci Pomucensis, Mathiae Gradicensis, Nicolai de Osek, Nicolai de Sar, Benedicti de Sacro Campo, Johannis de Vyzovicz, Erhardi de S. Corona, Johannis de Velehrad, Petri de Alto Vado, Mathiae de Skalicz et Johannis de Aula Regia abbatum et conventuum monasteriorum cisterciensis ord. Pragensis et Olomucensis diocesium declaratur, omnes processus et sententias per Johannem archiepiscopum Pragensem, asserentem se legatum natum in tota provincia Pragensi et nonnullis aliis civitatibus et diocesibus eidem provinciae vicinis, contra ipsos abbates et praesertim contra Johannem abbatem monasterii Aulae Regiae factas et latas nullius esse roboris, et praefatum archiepiscopum eiusque successores huiusmodi legationis praetextu in abbates et conventus dicti ordinis nullam iurisdictionem habere. „Hiis, per que materia“ „Rome ap. S. Petrum VI. nonas Octobris pont. n. a. quarto“.*

Romae, 1381 Octobris 2.

Ed. e copia vetere in Cod. diplom. Moraviae XI. p. 205 nr. 232; item ex alia copia apud Grillnberger, Kleinere Quellen und Forschungen zur Geschichte des Cistercienser Ordens II in Studien und Mittheilungen aus dem Benedictiner- und Cistercienser-Orden XIII, 1892, p. 85—88.

---

66. *Thomae episcopo Lucerino datur potestas compellendi omnes collectores decimarum regi Venceslao concessarum ad reddendum rationem de pecuniis per eos receptis.*

Romae, 1381 Octobris 16.

Urbanus . . . . Thome episcopo Lucerino, apostolice sedis nuncio . . . . Ad nostrum pervenit auditum, quod tam . . . . Pauo episcopus Polignianensis, in partibus Boemie apostolice sedis nuncius, quam eciam nonnulli alii collectores et succollectores olim deputati ad exigendum et colligendum decimas, per nos dudum concessas carissimo in Chr. filio nostro Wenceslao regi Romanorum illustri, multa exegerint et receperint racione huiusmodi decimarum, ultra quam summa eidem regi debita ascenderet, de quibus adhuc nullam racionem reddiderunt. Nos igitur volentes, quod episcopus et alii collectores et succollectores predicti de exactis et receptis per ipsos racione huiusmodi decimarum debitum computum et racionem reddant, fraternitati tue . . . . revidendi et examinandi raciones et computa huiusmodi decimarum et tam ipsum episcopum, quam omnes et singulos

alios collectores et succollectores huiusmodi decimarum . . . . ad reddendum tibi huiusmodi raciones et computa, necnon ad dandum et assignandum tibi nomine nostro et camere apostolice, quidquid ultra predictam summam prefato regi debitam receperunt, per censuram ecclesiasticam et alia iuris remedia, si expediens fuerit, compellendi, ipsosque de hiis, que tibi assignaverint dumtaxat, quitandi et liberandi et absolvendi .... concedimus .... facultatem. Datum Rome apud S. Petrum XVII. kal. Novembris anno quarto.

R. Vat. 310 fol. 135ª — In fine ad dext.: DE CURIA, B. FRANCISCI.

---

67. *Abbati monasterii Gradicensis Olomucensis dioc. mandatur, ut omnes occultos detentores bonorum ecclesiae Olomucensis ad restituendum illa moneat, et, si id non adimpleverint, generalem excommunicationis sententiam in eos proferat. „Significarunt nobis“ „Rome ap. S. Petrum VIII. kal. Decembris pont. n. a. quarto“.*

Romae, 1381 Novembris 24.

Ed. in Cod. diplom. Moraviae XI. p. 211 nr. 239.

---

68. *Pataviensis et Cracoviensis episcopi et abbas monasterii s. Vincentii prope muros Vratislavienses conservatores decani et capituli ecclesiae Olomucensis instituuntur. „Militanti ecclesie“ „Rome ap. S. Petrum V. kal. Decembris pont. n. a. quarto.“*

Romae, 1381 Novembris 27.

Ed. in Cod. diplom. Moraviae XI. p 211 nr. 240.

---

69. *Abbati monasterii in Sar mandatur, ut vocatis priore et fratribus ord. praedicatorum Olomucensibus, qui interdictum, civitati Olomucensi impositum propter spoliationem monasterii s. Jacobi in suburbio Olomucensi praemonstratensis ord. per quosdam milites et armigeros Olomucensis dioc., ab eisdem militibus et armigeris diversis donis corrupti violaverunt, in eorum ecclesia divina officia publice celebrantes, quod iustum fuerit decernat. „Exhibita nobis“ „Rome ap. S. Petrum II. nonas Decembris pont n. a. quarto.*

Romae, 1381 Decembris 4.

Ed. in Cod. diplom. Moraviae XI. p. 213 nr. 241.

---

70. *Ecclesia s. Petri in Brunna sub b. Petri protectionem suscipitur et omnia eius iura et privilegia confirmantur. „Cum a nobis petitur“ „Rome ap. S. Petrum quinto idus Decembris pont. n. a. quarto“.*

Romae, 1381 Decembris 9.

Ep. in Cod. diplom. Moraviae XI. p. 214 nr. 242.

71. *Archiepiscopo Pragensi mandatur, quatenus sedi apostolicae post diligentem informationem referat, utrum sit expediens, ut parrochialis ecclesia in Valč Olomucensis dioc. uniatur monasterio in Vilémov ord. s. Benedicti Pragensis dioc., cuius abbas et conventus dictae ecclesiae patroni existunt, et super eius iure patronatus in palatio apostolico diutius contra quosdam saeculares litigaverunt, et tandem victoriam reportaverunt. „Exhibita nobis" „Rome ap. S. Petrum II. idus Januarii pont. n. a. IIII."*

Romae, 1382 Januarii 12.

Ed. Piter, Thesaurus absconditus p. 205; et iterum Borový, Libri erectionum II. p. 237 nr. 393 (insertum litteris Johannis archiepiscopi Pragensis ddto. 1386 Aug. 23).

---

72. *Archiepiscopo Pragensi mandatur, quatenus sedi apostolicae referat, utrum sit expediens, ut parrochialis ecclesia s. Mariae in Vilémov infra saepta monasterii in Vilémov ord. s. Benedicti Pragensis dioc. sita, quae per monachos dicti monasterii ab eiusdem monasterii abbate et conventu loci ordinario praesentatos regi consueverat, et in qua ultimo successive tres saeculares clerici illegitime rectores instituti sunt, praefato monasterio in Vilémov uniatur. „Exhibita nobis" „Romae ap. S. Petrum II. idus Januarii pont. n. a. IV."*

Romae, 1382 Januarii 12.

Insertum litteris Johannis archiepiscopi Pragensis ddto. 1386 Aug. 24., quae ap. Borový, Libri erectionum II. p. 236 nr. 393 editae sunt.

---

73. *Officiali Olomucensi mandatur, quatenus Paulo rectori parrochialis ecclesiae in Zbraslavicz*[a]) *Olomucensis dioc. consideratione Venceslai Romanorum et Bohemiae regis de canonicatu sub exspectatione praebendae ecclesiae Pragensis provideat, non obstante, „quod dictus Paulus dictam parrochialem ecclesiam sine cura, cuius triginta, [et] de Chrumbnaw dicte dioc., cuius sex marcarum argenti fructus . . . . secundum communem taxacionem valorem annuum . . . . non excedunt, dignoscitur obtinere." „Dignum arbitramur" „Rome ap. S. Petrum VIII. kal. Marcii pont. n. a. quarto."*

Romae, 1382 Februarii 22.

Reg. litt. recept. in canon. Prag. fol. 92[b] — [a]) ‚Swraslaus' — Hae litterae bulla plumbea in cordula canapea bullatae 1382 Julii 3 capitulo praesentatae sunt, et 1382 Julii 7 procurator dicti Pauli in canonicum est receptus (ibid. fol. 92[a]).

---

74. *Paulus Stangil et Conradus Scuchulz quitantur de duobus milibus florenorum eorum nomine camerae apostolicae persolutis.*

Romae, 1382 Martii 12.

Urbanus . . . . Paulo Stangil et Conrado Scuchulcz mercatoribus Wratislauiensibus . . . . Cum . . . . Franciscus de Medicis mercator Romanus de pecuniis proventuum camere nostre apostolice, recollectis per . . . . Thomam episcopum

Tricaricensem, in nonnullis Alamanie et Polonie partibus apostolice sedis nuncium, vobisque per ipsum Thomam episcopum nomine dicte camere traditis et per vos ad eandem cameram secundum ordinacionem inter dictum episcopum et vos habitam per cambium transmittendis, duo milia florenorum de Boemia boni auri et iusti ponderis ex vestri parte officialibus dicte camere solverit et assignaverit cum effectu, nos . . . . vos de dictis duobus milibus florenorum plenarie absolvimus et quitamus. Nulli ergo . . . . Datum Rome ap. S. Petrum IV. idus Marcii pont. n. a. quarto.

R. Vat. 310 fol. 202a — In fine (dext.): DE CURIA, T. PETRA.

---

75. Swenceslaus Gregorii custos Cracoviensis, decretorum doctor, et Petrus Francisci canonicus et cantor Quinqueecclesiensis ecclesiarum, fructuum et proventuum camerae apostolicae debitorum in regno Poloniae ac civitatibus et diocesibus Vratislaviensibus et Lubucensibus collectores instituuntur, omnibus collectoribus et succollectoribus, qui hactenus ibidem constituti erant, revocatis. „Ex fideli et solicita" „Rome ap. S. Petrum idibus Marcii pont. n. a. quarto."

Romae, 1382 Martii 15.

R. Vat. 310 fol. 207b — In fine: DE CURIA, M. DE ACERNO — Ed. Theiner, Monumenta Poloniae I. pag. 751.

---

76. Venceslaus Romanorum et Bohemiae rex et omnes, quorum interest, absolvuntur ab observatione confoederationum, colligationum, ligarum et conventionum per ipsum regem aut per Carolum Romanorum imperatorem, ipsius regis genitorem, factarum cum regibus, principibus, ducibus, comitibus, magnatibus seu nobilibus aut aliis, qui tunc erant seu postea sunt effecti scismatici seu haeretici manifesti, et confoederationes huiusmodi cassantur. „Inter solicitudines varias" „Rome ap. S. Petrum III. kal. Aprilis pont. n. a. quarto."

Romae, 1382 Martii 30.

Editum apud Rymer, Foedera, conventiones, literae et cuiuscunque generis acta publica, tomi III pars I, Hagae Comitis 1740 (editio tertia studio Georgii Holmes), p. 137. Item apud Dumont, Corps universel diplomatique du droit des gens, tom. II partie I, Amsterodam 1726, p. 168 nr. 121; et ap. Lünig, Codex Germaniae diplomaticus, tom. I., 1732, p. 399.

---

77. Swenceslao Gregorii custodi Cracoviensis, decretorum doctori, et Petro Francisci canonico et cantori Quinquecclesiensis ecclesiarum, in regno Poloniae ac civitatibus et diocesibus Vratislaviensibus et Lubucensibus fructuum et proventuum camerae apostolicae debitorum collectoribus, mandatur, ut omnes antipapae Clementi VII. adhaerentes declarent eorum beneficiis esse privatos, eosque capiant et iuxta canones puniant, fructus autem beneficiorum hoc modo vacantium nomine camerae apostolicae recipiant. „Ad audienciam nostram" „Rome ap. S. Petrum XII. kal. Junii pont. n. a. quinto.

Romae, 1382 Maii 21.

R. Vat. 310 fol. 234b — Ed. Theiner, Monum. Poloniae I. pag. 752.

---

78. Swenceslao Gregorii custodi Cracoviensis, decretorum doctori, et Petro Francisci cantori Quinqueecclesiensis ecclesiarum, in regno Poloniae ac civitatibus et diocesibus Vratislaviensibus et Lubucensibus fructuum et proventuum camerae apostolicae debitorum collectoribus, mandatur, ut a fratribus ordinum mendicantium, qui, ad verbum dei contra scismaticos et haereticos praedicandum ad partes illas missi, nonnullas pecunias acceperunt et numquam de eis camerae apostolicae rationem reddiderunt, rationem ipsam exigant. „Dudum temporis malignitate" „Rome ap. S. Petrum XII. kal. Junii pont. n. a. quinto".

Romae, 1382 Maii 21.

R. Vat. 310. fol. 239b — In fine: DE CURIA, G. GREGORII — Ed. Theiner, Monum. Poloniae I. pag. 753.

---

79. Swenceslao Gregorii et Petro Francisci camerae apostolicae collectoribus in regno Poloniae ac in Vratislaviensi et Lubucensi diocesibus mandatur, ut bona et redditus praelatorum mortuorum nomine camerae apostolicae recipiant et exigant.

Romae, 1382 Maii 21.

Urbanus .... Swenceslao Gregorii custodi Cracouiensis, decretorum doctori, et Petro Francisci cantori Quinqueecclesiensis ecclesiarum, in regno Polonie ac civitatibus et diocesibus Wratislauiensibus et Lubucensibus fructuum et proventuum camere apostolice debitorum collectoribus .... Cum nos dudum .... disposicionem et ordinacionem omnium bonorum mobilium ac creditorum et debitorum quorumcunque archiepiscoporum, episcoporum et abbatum, habencium bona seu redditus et proventus a conventibus suis distincta, parcium, in quibus fructuum et proventuum apostolice camere debitorum collectores deputati existitis, que ipsi archiepiscopi, episcopi et abbates haberent vel pertinerent quomodolibet ad eosdem tempore mortis eorum, cum infrascripta moderacione, necnon fructus, redditus et proventus, obvenciones et iura, ad mensas archiepiscopales, episcopales et abbaciales spectancia, et eciam quorumcunque prioratuum, dignitatum, personatuum, officiorum, canonicatuum et prebendarum, ecclesiarum et aliorum beneficiorum ecclesiasticorum, secularium et regularium, cum cura et sine cura, quorumcunque parcium predictarum, disposicioni apostolice reservatorum, que eisdem archiepiscopis, episcopis, abbatibus et aliis obtinentibus prioratus, dignitates, personatus, officia, canonicatus et prebendas, ecclesias et alia beneficia ecclesiastica huiusmodi de medio sublatis, ex .... beneficiis huiusmodi, per obitus eorum vacantibus, quamdiu vacavissent et vacarent, obvenissent et obvenirent inantea, eciam si forsan per aliquos forent percepta seu illa percipi contingeret, ... usque ad nostrum beneplacitum cum interposicione decreti duxerimus reservanda: discrecioni vestre .... committimus et mandamus, quatenus per vos vel alium seu alios, fide et facultatibus ydoneos, predicta omnia et singula bona momobilia, credita et debita, sic reservata .... necnon fructus, redditus et proventus, obvenciones et iura, que ex .... beneficiis ecclesiasticis reservatis quibuscunque parcium predictarum, quamdiu huiusmodi duraverit vacacio et durabit, ... obvenerunt et obvenient, ... auctoritate nostra et predicte camere nomine petere, exigere et recipere cum integritate illaque seu pecunias ex eis debitas fideliter conservare

et, quamprimum commode et sine periculo poteritis, ad cameram ipsam mittere seu illi, quem ad hoc deputabimus, dare et assignare effectualiter non postponatis, contradictores quoslibet et rebelles . . . . auctoritate nostra per censuram ecclesiastiacam et penas alias, de quibus vobis secundum eorum rebellionem videbitur, appellacione postposita compescendo, eos eciam, si et prout expediens fuerit, citando, ut certo peremptorio competenti termino per vos vel alterum vestrum illis prefigendo se personaliter apostolico conspectui representent recepturi quod ordo dictaverit racionis; invocato ad hoc si opus fuerit auxilio brachii secularis; non obstantibus tam felicis recordacionis Bonifacii pape VIII. predecessoris nostri, in quibus cavetur, ne aliquis extra suam civitatem et diocesim nisi in certis exceptis casibus et in illis ultra unam dietam a fine sue diocesis ad iudicium evocetur, seu ne iudices a sede apostolica deputati aliquos ultra unam dietam a fine diocesis eorumdem trahere presumant, et de duabus dietis in concilio generali et eciam de personis ultra certum numerum ad iudicium non vocandis, quam aliis constitucionibus apostolicis contrariis quibuscumque .... Nos enim vobis quitandi liberandi et absolvendi .... omnes et singulos, a quibus bona, debita, credita, necnon fructus, redditus et proventus, obvenciones et iura huiusmodi receperitis, de hiis dumtaxat, que vos recipere continget, plenam et liberam concedimus facultatem. Volumus autem et vobis in virtute sancte obediencie precipiendo mandamus, quatenus de omnibus et singulis bonis, creditis, fructibus, redditibus, proventibus, obvencionibus et iuribus supradictis et eorum vero valore ac de modo et forma citacionum, si quas per vos fieri contingat, per instrumentum seu instrumenta publica eciam vestris sigillis sigillata cameram predictam certificare curetis. Moderacionem autem predictam decernimus esse talem: Volumus siquidem et mandamus, quod de bonis et creditis huiusmodi reservatis debita ipsorum archiepiscoporum, episcoporum et abbatum decedencium, pro eorum necessitatibus ac ecclesiarum et monasteriorum predictorum utilitatibus contracta, ac expense decentes et honeste funeris, necnon et emende, si alicui debeantur, ac pro remuneracione illorum, qui eis viventibus servierunt, iuxta servicii meritum, necnon libri, res et bona, que decedentes iidem ex patrimoniis vel personalibus laboribus et industria seu alias quam ex ecclesiis, monasteriis et locis eorum acquisierint, dum agerent in humanis, si tamen habeant heredes legitimos, per vos legitime deducantur, quodque reservacio nostra huiusmodi ad libros, calices et cruces, vestimenta et alia ornamenta pontificalia aut iocalia ecclesiastica, [in] ecclesiis, monasteriis et locis huiusmodi, antequam ipsi decedentes eorum preessent regimini, aut per ipsos, dum viverent et preessent eisdem, sine fraude tamen prefatorum ecclesiarum, monasteriorum et locorum divino cultui deputata, et ad boves aliaque animalia, ad agriculturam et servicia domorum, ecclesiarum, monasteriorum et locorum, ad utensilia, [que] eorundem forent usibus deputata, nullatenus extendatur. Sic igitur omnia premissa exequamini, quod neque de negligencia neque de exaccione indebita valeatis reprehendi. Datum Rome ap. S. Petrum XII. kalendas Junii pot. n. a. quinto.

R. Vat. 31^{0} fol. 240^{b} — In fine: DE CURIA, P. FABRI.

80. *Swenceslao Gregorii custodi Cracoviensis, decretorum doctori, et Petro Francisci canonico et cantori Quinqueecclesiensis ecclesiarum, in regno Poloniae ac civitatibus et diocesibus Vratislaviensibus et Lubucensibus fructuum et proventuum camerae apostolicae debitorum collectoribus, mandatur, ut ab omnibus personis ecclesiasticis, exceptis tamen cardinalibus atque magistris et fratribus hospitalium s. Johannis Jerosolimitani et s. Mariae Theutonicorum, exigant vicesimam partem omnium ecclesiasticorum reddituum unius anni a sede apostolica eis impositam, solvendam in festo omnium sanctorum proxime secuturo. „Dudum ex certis causis" „Rome ap. S. Petrum VIII. idus Junii pont. n. a. quinto".*

Romae, 1382 Junii 6.

R. Vat. 310. fol. 245a — In fine: DE CURIA, S. DE AQUILA. — Ed. Theiner, Monum. Poloniae I. pag. 754.

---

81. *Venceslaus rex Romanorum rogatur, ut translatione Venceslai episcopi Lubicensis ad ecclesiam Vratislaviensem nuper ad instantiam Caroli Romanorum imperatoris et ipsius regis Venceslai facta contentus sit, nihilominus autem promittitur ei, si ex huiusmodi translatione scandalum et turbatio regni eius Bohemiae timeantur exoriri, papam talem modum tenere velle, ut cum honore dicti Venceslai episcopi votis regis satisfiat, dum tamen per ipsum regem persona idonea ad regimen Vratislaviensis ecclesiae nominetur; admonetur denique rex, ut veniat ad suscipienda de manibus papae imperatoriae dignitatis insignia et ad ducis Andegavensis temerarios conatus reprimendos. „Cum viduatis ecclesiis" „Rome ap. S. Petrum VIII. idus Julii pont. n. a. quinto."*

Romae, 1382 Julii 8.

Ed. Pelzel, Lebensgeschichte des Röm. und Böhm. Königs Wenceslaus, Th. I. Urkundenbuch 32.

---

82. *Venceslaus rex Romanorum certior fit, Ludovicum natum Johannis regis Francorum, olim ducem Andegavensem, cum exercitu in Italia morari et urbi Romae ac regno Siciliae esse propinquum, atque excitatur, ut una cum electoribus sacri imperii in Italiam veniat Romanam ecclesiam adiuturus. „Timemus valde" „Rome ap. S. Petrum VII. idus Septembris pont. n. a. quinto."*

Romae, 1382 Septembris 7.

Ed. Pelzel, Wenzel IV. Th. I. Urkundenbuch nr. 33 p. 53.

---

83. *Johanni archiepiscopo Pragensi mandatur, quatenus Conradum de Veselá Clementi VII. antipapae adhaerentem capi faciat et carceribus mancipatum detineat.*

Romae, 1382 Septembris 26.

Urbanus .... Johanni archiepiscopo Pragensi .... Licet dudum iniquitatis filium Conradum de Wessel olim decanum ecclesie Wissegradensis Pragensis ex eo, quia ipse perpetue maledictionis alumno Roberto olim basilice duo-

decim Apostolorum presbytero cardinali, nunc antipape, qui se Clementem papam VII. ausu sacrilego nominare presumit, ... notorie adherere et favere presumpserat, prout presumit, decanatu, quem dictus Conradus in ecclesia predicta, ac omnibus aliis beneficiis, que tunc temporis in quibusvis ecclesiis obtinebat, declaravimus fuisse privatum, tamen, sicut dolenter accepimus, prefatus Conradus mala malis accumulans et in profundum malorum descendens, in tuis civitate et diocesi ac provincia et locis circumvicinis habitare non formidat, nunc occulte, quandoque vero palam prelatos et principes illarum parcium seducendo. Nos igitur nolentes, prout nec velle debemus, predicta conniventibus oculis pertransire, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus predictum Conradum capi facias ipsumque carceribus detineas mancipatum vel sub fida et diligenti custodia ad nos studeas destinari, contradictores per censuram ecclesiasticam appellacione postposita compescendo, invocato ad hoc si opus fuerit auxilio brachii secularis. Non obstantibus . . . . Datum Rome ap. S. Petrum VI. kal. Octobris pot. n. a. quinto.

R. Vat. 310 fol. 277[a]

---

84. *Magister Gallus alias Haško*[a]) *decanus ecclesiae s. Appollinaris Pragensis in capellanum sedis apostolicae recipitur. „Virtutibus clarens“ „Rome ap. S. Petrum XV. kal. Decembris a. quinto.“*

Romae, 1382 Novembris 17.

Arm. XXXI. tom 36. fol. 8[a] — [a]) ‚Hasconi‘.

---

85. *Venceslaus rex Romanorum monetur, ut adventum suum in Italiam acceleret, cum Ludovicus olim dux Andegavensis cum copioso exercitu in praecordiis Italiae habitet, satagens eam suae subicere ditioni et Romanorum imperium usurpare. „Hactenus attendentes“ „Rome ap. S. Petrum XII. kal. Decembris pont. n. a. quinto.“*

Romae, 1382 Novembris 20.

Ed. Pelzel, Wenzel IV. Th. I. Urkundenbuch nr. 34 p 54.

---

86. *Nicolaus Calvus [de Bavorov] fructuum et proventuum camerae apostolicae debitorum in civitate et diocesi ac provincia Pragensibus collector instituitur.*

Romae, 1382 Decembris 5.

Urbanus . . . . Nicolao Caluo vicedecano ecclesie Pragensis in civitate et diocesi ac provincia Pragensibus fructuum ac proventuum camere apostolice debitorum collectori .... Ex fideli, solicita ac diligenti prudencia, providencia quoque et probitate circumspecta et aliis virtutibus, quibus, prout fidedignorum relacione nobis innotuit, fulgere dinosceris, presumimus evidenter, quod ea, que tibi exequenda commiserimus, solerti et diligenti studio fideliter exequeris. Hinc est, quod nos omnes et singulos collectores et succollectores fructuum et pro-

ventuum ac aliorum iurium in civitate, diocesi ac provincia Pragensibus camere apostolice debitorum hactenus per nos et sedem apostolicam vel eius auctoritate deputatos penitus revocando, te, de cuius discrecione plurimum confidimus, in eisdem civitate et diocesi ac provincia Pragensibus fructuum, censuum et prelatorum decedencium spoliorum ac quorumcunque aliorum iurium dicte camere apostolice debitorum collectorem usque ad nostrum beneplacitum facimus, constituimus et eciam deputamus, tibi per te vel alium seu alios fide et facultatibus ydoneos nostro et dicte camere et ecclesie Romane nomine omnes et singulos fructus, redditus et proventus et alia iura primi anni beneficiorum ecclesiasticorum in dictis civitate et diocesi ac provincia vacancium, per nos seu auctoritate nostra collatorum et conferendorum inantea, census quoque annuos et alia res et bona, nobis et ecclesie Romane ac camere apostolice in predictis civitate et diocesi ac provincia quocunque nomine vel causa debita et debenda in posterum vel ad nos seu ad ecclesiam et cameram easdem nunc et in posterum pertinencia, quecunque, quotcunque et qualiacunque fuerint, eciam arreragia, credita et spolia decedencium prelatorum petendi, exigendi et recipiendi, raciones quoque et computa a quibuscunque collectoribus et succollectoribus apostolicis in dictis civitate et diocesi ac provincia hactenus deputatis seu personis aliis, in quantum negocia et utilitatem dicte camere concernunt, audiendi et examinandi, ipsos quoque, si necesse fuerit, ad id compellendi, ac solventes de hiis, que receperis dumtaxat, quitandi, liberandi et absolvendi, necnon illos, qui ob defectum solucionis eorum, in quibus prefate camere tenebantur, excommunicacionis, suspensionis vel interdicti sentencias incurrerint, postquam debitis per eos tibi fuerit integraliter satisfactum, ab eisdem sentenciis in forma ecclesie absolvendi, et cum eis super irregularitate, si quam sic ligati celebrando divina vel immiscendo se illis non tamen in contemptum clavium contraxerint, dispensandi, necnon contradictores quoslibet et rebelles, cuiuscunque status, gradus, ordinis, condicionis vel preeminencie fuerint, eciam si pontificali vel alia quavis prefulgeant dignitate, auctoritate nostra per censuram ecclesiasticam appellacione postposita compescendi, necnon excommunicacionis et alias sentencias in non solventes tibi iura et debita ipsius camere per te vel alium seu alios auctoritate nostra ferendi et aggravandi, et alias contra eos necnon quoscunque alios impedientes te vel negocia dicte camere directe vel indirecte, publice vel occulte auctoritate nostra procedendi,[a]) prout fuerit racionis, et, si necesse fuerit, ipsos ad sedem apostolicam citandi et eciam contra eos auxilium brachii secularis invocandi — non obstantibus constitucionibus de una vel duabus dietis in concilio generali editis contrariis quibuscunque, eciam si de illis et totis earum tenoribus de verbo ad verbum esset in presentibus mencio specialis habenda, seu si aliquibus communiter vel divisim a predicta sit sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari aut extra vel ultra certa loca ad iudicium evocari non possint, per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mencionem — auctoritate apostolica facultatem et potestatem plenariam concedentes. Volumus autem, quod in fructibus, redditibus et proventibus et aliis bonis quibuscunque ad dictam cameram pertinentibus, ipsi camere solvendis, ultra spacium unius anni dilacionem dare nequeas, et quod in singulis civitatibus et diocesibus infra dictam provinciam consistentibus, si

sint ample et diffuse, ultra unum, et, si parve fuerint, in duabus earum unum dumtaxat succollectorem non deputes, et quod omnium et singulorum succollectorum, quos te deputare contigerit, nomina et cognomina statim, cum illos deputaveris, nobis seu nostro camerario clare et distincte transmittere et singulis biennüis de receptis et gestis per te eidem camerario nostro seu gentibus dicte camere racionem et computa reddere non postponas. Sic igitur in premissis diligenter, solicite et fideliter te habeas, quod apud nos merito commendari valeas nostramque et dicte sedis benediccionem et graciam exinde uberius consequi merearis. Datum Rome ap. S. Petrum nonis Decembris pont. n. a. quinto.

R. Vat. 310 fol. 294b —a) ‚petendi' cod.

---

87. Johanni Pomerani providetur de canonicatibus et prebendis Cracoviensis et Vratislaviensis ecclesiarum vacantibus.

[1378—1382] [1])

[Urbanus . . . .] Johanni Pomerani[a]) canonico Wratislauiensi, magistro in artibus . . . . Litterarum sciencia, vite . . . . Dudum siquidem fel. rec. Urbanus pp. V. predecessor noster . . . . magistro Petro Vegom canonico ecclesie Leodiensis ac archidiacono de Condrosio in eadem ecclesia, capellano sedis apostolice, de canonicatu et prebenda eiusdem ecclesie ac archidiaconatu de Condrosio in ipsa ecclesia, tunc vacantibus, per suas litteras providit ac voluit inter cetera, quod idem Petrus, quamprimum canonicatum et prebendam Leodiensis, Craconiensis, cum vero archidiaconatum predictos vigore litterarum ipsarum foret pacifice assecutus, Wratislauiensis ecclesiarum canonicatus et prebendas, quos tunc temporis obtinebat . . . ., omnino dimittere teneretur, prout in dictis litteris plenius continetur. Et deinde dicto predecessore . . . . rebus humanis exempto, ac possessione dictorum canonicatus et prebende ecclesie Leodiensis ac archidiaconatus per eundem Petrum non habita, pie memorie Gregorius predecessor noster omnes canonicatus et prebendas ceteraque beneficia ecclesiastica quorumcunque, per assecucionem pacificam canonicatuum et prebendarum ac dignitatum, personatuum seu officiorum ac beneficiorum aliorum ecclesiasticorum quorumlibet, per ipsum Urbanum predecessorem seu auctoritate litterarum suarum tunc collatorum et inantea conferendorum eisdem, tunc vacancia et imposterum vacatura, collacioni et disposicioni sue reservavit . . . ., et subsequenter dictis canonicatibus et prebendis Wratislauiensis et Craconiensis ecclesiarum ex eo vacantibus, quod dictus Petrus canonicatum et prebendam ecclesie Leodiensis et archidiaconatum auctoritate litterarum ipsarum dicto Gregorio predecessore in humanis agente extitit pacifice assecutus, ipsoque Gregorio predecessore, per eum de dictis canonicatibus et prebendis Vratislauiensis et Craconiensis ecclesiarum non disposito, ... de hac luce subtracto: nos . . . . per nostras litteras declaravimus canonicatus et prebendas ceteraque beneficia supradicta, que sic reservata tempore obitus eiusdem Gregorii predecessoris vacabant, ut prefertur, remansisse et remanere per huiusmodi reservacionem et decretum affecta . . . . Cum itaque dicti canonicatus et prebende Vratislauiensis et Craconiensis ecclesiarum adhuc, ut prefertur, vacare

noscantur, ... nos volentes tibi, qui, ut asseris, huiusmodi magisterium Parisius suscepisti et eciam baccallarius in medicina et a multis annis citra scolaris in iure canonico et carissimi in Chr. filii nostri Ludouici regis et carissime in Chr. filie Elisabeth regine senioris Ungarie illustrium clericus domesticus existis, ... graciam facere specialem, predictos canonicatus et prebendas Vratislauiensis et Cracouiensis ecclesiarum, quorum fructus . . . . C et XX florenorum auri secundum taxacionem decime valorem annum, ut asseris, non excedunt, ... apostolica tibi auctoritate conferimus et de illis eciam providemus . . . .

Bibl. Vaticana. — Cod. Vat. 6330 fol. CCLXX[a] — [a]) ‚Pomerañ' [b]) ‚Vegoñ' — [1]) A. 1382 Ludovicus rex Ungariae, cuius in hac bulla fit mentio, mortuus est.

---

88. Abbati Strahoviensi mandatur, ut causam inter monasteria in Aula Regia et in Plas decidat.

Romae, 1383 Januarii 5.

Urbanus . . . . abbati monasterii Strahouiensis Pragensis . . . . Conquesti sunt nobis . . abbas et conventus monasterii in Aula Regia cisterciensis ord. Pragensis diocesis, quod abbas et conventus monasterii in Plass ordinis et diocesis predictorum super quibusdam annuis redditibus, pecuniarum summis et rebus aliis iniuriantur eisdem. Quocirca discrecioni tue per apostolica scripta mandamus, quatinus partibus convocatis audias causam et appellatione remota debito fine decidas, faciens quod decreveris per censuram ecclesiasticam firmiter observari. Testes autem, qui fuerint nominati, si se gratia, odio vel timore subtraxerint, censura simili appellatione cessante compellas veritati testimonium perhibere, non obstante, si eidem ordini a sede apostolica sit indultum, quod persone ipsius ad iudicium trahi aut suspendi vel excommunicari seu ipse aut dicti ordinis loca interdici non possint, per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, et qualibet alia dicte sedis indulgentia generali vel speciali, cuiuscunque tenoris existat, per quam presentibus non expressam vel totaliter non insertam tue iurisdictionis explicatio in hac parte valeat quomodolibet impediri, que quoad hec ipsis nolumus aliquatenus suffragari. Datum Rome apud S. Petrum nonis Januarii pont. n. a. quinto.

Orig. membr. in caesarea bibliotheca Pragensi; bulla in filo canapis appendet. In plica ad dext.: JA. DE CINDAL; sub plica ad sin.: JO. II DE SANCTOIUSTO. A tergo supra: (ad sin.) P. C.; (in medio) JO. SWANCKO; infra apud filum bullae: UNUS FLORENUS ECIAM PRO F. — A tergo etiam haec nota adscripta est, (quae ideo decolor facta est, ut vix legi possit): „Die XXII mensis Januarii data fuit commissio per dom. Anthonium (?) professum monasterii in Aula Regia procuratorem, et dom. abbas Strahouiensis ipsum recepit cum reverencia et decrevit citacionem contra abbatem monasterii in Plass presentibus dom. Petro priore mon. Strahouiensis et dom. [verbum illegibile] de Radotim et Sbraslao (?) cubiculario predicti dom. abbatis."

---

89. *Episcopo Caminensi mandatur, quatenus in Caminensibus, Vratislaviensibus, Cracoviensibus, Poznaniensibus, Lubucensibus et Vladislaviensibus civitatibus et diocesibus publicet et in vulgari exponi faciat concessionem apostolicam, per quam omnibus vere poenitentibus et confessis, qui antipapam Clementem VII., Ludovicum ducem Andegavensem, Amedeum comitem Sabaudiae, Petrum comitem Gebennensem et Fulchetum de Saltu senescalcum Provinciae eorumque complices, quamdiu ipsi extra Romanae ecclesiae gratiam perstiterint, in personis et sumptibus propriis, necnon his, qui eos in personis propriis, alienis tamen expensis, per unum annum expugnabunt, et eis insuper, qui suis expensis ministrabunt sufficientia stipendia, ut destinari possint idonei bellatores per dictum tempus bellaturi, illa indulgentia conceditur, quae per sedem apostolicam proficiscentibus in Terrae sanctae subsidium concedi consuevit; cuius quidem indulgentiae illi etiam, qui non per annum integrum, sed per ipsius anni partem laborabunt, iuxta laboris quantitatem, illi autem, qui in prosecutione dicti negotii decesserint, integre participes esse debent. „Dudum cum filii Belial" „Rome [ap. S. Petrum] idibus Februarii pont. a. quinto."*

Eodem modo scribitur episcopo Olomucensi, ut dictam concessionem in Olomucensibus, Eistettensibus[a]*, Hildesemensibus, Halberstadensibus, Padeburnensibus, Moraviensibus et Augustensibus civitatibus et diocesibus publicet.*

Item eodem modo scribitur archiepiscopo Gneznensi, ut dictam concessionem in Gneznensibus, Vratislaviensibus, Mazoviensibus[b]*), Caminensibus*[c]*), Cuiaviensibus*[d]*) et Lubicensibus civitatibus et diocesibus publicet.*

Romae, 1383 Februarii 13.

R. Vat. 310 fol. 308[b], 310[a]. — Istarum bullarum prima sola in reg. tota est rescripta; e reliquis duabus nonnisi nomina episcopi, cui directae sunt, et diocesium sunt adnotata. — a) ‚Exteren.' b) ‚Mazauien'. c) ‚Carbinen.' d) ‚Cusauien'. — In marg. sin. primae bullae legitur: „Assignata in curia archiepiscopo Magdeburgensi, ut eam faciat presentari"; in marg. alterius bullae: „Assignata ut supra dicto archiepiscopo Magdeburgensi"; in marg. tertiae bullae: „Asignata". In fine autem hae notae sunt: 1. DE CURIA, P. DE ALATRO, S. DE AQUILA, 2. DE CURIA, P. DE ALATRO, P. FABRI. 3. DE CURIA, P. DE ALATRO, L. DE SUESSA.

90. *Nicolaus Hornyg*[1]*) ordinis fratrum minorum professor, confessor Annae reginae Angliae, ad supplicationem eiusdem reginae in capellanum sedis apostolicae recipitur „Virtutibus clarens" „Rome ap. S. Petrum VIII. kal. Marcii pont. n. a. quinto."*

Romae, 1383 Februarii 22.

Arm. XXXI tom. 36 fol. 18[b]. — [1]) Hunc confessorem filiae Caroli IV. Bohemum fuisse nomen eius testari videtur.

91. *Monasterium s. Mariae in Aquis alias dictum Domusdei per praepositum et priorissam solitum gubernari praemonstratensis ord. Vratislaviensis dioc. sub b.*

Petri protectione suscipitur, et omnes eius libertates et privilegia confirmantur. „*Cum a nobis petitur*“ „*Rome ap. S. Petrum III. idus Marcii pont. n. a. quinto*“.

Romae, 1383 Martii 13.

Editum in Cod. diplom. Silesiae I. (Urkunden des Klosters Czarnowanz herausg. von Wattenbach, Breslau 1857) p. 43 nr. 46.

---

92. *Venceslaus Romanorum et Bohemiae rex monetur, ut declarationem sedis apostolicae*[1]*, per quam ipse ab observatione quarumcunque confoederationum aut conventionum per eum aut patrem eius Carolum Romanorum imperatorem cum scismaticis et haereticis factarum absolutus et dictae conventiones cassatae sunt, observet et ab aliis observari faciat.* „*Nuper cum ad nostrum*“ „*Rome ap. S. Petrum XV. kal. Maii pont. n. a. quinto.*“

Romae, 1383 Aprilis 17.

Ed. Rymer, Foedera etc., tomi III pars I. (editio tertia) p. 152; item Lünig Deutsches Reichsarchiv tom. XV p. 620. — [1]) Cf. nr. 77 huius libri.

---

93. *Abbati monasterii s. Caroli Pragensis committitur administratio monasterii Milocensis ad tempus litis, quae super abbatia eiusdem monasterii inter Petrum Komar et Franciscum de ‚Podnawicz‘ in palatio apostolico vertitur.*

Romae, 1383 Maii 1.

Urbanus . . . . dilecto filio abbati monasterii s. Caroli Pragensis . . . . Justis et honestis supplicium votis libenter annuimus illaque prosequimur favoribus oportunis. Dudum siquidem monasterio Molocensi premonstratensis ord. Pragensis diocesis, tunc vacanti, de persona dilecti filii Petri Komar canonici eiusdem monasterii, ad quod[a]) idem Petrus a dilectis filiis priore et conventu ipsius monasterii per viam compromissi canonice, ut asseritur, electus fuerat, duximus auctoritate apostolica providendum, preficiendo eum dicto monasterio in abbatem. Cum itaque, sicut exhibita nobis postmodum pro parte ipsius Petri peticio continebat, dilectus filius Franciscus de Podnawicz canonicus dicti monasterii falso pretendens, se eciam a priore et conventu prefatis ad dictum monasterium concorditer in abbatem electum fuisse, laicali suffultus potencia de facto in eodem monasterio se intruserit illudque extunc detinuerit, prout ad presens detinet indebite occupatum, ortaque propterea inter ipsos Petrum et Franciscum materia questionis et causa huiusmodi ad sedem apostolicam legitime introducta, nos ad instanciam dicti Francisci dilectis filiis nostris Ade tituli s. Cecilie et Bartholomeo tituli s. Laurencii in Damaso ac Guilelmio tituli s. Stephani in Celio monte presbyteris cardinalibus commisimus, ut causam ipsam audirent et in ea usque ad sentenciam exclusive inter partes ipsas auctoritate nostra procederent et ea, que de meritis cause[b]) huiusmodi reperirent, nobis referre curarent; et deinde, postquam idem cardinales in causa ipsa ad nonnullos actus processerant, nos dilectos filios nostros Ludouicum tituli s. Marci presbyterum et Landulfum

s. Nicolai in carcere Tuliano diaconum cardinales prefatis Ade, Bartholomeo et Guilelmio cardinalibus ex certis causis duximus adiungendos, qui quidem cardinales in causa huiusmodi inter partes easdem ad nonnullos [actus][c]) citra tamen conclusionem processisse dicuntur; et subsequenter nos ex certis aliis causis, ad id nostrum moventibus animum, prefato Ade cardinali citra tamen revocacionem aliarum commissionum predictarum, per nos factarum, commisimus, ut de expensis per dictum Petrum in causa huiusmodi legitime factis ac de alimentis pro vita ipsius Petri necessariis eidem Petro auctoritate nostra provideret, ipsaque expensas et alimenta dicto Petro tradenda decerneret et provida moderacione taxaret[d]), idemque Adam cardinalis in negocio ipso procedens legitime, alimenta et expensas huiusmodi vigore commissionis prefate dicto Petro decrevit, ipsaque ad trecentos florenos auri de camera annuatim huiusmodi lite pendente prefato Petro de fructibus et redditibus ac proventibus ad mensam abbacialem eiusdem monasterii spectantibus persolvendos provida moderacione taxavit, prout in litteris patentibus ipsius Ade cardinalis sigillo munitis et manu publica confectis plenius continetur. Quare pro parte ipsius Petri nobis fuit humiliter supplicatum, ut providere sibi super premissis de oportuno remedio de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur statum cause huiusmodi habentes presentibus pro expresso, et ne fructus, redditus et proventus huiusmodi indebite occupentur dictumque monasterium paciatur in spiritualibus vel temporalibus detrimentum, salubriter providere volentes, de tuaque discrecione et fidelitate ac circumspeccionis industria in hiis et aliis specialem in domino fiduciam obtinentes, tibi administracionem in spiritualibus et temporalibus prefati monasterii huiusmodi lite durante et alias usque ad nostrum beneplacitum presencium tenore committimus, et nichilominus tibi eadem auctoritate omnia et singula fructus, redditus et proventus, iurisdicciones et iura dicti monasterii huiusmodi lite durante petendi, exigendi et recipiendi, ac solventes de receptis quitandi et plenarie absolvendi, excessus quoque, crimina et delicta, que tam per subditos seu vassallos, quam eciam per monachos dicti monasterii pro tempore committi contigerit, corrigendi et puniendi et super ipsis inquirendi, invocandique ad hoc, si opus fuerit, auxilium brachii secularis, omniaque alia et singula faciendi, que pro commodo et utilitate ac statu dicti monasterii expedire videris, ac contradictores quoslibet et rebelles per censuram ecclesiasticam appellacione postposita compescendi plenam et liberam tenore presencium concedimus facultatem, alienacione tamen bonorum immobilium et preciosorum mobilium dicti monasterii tibi penitus interdicta, proviso, quod [in][c]) dicto monasterio deserviatur laudabiliter in divinis, et quod omnia et singula in eo debita et consueta onera supportentur, et quod solitus monachorum et ministrorum numerus in eodem nullatenus minuatur. Volumus autem, quod de huismodi fructibus, redditibus et proventibus pro alimentis et expensis predictis iuxta decretum et taxacionem prefati Ade cardinalis trecentos florenos auri de camera annuatim huiusmodi lite pendente prefato Petro realiter solvere et cum effectu assignare procures, quodque de omnibus aliis et singulis, que ex huiusmodi fructibus, redditibus et proventibus superesse contigerit et que, ut prefertur, recipere te continget, illi, qui finalem in causa huiusmodi victoriam obtinebit, debitis et consuetis ipsius monasterii, ut prefertur, supportatis oneribus, racionem et fidele computum reddere tenearis, non obstantibus constitucionibus

apostolicis ac statutis et consuetudinibus monasterii et ordinis predictorum contrariis quibuscunque, seu si prefato Francisco vel quibusvis aliis communiter vel divisim a sede apostolica sit indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint, per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mencionem. Sic igitur in premissis te geras solicite, fideliter et prudenter, quod apud nos et sedem prefatam de diligencie ac fidelitatis et obediencie promptitudine valeas uberius merito commendari. Datum Rome ap. S. Petrum kal. Maii pont. n. a. sexto.

Armar. XXXIII tom. 12 fol. 9b — a) ‚quod' cod. b) ‚causam' cod. c) suppletum ab editore d) ‚traxeret' cod. — In fine (ad. dext.): P. DE ALATRO, DE CURIA. — In hac lite supradictum Franciscum victoriam reportavisse Libri confirmationum testantur, ubi ad 1383 Octobr. 1 legitur: „Data est confirmacio . . . pro fr. Ipolito professo monasterii Milocensis ad presentacionem d. Francisci abbatis mon. Milocensis pro ecclesia parrochiali in Ruffa, vacante per mortem fr. Petri dicti Komar."

---

94. *Venceslaus Romanorum et Bohemiae rex rogatur, ut iuxta promissionem suam in litteris nuper ad papam directis contentam veniat Romam pro suscipiendo de manibus papae imperiali diademate, et ut Raymundo magistro ordinis fratrum praedicatorum, qui ex parte sedis apostolicae super praemissis cum eo loquetur, fidem adhibeat.* „*Ex tuarum serie litterarum*" „*Rome ap. S. Petrum V. nonas Maii pont. n. a. sexto.*"

Romae, 1383 Maii 3.

Ed. Pelzel, Wenzel IV., Th. I. Urkundenbuch nr. 35. p. 55.

---

95. *Michael de Broda Theutonicali frater hospitalis s. Mariae Theutonicorum Jerosolimitani in capellanum sedis apostolicae recipitur.* „*Virtutibus clarens*" „*Rome ap. S. Petrum III. nonas Maii pont. n. a. sexto.*"

Romae, 1383 Maii 5.

Arm. XXXI tom. 36 fol. 8b.

---

96. *Venceslaus Romanorum et Bohemiae rex rogatur, ut adventum suum in Italiam festinet; ut ambasiatores gallicos et eorum similes a regno suo et colloquiis suis totaliter excludat; ut Nicolao electo Spirensi et Raymundo ordinis fratrum praedicatorum magistro, ex parte sedis apostolice ad eum destinatis, fidem adhibeat.* „*Non decet, fili carissime*" „*Rome ap. S. Petrum XV. kal. Julii pont. n. a. sexto.*"

Romae, 1383 Junii 17.

Ed. Pelzel, Wenzel IV. Th. I. Urkundenbuch nr. 37. p. 57.

---

97. Conrado abbati Morimundensi datur facultas colligendi in Bohemiae et aliis partibus caritativum subsidium per ordinem cisterciensem camerae apostolicae concessum.

Romae, 1383 Junii 17.

[Urbanus . . .] . . . . Conrado abbati monasterii Morimundi cisterciensis ord. Lingonensis diocesis . . . . Cum in generali capitulo cisterciensis ordinis nuper in Urbe celebrato [per capitulum ipsum fuerit deliberatum et eciam ordinatum, quod idem ordo pro subveniendo necessitatibus Romane ecclesie et presertim hoc procelloso tempore contra hereticos et scismaticos, qui eandem ecclesiam multipliciter affligere et tribulare nituntur, nobis et camere apostolice per dictum ordinem de certo caritativo subsidio, prout dudum fel. rec. Gregorio pp. XI. predecessori nostro subvenerat, liberaliter debeat subveniri, nos . . . . discrecioni tue petendi, levandi et eciam exigendi et colligendi huiusmodi subsidium eciam auctoritate nostra a quibuscunque monasteriis ac locis et personis dicti ordinis utriusque sexus,] in partibus Franconie, Sueuie, Austrie, Bauarie, Turingie, Bohemie, Dacie, Charuicie, Misne et Goricie [consistentibus, ac personas easdem ad dandum et solvendum tibi, recipienti nostro et dicte camere nomine, huiusmodi subsidium pro rata monasteria et loca ac personas contingente cogendi . . . . concedimus autoritate apostolica . . . . facultatem. Volumus autem, quod omnes et singulas pecuniarum summas, quas de huiusmodi subsidio recipies, quamprimum poteris, ad predictam cameram tute et caute transmittas, et de singulis eisdem summis confici facias publica instrumenta et in aliquo quaterno poni, ut de ipsis computum et racionem fidelem possis reddere camere supradicte]. Datum Rome [ap. S. Petrum] XV. kal. Julii a. sexto.

Armar. XXXIII tom. 12 fol. 28^{b} — Uncinis [ ] inclusa ex similibus litteris, ibid. fol. 27^{a} contentis, suppleta sunt, cum in copia praesentis bullae ommissa sint, his verbis loco eorum positis: ‚etc. simili modo de verbo ad verbum ut supra‘ ‚etc.‘ ‚ut supra.‘ — In fine (dext.): DE CURIA, B. FRANCISCI.

---

98. Lamberto episcopo Bambergensi, nuntio apostolico, mandatur, ut vicesimam partem omnium ecclesiasticorum reddituum in Bohemiae et aliis partibus nomine camerae apostolicae exigat.

Apud Vallemontonem, 1383 Augusti 19.

Urbanus . . . . Lamberto episcopo Bambergensi, in Alamannie, Boemie, Dacie, Swecie et Norwegie regnis et partibus apostolice sedis nuncio . . . . Romani pontificis providencia circumspecta paterna confidencia, cum exposcit necessitas, pro subsidio implorando recurrit ad filios, a quibus sibi non dubitat subveniri. Cum ad persequendum scismaticos et hostes Romane ecclesie et fidei christiane et presertim iniquitatis filium Robertum antipapam, qui se Clementem VII. ausu temerario nominare presumit, et ex aliis certis causis nos oporteat subire diversa et magna onera expensarum, ad que supportanda camera apostolica nullatenus sufficere potest, pro eo maxime, quod dicta ecclesia, que cunctorum Christi fidelium presertim personarum ecclesiasticarum mater est

et magistra, hiis temporibus plurimis est attrita dispendiis, attenuata proventibus et oneribus pregravata, cogimur cum paterna fiducia ad dei et eiusdem peculiares filios, qui statum prosperum dicte ecclesie reputare possunt statum eorum proprium, habere recursum, ut erga matrem pacientem tam graviter non desit pietas filialis. Idcirco vicesimam partem omnium ecclesiasticorum reddituum et proventuum presentis anni a personis ecclesiasticis quibuscunque, secularibus et regularibus, exemptis et non exemptis, [in] Alamannie et Boemie, Dacie et Norwegie partibus consistentibus . . . ., quibus vel eorum alicui nulla privilegia vel indulgencie sub quacunque verborum forma vel expressione concessa volumus suffragari, exigendam, levandam et colligendam per te vel alium seu alios a te deputandum seu deputandos in partibus supradictis in subsidium dicte ecclesie de omnibus fructibus, redditibus et proventibus ecclesiasticis prelatorum et personarum ecclesiasticarum parcium earundem, exemptarum et non exemptarum, duximus imponendam et imponimus per presentes, solvendam in festo nativitatis domini proximo secuturo. Quapropter fraternitati tue . . . . committimus et mandamus, quatenus per te vel alium seu alios fide et industria comprobatos venerabiles fratres nostros archiepiscopos, episcopos, et dilectos filios electos et abbates ceterosque ecclesiarum et monasteriorum prelatos et personas ecclesiasticas, seculares et regulares, exemptos et non exemptos, huiusmodi redditus et proventus in eisdem partibus obtinentes et in posterum obtenturos . . . . preter venerabiles fratres nostros s. Romane ecclesie cardinales, huiusmodi redditus et proventus in eisdem partibus obtinentes et obtenturos in posterum, qui nobiscum assidue indefessis laboribus onera universalis ecclesie sorciuntur, quosque a solucione huiusmodi vicesime exemptos esse volumus [et] immunes, ex parte nostra moneas et requiras, et si opus fuerit, ad id per censuram ecclesiasticam auctoritate nostra compellas, ut ipsi et eorum singuli de predicta vicesima parte huiusmodi reddituum et proventuum ecclesiasticorum in dicto termino tibi vel a te deputandis integre respondeant . . . . Volumus autem, quod de omnibus et singulis pecuniarum summis, quas pro dicto subsidio et eius occasione recipere te continget, duo consimilia confici facias publica instrumenta, quorum uno penes te retento, alterum ad prefatam cameram destinare procures, rescripturus nichilominus gentibus predicte [camere] quidquid egeris in premissis. Datum apud Vallemontonem Signine diocesis XIV. kal. Septembris pont. n. a. sexto.

Armar. XXXIII tom. 12. — In fine: DE CURIA, P. DE ESCULO.

---

99. *Praepositus Maguntinensis et Vratislaviensis ac Omnium Sanctorum in castro Pragensi ecclesiarum decani conservatores et iudices magistrorum et doctorum ac scholarium universitatis studii Pragensis usque ad viginti annos instituuntur. „In supreme dignitatis specula“ „Apud Vallemontonum Signiensis dioc. II. kal. Septembris pont. n. a. sexto.“*

Apud Vallemontonem, 1383 Augusti 31.

Ed. Monum. univ. Pragensis, tom. II pars I. p. 271.

---

100. *Archiepiscopo Pragensi, episcopo Pennensi et abbati monasterii Scotorum in Vienna Pataviensis dioc. mandatur, quatenus solemniter publicent sententiam a Bartholomeo episcopo Lucerino, tunc causarum palatii apostolici auditore, in causa inter abbatem et conventum monasterii Lucensis praemonstratensis ord. Olomucensis dioc. et fratres Ulricum et Jankonem de Herolticz armigeros dictae dioc. super villis Rotigel alias Rokytnicz et Pokojovicz et silva dicta Abtswald latam, per quam idem auditor appellationem dictorum armigerorum a sententia abbatis monasterii Milocensis Pragensis dioc., monasterio Lucensi a sede apostolica in conservatorem instituti, ab eisdem armigeris desertam fuisse declaravit. „Petitio dilectorum" „Neapoli apud maiorem ecclesiam Neapolitanam kal. Februarii pont. n. a. sexto."*

Neapoli, 1384 Februarii 1.

Ed. in Cod. dipl. Moraviae XI p. 291 nr. 321.

101. *Monasterio montis s. Mariae in Glacz per praepositum solito gubernari ord. s. Augustini Pragensis dioc., cuius fructus 120 marcarum argenti valorem annuum non excedunt, parrochialis ecclesia villae Kostomlat dictae dioc., cum unio eiusdem ecclesiae praefato monasterio per Arnestum archiepiscopum Pragensem facta et ab Innocentio pp. VI. confirmata nondum fuerit sortita effectum, de novo unitur, reservata congrua portione pro perpetuo vicario in ea instituendo. „Sacre religionis" „Neapoli apud maiorem ecclesiam Neapolitanam VI. kal. Marcii pont. n. a. sexto."*

Neapoli, 1384 Februarii 25.

Ed. Volkmer und Hohaus, Geschichtsquellen der Grafschaft Glatz I. p. 237.

102. *Officiali Vratislaviensi mandatur, ut bona archiepiscopalis mensae Gneznensis a Bodzantha archiepiscopo Gneznensi eiusque praedecessoribus clericis vel laicis ad tempus vel perpetuo concessa ad ius et proprietatem eiusdem mensae revocet. „Neapoli apud maiorem ecclesiam Neapolitanam VIII. idus Marcii pont n. a. sexto."*

Neapoli, 1384 Martii 8.

Ed. in Cod. diplom. Maioris Poloniae III, Poznaniae 1879, p. 544. nr. 1819.

103. *Archiepiscopo Pragensi, episcopo Pennensi et abbati monasterii Scotorum in Vienna Pataviensis dioc. mandatur, quatenus sententiam abbatis monasterii Milocensis Pragensis dioc., monasterio Lucensi a sede apostolica in conservatorem deputati, per quam idem abbas dicto monasterio Lucensi villas Rotigel alias Ro-*

kytnitcz et Pokojovicz ac silvam dictam Abtswald a fratribus Ulrico et Jankone de Heroltícz occupatas adiudicarit, observari faciant, cum appellatio dictorum fratrum ad sedem apostolicam ab ipsis deserta sit, et ut in executione dictae sententiae etiam contra omnes alios in dictis villis et silva forsan intrusos vel intrudendos procedant. „Exhibita nobis“ „Neapoli apud maiorem ecclesiam Neapolitanam kal. Aprilis pont. n. a. sexto.“

Neapoli, 1384 Aprilis 1.

Ed. in Cod. diplom. Moraviae XI p. 295 nr. 324.

***104**. Archiepiscopo Pragensi ad petitionem Venceslai Romanorum et Bohemiae regis mandatur, quatenus translationem collegii duodecim magistrorum et scholarium in generali studio Pragensi studentium a Carolo IV. imperatore fundati et ‚collegium Caroli‘ nuncupati de domo quondam Lazari Judaei in domum Rotlewi sitam in novo foro civitatis Pragensis prope ecclesiam s. Galli, necnon confirmationem privilegiorum eiusdem collegii per dictum regem factas auctoritate apostolica approbet. „Humilibus et honestis“ „Apud castrum Lucerie Christianorum V. idus Decembris pont. n. a. septimo.“*

Luceriae Christianorum, 1384 Decembris 9.

Ed. Monumenta univ. Pragensis tom. II pars I p. 278.

***105**. Augustinus de Litomyšl[a]) ordinis heremitarum s. Augustini professor in capellanum sedis apostolicae recipitur. „Virtutibus clarens“ „Apud castrum civitatis Lucerie Christianorum IX. kal. Marcii pont. n. a. septimo.“*

Luceriae Christianorum, 1385 Februarii 21.

Arm. XXXI tom. 36 fol. 10[b] — [a]) ‚Luthomuschil‘

***106**. Magister Johannes Ulmanni[a]) rector parrochialis ecclesiae s. Jacobi in Brunna Olomucensis dioc. in capellanum sedis apostolicae recipitur. „Virtutibus clarens“ „Apud castrum civitatis Lucerie Christianorum II. nonas Marcii pont. n. a. septimo.“*

Luceriae Christianorum, 1385 Martii 6.

Arm. XXXI tom. 36 fol. 11[a] — [a]) ‚Vlmanni‘

***107**. Johanni de Malesicz[a]) scriptori apostolico, qui presbyter et litterarum apostolicarum abbreviator existit, de canonicatu ecclesiae Pragensis sub exspectatione prae-*

bendae ac dignitatis, personatus seu officii ad collationem archiepiscopi Pragensis pertinentium providetur. „Grata tue devocionis“ „Apud castrum civitatis Lucerie Christianorum XVII. kal. Junii pont. n. a. octavo“. — Simili modo archiepiscopo Tarentino et maioris ac s. Aegidii Pragensium ecclesiarum praepositis.

Luceriae Christianorum, 1385 Maii 16.

Copia abbreviata in Reg. litt. receptionis in canon. Prag. fol. 106[b] — [a]) ‚Malessicz‘ — Has litteras, gratiosam cum bulla in filis sericeis rubei et glauci coloris, executoriam cum bulla in cordula canapea, procurator dicti Johannis 1386 Nov. 20 capitulo praesentavit et statim receptus est in canonicum.

---

108. *Magister Nicolaus de Jaroměř*[a]) *presbyter Pragensis dioc. in cappellanum sedis apostolicae recipitur. „Virtutibus clarens“ „Janue V. idus Octobris pont. n. a. octavo.*

Januae, 1385 Octobris 11.

Arm. XXXI tom. 36 fol. 12[a] — [a]) ‚Jaremir‘

---

109. *Venceslaus episcopus Vratislaviensis quitatur de solutione partis suorum communis et minuti servitiorum camerae sacri collegii, et terminus solvendi residuum ei prorogatur.*

Januae, 1385 Octobris 11.

[Universis et singulis presentes litteras inspecturis salutem in domino.] Nos Nicolaus [miseracione divina tituli s. Ciriaci presbyter cardinalis, sacri collegii revendissimorum in Christo patrum s. Romane ecclesie cardinalium camerarius, universitati vestre notum facimus per presentes,] quod reverendus in Chr. pater dominus Wenceslaus episcopus Wratislauiensis per manus magistri Nicolai Gliwiz litterarum apostolicarum scriptoris pro parte partis sui communis servicii, [in quo camere collegii dictorum dominorum cardinalium sub certis penis et sentenciis racione dicte sue ecclesie Wratislauiensis existit efficaciter obligatus,] ducentos decem et septem florenos auri de camera, solidos quinque et denarios quatuor de moneta Romana, et pro parte partis unius minuti servicii, [consueti debiti pro familiaribus et officialibus dicti collegii,] tredecim similes florenos, solidos septem et denarios decem nobis et familiaribus et officialibus dicti collegii die date presencium solvit realiter cum effectu. De quibus [sic datis et solutis dictum Wenceslaum episcopum eiusque heredes et successores et dictam suam ecclesiam tenore presencium quitamus, absolvimus et eciam liberamus.] . . . .

Verum intellecta mole gravaminum, pro parte dicti reverendi patris dom. Wenceslai episcopi coram nobis exposita, que ipsum ad solvendum id, in quo [camere ac familiaribus et officialibus dicti collegii pro residuo dictorum communis et minuti servicii remanet efficaciter obligatus, reddunt verisimiliter impotentem, auctoritate dicti collegii nobis in hac parte concessa,] terminum faciende solucionis residui dictorum serviciorum a festo omnium sanctorum proxime

futuro usque ad annum proxime secuturum prorogamus [et de novo assignamus eidem], ita tamen, [quod si in solucione huiusmodi defecerit in termino sibi de novo constituto, penis et sentenciis, quibus antea ligabatur, sit astrictus et eum in hiis scriptis declaramus astringi et ipsum in easdem reincidere ipso facto]. In quorum [testimonium presentes litteras fieri et sigilli nostri camerariatus officii iussimus appensione muniri]. Datum Janue die undecima mensis Octobris anno octavo.

Oblig. et sol. 47 fol. 2ª — Uncinis [ ] inclusa ex aliis similibus documentis ab editore suppleta sunt. — In fine: FLOR. III GR. III

---

110. *Franciscus abbas Miloccnsis quitatur de solutione partis suorum scrvitiorum camerae sacri collegii.*

Januae, 1385 Octobris 21.

Nos Nicolaus [. . . . tituli s. Ciriaci presbyter cardinalis, sacri collegii . . . . cardinalium camerarius, ... notum facimus], quod venerabilis in Chr. pater dom. Franciscus abbas monasterii Milocensis ord. premonstratensis Pragensis diocesis per manus domini Johannis Yersen licenciati in decretis, canonici Pragensis, pro parte partis sui communis servicii . . . . sexaginta duos florenos auri de camera, solidos vigintiquinque de moneta Romana, et pro parte partis unius minuti servicii . . . . quinque similes florenos die date presencium solvit realiter cum effectu . . . .; . . . . terminum faciende solucionis residui dictorum communis et unius minuti serviciorum usque ad festum s. Michaelis de mense Septembris proxime futurum [prorogamus] . . . . Datum Janue die XXI. mensis Octobris anno octavo.

Oblig. et sol. 47. fol. 1ᵇ — In fine: FL. II GR. II

---

111. *Nicolaus s. Ciriaci cardinalis, sacri collegii camerarius, Johannem episcopum Lubucensem quitat de pecunia, quam pro parte suorum communis et minuti servitiorum per manus Johannis de Jcřeň*[a]*) licentiati in decretis, canonici Pragensis, camerae sacri collegii solvit. „Janue die XXIII. mensis Octobris a. octavo."*

Januae, 1385 Octobris 23.

Oblig. et sol. 47 fol. 1ᵇ — [a]) ‚Johannis Yersen' — In fine: FL II GR. II

---

112. *Maffiolo archiepiscopo Ragusino committitur, ut clero regni Bohemiae et aliarum partium decimam caritativi subsidii imponat.*

Januae, 1385 Novembris 3.

Urbanus . . . . Maffiolo archiepiscopo Ragusinensi, familiari nostro . . . . Romana ecclesia, cunctorum fidelium et presertim personarum ecclesiasticarum mater et caput, iniquitatis filii Karoli de Duracio olim regis Sicilie, heresiarche et hereticorum fautoris, qui nos ipsorum hereticorum fultus auxilio et consilio communitus in castro civitatis Lucerie Christianorum per quinque menses et ultra cum Romana curia tenuit obsessos, attrita dispendiis, affecta iniuriis et expensarum oneribus pregravata, ad devotos suos filios cogitur habere recursum, ut ipsi eidem ecclesie, matri sue sic debilitate et in tantis necessitatibus constitute, filiali compassione de alicuius subvencionis auxilio providere studerent. Eapropter fraternitati tue, de cuius providencia fiduciam in domino gerimus specialem, per apostolica scripta committimus et mandamus, quatinus per te vel alium seu alios fide et industria comprobatos venerabiles fratres nostros universos et singulos . . archiepiscopos, . . episcopos et dilectos filios clericos, . . abbates, . . priores, . . prepositos, . . decanos, . . archidiaconos, . . archipresbyteros, . . plebanos, . . rectores aliosque ecclesiarum et monasteriorum prelatos ipsorumque vices gerentes, . . capitula quoque et conventus ecclesiarum et monasteriorum ceterasque personas ecclesiasticas, seculares et regulares, exemptos et non exemptos, . . cisterciensis, . . cluniacensis, . . premonstratensis, . . camaldulensis, . . ss. Benedicti et Augustini et aliorum ordinum, et domorum . . s. Johannis Jerosolimitani et s. Marie Teutunicorum, . . calatravensis et humiliatorum . . magistros, . . priores et preceptores regnorum Boemie, Polonie et Ungarie, necnon Ytalie, Alamannie et aliarum quarumcunque parcium, ad quas te declinare contigerit, ex parte nostra benigne requiras et, quanto affectuosius scies et poteris, exhorteris, ut ipsi tamquam grati filii dicteque creature ecclesie considerando premissa pie compaciantur matri sue, nobis et dicte ecclesie grato animo subveniant ista vice, ita quod eis teneamur grates debitas reddere ipsosque prosequi favoribus graciosis. Nos enim per te vel alium seu alios, ut prefertur, convocandi pro predictis . . archiepiscopos et prelatos alios supradictos simul vel divisim semel et pluries ad tuam et a te deputandorum presenciam in locis, de quibus videris expedire, ipsisque imponendi decimam caritativi subsidii pro huiusmodi nostris et dicte ecclesie necessitatibus, huiusmodique subsidium seu pecunias recipiendi nostro et dicte Romane ecclesie nomine et de receptis quittandi, liberandi et absolvendi, contradictores quoque et rebelles, cuius[cun]que status, gradus, ordinis vel condicionis existant, auctoritate nostra appellacione postposita compescendi, aliaque omnia et singula circa premissa necessaria faciendi et exercendi, invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis, plenam et liberam auctoritate apostolica tenore presencium concedimus facultatem, non obstantibus . . . . Volumus autem, quod de hiis, que ex predictis recipere te continget, duo consimilia confici facias publica instrumenta, quorum uno penes te retento, alterum ad prefatam cameram destinare procures, rescribasque nobis et gentibus dicte camere, quantum receperis a singulis predictorum, ut tuis litteris informati eos, quos nobis liberales auxiliarios invenerimus, debitis graciarum accionibus et dignis remuneracionibus, cum oportunitas aderit, prosequamur. Datum Janue III. nonas Novembris pont. n. a. octavo.

Copia huius bullae ex originali archivii cruciferorum Pragensis in diplomatario musei regni Bohemiae habetur. In fine: DE CURIA, S. DE ACHILLE.

113. *Henricus abbas monasterii s. Ambrosii Pragensis quitatur de solutione complementi suorum servitiorum camerae sacri collegii.*

Januae, 1386 Januarii 8.

Nos Nicolaus [. . . . tit. s. Ciriaci presbyter cardinalis, sacri collegii . . . . cardinalium camerarius, ... notum facimus,] quod venerabilis in Chr. pater frater Henricus dei gracia abbas monasterii s. Ambrosii Pragensis ord. s. Benedicti pro complemento sui communis servicii . . . . XV florenos auri de camera, et pro complemento solucionis unius minuti servicii . . . . unum similem florenum . . . . per manus honorabilis viri dom. Johannis plebani in Nepomuck Pragensis diocesis die date presencium solvi fecit realiter cum effectu . . . . Datum Janue die octava mensis Januarii, a. octavo, indiccionis none.

Oblig. et sol. 47 fol. 6b — In fine: FL. III GR. III.

---

114. *Petrus episcopus Olomucensis quitatur de solutione partis suorum servitiorum camerae sacri collegii.*

Januae, 1386 Januarii 25.

Nos Nicolaus [. . . . tit s. Ciriaci presbyter cardinalis, sacri collegii . . . . cardinalium camerarius, ... notum facimus,] quod reverendus in Chr. pater dom. Petrus dei gracia episcopus Olomucensis pro parte partis sui communis servicii . . . . ducentos et tredecim florenos auri de camera, solidos XLVI, denarios X et obolum monete Romane, et pro parte partis unius minuti servicii duodecim similes florenos, solidos XI et denarios III dicte monete . . . . per manus discreti viri dom. Philippi de Brunna presbyteri Olomucensis diocesis, baccalarii in decretis, die date presencium solvi fecit . . . .; . . . . terminum faciende solucionis residui dictorum serviciorum usque ad festum assumpcionis b. Marie virginis proxime futurum prorogamus . . . . Datum Janue die vicesima quinta mensis Januarii, indiccione nona, a. octavo.

Oblig. et sol. 47 fol. 8a — In fine: FL. V GR. V.

---

115. *Episcopus Culmensis, abbas in Mogila alias in Clara Tumba et praepositus in Glacz Cracoviensis et Pragensis dioc. monasteriorum conservatores Dobrogosti episcopi Poznaniensis usque ad quinquennium instituuntur. „Ad hoc nos deus" „Janue VII. kal. Februarii pont. n. a. octavo."*

Januae, 1386 Januarii 26.

Ed. in Cod. diplomat. Maioris Poloniae III. p. 571 nr. 1842.

---

116. *Praeposito monasterii Zderaziensis Pragensis mandatur, ut omnes occultos detentores decimarum, rerum et bonorum monasterii Brevnoviensis extra muros*

Pragenses ord. s. Benedicti in ecclesiis coram populo ad restituendum ea moneat, et si non paruerint, generalem excommunicacionis sententiam in eos proferat.
„Significarunt nobis" „Januae IX. kal. Marcii pont. n. a. octavo."

Januae, 1386 Februarii 21.

Editum „ex archivio monasterii Zderasiensis" apud Dobner, Monum. hist. Bohemiae VI. p. 140 (Historia diplom. Brzewnoviensis nr. 117). — In diplomatario manuscripto musei regni Bohemiae habetur copia ex originali archivii Břevnoviensis B III. 106. Juxta huius copiae notas dicto originali in filo cannapis bulla plumbea appendet, et in plica adscriptum: T. DE SUSATO.

---

117. *Maffiolus archiepiscopus Ragusinus testatur se litteras originales Innocentii papae VI. Carolo IV. regi Romanorum sub data 1355 Januarii 31. concessas, quarum tenor praesentibus insertus est, sanas et integras repperisse.*

Pragae, 1386 Februarii 26.

Maffiolus miseracione divina archiepiscopus Ragusinus, domini nostri pape familiaris et eiusdem sedis apostolice commissarius specialis, universis et singulis presentes nostras literas seu presens publicum instrumentum inspecturis salutem in domino sempiternam. Literas felicissime recordacionis domini Innocencii pape sexti, sanas et integras, non viciatas, non cancellatas nec in aliqua sui parte suspectas, sed omni prorsus vicio et suspicione carentes, eius vera bulla plumbea in cordula canapis more Romane curie bullatas, nobis per nobilem virum Bertramum dictum Niger de Lampungnano scutiferum honoris sanctissimi in Christo patris et domini nostri dom. Urbani divina providencia pape sext in nostri notarii publici et testium infrascriptorum ad hoc specialiter vocatorum et rogatorum presencia presentatas noveritis nos cum ea, qua decuit, reverencia tenuisse et recepisse, tenorem qui sequitur de verbo ad verbum continentes: Innocencius episcopus servus servorum dei carissimo in Christo filio Karolo regi Romanorum illustri salutem et apostolicam benediccionem. Sicut filius benediccionis et gracie humilitatis &c. [sequitur tenor bullae apud Theiner, Cod. dominii temporalis s. Sedis II. p. 278 editae] Datum Avinione II. kalendas Februarii pontificatus nostri anno tercio. Quibus quidem literis apostolicis presentatis, receptis et per nos et nostrum notarium subscriptum diligenter inspectis et perlectis, fuimus per prefatum Bertramum nomine quorum interest [seu interesse] poterit quomodolibet in futurum cum instancia debita requisiti, quatenus super premissis omnibus et singulis literas nostras testimoniales, predictarum literarum apostolicarum seriem in se continentes, cum nostri decreti interposicione concedere dignaremur. Nos igitur Maffiolus archiepiscopus Ragusinus et commissarius suprascriptus, dictis literis fel. rec. Innocencii pape VI. sanis, integris, non viciatis, nec in aliqua sui parte suspectis, visis ac eciam per nostrum notarium subscriptum in presencia nostri perlectis, ad corroboracionem presentis instrumenti dictum decretum imposuimus et tenore presencium imponimus. In cuius rei testimonium presentes literas fieri et per notarium nostrum publicum infrascriptum scribi et per modum decreti nostri publicari mandavimus, sigillique nostri

appensione iussimus et mandavimus communiri. Datum et actum Prage in domo habitacionis nostre sub anno nativitatis domini millesimo trecentesimo octuagesimo sexto, indiccione nona, die vero vicesimo sexto mensis Februarii, pontificatus sanctissimi in Chr. patris et domini nostri dom. Urbani divina providencia pape VI. anno octavo, presentibus discretis viris Martino Johannis de Turnonia clerico et notario publico, Johanne et Johanino de Argentina clericis et familiaribus nostris, testibus ad premissa vocatis specialiter et rogatis.

Et ego Petrus Militis Morinensis diocesis publicus apostolica et imperiali auctoritate atque reverendissimi patris domini archiepiscopi suprascripti notarius et scriba, qui suprascriptarum literarum apostolicarum ostensioni, presentacioni et recepcioni easque tenui et perlegi ac omnibus aliis et singulis suprascriptis, dum sic, ut premittitur, fierent et agerentur, una cum predictis testibus presens fui, eaque sic fieri atque litteras prefatas, sanas, ut premittitur, et integras, more et ordine suprascriptis bullatas, vidi et audivi ac in notam recepi, de qua presens publicum instrumentum earundem literarum tenorem de verbo ad verbum in se continens extraxi et per fidelem clericum, aliis legitime occupatus negociis, scribi feci et in hanc publicam formam redegi, signoque meo solito tam in coniunctura duarum pellium, quibus ipsum instrumentum est inscriptum, quam eciam inferius me subscribendo, una cum appensione sigilli prefati domini archiepiscopi de suo mandato signavi rogatus.

R. Vat. 311 in primis foliis, quae non numerata sunt.

118. *Mathiae de Chrást providetur de canonicatu ecclesiae Pragensis sub exspectatione praebendae, dignitatis vel officii.*

Januae, 1386 Martii 3.

Urbanus . . . . Mathie Petri de Chrast canonico Pragensi, decretorum doctori . . . . Litterarum sciencia . . . . Volentes itaque tibi, qui presbyter es et, ut asseritur, in studio Pragensi Sextum et Clementinas ordinarie legis, ... graciam facere specialem, canonicatum ecclesie Pragensis . . . . apostolica tibi auctoritate conferimus et de illo eciam providemus, prebendam vero ipsius ecclesie necnon dignitatem vel personatum seu officium cum cura vel sine cura, eciam si ad dignitatem huiusmodi consueverit quis per eleccionem assumi, dummodo dignitas ipsa maior post pontificalem aut in collegiata ecclesia principalis non existat, cuius quidem dignitatis vel personatus seu officii fructus, redditus et proventus, si cum cura, viginti quinque, si vero sine cura fuerit, decem et octo marcharum argenti secundum taxacionem decime valorem annuum non excedant, ad collacionem . . . . archiepiscopi Pragensis et . . . . prepositi, decani, scolastici et capituli dicte ecclesie communiter vel divisim pertinentem seu pertinens, si que vel si qui aut si qua vacant ad presens vel cum vacaverint, conferendas vel conferendos seu conferenda tibi post acceptacionem huiusmodi cum omnibus iuribus et pertinenciis suis donacioni apostolice reservamus . . . .: non obstantibus . . . ., quod parrochialem ecclesiam in Schrampnik Pragensis diocesis, cuius fructus . . . . sedecim marcarum argenti secundum communem extimacionem

valorem annuum, ut asseris, non excedunt, obtines, et quod dudum tibi de canonicatu sub expectacione prebende ac dignitatis personatus vel officii ecclesie Wissegradensis prope Pragam graciose concessimus provideri. Volumus autem, quod, quamprimum vigore presencium dignitatem, personatum aut curatum officium fueris pacifice assecutus, prefatam parrochialem ecclesiam . . . . omnino dimittere tenearis, quodque huiusmodi concessionis gracia et quecunque inde secuta, quoad dignitatem, personatum et curatum officium dumtaxat, sint cassa et irrita nulliusque roboris vel momenti . . . . Datum Janue V. nonas Marcii pont. n. a. VIII.

[Executoria.] Urbanus . . . . monasterii Sderasiensis Pragensis per prepositum soliti gubernari et ecclesie Brixinensis prepositis . . ac officiali Pragensi . . . .

Reg. litt. receptionis fol. 109a — Hae litterae (gratiosa cum bulla in filis sericeis rubei et glauci coloris, executoria cum bulla in cordula canapea) 1387 Julii 1 capitulo praesentatae sunt, et dictus Mathias statim in canonicum receptus est. (ib. fol. 97b).

---

119. *Archiepiscopo Pragensi mandatur, quatenus monasterio s. Caroli Pragensi ord. s. Augustini, cuius fructus 90 marcarum argenti valorem annuum non excedunt, auctoritate apostolica in perpetuum uniat parrochialem ecclesiam in Lysá Pragensis dioc., cuius fructus valorem annuum 40 marcarum argenti non excedunt, cuiusque ius patronatus olim ad Annam Romanorum imperatricem ut ad reginam Bohemiae spectabat, sed ab illa in imperatorem Carolum, eius consortem, sub ea conditione translatum est, ut dictum ius praefato monasterio donaret ipsamque parrochialem ecclesiam ei incorporari procuraret; quam conditionem dictus imperator adimplevit.* „*Sacrae religionis*“ „*Januae III. nonas Martii pont. n. a. octavo.*“

Januae, 1386 Martii 5.

Ed. Borový, Libri erectionum III. p. 274 nr. 416 (insertum litteris Johannis archiepiscopi Pragensis ddto. 1387 Sept. 7.).

---

120. *Decano Pataviensi mandatur, quatenus causam appellationis Henrici de Březnicz et Havlikonis Burgravii decidat.*

Januae, 1386 Aprilis 30.

Urbanus . . . . decano ecclesie Patauiensis . . . . Sua nobis dilecti filii Henricus de Brzyesnicz et Hawlico Burgravii armigeri Pragensis dyocesis peticione monstrarunt, quod olim Gregorius de Brzyesnicz, qui se gerit pro presbytero dicte dyocesis, false asserens, quod dicti armigeri ipsum presbyterum nonnullis rebus tunc expressis ad ipsum spectantibus contra iusticiam spoliaverunt, apostolicas super hiis contra eosdem armigeros, cum eorum, ut dicebat, potenciam merito perhorrescens, eos infra civitatem seu dyocesim Pragensem nequiret conve-

nire secure, ad decanum ecclesie Olomucensis in communi forma litteras impetravit, eosdemque armigeros super hoc, petendo ipsos condempnari et compelli ad restituendum ei huiusmodi res, si extabant, alioquin earum verum valorem, coram Jaroslao seniore canonico ecclesie predicte, cui idem decanus super premissis commiserat vices suas, utrum totaliter vel non totaliter, aliter non expresso, huiusmodi litterarum et commissionis pretextu traxit in causam, idemque canonicus perperam in huiusmodi causa procedens, diffinitivam contra eosdem armigeros sentenciam promulgavit iniquam, ipsos in expensis in huiusmodi causa factis nichilominus condempnando, ipsarum expensarum taxacione sibi in posterum reservata; a qua quidem sentencia pro parte dictorum armigerorum fuit ad sedem apostolicam appellatum. Quocirca discrecioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus in huiusmodi appellacionis causa procedens legitime, sentenciam ipsam confirmare vel infirmare appellacione remota procures, prout de iure fuerit faciendum. Datum Janue II. kal. Maii pont. n. a. nono.

Insertum litteris Hermanni decani Pataviensis ddto. 1386 Jul. 10, quarum copia exstat in archivii Třeboniensis cod. manuscripto saec. XIV. exeuntis (C Nr. 2) fol. 40a — Hic copia dom. Krejčík usus sum.

---

121. Obligatio Johannis episcopi Zagrabiensis.

[Januae], 1386 Junii 4.

Anno [dom. millesimo trecentesimo octuagesimo sexto, indiccione nona, pontificatus .... Urbani .... pape VI. a. nono], die vero predicta martis, quarta dicti mensis Junii .... reverendus in Chr. pater dominus Johannes dei gracia translatus de ecclesia Cenadiensi ad ecclesiam Zagabriensem per dominum Martinum Wlislai de Colonia clericum Pragensis dyocesis, procuratorem suum ad hoc legitime constitutum, promisit camere et collegio pro suo communi servicio pro ecclesia Zagabriensi quadringentos florenos auri de camera et quinque servicia consueta; solvendo medietatem in festo nativitatis domini nostri Jesu Christi proxime futuro, aliam medietatem in festo resurreccionis domini nostri Jesu Christi extunc proxime secuturo ....

Oblig. et sol. 48 fol. 34b.

122. Franciscus abbas Milocensis quitatur de solutione partis suorum servitiorum camerae sacri collegii.

Januae, 1386 Augusti 25.

Nos Franciscus [miseracione divina sancti Eustachii dyaconus cardinalis, sacri collegii reverendissimorum in Christo patrum dominorum sancte Romane ecclesie cardinalium camerarius, ... notum facimus], quod venerabilis in Chr. pater frater Franciscus abbas monasterii Milocensis Pragensis diocesis ord. premonstratensis pro parte partis sui communis servicii .... triginta tres flo-

renos auri de camera, solidos sexdecim, denarios octo monete Romane, et pro parte partis unius minuti servicii duos similes florenos, solidos treginta tres, denarios quatuor monete predicte . . . . per manus venerabilis viri fratris Venceslai monachi dicti monasterii die date presencium solvi fecit . . . .; . . . . terminum faciende solutionis residui dictorum communis et unius minuti serviciorum usque ad festum purificacionis b. Marie virginis proxime futurum prorogamus . . . . Datum Janue sub anno a nativitate dom. MCCC octuagesimo sexto, indiccione nona, die vicesima quinta mensis Augusti, pont. anno nono.

Oblig. et sol. 47 fol. 17b — In fine: FL. II GR. II.

---

123. *Petrus episcopus Olomucensis quitatur de solutione partis suorum serviti-orum camerae sacri collegii.*

Januae, 1386 Septembris 4.

Nos Franciscus [. . . . s. Eustachii dyaconus cardinalis, sacri collegii . . . . cardinalium camerarius, ... notum facimus], quod reverendus in Chr. pater dom. Petrus dei gracia episcopus Olomucensis pro parte partis sui communis servicii . . . . ducentos decem et octo florenos auri de camera, solidos treginta septem, denarios sex monete Romane, et pro parte partis unius minuti servicii duodecim florenos similes, solidos viginti quinque . . . . per manus venerabilis viri dom. Philippi de Brunna presbyteri Olomucensis diocesis die date presencium solvi fecit . . . .; . . . . terminum faciende solucionis [residui . . . .] usque ad festum annunciacionis b. Marie virginis proxime futurum prorogamus . . . . Datum Janue sub anno a nativitate dom millesimo trecentesimo octuagesimo sexto, indiccione nona, die quarta mensis Septembris, pont. anno nono.

Oblig. et sol. 47 fol. 25a — In fine: V FL. V GR

---

124. *Bohuslao Johannis [de Krnovia] decretorum doctori providetur de decanatu ecclesiae Pragensis vacante, quem quondam Přibislaus de Počšín obtinebat. „Litterarum sciencia“ „Janue V. idus Septembris pont. n. a. nono“ — Simili modo episcopo Tudensi et praeposito monasterii Zderaziensis Pragensis ac officiali Pragensi.*

Januae, 1386 Septembris 9.

Harum litterarum in Reg. litt. recept. in canon. Prag. fol. 105a fit mentio, ubi initium et finis earum sunt annotata. Capitulo 1386 Nov. 9 praesentatae sunt (gratiosa cum bulla in filis sericeis rubei et glauci coloris, executoria cum bulla in cordula canapea), et dictus Bohuslaus statim in decanum receptus. (ibid. fol. 104b.)

---

125. *Mandatur provideri Jaroslao [de Pořešín?]* [1]) *de canonicatu et praebenda ecclesiae Pragensis, non obstante, „quod dictus Jaroslaus super canonicatu et prebenda ecclesie Patauiensis, quorum quindecim, ac prepositura Lithomericensis predicte dioc. ecclesiarum, cuius centum et octuaginta marcharum argenti fructus . . . . valorem annuum . . . . non excedunt, in palacio apostolico litigat, et quos canonicatum et prebendam ac preposituram prefatus Jaroslaus a se timet evinci.“ „Janue quinto idus Septembris pont. n. a. nono“.*

Januae, 1386 Septembris 9.

Bibl. Vatic. Cod. Ottobon. 1443 (fragmentum orig. registri Urbani VI.) fol. 44[b]; initium huius bullae deest. — In fine alia manu adscriptum est: JO. XXIII EMBN. (?) — [1]) Jaroslaus de Pořešín aa. 1388—1404 inter canonicos Pragenses commemoratur. Cf. Tomek, Dějepis Prahy V. p. 130.

---

126. *Venceslaus episcopus Vratislaviensis quitatur de solutione partis suorum servitiorum camerae sacri collegii.*

Januae, 1386 Octobris 13.

Nos Franciscus [. . . . s. Eustachii dyaconus cardinalis, sacri collegii . . . . cardinalium camerarius, ... notum facimus,] quod reverendus in Chr. pater dom. Venceslaus episcopus Wratislauiensis pro parte partis sui communis servicii octuaginta sex florenos auri de camera, solidos quatraginta unum, denarios decem et obolum, et pro parte partis unius minuti servicii . . . . quinque similes florenos auri de camera, solidos quinque, denarios tres monete predicte . . . . per manus honorabilis viri dom. Nicolai de Selniz canonici dicte ecclesie die date presencium debito tempore solvi fecit . . . .; . . . . terminum faciende solucionis residui dictorum communis et unius minuti serviciorum usque ad festum assumpcionis b. Marie virginis proxime futurum prorogamus . . . . Datum Janue sub anno a nativitate dom. millesimo trecentesimo octuagesimo sexto, indiccione nona, die tredecima mensis Octobris, pont. . . . . anno nono.

Oblig. et sol. 47 fol. 27[a] — In fine: II. FL. II GR.

---

127. *Vikerius abbas Gradicensis quitatur de solutione partis suorum servitiorum camerae sacri collegii.*

Januae, 1386 Octobris 27.

Nos Franciscus [. . . . s. Eustachii dyaconus cardinalis, sacri collegii . . . . cardinalium camerarius, ... notum facimus,] quod venerabilis pater frater Wickerius abbas monasterii s. Stephani Gradicensis prope Olomicium ord. premonstratensis pro parte partis sui communis servicii . . . . treginta unum florenos auri de camera, solidos decem et septem, denarios sex monete Romane, et pro parte partis unius minuti servicii . . . . quinque florenos similes, solidos treginta quinque monete predicte per manus venerabilium virorum dominorum Petri de

Wserob domini nostri pape secretarii et dom. Jacobi plebani in Morauizan diocesis Olomucensis die date presencium solvi fecit . . . .; . . . . terminum faciende solucionis residui dictorum communis et unius minuti serviciorum usque ad festum s. Micaelis de mense Septembris proxime futurum prorogamus . . . . Datum Janue sub anno a nativitate dom. millesimo trecentesimo octuagesimo sexto, indiccione nona, die vicesima septima mensis Octobris, pont. . . . . anno nono.

Oblig. et sol. 47 fol. 28[a] — In fine: IIII FLOR. IIII GR.

---

128. *Franciscus s. Eustachii cardinalis, sacri collegii camerarius, Johannen episcopum Lubucensem quitat de pecunia, quam pro parte suorum communis et minuti servitiorum per manus Nicolai de ‚Salniz' canonici ecclesiae Vratislaviensis camerae sacri collegii solvi fecit. „Janue sub anno a nativitate dom. millesimo trecentesimo octuagesimo sexto, indiccione nona, die sexta mensis Novembris, pont. . . . . anno nono."*

Januae, 1386 Novembris 6.

Oblig. et sol. 47 fol. 29[a] — In fine: IIII FLOR. IIII GR. — [1]) In nro. 126 huius libri iste Nicolaus ‚de Selniz' nominatur et idem esse videtur, ac ille Nicolaus de Selin (Zellin, Cellin in regione Opoliensi?) canonicus Vratislaviens's, qui infra in nris. 146, 186 et al. commemoratur.

---

129. *Zachariae abbati monasterii Lucensis praemonstratensis ord. Olomucensis dioc. eiusque successoribus indulgetur, ut mitra, anulo et aliis pontificalibus insigniis uti, atque in dicto monasterio et prioratibus ac ecclesiis ad illud pertinentibus benedictionem solemnem post missarum, vesperarum et matutinarum solemnia elargiri possint. „Exposcit vestre devocionis" „Janue III. idus Novembris pont. n. a. nono."*

Janue, 1386 Novembris 11.

Ed. in Cod. diplom. Moraviae XI. p. 363 nr. 405.

---

130. *Nicolaus de Boleslavia*[a]) *monachus monasterii in Henrichow*[b]) *cisterciensis ord. Vratislaviensis dioc. in sedis apostolicae capellanum recipitur. „Virtutibus clarens" „Janue III. idus Novembris pont. n. a. nono."*

Januae, 1386 Novembris 11.

R. Vat. 311 fol. 41[b], et iterum Armar. XXXI. tom. 36 fol. 14[b] — [a]) ‚Boleslauia' Arm. ‚Beleslauia' Vat. [b]) ‚Hennechow' Arm., Vat.

---

131. *Abbati monasterii Scotorum in Vienna Pataviensis dioc. consideratione Venceslai Romanorum et Bohemiae regis mandatur, ut statutum nuper auctoritate ordinaria factum, iuxta quod archidiaconatus, scholastria et custodia Olomucensis et praepositura s. Mauritii in Cremsir Olomucensis dioc. ecclesiarum de cetero non possunt conferri aliis quam canonicis ecclesiae Olomucensis, praebendas obtinentibus in eadem, auctoritate apostolica confirmet. „Humilibus et honestis" „Januc idibus Novembris pont. n. a. nono."*

Januae, 1386 Novembris 13.

Ed. in Cod. diplom. Moraviae XI. p. 363 nr. 406.

---

132. *Abbati monasterii Scotorum in Vienna Pataviensis dioc. consideratione Venceslai Romanorum et Bohemiae regis mandatur, ut statuta et ordinationes dudum in provincialibus Maguntinensibus et synodalibus Olomucensibus conciliis facta, secundum quae in locis, ubi personarum ecclesiasticarum spoliatores morantur, cessari debet a divinis, auctoritate apostolica confirmet. „Justis et honestis" „Janue idibus Novembris pont. n. a. nono."*

Januae, 1386 Novembris 13.

En. in Cod. diplom. Moraviae XI. p. 364 nr. 407.

---

133. *Johanni de Gützkow [a]) baccalario in decretis providetur de canonicatu et praebenda ecclesiae Pataviensis, non obstante, quod nonnulla beneficia ecclesiastica in Caminensi diocesi obtinet. „Litterarum sciencia" „Janue duodecimo kal. Decembris pont. n. a. nono" — Simili modo episcopo Tudensi et praeposito ecclesiae Brixinensis ac officiali Pragensi.*

Januae, 1386 Novembris 20.

Bibl. Vaticana — Cod. Ottob. 1443 (fragmentum originalis registri Urbani VI.) fol. 68[b] — [a]) ‚Gaczecowe' — (In fine: JO. XII. XIIII EMBN.

---

134. *Archiepiscopo Pragensi mandatur, quatenus in monasterio Třeboniensi canonicorum regularium ord. s. Augustini Pragensis dioc., quod per fratres Ulricum et Johannem barones de Rosenberg et quondam Petrum de Rosenberg presbyterum, eorum germanum, canonice fundatum et dotatum est, et in quo praeter praepositum viginti canonici existunt, dignitatem praepositurae supprimat et abbatiae dignitatem de novo creet, ac ut aut illum, qui tunc praepositus fuerit, aut alium eiusdem monasterii canonicum ipsi monasterio praeficiat in abbatem, eique munus benedictionis impendat vel per alium catholicum antistitem impendi faciat. „Sincere devocionis" „Janue VI. idus Decembris pont. n. a. nono."*

Januae, 1386 Decembris 8.

Tenor huius bullae litteris Johannis archiepiscopi Pragensis ddto. 1389 Februarii 2 insertus est, quarum originale in archivio gubernii regni Bohemiae exstat, et quae apud Balbin, Miscellanea historica dec. I. lib. VI. p. 125 nro. 74 et ap. Borový, Libri erectionum III p. 298 nr. 441 editae sunt.

---

135. Nobili viro Henrico baroni baroniae de Rosenberg et nobili mulieri Barbarae eius uxori Pragensis dioc. indulgetur, ut missam ante diem celebrari facere possint. „Sincere devocionis affectus" „Janue VI. idus Decembris pont. n. a. nono."

Januae, 1386 Decembris 8.

Orig. in archivio Třeboniensi (Fam. Rosenberg, Unterabth. 2. nr. 3). In plica ad dext. REGISTRATA, P. DE INGELNHEIM; sub plica ad sin.: APRILIS, X, VALASCUS, N. DE PIPERNO; a tergo: R[EGISTRATA] JAC[OBUS DE TERAMO]. — E copia dom. A. Krejčík.

---

136. Officiali Pragensi mandatur, quatenus Andreae Johannis de Jevíčko[a]) canonico ecclesiae s. Petri Vyšehradensis[b]) canonicatum et praebendam ecclesiae Pragensis, per obitum Martini de Olomucz, qui extra Romanam curiam decessit, vacantes et eo adhuc vivente, „videlicet XI. kal. Octobris proxime preteriti," (1386 Septembris 21) dispositioni apostolicae reservatos, auctoritate apostolica conferat. „Dignum arbitramur" „Luce VII. kal. Februarii pont. n. a. IX."

Lucae, 1387 Januarii 26.

Copia valde abbreviata in Reg. litt. recept. in canon. Prag. fol. 108[a] — [a]) ‚Gewiczka' [b]) ‚Wissegraden'. — Hae litterae bulla plumbea in cordula canapea bullatae 1387 Junii 12 capitulo exhibitae sunt, et 1387 Junii 16 praefatus Andreas in canonicum ad dictam praebendam receptus est.

---

137. Officiali Pragensi mandatur, quatenus Francisco de Jevíčko canonicatum et praebendam in ecclesia Olomucensi vacantes conferat.

Lucae, 1387 Januarii 26.

Urbanus . . . . officiali Pragensi . . . . Dignum arbitramur . . . . Dudum siquidem intendentes de canonicatu et prebenda ecclesie Olomucensis, quos quondam Martinus de Olomucz ipsius ecclesie canonicus tunc temporis obtinebat cum illos vacare contingeret per apostolice sedis providenciam ordinari, canonicatum et prebendam predictos, dum adhuc idem Martinus ageret in humanis, videlicet kalendis Octobris proxime preteriti, collacioni et disposicioni nostre duximus ea vice specialiter reservandos . . . . Cum itaque postmodum canonicatus et prebenda predicti per eiusdem Martini obitum, qui extra Romanam curiam decessit, vacaverint et vacent ad presens . . . ., nos volentes . . . . Franciscum Johannis de Gewiczke canonicum ecclesie s. Petri Wissegradensis Pragensis, qui, ut asseritur, carissimi in Chr. filii nostri Wenceslai Romanorum

et Boemie regis illustris notarius existit, ... favore prosequi gracioso, discrecioni tue . . . . mandamus, quatenus, si . . . . eundem Franciscum ad hoc ydoneum esse reppereris, canonicatum et prebendam predictos, quorum fructus . . . . undecim marcharum argenti puri . . . . valorem annuum . . . . non excedunt, eidem Francisco auctoritate apostolica conferre et assignare procures . . . .; non obstantibus . . . ., quod dictus Franciscus canonicatum et prebendam ipsius ecclesie s. Petri, quorum fructus . . . . septem marcharum argenti puri . . . . valorem annuum . . . . non excedunt, noscitur obtinere, et quod dudum eidem de canonicatu sub expectacione prebende ecclesie Wratislauiensis graciose concessimus provideri . . . . Datum Luce septimo kal. Februarii a. nono.

Bibl. Vaticana, Cod. Ottobonianus 1443 (fragmentum originalis registri Urbani VI.) fol. 76 — In fine: N. XXII DE BENEVENTO. — Cf. supra nrm. 136.

---

138. *Franciscus abbas Milocensis quitatur de solutione partis suorum servitiorum-camerae sacri collegii.*

Lucae, 1387 Februarii 8.

Nos Franciscus [. . . . s. Eustachii dyaconus cardinalis, sacri collegii . . . . cardinalium camerarius, ... notum facimus], quod venerabilis in Chr. pater frater Franciscus abbas monasterii Milocensis Pragensis diocesis ord. premonstratensis pro complemento sui communis servicii . . . . viginti florenos auri de camera, solidos treginta tres, denarios quatuor monete Romane, et pro complemento unius minuti servicii florenum unum, solidos decem et octo, denarios decem monete predicte . . . . per manus honorabilium virorum Johannis Males[i]cz litterarum apostolicarum scriptoris necnon Henrici Dampna armigeri die date presencium solvi fecit . . . . Datum Luce sub anno a nativitate dom. millesimo trecentesimo octuagesimo septimo, indiccione decima, die octava mensis Februarii pont. . . . . anno nono.

Oblig. et sol. 47 fol. 33^{b} — In fine: III FL. III GR.

---

139. *Petrus episcopus Olomucensis quitatur de solutione partis suorum servitiorum camerae sacri collegii.*

Lucae, 1387 Februarii 11.

Nos Franciscus [. . . . s. Eustachii dyaconus cardinalis, sacri collegii . . . . cardinalium camerarius, ... notum facimus], quod reverendus in Chr. pater dom. Petrus episcopus Olomucensis pro parte partis sui communis servitii . . . . ducentos et octo florenos auri de camera, solidos decem, denarios quatuor monete Romane, et pro parte partis unius [minuti servicii . . . .] undecim florenos similes, solidos quatraginta quatuor, denarios decem monete predicte . . . . per manus venerabilis viri dom. Artlebi[a]) de Turri canonici Olomucensis die date pre-

sencium solvi fecit . . . .; . . . . terminum faciende solucionis residui dictorum communis et unius minuti serviciorum usque ad festum s. Micaelis de mense Septembris proxime futurum prorogamus . . . . Datum Luce sub anno a nativitate dom. millesimo trecentesimo octuagesimo septimo, indiccione decima, die undecima mensis Februarii pont. . . . . anno nono.

Oblig. et sol. 47 fol. 34[a] — In fine: III FL. III GR. — [a]) ‚Artleli' cod.

---

140. *Guilelmo episcopo Anconitano, nuntio apostolico, mandatur, ut personas ecclesiasticas in Bohemiae et aliis partibus consistentes ad subveniendum sedi apostolicae moneat.*

Lucae, 1387 Maii 12.

Urbanus . . . . Guilelmo episcopo Anconitano, thesaurario nostro, apostolice sedis nuncio . . . . Cum te pro quibusdam magnis et urgentibus nostris et Romane ecclesie per nos tibi commissis negociis ad Francie, Boemie, Nauarre, Dacie, Swecie et Norwegie regna necnon Alamanie, Lothoringie, Flandrie, Leodii et Hannonie partes presencialiter destinemus, et facultates camere apostolice, iam pridem plurimum exhauste, ad onera nobis et eidem ecclesie necessario incumbencia supportanda non suppetant ullo modo, sitque conveniens, ut devoti nostri et eiusdem ecclesie filii nobis et eidem ecclesie tamquam membra capiti ad huiusmodi supportanda onera de facultatibus eorum subveniant cum effectu, nos de fidelitate, sollicitudine et prudencia tua sumentes in domino fiduciam specialem, fraternitati tue per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus venerabilibus fratribus nostris archiepiscopis et episcopis, et dilectis filiis electis, abbatibus, prioribus et aliis prelatis inferioribus ac personis ecclesiasticis, secularibus et regularibus, exemptis et non exemptis ordinum quorumcunque regnorum et parcium predictorum necessitates et indigencias ecclesie predicte iuxta datam tibi a deo prudenciam diligenter exponas, ipsosque ex parte nostra attencius moneas et requiras, ut nobis et eidem ecclesie ad huiusmodi supportanda onera de facultatibus eorum velint prompte et liberaliter subvenire. Nos enim tibi illa, que per archiepiscopos, episcopos, electos, abbates, priores et prelatos ac personas huiusmodi racione subvencionis predicte oblata et tradita tibi fuerint seu eciam assignata, recipiendi, eosque de illis quitandi plenam et liberam tenore presencium concedimus potestatem. Volumus autem tibi[que] in virtute sancte obediencie districte precipiendo mandamus, quatenus de nominibus eorum, qui occasione predicta aliqua tradiderint et de traditis huiusmodi et de nominibus eciam contradicencium, si qui fuerint, quod absit, seu se excusancium et causis dictarum excusacionis vel contradiccionis nos per tuas literas certificare procures, ut occurrentibus casibus illos cognoscere et condignis favoribus et graciis prosequi valeamus. Datum Luce IV. idus Maii pont. n. a. decimo.

R. Vat. 311 fol. 57[b] — In fine: (sin.) F. DE LANZ[ANICO]; (dext.) DE CURIA, JO. JACOSI.

141. *Guilelmo episcopo Anconitano, nuntio apostolico, datur facultas ab omnibus collectoribus camerae apostolicae in Bohemiae et aliis partibus constitutis rationes requirendi.*

Lucae, 1387 Maii 12.

Urbanus . . . . Guilelmo episcopo Anconitano, thesaurario nostro, apostolice sedis nuncio . . . . Cum in Francie, Boemie, Nauarre, Dacie, Swecie et Norwegie regnis, necnon Alamanie, Lothoringie, Flandrie, Leodii et Hannonie partibus, ad que te pro quibusdam urgentibus nostris et Romane ecclesie negociis presencialiter destinamus, sint nonnulli collectores et succollectores fructuum et proventuum camere apostolice in eisdem regnis et partibus debitorum ac eciam alie diverse persone eiusdem camere in diversis pecuniarum summis et rerum quantitatibus ex diversis causis debitrices, et collectores et succollectores de receptis et administratis per eos computa reddere ac persone huiusmodi pecuniarum summas et rerum quantitates a se debitas eidem camere restituere neglexerint et negligant de presenti, nos . . . . fraternitati tue collectores ad tibi nostro et dicte camere nomine recipienti reddendum computa huiusmodi et reliqua consignandum, necnon personas huiusmodi ad restituendum a se pecuniarum summas et rerum quantitates huiusmodi debitas auctoritate nostra requirendi et compellendi, necnon huiusmodi computa videndi et examinandi et pecuniarum summas et rerum quantitates huiusmodi petendi, recipiendi et exigendi, et collectores ac succollectores de hiis, que pro ipsa camera legitime solverint, et eos ac personas huiusmodi de hiis, que tibi assignaverint, ut prefertur, quitandi, iberandi et absolvendi, necnon contradictores quoslibet et rebelles . . . . eadem auctoritate appellacione postposita . . . . compescendi, et eos eciam, si tibi secundum rebellionem eorum expediens videatur, ut coram nobis seu gentibus dicte camere certo peremptorio termino, per te illis ad id prefigendo, personaliter compareant, quod suadebit iusticia facturi et impleturi, citandi, et invocandi ad hoc, si opus fuerit, auxilium brachii secularis — non obstante, si collectores aut succollectores vel persone huiusmodi super premissis vel aliquo premissorum coram aliis forsan fuerint evocati .... plenam et liberam auctoritate apostolica tenore presencium concedimus facultatem. Volumus autem tibique in virtute sancte obediencie per apostolica scripta districte precipiendo mandamus, quatenus de singulis quitacionibus, quas propterea facere te continget, duo publica consimilia confici facias instrumenta, quorum altero penes te pro cautela retento, reliquum ad dictam cameram studeas destinare. Datum Luce IV. idus Maii pont. n. a. decimo.

R. Vat. 311 fol. 59[a] — In fine: (sin.) F. DE LANZ[ANICO]; (dext.) DE CURIA, H. DE SUSATO.

---

142. *Universis praelatis et clero atque omnibus dominis temporalibus mandatur, ut Guilelmo episcopo Anconitano, thesaurario apostolico et apostolicae sedis nuntio, pro quibusdam arduis negotiis ab eadem sede ei commissis ad Franciae, Bohemiae, Navarrae, Daniae,[a]) Sveciae et Norvegiae regna, necnon Alamanniae, Lotharingiae[b]), Flandriae et Hannoniae partes accessuro, de securo conductu provideant,*

praesentibus post unum annum minime valituris. „Luce idibus Maii pont n. a. decimo".

Lucae, 1387 Maii 15.

R. Vat. 311 fol. 57[a] — [a]) ‚Dacie' [b]) ‚Lothoringie' — In fine: (ad sin.) F. DE LANZ-[ANICO]; (ad. dext.) DE CURIA, MATHIAS.

---

143. *Universis praelatis et clero atque omnibus dominis temporalibus mandatur, ut Johanni de Austria cursori apostolico, qui ad Franciae, Bohemiae et nonnulla alia regna, necnon ad Italiae, Alamanniae et alias diversas partes pro certis sedis apostolicae negotiis accedit de praesenti, de securo conductu provideant, praesentibus post unum annum minime valituris. „Luce XIIII. kal. Junii pont. n. a. decimo".*

Lucae, 1387 Maii 19.

R. Vat. 311 fol. 61[a] — In fine (ad dext.): DE CURIA, T. FABRI.

---

144. *Archiepiscopo Pragensi mandatur, quatenus se informet de incorporationibus parrochialis ecclesiae in Lubenicz Misnensis dioc. ac capellae s. Oswaldi in castro Grymmis[a]) Merseburgensis dioc. monasterio Cellae s. Mariae ord. cisterciensis Misnensis dioc., quarum incorporationum prima per Witigonem episcopum Misnensem, altera per Gebehardum episcopum Merseburgensem[1]) facta est, easque auctoritate apostolica confirmet. „Sacre religionis" „Luce IX. kal. Junii pont. n. a. decimo."*

Lucae, 1387 Maii 24.

Ed. Borový, Libri erectionum III p. 278 nr. 419, (insertum litteris Johannis archiepiscopi Pragensis ddto. 1388 Martii 2, quarum copia ex originali archivii reg. Dresdensis nr. 4615 in diplomatario manuscripto musei regni Bohemiae habetur.) — [a]) ‚Grenmis' Borový — [1]) Witigo aa. 1320—1340 vel 1341 episcopus Misnensis erat, Gerhardus aa. 1312—1342 episcopus Merseburgensis.

---

145. *Petro de Pisis nuntio apostolico terminus, in quo ei personae ecclesiasticae singulis diebus in sex florenis auri respondere tenentur, iterum prorogatur.*

Lucae, 1387 Maii 28.

Urbanus . . . . Petro de Pisis legum doctori, in curia Romana advocato, nuncio nostro . . . . Alias te pro certis nostris et ecclesie Romane arduis negociis ad Bohemie et Ungarie regna necnon Austrie, Alamannie et nonnullas alias partes destinavimus ac venerabilibus fratribus nostris patriarchis, archiepiscopis et episcopis et dilectis filiis electis abbatibus, prioribus, prepositis, decanis et aliis ecclesiarum et monasteriorum prelatis ceterisque personis ecclesia-

sticis secularibus et regularibus ordinum quorumcunque per regna et partes predictas constitutis nostris dedimus litteris in mandatis, ut tibi huiusmodi negociorum prosecucione durante diebus singulis in sex florenis auri pro tuis expensis necessariis usque ad sex menses a data ipsarum literarum computandos responderent, prout in eisdem litteris plenius continetur; et deinde cum finis huiusmodi sex mensium instaret, nos terminum huiusmodi sex mensium tibi usque ad alios sex menses duximus prorogandum. Cum autem finis huiusmodi aliorum sex mensium instare noscatur, teque adhuc circa huiusmodi prosecucionem negociorum in regnis et partibus supradictis ulterius oporteat commorari, nos cupientes, ut huiusmodi negociorum prosecucio ad debitum perducatur effectum, terminum huiusmodi usque ad alios sex menses a fine huiusmodi prime prorogacionis computando cum omnibus modis et condicionibus in dictis contentis litteris auctoritate apostolica tenore presencium prorogamus, non obstantibus omnibus, que in huiusmodi primis litteris voluimus non obstare. Datum Luce V. kal. Junii pont. n. a. decimo.

R. Vat. 311 fol. 64^{b} — In fine: (ad sin) P. DE WSSERUB; (ad dext.) DE CURIA, P. DE INGELNHEIM.

---

146. *Venceslao episcopo Vratislaviensi et capitulo eiusdem ecclesiae, qui decimam triennalem, eis per Dobrogostium episcopum Poznaniensem et nuntium apostolicum impositam, necnon alias pecuniarum summas camerae apostolicae debitas solvere neglexerunt, tertia pars decimae triennalis remittitur, et sententiae contra eos per dictum Dobrogostium et Maffiolum archiepiscopum Messanensem latae suspenduntur.*

Lucae, 1387 Junii 1.

Urbanus . . . . Maffiolo archiepiscopo Messanensi, referendario, et Guilelmo episcopo Anconitano, thesaurario nostris, apostolice sedis nunciis . . . . Sedes apostolica pia mater recurrentibus ad eam cum humilitate filiis post excessum se libenter exhibet propiciam et benignam. Dudum siquidem . . . . Dobrogostinus (*sic*) episcopus Poznaniensis, apostolice sedis nuncius, ... Wenceslao episcopo et . . . capitulo Wratislauiensibus ac clero civitatis et diocesis Wratislauiensium decimam triennalem per eos in certis terminis camere nostre apostolice persolvendam de mandato nostro imposuit, ipsosque episcopum, capitulum et clerum per suas certi tenoris litteras moneri mandavit et fecit, ut huiusmodi decimam in certis terminis ad hoc per ipsum statutis et eciam medietatem omnium reddituum et proventuum quorumlibet beneficiorum vacancium[a]), qui a tempore, quo ad apicem summi apostolatus fuimus assumpti, obvenerunt, solverent primo, et deinde eciam tu, frater archiepiscope, ipsos auctoritate nostra monuisti et mandasti eisdem, ut de fructibus mense episcopalis Wratislauiensis, qui tempore vacacionis dicte ecclesie per obitum bone memorie Preczlai episcopi Wratislauiensis obvenerant[1]), et quos ad octo milia florenorum auri annis singulis a nonnullis ascendere asserebatur, ac de bonis seu spoliis per dictum Prezlaum episcopum relictis, et de quatuor milibus marcharum argenti, per capitulum dicte ecclesie de redditibus ipsius ecclesie, prefata ecclesia tunc pastore carente, clare memorie Carolo

Romanorum imperatori mutuatarum, in certis terminis eciam per te, frater archiepiscope, statutis satisfacerent cum effectu; alioquin tam tu, frater archiepiscope, quam idem Poznaniensis episcopus in episcopum Wratislauiensem et singulares personas excommunicacionis et suspensionis et in Wratislauiensem et alias ecclesias civitatis et diocesis Wratislauiensium interdicti sentencias promulgabatis, ipsique episcopus Wratislauiensis, capitulum et clerus monicionibus et mandatis huiusmodi infra dictos terminos parere neglexerunt, quodque (*sic*) eciam . . . . Henricus de Lobscicz, Guilelmus Stephani, Nicolaus de Gliwicz et Nicolaus de Selin canonici dicte ecclesie Wratislauiensis tempore, quo eidem ecclesie de persona prefati Wenceslai episcopi per nos fuit provisum[2]), ad efficiendum, quod prefati episcopus et capitulum Wratislauiense racionem et computum de hiis, que dicta ecclesia vacante de redditibus ipsius obvenerunt, infra certum terminum camere nostre apostolice racionem redderent et de illis, que restabant, responderent, se sub certis penis et sentenciis eciam excomunicacionum infra certum terminum summiserunt idque infra dictum terminum minime effecerunt, huiusmodi penas et sentencias eciam incurrendo. Cum autem, sicut exhibita nobis nuper pro parte ipsorum episcopi, capituli et cleri peticio continebat, ipsi ex certis causis erant impotentes ad huiusmodi triennalem decimam persolvendam, et quod (*sic*) modum non videbant, qualiter huiusmodi medii fructus beneficiorum a tanto tempore vacancium solvi possent, nec potuerunt de huiusmodi fructibus dicte mense, que non extabant, sed durante vacacione dicte ecclesie pro ipsius ecclesie bonorum ac iurium defensione, ut asserebant, erant expositi, [satisfacere][b]), dictaque bona et spolia non extabant, ac huiusmodi quatuor milia marcharum per fel. rec. Gregorium papam XI. predecessorem nostrum eidem Carolo imperatori fuerant remissa, pro parte episcopi et capituli Wratislauiensium ac cleri predictorum nobis fuerit humiliter supplicatum, ut cum ipsis in premissis pie ac mite agere ac moniciones et quoscunque processus, per te, frater archiepiscope, et episcopum Poznaniensem contra ipsos episcopum Wratislauiensem, capitulum et clerum occasione premissorum factos, suspendere, ipsosque eciam prefatos canonicos et alias singulares personas ab huiusmodi sentenciis absolvere et super irregularitate, si quam premissorum occasione contraxerunt, dispensare, et interdicta posita relaxare de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, licet de premissis omnibus et singulis plenam noticiam non habeamus, volentes tamen ipsis episcopo Wratislauiensi, capitulo et clero et aliis predictis in premissis favorabiles inveniri, huiusmodi supplicacionibus inclinati, unum annum seu terciam partem triennalis decime de apostolice liberalitatis munificencia ipsis episcopo Wratislauiensi, capitulo et clero remisimus et tenore presencium remittimus et donamus, ac processus, moniciones et mandata ac sentencias huiusmodi usque ad unum [annum][b]) a data presencium computandum suspendimus per presentes, ipsosque nichilominus et eorum singulos ab omnibus et singulis penis et sentenciis, in dictis contentis processibus et quas tam ipsi quam prefati canonici occasione premissorum quomodolibet incurrerunt, absolvimus, et super irregularitate, si quam ipsi vel aliquis eorum huiusmodi ligati sentenciis, non tamen in contemptum clavium, celebrando divina vel immiscendo se illis incurrerunt seu incurrit, dispensavimus et dispensamus, et quecunque interdicta occasione premissorum lata et posita relaxavimus et tenore presencium relaxamus. Volumus autem, quod ipsi episcopus et capitulum et

clerus huiusmodi primam decimam primi anni, si nondum est soluta, in natalis domini proxime ventura et secundam decimam huiusmodi in b. Michaelis de mense Septembris tunc proxime secutura festivitatibus eidem camere nostre apostolice vel prefato episcopo Poznaniensi aut succollectori vel succollectoribus per eum deputatis tradant realiter et eciam assignent. Alioquin, si in huiusmodi terminis vel ipsorum aliquo in solucione huiusmodi defecerint vel aliquis eorum defecerit, deficientes seu deficientem in pristinas penas et sentencias relabi volumus eo ipso, et tenore presencium ipsos et eorum quemlibet deficientem seu deficientes in easdem penas et sentencias relapsos fore declaramus. Quocirca fraternitati vestre . . . . committimus et mandamus, quatenus vos vel alter vestrum vocatis episcopo Wratislauiensi et capitulo predictis et aliis, qui fuerint evocandi, super premissis omnibus et singulis aliis vos diligenter informetis, et in hiis prout iustum fuerit auctoritate nostra decernatis et eciam ordinetis, facientes ea, que decreveritis et ordinaveritis, auctoritate predicta appellacione remota firmiter observari. Testes autem, qui fuerint nominati, si se gracia odio vel timore subtraxerint, per censuram ecclesiasticam appellacione cessante compellatis veritati testimonium perhibere, contradictores eadem auctoritate appellacione postposita compescendo; non obstantibus de una et de duabus dietis in concilio generali et aliis constitucionibus apostolicis contrariis . . . . Quidquam autem in premissis feceritis, gentes nostre camere apostolice per vestras aut alterius vestrum patentes litteras manu publica scriptas sigillis vestris vel alterius vestrum munitas certificare curetis, premissis, nisi per vos vel alterum vestrum interim debito fine terminata fuerint, post unum annum a data presencium computandum minime valituris, ipsosque episcopum Wratislauiensem, capitulum et clerum et alios in pristinas penas et sentencias relabi volumus eo ipso. Datum Luce kal. Junii pont. n. a. decimo.

Arm. XXXIII tom. 12 fol. 70[a] — [a]) ‚obveniencium' cod. [b]) Suppletum ab editore — In fine ad dext.: DE CURIA, H. DE SUSATO. — [1]) Preczlaus episcopus 1376 Apr. 6. obiit. [2]) i. e. 1382 Jul. 28.

147. *Castrucio Saginae et Antonio de Podio ac Martino Giuntorini civibus et mercatoribus Lucanis, sociis, factoribus et procuratoribus Dini et Michaelis et Leazarii de Guinisiis et sociorum, civium et mercatorum Lucanorum, facultas conceditur exigendi et recipiendi a quibuscunque collectoribus et succollectoribus ac aliis officialibus camerae apostolicae, in Alamanniae, Bohemiae, Ungariae, Poloniae, Slavoniae, Dalmatiae et Romaniae partibus consistentibus, necnon ab aliis quibuscunque personis nomine camerae apostolicae quascunque pecuniarum summas praeter communia servitia, de conscientia tamen Angeli episcopi Castellani, fructuum et proventuum dictae camerae in nonnullis partibus debitorum collectoris.*

„Gerentes de vestri" „Luce XIIII. kal. Septembris pont. n. a. decimo."

Lucae, 1387 Augusti 19.

R. Vat. 311 fol. 85[a] — In fine: (ad sin.) F. DE LANZANICO; (ad dext.) DE CURIA, T. FABRI — Ed. Theiner, Vetera monumenta Slavorum meridionalium historiam illustrantia I. p. 339 nr. 488.

148. *Angelo episcopo Castellano, fructuum et proventuum camerae apostolicae in nonnullis partibus debitorum collectori, facultas conceditur quitandi omnes collectores et succollectores ac alios officiales camerae apostolicae, in Alamanniae, Bohemiae, Ungariae, Poloniae, Slavoniae, Dalmatiae et Romaniae partibus consistentes, et alias quascunque personas de his, quae Castrucio Saginae et Antonio de Podio et Martino Giuntorini civibus et mercatoribus Lucanis nomine camerae apostolicae recipientibus persolverint. „Hodie dilectis filiis" „Luce XIIII. kal. Septembris pont. n. a. decimo."*

Lucae, 1387 Augusti 19.

R. Vat. 311 fol. 85 b — In fine: (ad sin.) F. DE LANZANICO; (ad dext.) JO. DE ANGLADIIS — Ed. Theiner, Vetera monum. Slavorum merid. I. p. 339 nr. 489.

---

149. *Semovito priori hospitalis s. Johannis Jerosolimitani in Bohemia, Moravia, Austria, Stiria et Carinthia remittitur medietas biennalis decimae, quam loco caritativi subsidii clero provinciae Pragensis impositi solvere tenebatur.*

Lucae, 1387 Septembris 1.

Urbanus . . . . Semouico priori hospitalis s. Johannis Jerosolimitani in Boemia, Morauia, Austria, Stiria et Carinthia . . . . Dudum . . . . Maffiolus Messanensis, tunc Rugasinus (*sic*) archiepiscopus, ... archiepiscopo Pragensi ac clero civitatis et diocesis ac provincie Pragensium omnibusque et singulis abbatibus, prioribus, prepositis quorumcumque ordinum et domorum pro nostri et ecclesie Romane evidentibus necessitatibus caritativum subsidium in certis solvendum terminis de mandato nostro imposuit, teque per suas certi tenoris litteras monuit et moneri mandavit et fecit, ut loco ipsius caritativi subsidii biennalem decimam de prioratu tuo in huiusmodi termino persolveres cum effectu, alioquin in te excommunicacionis sentenciam promulgabat. Et deinde idem archiepiscopus consideracione carissimi in Chr. filii nostri Wenceslai regis Romanorum illustris et dilecti filii nobilis viri Przemislai ducis Tessinensis, tui germani, intuitu huiusmodi solucionis terminum usque ad festum s. Michaelis proxime venturum prorogavit, tuque, sicut asseritur, impotens existis ad huiusmodi biennalem decimam loco predicti subsidii persolvendam. Quare pro parte tua nobis fuit humiliter supplicatum, ut tecum graciose agere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur consideracione regis et ducis intuitu predictorum nobis pro te super hoc humiliter supplicancium . . . . tibi mediam partem huiusmodi biennalis decime seu caritativi subsidii . . . . remittimus et donamus. Volumus tamen, quod aliam medietatem huiusmodi biennalis decime seu subsidii eidem archiepiscopo Messanensi vel succollectori aut succollectoribus per eum deputatis seu eciam deputandis in termino seu terminis per ipsum archiepiscopum Messanensem ad solvendum huiusmodi biennalem decimam statuto vel statutis tradas realiter et assignes. Alioquin si in huiusmodi termino seu terminis in solucione predicte medietatis defeceris, [te] in penas et sentencias in huiusmodi monicione dicti archiepiscopi contentas reincidere volumus eo ipso. Datum Luce kal. Septembris pont. . . . . a. decimo.

R. Vat. 311 fol. 94b — In fine: (ad sin.) P. DE WSSERUB; (ad dext.) DE CURIA, B. MONACHI.

---

150. *Semovito priori hospitalis s. Johannis Jerosolimitani in Bohemia, Moravia, Austria, Stiria et Carinthia mandatur, ut omnes pecuniarum summas, quas magistro hospitalis eiusdem et conventui Rhodi de prioratu suo dare consuevit, quamdiu dicti magister et conventus antipapae adhaeserint, camerae apostolicae persolvat.*

Lucae, 1387 Septembris 5.

Urbanus . . . . Semouico priori hospitalis s. Johannis Jerosolimitani in Boemia, Morauia, Austria, Stiria et Corinthia (*sic*) . . . . Dudum humani generis inimico procurante iniquitatis filii Johannes de Eredia olim magister hospitalis s. Johannis Jerosolimitani et conventus Rodi dicti hospitalis perdicionis alumno Roberto olim basilice duodecim Apostolorum presbytero cardinali, nunc antipape, qui se Clementem VII. ausu sacrilego nominare presumit, adheserant et adherent, et, ut dolenter accepimus, nedum pugnare contra paganos et alios crucis Christi inimicos desierunt, verum eciam fideles ac nobis et ecclesie Romane devotos impugnant. Nos igitur, qui super specula sumus militantis ecclesie constituti, prospicientes, prout prodolor est notorium, quod ecclesia ipsa per filios uteri sui, quos genuit, invaditur et ipsorum viperinis morsibus laceratur, ac cupientes predictorum invadencium perversos conatus reprimere et eidem ecclesie ipsiusque et nostris fidelibus de oportunis remediis, ne infideles ipsi ex fidelium contra fideles ipsos armentur facultatibus, providere, discrecioni tue sub excommunicacionis pena mandamus, quatenus omnes et singulas pecuniarum summas, quas magistro hospitalis s. Johannis Jerosolimitani pro tempore existenti et conventui Rodi dicti hospitalis de prioratu tuo dare consuevisti, pro tempore preterito non solutas persolvas et eciam in futurum tam tu quam successores tui, priores hospitalis s. Johannis Jerosolimitani in Boemia, Morauia, Austria Stiria et Carinthia, gentibus camere nostre apostolice, quamdiu magister et conventus predicti in rebellione nostra et ecclesie Romane perstiterint, in terminis consuetis tradatis et eciam realiter assignetis, non obstante, si tibi et magistris dicti hospitalis a sede apostolica sit indultum, quod interdici, suspendi, excommunicari non possitis, per literas apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mencionem. Nos enim predictis gentibus nostre camere te et successores ipsos de hiis, que a te et successoribus ipsis receperint, quitandi, liberandi et absolvendi plenam et liberam auctoritate apostolica tenore presencium concedimus facultatem. Datum Luce nonis Septembris pont. n. a. decimo.

R. Vat. 311 fol. 92b — In fine: (ad sin.) P. DE WSSEROB; (ad dext.) DE CURIA, MARCUS.

---

151. *Commune civitatis Lucanae quitatur de summa 50.000 florenorum auri, in qua quondam Carolo IV. Romanorum imperatori erat obligatum, quamque, cum idem imperator omne ius ad dictam summam ei competens Urbano papae V.*

cessisset, diversis temporibus camerae apostolicae persolvit. „Justis petencium" „Luce VII. idus Septembris pont. n. a. decimo".

Lucae, 1387 Septembris 7.

R. Vat. 311 fol. 93b — In fine: (ad sin). P. DE WSSERUB; (ad dext.) DE CURIA, G. DE PETRASANCTA — Ed. Theiner, Codex diplomaticus dominii temporalis S. Sedis II., Romae 1862, p. 611 nr. 646.

---

152. *Archiepiscopo Pragensi mandatur, quatenus auctoritate apostolica confirmet erectionem parrochialis ecclesiae s. Nicolai confessoris in Ottmuchov Vratislaviensis dioc. in collegiatam, et creationem praepositurae, decanatus et collegii duodecim canonicorum ac totidem praebendarum in eadem de redditibus eiusdem ecclesiae ac parrochialis ecclesiae in Bösdorf[a]) dictae dioc. et de annuo censu 154 marcarum argenti ex certis bonis stabilibus percipiendo, quem olim Bertoldus Fulschussil presbyter et physicus ad hunc finem assignavit, factas per Venceslaum episcopum Vratislaviensem. „Perusii IIII. idus Octobris pont. n. a. X."*

Perusii, 1387 Octobris 12.

Ed. Borový, Libri erectionum III. p. 301 nr. 444 (insertum litteris Johannis archiepiscopi Pragensis ddto. 1389 Sept. 27) — a) ‚Peytwinsdorff'

---

153. *Ecclesiam s. Aegidii Pragensem visitantibus indulgentiae conceduntur.*

Perusii, 1387 Novembris 27.

Urbanus ... universis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis.... Licet is, de cuius munere venit, ut sibi a suis fidelibus digne et laudabiliter serviatur, de abundancia sue pietatis, que merita supplicum excedit et vota bene servientibus sibi multo maiora retribuit, quam valeant promereri, nichilominus tamen desiderantes domino reddere populum acceptabilem et bonorum operum sectatorem, fideles ipsos ad complacendum sibi quasi quibusdam allectivis muneribus, indulgenciis scilicet et remissionibus, invitamus, ut exinde reddantur divine gracie apciores. Cum itaque, sicut accepimus, ecclesia s. Egidii Pragensis reparacione indigere noscatur, nos cupientes, quod dicta ecclesia congruis honoribus frequentetur et eciam reparetur, et ut Christi fideles eo libencius causa devocionis confluant ad eandem et ad reparacionem huiusmodi manus prompcius porrigant adiutrices, quo ibidem dono celestis gracie exinde uberius conspexerint se refectos, omnipotentis dei misericordia et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi omnibus vere penitentibus et confessis, qui in nativitatis, circumcisionis, epyphanie, resurreccionis, ascensionis et corporis domini nostri Jesu Christi et penthecostes, necnon in nativitatis, annunciacionis, purificacionis et assumpcionis b. Marie virginis et nativitatis b. Johannis Baptiste ac apostolorum Petri et Pauli et s. Egidii predictorum ac ipsius ecclesie dedicacionis festivitatibus et celebritate omnium sanctorum, necnon per ipsarum nativitatis, circum-

cisionis, epyphanie resurreccionis, ascensionis et corporis domini nostri ac nativitatis et assumpcionis b. Marie et nativitatis b. Johannis Baptiste et apostolorum Petri et Pauli predictorum festivitatum octavas et per sex dies dictum festum penthecostes immediate sequentes prefatam ecclesiam devote visitaverint annuatim et ad reparacionem huiusmodi manus porrexerint adiutrices, singulis videlicet festivitatum ac celebritatis unum annum et quadraginta dies, octavarum vero et sex dierum predictorum diebus, quibus predictam ecclesiam visitaverint et manus porrexerint adiutrices, ut prefertur, centum dies de iniunctis penitenciis misericorditer relaxamus, presentibus post decem annos minime valituris. Volumus autem, quod si alias visitantibus dictam ecclesiam vel ad eius reparacionem manus porrigentibus adiutrices aut alias inibi pias elemosinas erogantibus seu alias aliqua alia indulgencia in perpetuum vel ad certum tempus nondum elapsum duratura per nos concessa fuerit, vel si alie consimiles littere super huiusmodi gracia sub presentis diei data alias confecte appareant, huiusmodi presentes littere nullius existant roboris vel momenti. Datum Perusii V. kal. Decembris pont. n. a. decimo.

Copia harum litterarum ex originali ecclesiae s. Aegidii Antiquae civitatis Pragensis habetur in diplomatario manuscripto musei regni Bohemiae, iuxta quam originale, cui in filo serico bulla plumbea Urbani VI. appendet, sequentes notas habet: (in plica ad dext.) JO. RACZOW; (sub plica ad sin.) XVI, A. DE CARETA, L. DE SUESSA; (a tergo) R[EGISTRATA].

---

154. *Petro abbati monasterii beatorum Petri et Pauli apostolorum in Vilémov ordinis s. Benedicti Pragensis dioc., cui dudum a sede apostolica concessum est, ut, quamdiu vixerit, mitra, baculo, anulo et aliis insigniis pontificalibus uti posset, ad supplicationem Venceslai Romanorum et Bohemiae regis indulgetur, ut etiam successores eius dictis insigniis uti, et ut tam ipse Petrus quam eius successores benedictionem solemnem in dicto monasterio et prioratibus ac ecclesiis ad illud pertinentibus post missarum vesperarum et matutinorum solemnia ac etiam post mensam elargiri possint. „Exposcit vestre devocionis“ „Perusii V. kal. Decembris pont. n. a. decimo“.*

Perusii, 1387 Novembris 27.

Editum apud Dobner, Monum. hist. Bohemiae VI. p. 431 (Diplomatarium Willemoviense nr. 47). Copia ex originali archivii Břevnoviensis B. IX. 276 habetur in diplomatario manuscripto musei regni Bohemiae. Juxta quam copiam originale has notas habet: (in plica ad dext.) REGISTRATA GRATIS WILHELMUS VI.; (sub plica ad sin.) LX COM[PUTAVI], (a tergo), R[EGISTRATA]; in filo serico autem bulla plumbea Urbani VI. appendet.

---

155. *Mathiae de ‚Wesena‘ providetur de canonicatu sub exspectatione praebendae ac officii sine cura ecclesiae Vratislaviensis.*

Perusii, 1387 Decembris 22.

Urbanus . . . . magistro Mathie Birkonis de Wesena canonico Wratislauiensi, scriptori nostro . . . . Grata tue devocionis . . . . Volentes itaque tibi, qui, ut asseritur, in scribendo minutas litterarum nostrarum secretarum et de curia longis temporibus fideliter laborasti, prout laboras, ... graciam facere specialem, canonicatum ecclesie Wratislauiensis . . . . apostolica tibi auctoritate conferimus et de illo eciam providemus, prebendam vero ac officium sine cura, si qua in dicta ecclesia vacant ad presens vel simul aut successive vacaverint, ... conferenda tibi . . . . donacioni apostolice reservamus . . . .; non obstantibus . . . ., quod tibi, ut asseris, de beneficio ecclesiastico cum cura vel sine cura ad collacionem . . . . episcopi et capituli predictorum [Wratislauiensium] ac . . . . prepositi, decani, scolastici, custodis, cantoris singulorumque canonicorum et personarum dicte ecclesie . . . . pertinente graciose concessimus provideri. Volumus autem, quod. quamprimum . . . . canonicatum et prebendam seu officium huiusmodi fueris pacifice assecutus, predicta concessionis gracia et quecunque inde secuta sint cassa et irrita . . . . Nulli ergo . . . . Datum Perusii XI. kal. Januarii anno decimo.

Bibl. Vat. — Cod. Ottob. 2268 (formularium cancellariae apostolicae) fol. 5^{b}.

---

156. *Archiepiscopo Pragensi mandatur, quatenus auctoritate apostolica decernat supplicationem Hynkonis baronis baroniae de Waldstein Pragensis dioc. et Adelheidis ducissae Stetinensis, qui se olim certa verba conditionalia non intendentes per ea matrimonium contrahere protulisse asserunt, atque petunt, ut, cum conditiones tunc expressae subsecutae non fuerint, ex prolatione praedictorum matrimonium non stetisse declaretur.* „*Exhibita nobis*“ „*Perusii IIII. kal. Januarii pont. n. a. decimo.*“

Perusii, 1387 Decembris 29.

Ed. Borový, Libri erectionum III. p. 314 nr. 460 (insertum litteris Johannis archiepiscopi Pragensis ddto. 1388 Oct. 13)

---

157. *Johanni dicto Russ providetur de canonicatu sub exspectatione praebendae ecclesiae Pragensis.* „*Vite ac morum*“ „*Perusii IIII. kal. Januarii pont. n. a. decimo*“ — *Simili modo episcopo Tudensi et s. Ambrosii ac s. Jeronimi Slavorum Novae civitatis Pragensis monasteriorum abbatibus.*

Perusii, 1387 Decembris 29.

Harum litterarum in Reg. litt. recept. in canon. Prag. fol. 118 fit mentio; quae 1388 Julii 28 nomine „dom. Johannis dicti Russ plebani ecclesie in Herman Pragensis dioc.“ capitulo praesentatatae sunt (gratiosa cum bulla in filis sericeis rubei et glauci coloris, executoria cum bulla in cordula canapea) et 1388 Julii 30 dictus Johannes in canonicum est receptus ibid fol. 117^{a} et 118^{b}) — a) ‚Sclauorum‘.

158. *Bohunko Bonkonis ordinis fratrum minorum professor in capellanum sedis apostolicae recipitur. „Virtutibus clarens“ „Perusii V. idus Februarii pont. n. a. decimo.“*

Perusii, 1388 Februarii 9.

R. Vat 311 fol. 233[b] — In fine (ad dext.): PRO P. DE WSSERUP JO. RACZOW, R[EGISTRATA] — Altera copia sine dictis subscriptionibus in Armar. XXXI tom. 36 fol. 17[b].

---

159. *Nicolao Puchník providetur de canonicatu et praebenda ecclesiae Pragensis vacantibus.*

Perusii, 1388 Februarii 18.

Urbanus . . . . Nicolao Puchnik canonico Pragensi, licenciato in decretis . . . . Litterarum sciencia, vite ac morum honestas . . . . Dudum siquidem intendentes de canonicatu et prebenda ecclesie Pragensis, quos quondam Wenceslaus dictus Pleskot ipsius ecclesie canonicus tunc temporis obtinebat, cum ipsas vacare contingeret, per apostolice sedis providenciam ordinari, canonicatum et prebendam predictos, dum adhuc idem Wenceslaus ageret in humanis, videlicet kal. Decembris proxime preteriti, collacioni et disposicioni nostre duximus ea vice specialiter reservandos . . . . Cum itaque postmodum canonicatus et prebenda predicti per eiusdem Wenceslai obitum, qui extra Romanam curiam diem clausit extremum, vacaverint et vacare noscantur ad presens, ... nos volentes tibi, qui eciam, ut asseritur, magister in artibus et in decretis cum rigore examinis licenciatus et officialis Pragensis existis, pro quo eciam . . . . Johannes archiepiscopus Pragensis nobis super hoc humiliter supplicavit, ... [graciam] facere specialem, canonicatum et prebendam predictos, quorum fructus . . . . viginti quatuor marcarum argenti puri . . . . valorem annuum . . . . non excedunt, sic vacantes, eciam si dictus Wenceslaus fructuum et proventuum camere apostolice debitorum collector vel succollector aut dicte sedis vel alicuius ex . . . . s. Romane ecclesie cardinalibus capellanus vel familiaris fuerit . . . ., apostolica tibi auctoritate conferimus et de illis eciam providemus . . . .; non obstantibus . . . ., quod in Olomucensi et in Melnicensi canonicatus et prebendas obtines, et super parrochiali in Hertwikouicz Pragensis et Olomucensis diocesium, quorum omnium fructus . . . . quinquaginta marcharum argenti . . . . valorem annuum . . . . non excedunt, in palacio apostolico litigas, ac in dicta Pragensi ecclesiis auctoritate ordinaria in canonicum es receptus, et quod beneficium ecclesiasticum cum cura vel sine cura ad collacionem . . . . episcopi Olomucensis pertinens auctoritate quarundam litterarum nostrarum te asseris expectare. Volumus autem, quod, quamprimum vigore presencium dictos canonicatum et prebendam ecclesie Pragensis fueris pacifice assecutus, canonicus ecclesie Pragensis racione recepcionis huiusmodi esse desistas . . . . Datum Perusii XIII. kal. Marcii pont. n. a. decimo.

[Executoria.] Urbanus . . . . episcopo Tudensi et . . . . monasterii Sderasiensis Pragensis per prepositum soliti gubernari ac ecclesie Misnensis prepositis . . . .

Reg. litt. recept. in canon. Prag. fol. 115a — Hae litterae, gratiosa cum bulla in filis sericeis rubei et glauci coloris, executoria cum bulla in cordula canapea, 1388 Aprilis 15 capitulo praesentatae sunt, et dictus Nicolaus statim receptus.

---

160. *Praepositi Zderaziensis Pragensis et in Cunicz Olomucensis dioc. monasteriorum ac decanus ecclesiae Pataviensis conservatores abbatis et conventus monasterii in Břevnovia ord. s. Benedicti prope Pragam usque ad quinquennium instituuntur. „Militanti ecclesie“ „Perusii XV. kal. Maii pont. n. a. decimo.“*

Perusii, 1388 Aprilis 17.

Editum ap. Dobner, Monum. hist. Bohemiae VI p. 107 (Historia diplom. Brzewnoviensis nr. 121). Copia ex originali archivii Břevnoviensis B III. 108 habetur in diplomatario manuscripto musei regni Bohemiae; iuxta quam originale sequentes notas habet: (in plica ad dext.) PRO GRABIELE JA. DE FULGINEO; (a tergo) JO. SWANCKO, R[EGISTRATA].

161. *Johannes archiepiscopus Pragensis quitatur de mille sexcentis florenis auri eius nomine camerae apostolicae persolutis.*

Perusii, 1388 Aprilis 17.

Urbanus . . . . Johanni archiepiscopo Pragensi . . . . Nuper dilectus filius magister Petrus de Wserob archidiaconus Horssouiensis in ecclesia Pragensi, secretarius noster, pro parte tua in extenuacionem pecuniarum summe, in qua camere nostre apostolice racione cuiusdam medietatis decime pro nobis et dicta camera apostolica per te recollecte obligatus existis, et ad quas persolvendas in festo sancti Georgii proxime futuro te sub certis penis efficaciter obligaveras, mille et sexcentos florenos auri de Ungaria nobis realiter assignavit. Nos cupientes te ac successores et heredes tuos indempnes reddere, te ac successores et heredes predictos de predictis mille et sexcentis florenis auri tenore presencium quitamus, absolvimus et eciam liberamus, tibique persolvendi medietatem residui pecuniarum huiusmodi primam diem quadragesime proxime venturam pro primo, et pro secundo terminis secunde medietatis huiusmodi festum sancti Galli de mense Octobris tunc proxime secuturum de uberioris dono gracie assignamus et eciam prorogamus. Nulli ergo . . . . Datum Perusii XV. kal. Maii pont. a. decimo.

R. Vat. 311 fol. 170a — In fine: (ad sin.) P. DE WSEROB, XX, VALASCUS, N. DE PIPERNO; (ad dext.) L. RODINUS.

---

162. *Bandello episcopo Civitatis Castelli, nuntio apostolico, facultas conceditur, ab universis collectoribus, inquisitoribus haereticae pravitatis ac praedicatoribus verbi crucis infrascriptarum diocesium de omnibus per eos receptis et gestis rationes exigendi.*

Perusii, 1388 Junii 2.

Urbanus .... Bandello episcopo Civitatis Castelli, apostolice sedis nuncio .... Cum te, de cuius diligencia, fidelitate et prudencia aliisque virtutibus, quibus, prout experiencia certa nobis innotuit, te dominus insignivit, pro certis arduis nostris et apostolice camere per nos tibi commissis negociis ad nonnullas Alamanee et Boemie partes presencialiter destinemus, fraternitati tue auctoritate nostra vocandi ad personam tuam omnes et singulos collectores et succollectores fructuum et proventuum camere apostolice in Coloniensibus, Treuerensibus, Maguntinensibus, Salczeburgensibus, Magdeburgensibus et Pragensibus civitatibus, diocesibus et provinciis ac toto regno Boemie debitorum, apostolica vel alia quavis auctoritate hactenus deputatos, necnon commissarios et locatenentes eorum, quocunque nomine nuncupentur, et inquisitores heretice pravitatis ac eciam predicatores verbi crucis, per nos seu auctoritate nostra ad civitates, dioceses, provincias et regnum predicta transmissos, ipsosque ad exhibendum tibi libros seu quaternos, in quibus recepta, exacta, soluta et gesta per eos et quemlibet eorum nomine dicte camere describuntur, necnon de huiusmodi receptis, exactis, solutis et gestis raciones et computa reddendum et reliqua consignandum appellacione cessante compellendi, et huiusmodi raciones et computa videndi, calculandi et examinandi, necnon super premissis omnibus et singulis summarie, simpliciter et de plano ac sine strepitu et figura iudicii inquirendi diligencius veritatem, teque de illis informandi, ac ab eisdem collectoribus, succollectoribus, commissariis, locatenentibus, inquisitoribus et predicatoribus verbi crucis illa, que ex receptis et exactis per eos nomine predicto restant ad solvendum et huiusmodi per nos tibi commissorum negociorum prosecucione durante quovis nomine predicto recipient, petendi, exigendi, recuperandi et recipiendi, ipsosque .... de hiis, que dicte camere vel pro ea seu tibi legitime solverint, quitandi, absolvendi et perpetuo liberandi; et nichilominus [eos] ex collectoribus, subcollectoribus, commissariis, locatenentibus, inquisitoribus et predicatoribus verbi crucis, quos per inquisicionem et informacionem huiusmodi deliquisse seu excessisse reppereris in premissis, corrigendi et puniendi iuxta canonicas sancciones, ipsosque, si tuis mandatis parere contempserint et tibi videatur, ut certo competenti termino peremptorio per te illis prefigendo conspectui apostolico se personaliter presentent pro meritis recepturi, citandi; contradictores quoque quoslibet et rebelles .... per censuram ecclesiasticam appellacione postposita compescendi, ac alios ex collectoribus, succollectoribus, commissariis, locatenentibus, inquisitoribus et predicatoribus verbi crucis, qui tuorum mandatorum fuerint contemptores, ab eorum officiis ad tempus, de quo tibi videbitur, suspendendi, et movendi ad hoc si opus fuerit auxilium brachii secularis; illos insuper, qui sentencias propterea per te ferendas incurrerint quovis modo, ab eisdem sentenciis, si hoc humiliter pecierint, post satisfaccionem debitam absolvendi in forma ecclesie consueta, ... et cum eis super irregularitate, si quam celebrando divina officia vel inmiscendo se illis, non tamen in contemptum clavium, contraxerint, ipsis prius a suorum ordinum ad tempus, de quo tibi expediens videatur, execucione suspensis, dispensandi .... [concedimus .... facultatem]. Datum Perusii IV. nonas Junii pont. n. a. undecimo.

R. Vat. 311 fol. 176^{b} — In fine: (ad sin.) F. DE LANZ[ANICO]; (ad dext.) DE CURIA, JA. DE FULGINEO.

163. *Universis praelatis et clero mandatur, ut magistro Johanni Aegidii praeposito ecclesiae Leodiensis, capellano apostolico, apostolicae sedis nuntio et litterarum apostolicarum contradictarum auditori, utriusque iuris doctori, ad regnum Bohemiae, necnon Italiae, Alamanniae et nonnullas alias partes pro certis ecclesiae Romanae arduis negotiis destinato, huiusmodi negotiorum prosecutione durante diebus singulis de sex florenis auri pro eius expensis et de securo conductu provideant, praesentibus post unum annum minime valituris. „Perusii III. idus*[a]) *Junii pont. n. a. undecimo.“*

Perusii, 1388 Junii 11.

R. Vat. 311 fol. 186[b] — [a]) ‚indic.‘ — In fine: (ad sin.) P. DE WSERUB; (ad dext.) DE CURIA, B. MONICHI.

---

164. *Collectoribus camerae apostolicae in provincia Pragensi et partibus Alamanniae constitutis mandatur, ut Johanni Aegidii nuntio apostolico de quadam florenorum summa de pecuniis dictae camerae provideant.*

Perusii, 1388 Junii 15.

Urbanus .... universis et singulis collectoribus et succollectoribus fructuum et proventuum in civitate et diocesi ac provincia Pragensibus et partibus Alamannie camere apostolice debitorum auctoritate apostolica deputatis .... Nuper dilectum filium magistrum Johannem Egidii prepositum ecclesie Leodiensis, cappellanum nostrum, apostolice sedis nuncium et literarum apostolicarum contradictarum auditorem, utriusque iuris doctorem, ad regnum Boemie et Alamannie ac nonnullas alias partes pro certis nostris et ecclesie Romane arduis negociis presencialiter duximus destinandum sibique pro ipsius provisione seu procuracione pro eius expensis necessariis diebus singulis certam summam florenorum auri per prelatos et clerum regni et parcium predictarum ei persolvendam duximus deputandam, prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur[1]), et, ut accepimus, idem nuncius noster procuraciones huiusmodi a prelatis et clero predictis exigere commode non poterit, timeatque propterea huiusmodi negociorum prosecucionem posse retardari, nos, ne prosecucio negociorum huiusmodi propter defectum sumptuum, quos ipsum nuncium nostrum in eundo et redeundo oportet subire, retardari valeat, providere volentes, discrecioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus vos et vestrum singuli, quos nuncius ipse per se vel procuratorem suum legitimum aut certum nuncium duxerit requirendos, eidem nuncio nostro pro sex mensibus vel pro tanto tempore, quanto in huiusmodi negociorum prosecucione in dictis partibus steterit, de tanta florenorum summa de pecuniis camere nostre apostolice, quas penes vos habetis et habebitis in futurum, quibuslibet occasione et dilacione semotis provideatis, quantum se extendit summa, si eidem nuncio per huiusmodi sex menses in quatuor florenis auri diebus singulis provideretis. Volumus autem, quod si dictus nuncius huiusmodi summam florenorum auri a vobis vel aliquo aut aliquibus vestrum receperit, illud, quod ex huiusmodi procuracionibus recipiet, gentibus camere nostre apostolice nomine nostro recipientibus restituere vel in extenuacionem huiusmodi summe florenorum auri a vobis

recipiende deducere teneatur. Nos enim eidem nuncio aut procuratori suo legitimo vos et vestrum singulos quitandi, liberandi et absolvendi de hiis duntaxat, que sibi assignaveritis, plenam et liberam tenore presencium concedimus facultatem. Volumus insuper, quod de hiis, que sibi assignaveritis, recognicionem et caucionem ydoneam recipiatis ab eodem, et de recognicione huiusmodi et premissis omnibus, que vos cum prefato nuncio nostro peragere contigerit, gentes camere nostre apostolice certificare curetis. Datum Perusii XVII. kal. Julii pont. n. a. undecimo.

R. Vat. 311 fol. 186[a] — In fine: (ad sin.) P. DE WSSERUB; (ad dext.) DE CURIA, ERASMUS — [1]) Cf. nr. 163.

---

165. *Johannes dictus Štěkna*[a]) *monachus monasterii in Aula Regia cisterciensis ord. Pragensis dioc. in sedis apostolicae capellanum recipitur. „Virtutibus clarens" „Perusii XIII. kal. Julii pont. n. a. undecimo."*

Perusii, 1388 Junii 19.

R. Vat. 311 fol. 195[b] — [a]) ‚Stiekna' — In fine: (ad sin) X, OLDRADUS, G. GREGORII COM[PUTAVI]; (ad dext.) P. DE INGELNHEIM — Altera copia sine subscriptionibus: Armar. XXXI tom. 36 fol. 17[a].

---

166. *Johani de Malesicz providetur de canonicatu et praebenda ac scholastria ecclesiae Pragensis vacantibus.*

Romae, 1388 Septembris 4.

Urbanus . . . . magistro Johanni de Malesicz canonico et scolastico ecclesie Pragensis, scriptori nostro . . . . Grata tue devocionis obsequia . . . . Dudum siquidem intendentes de canonicatu et prebenda cum obedienciis ac scolastria ecclesie Pragensis, quos quondam Adalbertus de Eri[ci]nio ipsius ecclesie canonicus et scolasticus tunc temporis obtinebat, cum eos vacare contingeret, per apostolice sedis providenciam ordinari, canonicatum et prebendam cum obedienciis ac scolastriam predictos, dum adhuc idem Adalbertus ageret in humanis, videlicet kal. Junii proxime preteriti, collacioni et disposicioni nostre duximus ea vice specialiter reservandos . . . . Cum itaque postmodum canonicatus et prebenda cum obedienciis ac scolastria predicti per obitum eiusdem Adalberti, qui extra Romanam curiam diem clausit extremum [1]), vacaverint et vacent ad presens . . . . nos volentes tibi, qui eciam litterarum apostolicarum abbreviator existis et, ut asseritur, in negociis legacionis . . . . Philippo episcopo Ostiensi per nos commisse te multis periculis exposuisti et exponere non desistis, ... consideracione ipsius episcopi, pro te, dilecto familiari suo continuo commensali, nobis super hoc humiliter supplicantis, graciam facere specialem teque in dicta ecclesia amplius honorare, canonicatum et prebendam cum obedienciis ac scholastriam predictos, quorum omnium fructus . . . . nonaginta sex marcharum argenti puri . . . . valorem annuum . . . . non excedunt, sive premisso sive alio quovis

modo aut ex alterius cuiuscunque persona vacent, eciam si scolastria ipsa dignitas curata, non tamen maior post pontificalem in eadem ecclesia existat et ad eam consueverit quis per eleccionem assumi, dictusque Adalbertus vel persona huiusmodi sedis predicte cappellanus aut alias officialis vel fructuum et proventuum camere apostolice debitorum collector vel succollector seu alicuius ex .... sancte Romane ecclesie cardinalibus familiaris fuerit, dummodo ipsorum canonicatus et prebende cum obedienciis ac scolastrie disposicio ad nos hac vice dumtaxat pertineat . . ., apostolica tibi auctoritate conferimus et de illis eciam providemus . . . .; non obstantibus . . . ., quod, ut asseritur, in predicta Pragensi perpetuam vicariam ‚vicariam prepositure' nuncupatam, necnon auctoritate quarundam litterarum nostrarum sub expectacione prebende ac dignitatis personatus vel officii cum cura vel sine cura, et in s. Appollinaris Pragensi ecclesiis cum prebenda canonicatus obtines, ac super canonicatu et prebenda ecclesie Olomucensis, quorum quidem Olomucensis et s. Appollinaris ecclesiarum predictarum canonicatuum et prebendarum fructus .... triginta marcharum argenti puri .... valorem annuum non excedunt, in palacio apostolico nosceris litigare. Volumus autem, prout eciam id sponte voluisti, quod, quamprimum vigore presencium canonicatum et prebendam cum obedienciis aut scolastriam predictos fueris pacifice assecutus, predictam vicariam .... omnino dimittere tenearis, quodque predicte littere, per quas canonicatum dicte maioris ecclesie obtines et prebendam ac dignitatem vel personatum seu officium huiusmodi, ut prefertur, expectas, ac processus habiti per easdem et quecunque inde secuta sint cassa et irrita nulliusque roboris vel momenti .... Datum Rome ap. S. Petrum II. nonas Septembris pont. n. a. undecimo.

[Executoria.] Urbanus .... archiepisco Rauennatensi et .... preposito ecclesie Brixinensis ac . . officiali Pragensi ....

Reg. litt. recept. in canon. Prag. fol. 121 a, executoria fol. 122 b — Vigore harum litterarum Johannes de Malesicz 1388 Dec. 7 ad scholastriam et praebendam supradictas a capitulo receptus est (ibid fol. 120 a). — [1]) Mag. Adalbertus obiit 1388 Aug. 15.; cf. Tadra. Mistr Vojtěch in Časop. čes. musea 1879 p. 550.

167. Mathias de Strobicz quitatur de solutione partis fructuum de archidiaconatu Opoliensi ab ipso illegitime perceptorum camerae apostolicae.

Romae, 1389 Januarii 7.

Marinus miseracione divina s. Marie Noue diaconus cardinalis, domini pape camerarius, universis .... salutem .... Universitati .... [notum facimus], quod honorabilis vir dominus Mathias de Strobicz decanus ecclesie Opoliensis pro parte partis fructuum, reddituum et proventuum per ipsum perceptorum de archidiaconatu Opoliensi eidem arrendato per iniquitatis filium Bartolomeum olim tituli s. Laurencii in Damaso presbyterum cardinalem, vulgariter dictum de Janua, centum quinquaginta florenos auri de camera, ipso tamen domino Mathia remanente adhuc efficaciter obligato apostolice camere in residuo dictorum fructuum per ipsum perceptorum in ducentis quatraginta octo florenis similibus, nobis die

date presencium solvit realiter cum effectu; de quibus centum quinquaginta florenis auri de camera sic nobis datis et solutis dictum dominum Mathiam eiusque heredes et successores et omnes, quorum interest vel intererit seu interesse posset vel poterit in futurum, tenore presencium quitamus, absolvimus et eciam liberamus .... Datum Rome sub anno domini MCCCLXXXVIIII indiccione XII, die VII. mensis Januarii, pont..... anno XI.

Armar. XXIX tom. 1 (diversa cameralia nr. 1980) fol. 4b — In margine alia manu adcriptum: „Nota, quod ista peccunia fuit asignata per dictum solventem in camera domini nostri fratri Athenasio cubiculario prefati domini nostri de ipsius domini nostri mandato, nec fuit soluta in camera".

---

168. *Nicolao Friberg et Nicolao Mroczkonis sequestratoribus fructuum ad Mathiam de Strobicz spectantium mandatur, ut dicto Mathiae tradant 248 florenos auri.*

Romae, 1389 Januarii 18.

Marinus [.... s. Marie Noue diaconus cardinalis, domini pape camerarius] honorabilibus et discretis viris dominis Nicolao Friberg canonico Lubucensis et Nicolao Mroczkonis custodi s. Crucis Opoliensis Wratislauiensis diocesis ecclesiarum .... Cum olim fueritis sequestratores fructuum, reddituum et proventuum, ad venerabilem virum dom. Mathiam de Strobicz decanum dicte eccclesie Opoliensis spectancium, videlicet ipsius decanatus et mansionarie in ecclesia Wratislauiensi ac tredecim marcharum redditus temporalium ad instanciam reverendissimi in Christo patris dom. Raynaldi s. Viti in Macello diaconi cardinalis ex nonnullis causis auctoritate apostolica deputati, et computacione temporum facta percepcionis dictorum fructuum ac ipsius archidiaconatus vacacionis, pro quibus dicti fructus, redditus et proventus ad cameram apostolicam spectare noscantur, repperimus, quod camera ipsa restaret habere de dicto sequestro ducentos quadraginta octo florenos, computatis centum et quinquaginta florenis auri iam solutis per dictum decanum camere supradicte: quare vobis et vestrum cuilibet in virtute sancte obediencie et sub excommunicacionis pena ... mandamus, quatenus prefato dom. Mathie decano infra novem dies a die recepcionis presencium computandos, quos dies pro primo, secundo et tercio ac peremtorio termino ac monicione canonica deputamus et vobis eciam assignamus, prefatos ducentos quadraginta octo florenos nostro et apostolice camere nominibus realiter et cum effectu tradatis et assignare studeatis, cum idem decanus ad solvendum dictorum florenorum summam infra certum prefixum sibi terminum ydonee se obligaverit in camera supradicta. Nos enim dicto dom. Mathie decano de pecuniis predictis dumtaxat, quas nomine dicte camere a vobis receperit de sequestro predicto, plenam potestatem vos quitandi, liberandi et absolvendi tenore presencium concedimus .... Datum Rome apud S. Petrum sub anno domini millesimo trecentesimo octuagesimo nono, indiccione duodecima, die decima octava mensis Januarii, pont..... a. undecimo.

Armar. XXIX tom. 1 fol. 3 — In fine: VISUM F. DE PAL.

---

169. *Abbati monasterii Břevnoviensis prope Pragam ord. s. Benedicti eiusque successoribus, quibus dudum a sede apostolica concessum est, ut mitra, baculo pastorali, cirotecis, anulo, sandaliis et aliis insignis pontificalibus uti possent, indulgetur, ut in dicto monasterio et prioratibus ac ecclesiis ad illud pertinentibus benedictionem solemnem in missa et post vesperorum et matutinorum solemnia ac post mensam elargiri possint. „Exposcit vestre devocionis" „Rome ap. S. Petrum VII. kal. Februarii pont. n. a. undecimo".*

Romae, 1389 Januarii 26.

Editum apud Dobner, Monum. hist. Bohemiae VI. p. 110 (Historia diplom. Brewnov. nr. 123). Copia huius bullae ex originali in archivio Břevnoviensi B. IV. 111 habetur in diplomatorio manuscripto musei regni Bohemiae. Juxta huius copiae notas legitur in plica: REGISTRATA GRATIS JO. RACZOW; a tergo: R[EGISTRATA]. Bulla deest.

170. *Venceslaus episcopus Vratislaviensis quitatur de solutione partis suorum servitiorum camerae sacri collegii.*

Romae, 1389 Januarii 30.

Nos Franciscus [. . . . s. Eustachii dyaconus cardinalis, sacri collegii . . . . cardinalium camerarius. . . . . notum facimus.] quod reverendus in Chr. pater dom Wenceslaus dei gracia episcopus Wratislauiensis pro parte partis sui communis servicii . . . centum florenos auri de camera nobis, non facta divisione de minuto servicio, per manus honorabilis viri dom. Johannis Bruger altariste s Crucis Wratislauiensis die date presencium tempore debito solvi fecit . . . .; . . . . pro residuo terminum a festo purificationis b. Marie virginis proxime futuro ad annum extunc immediate secuturum prorogamus . . . . Datum Rome ap. S. Petrum sub anno dom. millesimo trecentesimo octuagesimo nono, indiccione duodecima, die penultima mensis Januarii, pont. . . . . anno undecimo.

Oblig. et sol. 47 fol. 53b — In fine eadem manu posterius adscriptum est: „De alio mense facta fuit solutio et non tempore meo"; et inferius: II FLOR. II GROSS.

171. *Johannes archiepiscopus Pragensis quitatur de 800 florenis auri camerae apostolicae persolutis.*

Romae, 1389 Martii 2.

Marinus [. . . . s. Marie Noue diaconus cardinalis, domini pape camerarius] . . . . Universitati [. . . . notum facimus], quod reverendus in Chr. pater dom. Johannes dei gracia archiepiscopus Pragensis de decimis triennalibus sibi pro mensa sua et capitulo ac toti clero suo in civitate et diocesi Pragensibus per sanctissimum dominum nostrum papam impositis octingentos florenos auri de camera nobis per manus honorabilis viri dom. Johannis dicti Russ canonici ecclesie Pragensis, ca-

pellani sui, die date presencium solvi fecit . . . .; de quibus octingentis florenis auri de camera sic nobis datis et solutis dictum reverendum patrem dom. Johannem archiepiscopum, capitulum et clerum ac omnes alios et singulos, quorum interest vel intererit, ... quitamus . . . . Datum Rome ap. S. Petrum sub a. dom. MCCCLXXX nono, indiccione duodecima, die secunda mensis Marcii pont. . . . . a. undecimo.

Armor. XXIX tom. 1 fol. 68[a] — In fine: FL. III GR. III.

---

172. *Nicolao de Bavorov collectori Pragensi mandatur, ut Philippo episcopo Ostiensi, nuntio apostolico, de pecuniis camerae apostolicae certam summam pro eius expensis concedat.*

Romae, 1389 Martii 4.

Urbanus . . . . Nicolao de Bauorow canonico Pragensi, in provincia Pragensi fructuum et proventuum camere nostre apostolice debitorum collectori . . . . Cum alias . . . . Philippum episcopum Ostiensem, apostolice sedis legatum, ad Boemie et nonnulla alia regna necnon ad Almanie et nonnullas alias partes, commisso sibi in eis pleno legacionis officio, pro certis nostris et ecclesie Romane arduis negociis duxerimus destinandum, discrecioni tue . . . . mandamus, quatenus prefato legato seu eius procuratori, ad hoc ab eo sufficiens mandatum habenti, si pecierit, de pecuniis camere nostre apostolice, quas penes te habes et habebis in futurum, recepta prius ab eodem legato recognicione ydonea, usque ad summam duorum milium florenorum auri pro expensis suis necessariis hac vice dumtaxat concedas. Nos enim prefato legato vel procuratori predicto te quitandi, liberandi et absolvendi de hiis dumtaxat, que sibi assignaveris, plenam et liberam tenore presencium concedimus facultatem. Volumus autem, quod de hiis, que eidem legato vel procuratori concesseris, et de recognicione ac aliis omnibus et singulis, que te cum prefato legato vel procuratore predicto circa hec peragere contigerit, gentes camere nostre predicte certificare procures. Datum Rome ap. S. Petrum IIII. nonas Marcii pont. n. a. undecimo.

R. Vat. 311 fol. 287[b] — In fine: (ad sin.) P. DE WSSERUB; (ad dext.): DE CURIA, JA. DE PAPIA.

---

173. *Universis praelatis et clero mandatur, ut Jacobo de Sicca canonico Pragensi, decretorum doctori, familiari apostolico, ad regnum Bohemiae et nonnullas alias partes pro certis Romanae ecclesiae arduis negotiis destinato, de securo conductu provideant, praesentibus post unum annum minime valituris. „Rome ap. S. Petrum II. nonas Marcii pont. n. a. undecimo.“*

Romae, 1389 Martii 6.

R. Vat. 311 fol. 292[a] — In fine ad dext.: DE CURIA, JO. ROSENBERGH.

---

174. Vito de Černčicz praeposito ecclesiae s. Aegidii Pragensis mandatur, ut infrascriptos clericos Maguntinensis, Constantiensis et Pragensis diocesium antipapae adhaerentes capiat et carceri faciat mancipari.

Romae, 1389 Martii 7.

Urbanus .... Vito de Czerneczicz preposito ecclesie s. Egidii Pragensis .... Ad audienciam nostram pervenit, quod iniquitatis filii Johannes de Basilea alias dictus de Hilcelingen ord. fratrum heremitarum s. Augustini professor, Hesso dictus Schlegelhoch frater hospitalis s. Johannis Jerosolimitani, Hinko dictus Kluk olim maioris, Conradus alias Conso olim s. Petri Wissegradensis Pragensium decani, Wildericus de Mitra, Hartmannus de Babenberg olim Constanciensis, Johannes de Leone olim s. Johannis in Haug extra muros Herbipolenses ecclesiarum canonici, Nicolaus Vener monachus, Henricus Beiler, Johannes de Alstetenn, Swederus de Friburg, Nicolaus de Chrucenaco presbyteri, Johannes Wiczig, Henricus Burgoner et Henricus dictus Kluk clerici Maguntinensis, Constanciensis et Pragensis diocesium perdicionis alumno Roberto olim basilice XII Apostolorum presbytero cardinali, nunc antipape, qui se Clementem VII. ausu sacrilego nominare presumit, ... adheserunt notorie et adherere ac favere presumpserunt ac presumunt, et tam ipsi Johannes, Hesso, Hinko, Conradus, Wildericus, Hartmannus, Johannes de Leone, Nicolaus, Henricus et Johannes de Alstetenn, Swederus, Nicolaus de Chrucenaco, Johannes Wiczig, Vlricus (!) et Henricus Kluk, quam nonnulli alii eciam prefato perdicionis filio Roberto antipape adherentes, per partes fidelium discurrunt, corda ipsorum fidelium seducere et corrumpere satagentes. Nos igitur attendentes, quod sit indecens tales inter Christi fideles tolerare, ne forte talium desperata presumpcio alios secum traheret in precipicium viciorum, discrecioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus per te vel alium seu alios prefatos iniquitatis filios et alios, quos per summariam informacionem prefato Roberto antipape adherere inveneris, huiusmodi adherentes et qui adheserunt, ubi tibi expediens fuerit, capias et capi et carceri facias mancipari, et tam diu detineas eidem carceri mancipatos, donec huiusmodi capcio nobis intimata fuerit et quousque a nobis aliud receperis in mandatis, invocato ad hoc si opus fuerit auxilio brachii secularis, contradictores per censuram ecclesiasticam appellacione postposita compescendo .... Et nichilominus omnia et singula bona mobilia et immobilia, que dictorum ut prefertur prefato Roberto antipape adherencium fuerint, ubicunque reperiri potuerint, ac quoscunque redditus et proventus ad ipsos qualitercunque pertinentes, que per processus apostolicos camere nostre apostolice confiscata existunt et que nos eciam tenore presencium confiscamus, nostro et camere predicte nomine ad manus tuas recipias et recipi facias, illaque fideliter conserves, et quam cito commode poteris, ad predictam cameram destinare procures. Datum Rome ap. S. Petrum nonis Marcii pont. n. a. undecimo.

Simili modo est facta una bulla in personam Rodulfi abbatis monasterii Morbacensis ordinis s. Benedicti Basiliensis diocesis sub eadem data et tenore.

R. Vat. 311 fol. 288b — In fine primae bullae: (ad sin.) P. DE WSSERUB; (ad dext.) DE CURIA, JA. DE FULGINEO; in fine alterius bullae (ad dext.): DE CURIA, T. FABRI.

175. *Obligatio Augustini episcopi Concordiensis.*

Romae, 1389 Martii 7.

Anno [. . . . millesimo trecentesimo octuagesimo nono, indiccione duodecima, pontificatus . . . . Urbani . . . . pape sexti a. undecimo], die vero sabbati, septima . . . . mensis Marcii [in alma Urbe . . . . in thesauraria apostolice camere . . . .] reverendus pater dom. Augustinus dei gracia episcopus Concordiensis per dominum Stephanum de Dubrawnick canonicum Olomucensem, procuratorem suum ad hoc legitime constitutum, promisit camere et collegio pro suo communi servicio quatringentos florenos auri de camera et quinque servicia consueta; solvendo medietatem in festo nativitatis domini nostri Jesu Christi proxime futuro et aliam medietatem in festo resurreccionis domini nostri Jesu Christi proxime secuturo . . . .

Oblig. et sol. 48 fol. 77b — Uncinis [] inclusa ex obligationibus in eodem volumine praecedentibus suppleta sunt.

---

176. *Paulo de Týnec altaristae s. Stanislai in ecclesia Pragensi terminus solvendae annatae prorogatur.*

Romae, 1389 Martii 11.

Universis . . . . Augustinus [miseracione divina episcopus Pennensis, domini nostri pape thesaurarius] . . . . Universitati [. . . . notum facimus], quod intellecta mole [gravaminum] pro parte honorabilis viri Pauli de Tinecz altariste altaris s. Stanislai in ecclesia Pragensi [nobis exposita], que ipsum [ad solvendum id, in quo camere apostolice . . . .] racione annate seu mediorum fructuum primi anni dicti altaris [existit obligatus], reddunt verisimiliter impotentem, auctoritate [apostolica . . . .] terminum faciende solucionis usque ad festum nativitatis domini nostri JesuChristi proxime futurum prorogamus . . . . Datum Rome [ap. S. Petrum] a. dom millesimo trecentesimo octuagesimo nono, indiccione duodecima, die undecima mensis Marcii, pont. a. undecimo.

Armar. XXIX tom. 1 fol. 31a.

---

177. *Praeposito monasterii in Cunicz Olomucensis dioc. mandatur, ut bona monasterii in Czarnowanz alias Domusdei praemonstratensis ord. Vratislaviensis dioc. quibuslibet clericis et laicis perpetuo vel ad tempus concessa ad ius et proprietatem eiusdem monasterii revocet.* „*Ad audienciam nostram*“ „*Rome ap. S. Petrum XV. kal. Aprilis pont. n. a. undecimo*“.

Romae, 1389 Martii 18.

Ed. id Cod. diplom. Silesiae I. (Wattenbach, Urkunden des Klosters Czarnowanz), p. 47 nr. 50.

178. Obligatio Johannis archiepiscopi Gneznensis.

Romae, 1389 Martii 29.

Anno [. . . . millesimo trecentesimo octuagesimo nono, indiccione duodecima, pontificatus . . . . Urbani . . . . pape sexti anno undecimo, die lune, vicesima nona mensis Marcii, in alma Urbe, ... in thesauraria apostolice camere . . . .] reverendus pater dom. Johannes archiepiscopus Gneznensis per dom. Nicolaum de Glywicz litterarum apostolicarum scriptorem, procuratorem suum ad hoc legitime constitutum, promisit camere et collegio pro suo communi servicio ducentos florenos auri de camera et quinque servicia consueta; solvendo [medietatem in festo nativitatis domini nostri Jesu Christi proxime futuro, aliam medietatem in festo resurreccionis domini nostri Jesu Christi extunc proxime secuturo . . . .]

Oblig. et sol. 48 fol. 77^{b} — Uncinis [] inclusa ex obligationibus in eodem codice praecedentibus suppleta sunt.

---

179. Franciscus s. Eustachii diaconus cardinalis, sacri collegii cardinalium camerarius, Johannem archiepiscopum Gneznensem quitat de pecunia, quam pro parte suorum communis et minuti servitiorum per manus Mathiae de Schurgast laici Vratislaviensis dioc. camerae sacri collegii solvi fecit. „Rome ap. S. Petrum a. dom. millesimo trecentesimo octuagesimo nono, indiccione XII, die tercia mensis Aprilis, pont. . . . . a. undecimo“.

Romae, 1389 Aprilis 3.

Oblig. et sol. 47 fol 55^{b} — In fine: II FL. II GR.

---

180. Obligatio Johannis episcopi Litomyšlensis.

Romae, 1389 Aprilis 28.

Anno [nativitatis domini nostri Jesu Chr. millesimo trecentesimo octuagesimo nono, indictione duodecima, pontificatus sanctissimi in Chr. patris et domini nostri dom. Urbani divina providencia pape sexti anno duodecimo], die vero mercurii, XXVIII. supradicti mensis Aprilis [in alma Urbe, ubi prefatus dominus noster cum sua Romana curia feliciter residet de presenti, in thesauraria apostolice camere coram prefato reverendissimo in Chr. patre et domino dom. Marino miseracione divina s. Marie Noue diacono cardinali, domini pape camerario, presentibus reverendis in Chr. patribus dominis Cosmato archiepiscopo Rauennatensi, Augustino episcopo Pennensi, domini nostri pape thesaurario, venerabilibus viris Johanne Manco, Salvatore de Acchille camere et Erasmo de Viterbio collegii clericis] reverendus in Chr. pater dom. Johannes episcopus Luthomuslensis per honorabilem virum dom. Hasconem rectorem parrochialis ecclesie in Sdechouicz Pragensis diocesis, procuratorem suum ad hoc legitime constitutum, promisit camere et collegio pro suo communi servicio octingentos florenos auri de camera et quinque servitia

consueta; item recognovit pro dom. Johanne predecessore suo alios octingentos similes florenos et quinque servicia consueta; solvendo medietatem promissi in festo nativitatis domini nostri Jesu Chr. proxime venturo, aliam medietatem in festo resurreccionis domini nostri Jesu Chr. extunc proxime secuturo, et recognitum in similibus terminis anno revoluto . . . .

Oblig. et sol. 48 fol. 80 a — Uncinis [] inclusa ex obligationibus in eodem codice praecedentibus suppleta sunt.

---

181. *Johannes patriarcha Aquilegensis, olim episcopus Litomyšlensis, monetur, ut pecuniam, in qua ecclesiam Litomyšlensem pro suis communi et minutis servitiis camerae apostolicae obligatam dimisit, eidem camerae persolvat.*

Romae, 1389 Maii 12.

Marinus [. . . . s. Marie Noue diaconus cardinalis, domini pape camerarius] universis et singulis abbatibus, prioribus, prepositis, decanis, archidiaconis, archipresbyteris, ecclesiarum cathedralium et collegiatarum canonicis, ecclesiarum rectoribus et locatenentibus eorum ceterisque personis ecclesiasticis ac tabellionibus publicis per civitates et dioceses Aquillegenses et Castellanenses constitutis . . . . Pro parte reverendi patris dom. Johannis moderni electi Luthomuslensis querelam recepimus continentem, quod licet reverendus pater dom. Johannes olim episcopus dicte ecclesie Luthomuslensis, nunc patriarcha Aquilegensis, multis annis prefuerit ecclesie antedicte [1]) et fructus eiusdem ad mensam episcopalem spectantes receperit pacifice et quiete, terminique, quibus tam commune quam minuta servicia camere apostolice solvere tenebatur, eum apprehenderint, nichilominus tamen ipsam Luthomuslensem ecclesiam in octingentis florenis auri de camera pro communi servicio, et centum undecim similibus florenis quinque solidis et quinque denariis monete Romane ex causa dicti sui communis servicii et in quinque consuetis minutis serviciis oneratam atque obligatam dimisit, propter que dictus dom. Johannes nobis humiliter supplicavit, ut providere super hoc sibi de oportuno remedio dignaremur. Nos igitur iustis suis supplicacionibus inclinati, vobis et vestrum cuilibet precipimus et mandamus in virtute sancte obediencie et sub excommunicacionis pena, quam nunc prout extunc hac eciam canonica monicione premissa in vos ferimus in hiis scriptis, si nostris non curaveritis parere mandatis, quatenus ex parte nostra prefatum dominum Johannem moneatis, quem nos eciam presencium tenore monemus, quod infra sex menses a tempore monicionis vestre huiusmodi computandos, quos pro primo, secundo, tercio et peremptorio terminis ac monicione canonica assignamus eidem, satisfaciat camere memorate et liberet ac exoneret prout tenetur dictam Luthomuslensem ecclesiam de debito antedicto, alioquin elapsis dictis sex mensibus in dictum dom. Johannem patriarcham nunc prout extunc hac eciam canonica monicione premissa excommunicacionis sentenciam ferimus in hiis scriptis, si non fecerit que mandamus, ad grav ores penas et sentencias necnon sequestracionem fructuum ecclesie Aquilegensis, cui preest, nichilominus processuri, si dictis nostris monicionibus parere contempserit, nisi causam iustam et racionabilem

allegare voluerit, quare ad premissa minime teneatur, ad quam allegandam infra dictos sex menses in thesauraria apostolice camere compareat legittime coram nobis, de monicione autem vestra huiusmodi et aliis, que feceritis in premissis, nos et dictam cameram quantocius poteritis legittime certificare curetis. . . . . Datum Rome ap. S. Petrum sub a. d. MCCCLXXX nono, indiccione XII, die duodecima mensis Maii, pont. . . . . a. duodecimo.

Armar. XXIX tom. 1 fol. 60a — In fine: VISUM SALUATOR; FL. I GR. II. — [1]) Johannes Sobëslaus marchionis Moraviae filius aa. 1380—1387 episcopus Litomyšlensis fuit.

---

182. Obligatio Henrici episcopi Vladislaviensis.

Romae 1389 Maii 14.

Anno [1389, indiccione duodecima, pont. a. duodecimo . . .], die vero XIIII. mensis Maii . . . . [in alma Urbe . . . . in thesauraria apostolice camere . . . .] reverendus pater dom. Hericus episcopus Wladislauiensis per magistrum Nicolaum de Gliwicz litteraram apostolicarum scriptorem, procuratorem suum ad hoc legitime constitutum, promisit camere et collegio pro suo communi servicio mille florenos auri de camera et quinque servicia consueta; solvendo medietatem promissi in festo nativitatis domini nostri Jesu Christi proxime futuro, aliam medietatem in festo pentecostes extunc proxime secuturo . . . .

Oblig. et sol. 48 fol. 81b .

---

183. Blasio rectori parrochialis ecclesiae in Vistonicz terminus solvendae annatae prorogatur.

Romae, 1389 Julii 12.

Universis . . . . Augustinus [dei gracia episcopus Pennensis, domini nostri pape thesaurarius] . . . . universitati [. . . . notum facimus], quod intellecta mole gravaminum pro parte honorabilis viri dom. Blasii rectoris parrochialis ecclesie in Wistonicz Olomucensis diocesis coram nobis exposita, que ipsum ad solvendum id, in quo camere apostolice sub certis penis et sentenciis racione annate seu mediorum fructuum primi anni parrochialis ecclesie in Wistonicz predicte existit efficaciter obligatus, reddunt verisimiliter impotentem, auctoritate apostolica [. . . . terminum faciende solucionis] usque ad festum pasce proxime futurum prorogamus . . . . Datum Rome ap. S. Petrum sub a. dom. millesimo trecentesimo octuagesimo nono, indiccione duodecima, die duodecima mensis Julii, pont. . . . . a. duodecimo.

Armar. XXIX tom. 1 fol. 76a — In fine: FL. II GR. III FALL.

---

184. *Vikerio abbati Gradicensi terminus solvendi servitia camerae sacri collegii prorogatur.*

Romae, 1389 Julii 12.

Nos Franciscus [. . . . s. Eustachii dyaconus cardinalis, sacri collegii . . . . cardinalium camerarius, ... notum facimus], quod intellecta mole gravaminum pro parte venerabilis patris fratris Wikeri abbatis monasterii Gradicensis prope civitatem Olomucensem ord. premonstratensis coram nobis exposita, que ipsum [ad solvendum id, in quo] pro suo communi servicio ipsi camere, et pro uno minuto servicio familiaribus et officialibus dicti collegii eisdem debitis existit efficaciter obligatus . . . . terminum [faciende solucionis] usque ad festum nativitatis domini nostri Jesu Chr. proxime futurum prorogamus . . . . Datum Rome ap. S. Petrum a. millesimo CCCLXXX nono, indiccione XII, die XII. mensis Julii, pont. . . . . a. duodecimo.

Oblig. et sol. 47 fol. 67b — In fine: FL. III GR. III.

---

185. *Mathias de Strobicz quitatur de solutione partis fructuum de archidiaconatu Opoliensi ab ipso perceptorum camerae apostolicae.*

Romae, 1389 Julii 16.

Marinus [. . . . s. Marie Nove diaconus cardinalis, domini pape camerarius] . . . . Universitati [. . . . notum facimus], quod honorabilis vir dom. Mathias de Strobicz decanus ecclesie Opiliensis pro parte partis fructuum, reddituum et proventuum per ipsum perceptorum de archidiaconatu Opiliensi eidem arrendato . . . . centum triginta florenos auri de camera, ipso tamen domino Mathia remanente [. . . . obligato apostolice camere . . . .] in centum decem et octo similibus florenis, [nobis . . . . solvit] . . . . Datum Rome [ap. S. Petrum] die XVI. mensis Julii, pont. . . . . a. duodecimo.

Armar. XXIX tom. 1 fol. 77b — In fine: (ad sin.) A. PEN[NENSIS] ETC. (*sic*); (ad dext.) II GR. FALL. — In margine: „quere residuum in IIIIto folio, ubi similis littera est registrata“. Illa similis littera sub nro. 167 huius libri continetur.

---

186. *Collectori Vratislaviensi vel eius succollectori prohibetur, ne Petrum de Hotzenplotz usque ad festum ss. Petri et Pauli pro annata quorundam beneficiorum eius molestent.*

Romae, 1389 Julii 19.

Augustinus [. . . . episcopus Pennensis, domini nostri pape thesaurarius], venerabili viro domino . . in civitate et diocesi Wratislauiensibus iurium apostolice camere debitorum collectori vel eius succollectori . . . . Exposuit nobis honorabilis vir dom. Petrus Johannis de Hoczinplocz canonicus prebendatus

ecclesie collegiate b. Marie Maioris-Glogouiensis Wratislauiensis diocesis ac rector altaris s. Gothardi in ecclesia Wratislauiensi, quod licet ipse obligasset se in camera apostolica pro annata seu mediis fructibus primi anni canonicatus et prebende ecclesie b. Marie Maioris-Glogouiensis Wratislauiensis diocesis ac altaris s. Gothardi in ecclesia Wratislauiensi olim sibi collatorum per dominum nostrum papam, dicti tamen fructus pro anno huiusmodi non sibi sed fabrice vel alteri debentur, propter quod impeditur totaliter in solucione annate predicte pro anno predicto; quapropter supplicavit nobis humiliter super premissis sibi de oportuno remedio provideri. Idcirco vobis et vestrum cuilibet tenore presencium committimus et mandamus, quatenus dictum dominum Petrum usque ad festum apostolorum Petri et Pauli de mense Junii proxime futurum, si est ita ut premittitur, pro dictis annata seu mediis fructibus beneficiorum predictorum per vos vel alium seu alios nullatenus molestetis, quia terminum faciende solucionis huiusmodi usque ad festum predictum harum serie prorogamus et denuo assignamus eidem . . . . Datum Rome ap. S. Petrum sub a. dom. millesimo trecentesimo octuagesimo nono, indiccione duodecima, die decima nona mensis Julii, pont. . . . . a. duodecimo.

Armar. XXIX tom. 1 fol. 77a — In fine: GRATIS PRO FAMILIARI EPISCOPI FIRMANI.

---

187. *Archiepiscopo Pragensi et Petro de Všerub committitur, ut episcopum Vratislaviensem et capitulum ecclesiae Vratislaviensis absolvant a poenis ecclesiasticis, quas incurrerunt, debita camerae apostolicae non solventes.*

Romae, 1389 Julii 23.

Urbanus . . . . archiepiscopo Pragensi et . . . . magistro Petro de Wsserob archidiacono Horsouiensi in ecclesia Pragensi, litterarum apostolicarum correctori . . . . Sedes apostolica pia mater . . . . Dudum siquidem pro parte venerabilis fratris nostri Wenceslai episcopi et dilectorum filiorum capituli Wratislauiensium nobis fuit expositum, quod olim venerabilis frater noster Dobrogostius episcopus Poznaniensis, apostolice sedis nuncius, ipsis episcopo et capitulo ac dilectis filiis clero civitatis et diocesis Wratislauiensium decimam triennalem per eos in certis terminis camere nostre apostolice persolvendam de mandato nostro imposuit, ipsosque episcopum, capitulum et clerum per suas certi tenoris litteras moneri mandavit et fecit, ut huiusmodi decimam in certis terminis ad hoc per ipsum statutis et eciam medietatem omnium reddituum et proventuum quorumlibet beneficiorum ecclesiasticorum primo anno vacacionis huiusmodi beneficiorum obveniencium, qui a tempore, quo ad apicem summi apostolatus fuimus assumpti, obvenerunt, solverent, primo; et deinde eciam venerabilis frater noster Maffiolus archiepiscopus Messanensis ipsos auctoritate nostra monuit, et mandavit eisdem, ut de fructibus mense episcopalis Wratislauiensis, qui tempore vacacionis Wratislauiensis ecclesie per obitum bone memorie Preczlai episcopi Wratislauiensis obvenerant, ac de bonis seu spoliis per dictum Preczlaum episcopum relictis, et de quator milibus marcharum argenti per dictos capitulum

de redditibus predicte ecclesie, prefata ecclesia tunc pastore carente, clare memorie Carolo Romanorum imperatori mutuatarum in certis terminis per ipsum archiepiscopum statutis satisfacerent cum effectu; alioquin archiepiscopus et Poznaniensis episcopus predicti in episcopum Wratislauiensem et in singulares personas capituli et cleri predictorum excommunicacionis et suspensionis et in Wratislauiensem et alias ecclesias civitatis et diocesis Wratislauiensium interdicti sentencias promulgabant; ipsique Wenceslaus episcopus, capitulum et clerus monicionibus et mandatis huiusmodi infra dictos terminos minime paruerunt; quodque eciam dilecti filii Henricus de Lobschicz, Guilelmus Stefani, Nicolaus de Glywicz, Nicolaus Selin et Johannes Mignotelli canonici dicte ecclesie tempore, quo eidem ecclesie de persona prefati Wenceslai episcopi per nos fuit provisum, ad efficiendum, quod prefati capitulum racionem et computum de hiis, que dicta ecclesia vacante de redditibus ipsius obvenerunt, infra certum terminum camere nostre predicte racionem redderent, se sub certis penis et sentenciis eciam excommunicacionum infra certum terminum summiserunt, idque infra dictum terminum minime effecerunt, huiusmodi penas et sentencias incurrendo; et deinde humiliter supplicatum, ut cum ipsis Wenceslao episcopo, capitulo, canonicis et clero pie et graciose agere de benignitate apostolica dignaremur. Nos attendentes, quod licet camera nostra apostolica propter diversa, que nobis incumbunt, multis expensarum oneribus pregravetur et precipue pro repressione hereticorum, scismaticorum et rebellium et redempcione captivorum de manibus eorundem, nosque et ecclesia Romana aliarum ecclesiarum, quarum caput est, et personarum ecclesiasticarum subsidio indigere noscamur, tamen consideracione carissimorum in Chr. filiorum Wenceslai Romanorum et Sigismundi Ungarie regum illustrium, nobis pro dictis episcopo Wratislauiensi, canonicis, capitulo et clero humiliter supplicancium, volentes ipsis episcopo, canonicis et clero asserentibus[a]) se fore impotentes ad premissa persolvenda in hac parte favorabiles inveniri, huiusmodi dictorum regum et ipsorum episcopi Wratislauiensis, capituli, canonicorum et cleri supplicacionibus inclinati, discrecioni vestre per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus vos vel alter vestrum per vos vel alium seu alios dictos Wenceslaum episcopum, canonicos et singulares personas capituli et cleri predictorum ab huiusmodi sentenciis, si hoc humiliter pecierint, auctoritate apostolica absolvatis vel absolvat in forma ecclesie consueta, iniunctis eis inter cetera, quod, quamprimum poterunt, huiusmodi debita ecclesie prefate persolvant, eorum in hoc consciencias onerando, quia peccatum non dimittitur, nisi restituatur ablatum, et alias penitencia salutari et aliis, que de iure fuerint iniungenda, et super irregularitate, si quam ipsi vel aliquis eorum huiusmodi ligati sentenciis, non tamen in contemptum clavium, celebrando divina vel immiscendo se illis incurrerint seu incurrit, dispensetis vel alter vestrum dispenset, ac huiusmodi interdicta eadem auctoritate relaxetis vel alter vestrum relaxet seu faciat relaxari. Datum Rome ap. S. Petrum X. kal. Augusti pont. n. a. duodecimo.

R. Vat. 312 fol. 35[a] — [a]) ‚asserencium' cod. — In fine: (ad sin.) P. DE WSSERUB; (ad dext.) DE CURIA, JO. RACZOW — Altera copia (recentior) in R. Vat. 347 fol. 27[b] — Ed. Theiner, Monum. Poloniae I. p. 759. Ad totum vide supra nrm. 146.

188. *Ad reaedificationem ecclesiae Olomucensis ignis incendio combustae manus adiutrices porrigentibus unius anni et quadraginta dierum indulgentiae conceduntur. „Ecclesiarum fabricis“ „Rome ap. S. Petrum IV. kal. Augusti pont. n. a. duodecimo“.*

Romae, 1389 Julii 29.

Ed. in Cod. diplom. Moraviae XI. p. 475 nr. 560.

---

189. *Petro de Všerub 220 floreni, quos camerae apostolicae mutuavit, in solutione annatarum compensantur.*

Romae, 1389 Julii 30.

Augustinus [. . . . episcopus Pennensis, domini nostri pape thesaurarius], venerabilibus viris dominis . . in civitatibus et diocesibus Pragensibus, Olomucensibus et Wratislauiensibus iurium apostolice camere debitorum collectoribus et eorum succollectoribus . . . . Notum vobis facimus per presentes, quod venerabilis vir dom. Petrus de Wserob litterarum apostolicarum corrector per duas vices, scilicet in Luca et Perusio mutuavit apostolice camere florenos ducentos et viginti de camera, quos florenos ducentos et viginti de camera de speciali mandato domini nostri pape eidem dom. Petro excomputavimus et compensavimus in solucione annatarum seu mediorum fructuum primi anni suorum beneficiorum, videlicet canonicatus et prebende et archidiaconatus Horsouiensis maioris et s. Petri Wissegradensis Pragensium, canonicatus et prebende et scolastrie Olomucensis ac canonicatus et prebende Wratislauiensis ecclesiarum, de quibus ducentis et viginti florenis de camera sic excomputatis, solutis et compensatis dictum dom. Petrum quitamus, absolvimus et eciam liberamus, mandantes vobis insuper, quatenus pro dictis annatis seu mediis fructibus primi anni dictorum beneficiorum, si valorem dictorum ducentorum et viginti florenorum de camera non excedunt, dictum dom. Petrum et suos procuratores de cetero nullatenus molestetis neque faciatis per alios molestari. Datum Rome [ap. S. Petrum sub a. dom. millesimo trecentesimo octuagesimo nono, indiccione duodecima], die penultima mensis Julii, pont. . . . . a. duodecimo.

Armar. XXIX tom. 1 fol. 79^{b} — In fine: GRATIS PRO DOMINO P.

---

190. *Marinus s. Mariae Novae diaconus cardinalis, domini papae camerarius, officiali Pragensi mandat, ut a fratre Bohunkone Bonkonis ord. fratrum minorum professore, in capellanum honoris Suae Sanctitatis et sedis apostolicae ab Urbano pp. VI. recepto*[1]*), iuramentum fidelitatis, quod capellani honoris tenentur in camera apostolica praestare, cum praefatus frater Bohunko absens de praesenti a Romana curia existat, nomine dictae camerae corporaliter recipiat, post iuramentum autem birretum in eius capite imponat eumque ad osculum*

pacis recipiat. „*Rome ap. S. Petrum sub a. dom. [MCCCLXXX nono, indiccione XII], die penultima mensis Julii, a. XII.*“

Romae, 1389 Julii 30.

Armar. XXIX tom. 1 fol. 78b — Hoc documentum in forma valde abbreviata registratum est, propter quod illud ex aliis similibus documentis eiusdem codicis supplere oportuit. — [1]) Cf. nr. 158.

---

191. Obligatio Petri abbatis Opatovicensis

Romae, 1389 Augusti 2.

Anno [.... millesimo trecentesimo octuagesimo nono, indiccione duodecima, pont. . . . . Urbani . . . . pp. VI. a. duodecimo] die lune, secunda mensis Augusti, [in alma Urbe .... in thesauraria apostolice camere . . . .] . . . . venerabilis vir dom. Petrus de Wseropp apostolicarum litterarum corrector tanquam principalis et privata persona obligans se et omnia sua bona, promisit camere et collegio pro communi servicio venerabilis patris fratris Petri abbatis monasterii s. Laurencii Opatowycz ord. s. Benedicti Pragensis diocesis quingentos florenos auri de camera et quinque servicia consueta, solvendo medietatem in festo purificacionis b. Marie virginis proxime futuro, aliam medietatem in festo s. Johannis extunc proxime secuturo; et quod in primo termino asignato presentabit mandatum sufficiens ratificacionis dicte obligacionis vel de novo se obligandi . . .

Oblig. et sol. 48 fol. 87a.

---

192. Cardinales Romanae ecclesiae Venceslaum regem Romanorum de morte Urbani papae VI. certiorem faciunt.

Romae, 1389 Octobris 16.

Excellenti et magnifico principi, carissimo sancte Romane ecclesie filio, domino Wenzeslao Romanorum et Boemie regi illustri miseracione divina episcopi, presbyteri et diaconi eiusdem ecclesie cardinales salutem in domino. Superveniens hesterna die iudicio divino et naturali cursu labilis vite transitus fel. rec. domini Urbani pape VI., [benignissimi patris et domini nostri, mentibus nostris amaritudinis calicem propinavit, de quo admixta solicitudine pro debito sensualitatis anxietatem et merorem potavimus et potamus, utpote tanti patris direccione et presidiis destituti; verum cum ad nos duntaxat una cum fratribus nostris absentibus, si adessent, pertineat statui universalis ecclesie providere, ad quam quidem provisionem cum gracia sancti spiritus deo duce, prout iura dictant, congruis modo,] loco et tempore procedemus, celsitudinem regiam attente requirimus, monemus, hortamur et obsecramus in domino Jesu Christo, quatenus excellencia regia una cum proceribus et populis sue dicioni subiectis humiles ad deum et sedulas preces fundat, aliis pietatis et misericordie operibus insistendo,

ut, si quid ipse dominus noster pro fragilitate imbecillitatis humane, dum presens vita eius vegetavit arctus, reatus contraxit, illud pie sibi remittat et eum collocet cum electis, et nos rore sue benediccionis [aspergat, nobisque concedat in talem virum pro regimine ecclesie sancte unanimiter dirigere vota nostra, quod sit ad dei laudem et ad restauracionem, unitatem et bonum statum dicte ecclesie et rei publice ac propagacionem et exaltacionem fidei sacrosancte]. Datum [Rome apud S. Petrum sub sigillis trium ex nobis suorum ordinum priorum XVII. kal. Novembris apostolica sede vacante].

R. Vat. 312 fol. 68[a] — Uncinis [] inclusa ex similibus documentis, ibidem fol. 66[b] et 67[b] contentis, suppleta sunt, cum in copia praesentis documenti sint ommisa. — In fine (ad dext.): DE CURIA, T. FABRI.

BONIFACIUS IX.

1389—1404.

193. *Nicolao Calvo [de Bavorov] conceditur, ut officium collectoriae ab Urbano papa VI. ei commissum ulterius prosequi valeat.*

Romae, 1389 Novembris 9.

Bonifacius .... dilecto filio Nicolao de Caluo *(sic)* canonico Pragensi apostolice sedis nuncio .... Dum fel. rec. [Urbanus pp. sextus, predecessor noster immediatus, de tue fidelitatis et circumspeccionis industria plenam fiduciam habens, te in nonnullis partibus reddituum et proventuum camere apostolice debitorum constituerit collectorem[1]), nos, ut huiusmodi officium favorabilius prosequi possis et efficacius ad utilitatem ipsius camere exequaris, tue discrecioni, ut huiusmodi officio et interim omnibus et singulis litteris per dictum predecessorem nostrum aut gentes prefate camere tibi in officio predicto directis super quibuscunque negociis utilitatem ipsius officii vel camere prelibate concernentibus, tam ceptis, quam non ceptis, uti et contenta in eis exequi valeas, proviso tamen, quod aliquas exacciones et extorsiones iniustas et indebitas nullatenus facias, plenam concedimus tenore presencium facultatem. Datum Rome ap. S. Petrum V. idus Novembris pont. n. a. primo].

Armar. XXXIII tom. 12 fol. 97[b] — Uncinis [] inclusa ex simili bulla ibidem fol. 96[a] contenta (pro Hugolino de Malpiglis) suppleta sunt, cum in copia praesentis bullae loco eorum hoc tantum legatur: ‚etc. ut supra et sub eadem data'. — In margine sin. alia manu adscriptum est: „Ind. XII, die XIII. Decembris asignata domino Vbaldino, qui ipsam portet". In fine: (ad sin.) F. DE LANZ[ANICO]; (ad dext.) DE CURIA, MATHIAS — [1]) Cf. nr. 86.

---

194. *Petrus monachus monasterii in Grisovia iuxta voluntatem Urbani VI eidem monasterio in abbatem praeficitur.*

Romae, 1389 Novembris 9.

Bonifacius .... dilecto filio Petro abbati monasterii in Grissow cisterciensis ord. Wratislauiensis diocesis .... Decens reputamus et congruum, ut ea, que de Romani pontificis providencia processerunt, licet littere super illis apostolice confecte non fuerint, suum sorciantur effectum. Dudum siquidem quondam Henrico abbate monasterii in Grissow cisterciensis ord. Wratislauiensis diocesis regimini eiusdem monasterii presidente, fel. rec. Urbanus pp. VI. predecessor noster .... provisionem ipsius monasterii ordinacioni et disposicioni sue reservans, decrevit extunc irritum et inane, si secus super hiis .... contingeret attemptari. Postmodum vero dicto monasterio per obitum eiusdem Henrici abbatis, qui extra

Romanam curiam decessit, vacante, dilecti filii conventus dicti monasterii, reservacionis et decreti predictorum forsan ignari, te, monachum dicti monasterii ordinem ipsum expresse professum et in sacerdocio constitutum, in eorum et dicti monasterii abbatem concorditer elegerunt licet de facto, tuque, reservacionis et decreti predictorum similiter inscius, eleccioni huiusmodi, illius tibi presentato decreto, consensisti similiter de facto, et eleccionem eandem a dilecto filio Nicolao abbate in Henrichow ordinis et diocesis predictorum, patre abbate dicti in Grissow monasteriorum, reservacionem et decretum predicta eciam ignorante, cum ex tam institutis dicti ordinis per sedem predictam ex certa sciencia approbatis, quam eciam de antiqua et approbata et hactenus pacifice observata consuetudine ad abbatem [in] Heinrichow, qui est pro tempore, eleccionis abbatis in Grissow monasteriorum predictorum confirmacio alias pertineat, obtinuisti auctoritate ordinaria confirmari eciam de facto, teque administracioni bonorum eiusdem monasterii in Grissow immiscuisti similiter de facto; ac tandem reservacione et decreto predictis ad tuam deductis noticiam, huiusmodi eleccionis et confirmacionis negocium proponi fecisti in consistorio coram predecessore predicto, idemque predecessor eleccionem et confirmacionem predictas et quecunque inde secuta, utpote post et contra reservacionem et decretum predicta de facto, ut prefertur, attemptata, irrita, prout erant, et inania reputans . . . ., post deliberacionem, quam . . . . cum fratribus suis s. Romane ecclesie cardinalibus, de quorum numero tunc eramus, habuit diligentem, demum ad te . . . . direxit oculos sue mentis, quibus omnibus necnon dictorum conventus te eligencium concordi voluntate attenta meditacione pensatis, idem predecessor de persona tua . . . . eidem monasterio in Grissow de eorundem fratrum consilio videlicet IIII. idus Junii pont. s. anno decimo [1]) apostolica auctoritate providit, teque illi prefecit in abbatem, et que per te alias rite circa regimen et administracionem dicti monasterii in Grissow gesta fuerant, ratificavit et eciam approbavit . . . . Cum autem postmodum prefatus predecessor, litteris apostolicis super huiusmodi provisione non confectis, rebus fuerit . . . . humanis exemptus, nos . . . . ad apicem summi apostolatus assumpti, volentes, quod premissa plenum sorciantur effectum, discrecioni tue . . . . mandamus, quatenus impositum tibi a domino onus regiminis dicti monasterii in Grissow suscipiens reverenter, sic te in eius cura salubriter exercenda diligentem exhibeas et eciam studiosum, quod monasterium ipsum in Grissow gubernatori provido et eciam fructuoso administratori gaudeat se commissum, tuque proinde preter eterne retribucionis premium nostram et dicte sedis benediccionem et graciam uberius consequi merearis. Datum Rome ap. S. Petrum quinto idus Novembris a. primo.

Simili modo . . . . conventui monasterii in Grissow cisterciensis ord. Wratislauiensis diocesis . . . .

Eodem modo . . . . Nicolao abbati monasterii in Heynrichow cisterciensis ord. Wratislauiensis diocesis . . . .

R. Lat. 5 fol. 183a — In fine: N.XXII.XI.XI DE BENEVENTO. — [1]) 1387 Junii 10.

195. *Archiepiscopo Pragensi mandatur, quatenus cum Johanne de Libcznicz iuxta concessionem Urbani VI. super defectu natalium dispenset.*

Romae, 1389 Novembris 9.

Bonifacius .... archiepiscopo Pragensi .... Racioni congruit et convenit equitati, ut ea, que de Romani pontificis gracia processerunt, licet super illis littere apostolice confecte non fuerint, suum consequantur effectum. Dudum siquidem ex parte .... Johannis de Lybeznycz scolaris tue diocesis supplicato fel. rec. Urbano pp. VI. predecessori nostro, ut cum ipso, qui, sicut asserebat, ascribi desiderabat milicie clericali, super defectu natalium, quem patitur de presbytero genitus et coniugata, quod huiusmodi non obstante defectu posset ad omnes eciam sacros ordines promoveri et tria beneficia ecclesiastica, eciam si unum ipsorum curatum aut canonicatus et prebenda in cathedrali seu metropolitana ecclesiis existeret, ... obtinere, illaque .... tociens quociens sibi videretur simul vel successive dimittere et loco .... dimissorum .... alia .... beneficia .... ecclesiastica se invicem compaciencia libere recipere et licite retinere posset, misericorditer dispensare dignaretur, prefatus predecessor noster voluit et concessit, videlicet IIII. idus Marcii pontificatus sui anno decimo,[1]) .... secum super premissis auctoritate apostolica dispensari sibique concedi, ut in quibuscunque graciis per eum seu pro eo de cetero a sede apostolica impetrandis nullam de predicto defectu teneretur facere mencionem. Ne autem pro eo, quod super voluntate et concessione huiusmodi dicti predecessoris superveniente obitu littere apostolice confecte non fuerint, prefatus Johannes voluntatis et concessionis huiusmodi frustretur effectu, volentes et apostolica auctoritate decernentes, quod voluntas et concessio predicte a dicta die, videlicet IIII. idus Marcii, perinde suum sorciantur effectum, ac si ipsius predecessoris littere super voluntate et concessione predictis sub ipsius diei data confecte fuissent ...., fraternitati tue .... mandamus, quatenus ...., si dictus Johannes alias sit ydoneus ...., secum super premissis auctoritate nostra dispenses ...., et nichilominus prefato Johanni eadem auctoritate concedas, ut in quibuscunque graciis per eum seu pro eo de cetero a sede epostolica impetrandis nullam de predicto defectu teneatur facere mencionem. Datum Rome ap. S. Petrum quinto idus Novembris a. primo.

R. Lat. 5 fol. 1ª — Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine N. XXII DE BENEVENTO — [1]) 1388 Martii 12.

---

196. *Iudicibus mandatur, quatenus Petro Strelicz iuxta concessionem Urbani VI. canonicatum et praebendam in ecclesia Vratislaviensi vacantes conferant.*

Romae, 1389 Novembris 9.

Bonifacius .... episcopo Engubino et .... s. Marie in Arena ac s. Vincencii extra muros Wratislauienses monasteriorum abbatibus .... Racioni congruit .... Dudum siquidem per fel. rec. Urbanum pp. VI. predecessorem nostrum accepto, quod canonicatus et prebenda ecclesie Wratislauiensis, quos quondam Ditko Pradlim ... obtinebat, per ipsius Ditkonis obitum, qui extra Romanam

curiam decessit, vacaverant et vacabant, idem predecessor volens . . . . Petro Strelicz rectori parrochialis ecclesie in Wanczinczuze [1]) Cracouiensis diocesis . . . . consideracione carissime in Chr. filie nostre Hedwigis regine Polonie illustris, pro dicto Petro, nuncio suo, eidem predecessori super hoc humiliter supplicantis, graciam facere specialem, voluit et concessit, videlicet X. kal. Marcii pontificatus eiusdem predecessoris anno octavo, [2]) predictos canonicatum et prebendam, quorum fructus . . . . quindecim marcharum argenti puri . . . . valorem annuum . . . . non excedebant. . . . . eidem Petro apostolica auctoritate conferri et eciam assignari, non obstantibus . . . . , quod idem Petrus, ut asserebatur, parrochialem ecclesiam predictam, cuius viginti sex, et in Cracouiensi canonicatum et prebendam, quorum viginti, obtinebat, et quod idem predecessor dicta die, videlicet X. kal. Marcii, [2]) ipsi Petro de custodia in predicta Wratislauiensi ecclesiis, cuius octuaginta marcharum argenti puri fructus . . . . valorem annuum non excedebant, tunc vacante, graciose concesserat prouideri. Voluit autem dictus predecessor, quod quamprimum idem Petrus dictos canonicatum et prebendam ecclesie Wratislauiensis . . . . foret pacifice assecutus, huiusmodi concessionis gracia de custodia predicta sibi ut premittitur facta et quecunque inde secuta essent cassa et irrita . . . . Ne autem pro eo, quod super huiusmodi voluntate et concessione dicti predecessoris littere confecte non fuerint, prefatus Petrus dictarum voluntatis et concessionis frustretur effectu, volentes et apostolica auctoritate decernentes, quod eedem voluntas et concessio perinde a dicta die, videlicet X kal. Marcii, suum consequantur effectum, ac si super eis dicti predecessoris littere sub ipsius diei data confecte fuissent, prout superius enarratur, ... discrecioni vestre . . . . mandamus, quatenus . . . . canonicatum et prebendam ecclesie Wratislauiensis predictos . . . . eidem Petro apostolica auctoritate conferre et assignare curetis . . . . Datum Rome ap. S. Petrum quinto idus Novembris a. primo.

R. LAT. 5 fol. 2^{b} — In fine: N. XXIIII DE BENEVENTO — [1]) i. e. Laurinczicze (Wawrzinczicze) [2]) 1386 Febr. 20.

---

197. *Iudicibus mandatur, quatenus Johanni de Borsnicz iuxta concessionem Urbani VI. canonicatum et praebendam in ecclesia Gneznensi vacantes conferant.*

Romae, 1389 Novembris 9.

Bonifacius . . . . episcopo Eugubino et . . . . decano ecclesie Wratislauiensis ac officiali Wratislauiensi . . . . Racioni congruit . . . . Dudum siquidem per fel. rec. Urbanum pp. VI. predecessorem nostrum accepto, quod canonicatus et prebenda ecclesie Gneznensis, quos quondam Petrus Groclok ipsius ecclesie canonicus dum viveret obtinebat, per ipsius Petri obitum, qui extra Romanam curiam diem clausit extremum, vacaverant et vacabant tunc, idem predecessor volens . . . . Johannem Janonis de Borsnicz perpetuum vicarium in ecclesia s. Crucis Wratislauiensi, bacallarium in decretis, qui, ut asserebat, ex utroque parente de militari genere procreatus existebat, ... consideracione carissime in Chr. filie nostre Anne regine Anglie illustris, pro ipso Johanne, dilecto suo, ... supplicantis, graciam facere specialem, voluit et concessit, vide-

licet quarto kal. Aprilis pont. s. anno octavo [1]), canonicatum et prebendam predictos, quorum fructus .... triginta marcharum argenti puri .... valorem annuum .... non excedebant, ... prefato Johanni auctoritate apostolica conferri et eciam assignari, non obstantibus quibuscunque statutis et consuetudinibus ipsius ecclesie Gneznensis contrariis ...., seu quod idem Johannes, ut asserebatur, quandam perpetuam vicariam in s. Crucis predicta, cuius fructus .... septem marcharum argenti puri .... valorem annuum non excedebant, necnon altare ss. Cosme et Damiani in s. Elizabet Wratislauiensi ecclesiis noscebatur obtinere Voluit autem idem predecessor, quod ipse Johannes, quamprimum vigore voluntatis et concessionis predictarum canonicatum et prebendam predictos foret pacifice assecutus, dictum altare, quod, ut prefertur, obtinebat, ... omnino, prout ad id se sponte obtulit dimittere teneretur .... Ne autem pro eo, quod super huiusmodi voluntate et concessione dicti predecessoris littere confecte non fuerint, dictus Johannes huiusmodi voluntatis et concessionis frustretur effectu, ... discrecioni vestre .... mandamus, quatinus .... canonicatum et prebendam predictos .... eidem Johanni iuxta huiusmodi voluntatem et concessionem dicti predecessoris apostolica auctoritate conferre et assignare curetis .... Datum Rome ap. S Petrum quinto idus Novembris a. primo.

R. Lat. 5 fol. 51ª — In fine: N. XXV DE BENEVENTO — [1]) 1386 Martii 29.

---

198. *Episcopo Gurcensi mandatur, quatenus Theoderico de ‚Stibicz' iuxta concessionem Urbani VI. praeposituram ecclesiae s. Petri de Carnea conferat.*

Romae, 1389 Novembris 9.

Bonifacius .... episcopo Gurcensi .... Racioni congruit .... Dudum siquidem pro parte .... Theoderici quondam Johannis de Stibicz nati, clerici Pragensis diocesis, fel. rec. Urbano pp. VI. predecessori nostro exposito, quod olim prepositura ecclesie s. Petri de Carnea Aquilegensis diocesis, quam quondam Michael de Vtino .... obtinebat, per eiusdem Michaelis obitum, qui extra Romanam curiam diem clausit extremum, vacante, ... Johannes patriarcha Aquilegensis dictam prepositurum sic vacantem prefato Theoderico auctoritate ordinaria contulerat et providerat eciam de eadem, dictusque Theodericus eandem prepositurum vigore collacionis et provisionis huiusmodi fuerat assecutus, ipseque Theodericus dubitabat collacionem et provisionem predictas .... viribus non substitere ...., idem predecessor volens prefatum Theodericum, qui, ut asserebatur, ex utroque parente de militari genere procreatus existebat ...., pro quo eciam dictus patriarcha, asserens ipsum Theodericum dilectum suum fore, eidem predecessori super hoc humiliter supplicavit, ... favore prosequi gracioso, voluit et concessit, videlicet XIII. kal. Marcii pont. s. anno undecimo [1]), certo iudici suis litteris dari in mandatis, ut, si predicta prepositura, ut prefertur, tunc vacabat, et per diligentem examinacionem sub certis modo et forma eundem Theodericum ad obtinendum dictam prepositurum, que dignitas existebat, ydoneum esse reperiret, eandem prepositurum, cuius fructus .... centum florenorum auri .... valorem annuum .... non excedebant, ... eidem Theoderico auctoritate apostolica

conferre et eciam assignare [curaret], non obstantibus . . . ., quod dictus Theodericus, ut asserebatur, auctoritate quarundam litterarum dicti predecessoris canonicatum sub expectatione prebende ecclesie Pragensis noscebatur obtinere, et super provisione sibi facienda de beneficio ecclesiastico cum cura vel sine cura spectante . . . . ad collacionem . . . . abbatisse et conventus monasterii s. Georgii in castro Pragensi ord. s. Benedicti per certos examinatores super hoc deputatos a dicto predecessore in ea forma, secundum quam pro pauperibus clericis beneficiandis ipse predecessor in antea scripserat, assignacio facta fuerat; voluit autem idem predecessor, quod, quamprimum dictus Theodericus vigore dictarum litterarum, si super hiis confecte fuissent, dictam prepositurarn foret pacifice assecutus, littere, per quas ipse Theodericus canonicatum ecclesie Pragensis predicte obtinens, prebendam expectabat . . . ., necnon assignacio predicte extunc essent . . . . nullius roboris vel momenti . . . . Ne autem pro eo, quod super huiusmodi voluntate et concessione dicti predecessoris littere apostolice confecte non fuerunt, prefatus Theodericus voluntatis et concessionis earundem frustretur effectu, volentes et auctoritate apostolica decernentes, quod huiusmodi voluntas ac concessio perinde suum sorciantur effectum, ac si super eis dicti predecessoris littere sub data dicte diei confecte fuissent . . . ., fraternitati tue . . . . mandamus, quatenus si . . . . dictum Theodericum . . . . ydoneum ad dictam prepositurarn obtinendum esse reppereris . . . ., dictam prepositurarn . . . . prefato Theoderico . . . . auctoritate nostra conferas et assignes . . . . Datum Rome [ap. S. Petrum] quinto idus Novembris a. primo.

R. Lat. 5 fol. 4a — Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: N.XXIIII DE BENEVENTO — [1]) 1389 Febr. 17.

---

199. *Incorporatio parrochialium ecclesiarum in Nezamyslicz, in Chcebuz prope Mělník et in Bříství Pragensis dioc. monasterio Břevnoviensi prope Pragam ord. s. Benedicti olim ante plus quam quadraginta annos a Johanne episcopo Pragensi facta*[1]*), et post ammissionem litterarum dicti episcopi super hoc editarum ab Urbano VI. die 9. Julii 1389 confirmata, cum super huiusmodi confirmatione dicti pontificis litterae confectae non essent, de novo confirmatur. „Racioni congruit" „Rome ap. S. Petrum V. idus Novembris pont. n. a. primo."*

Romae, 1389 Novembris 9.

Editum ap. Dobner. Monum. hist. Bohemiae VI. p. 111 (Hist. diplom. Brewnov. nr. 125). Copia ex originali (duplo) archivii Břevnoviensis B. IV. 114 in diplomatario manuscripto musei regni Bohamiae habetur, iuxta quam originali in filo serico bulla plumbea Bonifacii IX. appendet et hae notae in illo leguntur: (in plica) JO. DE MALESICZ, (ad dext.) S. DE AQUILA; (a tergo) R[EGISTRATA]. — [1]) Vide litteras dicti Johannis episcopi ddto. 1341 Sept. 27 apud Emler, Reg. Boh. IV. p. 404 nr. 1012.

---

200. *Decernitur, ut provisio de parrochiali ecclesia s. Stephani Novomagensi*[a]*) Coloniensis dioc. per Urbanum VI. Johanni Stuncke de Marburg*[b]*) — non*

obstante inter cetera, quod idem pontifex ei pridem de canonicatu et praebenda in ecclesia s. Petri Vyšehradensi [c]) *prope Pragam tunc certo modo vacantibus mandaverat provideri — die 11 Maii 1385 facta, effectum sortiatur, quamquam super ea dicti pontificis litterae non fuerunt confectae. „Racioni congruit" „Rome ap. S. Petrum quinto idus Novembris a. primo". — Simili modo episcopo Monopolitano et praepositis b. Mariae Traiectensis ac Arnheimensis* [d]) *Traiectensis dioc. ecclesiarum.*

Romae, 1389 Novembris 9.

R. Lat. 5 fol. 69[b]. — [a]) ‚Nouimagen.' [b]) ‚Marpurg' [c]) ‚Wissegraden.' [d]) ‚Arnhemen'. — Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: N.XIIII.XVI DE BENEVENTO.

201. *Abbati monasterii Scotorum in Vienna Pataviensis dioc. mandatur, quatenus litteras Urbani VI. super archidiaconatu, scholastria et custodia Olomucensis ac praepositura s. Mauritii in Cremsir Olomucensis dioc. ecclesiarum de cetero nonnisi praebendatis canonicis ecclesiae Olomucensis conferendis perinde exsequi studeat, ac si ei dictae litterae eodem pontifice vivente praesentatae fuissent „Dudum siquidem" „Rome ap. S. Petrum V. idus Novembris pont. n. a. primo."*

Romae, 1389 Novembris 9.

Ed. ex originali in Cod. diplom. Moraviae XI. p. 489 nr. 575.

202. *Johannes de Kbel in sedis apostolicae familiarem recipitur.*

Romae, 1389 Novembris 9.

Bonifacius .... dilecto filio Johanni de Kbel alias dicto Westwal rectori parrochialis ecclesie in Pomuk Pragensis diocesis, familiari nostro .... Dum nobilitatem generis, vite ac morum honestatem aliaque dona virtutum, quibus personam tuam fidedignorum testimonio iuvari percepimus, necnon sincere devocionis affectum, quem ad nos et Romanam geris ecclesiam, diligenter attendimus, decens reputamus et congruum, ut te graciosis preveniamus honoribus et oportunis favoribus prosequamur. Ut igitur in effectu percipias, quod suggerit nostre mentis affectus, te, qui, ut asseritur, ex utroque parente de militari genere procreatus existis, in familiarem nostrum recipimus et nostrorum familiarium consorcio favorabiliter aggregamus, tibique concedimus, quod indulgenciis, immunitatibus et privilegiis, familiaribus nostris continuis commensalibus a sede apostolica concessis et inantea concedendis, plenarie uti valeas et gaudere, intendentes, quod per hoc favoris apostolici presidia plenius sorciaris. Sic igitur de bono in melius virtutum studiis intendas, quod merito ad faciendam tibi uberiorem graciam invitemur. Nulli ergo .... Datum Rome ap. S. Petrum V. idus Novembris pont. n. a. primo.

R. Vat. 312 fol. 169[a], et iterum R. Lat. 9 fol. 196[b]. In R. Vat. in fine hae notae sunt adiunctae: (ad sin.) P. DE BOSCO; (ad dext.) GRATIS DE MANDATO DOMINI NOSTRI PAPE

JO. DE MALESICZ; in R. Lat. autem: DE MANDATO, N. DE BENEVENTO. Copia abbreviata sine notis est etiam in Arm. XXXI tom. 36 fol. 27[a].

---

203. *Bartholomaeus de Nova Civitate*[a]) *cantor ecclesiae s. Crucis Vratislaviensis in apostolicae sedis familiarem recipitur. „Multarum dona virtutum" „Rome ap. S. Petrum quinto idus Novembris pont. n. a. primo."*

Romae, 1389 Novembris 9.

R. Lat. 5 fol. 24[b] — [a]) ‚Nouaciuitate' — Supra in marg. sin.: P. DE BOSCO; in fine: DE MANDATO, N. DE BENEVENTO.

---

204. *Nicolao de Volavia providetur de canonicatu sub exspectatione praebendae ecclesiae Olomucensis.*

Romae, 1389 Novembris 9.

Bonifacius . . . . Nicolao de Wolauia canonico Olomucensi . . . . Vite ac morum . . . .Volentes itaque tibi . . . . graciam facere specialem, canonicatum ecclesie Olomicensis . . . apostolica tibi auctoritate conferimus et de illo eciam providemus, prebendam vero, si qua in dicta ecclesia vacat ad presens vel cum vacaverit, ... conferendam tibi . . . . , eciam si fuerit disposicioni apostolice generaliter reservata, ... donacioni apostolice reservamus; non obstantibus . . . . , quod hodie tibi de Wratislauiensis et Cracouiensis eciam sub unius dignitatum, personatuum seu officiorum cum cura vel sine cura cuiuslibet earundem, necnon de Warmiensis ecclesiarum canonicatibus sub expectacionibus prebendarum per quasdam duximus providendum[1]), ac de uno vel duobus beneficio seu beneficiis ecclesiastico seu ecclesiasticis, eciam si ipsum unum vel ipsorum duorum alterum curatum seu dignitas vel personatus aut officium cum cura vel sine cura et huismodi dignitas in collegiata ecclesia principalis foret, ad quorumcunque collacionem . . . . pertinente vel pertinentibus, in civitate vel diocesi Wratislauiensibus vacante vel vacaturo, vacantibus vel vacaturis, per alias nostras litteras graciose mandavimus provideri . . . . Datum Rome ap. S. Petrum quinto idus Novembris a. primo.

S i m i l i m o d o . . . episcopo Monopolitano et . . . . abbati monasterii s. Marie in Arena extra muros Wratislauienses ac . . . . officiali Wratislauiensi . . .

R. Lat. 7 fol. 157[a] — Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: N. XIIII. XVI DE BENEVENTO — [1]) Cf. nr. 205.

---

205. *Nicolao de Volavia providetur de canonicatu ecclesiae Varmiensis sub exspectatione maioris praebendae.*

Romae, 1389 Novembris 9.

Bonifacius . . . . Nicolao de Wolauia, canonico Warmiensi . . . Vite ac morum . . . Volentes itaque tibi . . . graciam facere specialem, canonicatum ecclesie Warmiensis, in qua maiores, medie et minores ac distincte prebende fore noscuntur, ... apostolica tibi auctoritate conferimus et de illo eciam providemus, ac unam de huiusmodi maioribus prebendis, si qua in dicta ecclesia vacat ad presens vel cum vacaverit . . . . , conferendam tibi . . . . , eciam si fuerit dispositioni apostolice generaliter reservata, . . . donacioni apostolice reservamus . . . . ; non obstantibus . . . . , quod hodie tibi, ut asseris, de Wratislauiensis et Cracouiensis eciam sub unius dignitatum, personatuum seu officiorum cum cura vel sine cura cuiuslibet earundem, necnon de Olomicensis ecclesiarum canonicatibus sub expectacionibus prebendarum per quasdam duximus providendum [1]), ac de uno vel duobus beneficio seu beneficiis ecclesiastico seu ecclesiasticis, eciam si ipsum unum vel ipsorum duorum alterum curatum seu dignitas vel personatus aut officium cum cura vel sine cura et huiusmodi dignitas in collegiata ecclesia principalis foret, ad quorumcunque collacionem . . . . pertinente vel pertinentibus, in civitate vel diocesi Wratislauiensibus vacante vel vacantibus aut vacaturo vel vacaturis, per alias nostras litteras graciose mandavimus provideri. . . . . Datum Rome ap. S. Petrum quinto idus Novembris a. primo. . . . .

Simili modo . . . . episcopo Monopolitano et . . . . abbati monasterii s. Vincencii extra muros Wratislauienses ac officiali Warmiensi.

R. Lat. 7 fol. 155^{b} — Supra in marg. sin: C[ANCELLARIA]; in fine: N. XV. XVII DE BENEVENTO — [1]) Cf. nr. 204.

---

206. *Alardo de Molendino providetur de canonicatu sub exspectatione praebendae ecclesiae Vratislaviensis.*

Romae, 1389 Novembris 9.

Bonifacius . . . magistro Alardo Johannis Alardi de Molendino canonico Wratislauiensi, scriptori et familiari nostro . . . . Grata tue familiaritatis et devocionis obsequia . . . . Volentes itaque tibi, qui eciam litterarum apostolicarum abbreviator existis, ... consideracione . . . . Philippi episcopi Ostiensis, pro te, dilecto capellano suo, nobis super hoc humiliter supplicantis, graciam facere specialem, canonicatum ecclesie Wratislauiensis . . . . apostolica tibi auctoritate conferimus et de illo eciam providemus, prebendam vero, si qua in dicta ecclesia vacat ad presens vel cum vacaverit . . . . , conferendam tibi . . . . donacioni apostolice reservamus . . . . ; non obstantibus . . . . , quod, ut asseritur, canonicatum et prebendam ac supplementum Traiectensis obtines, ac super s. Sebastiani Magdeburgensis in palacio apostolico litigas, et dudum tibi de Padeburnensis et maioribus prebendis tunc certo modo vacantibus fuit apostolica auctoritate provisum, et quod hodie tibi de Warmiensis sub expectacione prebende canonicatibus . . . , quos quidem s. Sebastiani, dum Warmiensis canonicatus et maiores prebendas fueris pacifice assecutus, si ipsos canonicatum et prebendam s. Sebastiani interim evincas et assequaris, omnino dimittere, alioquin omni iuri tibi in eis seu ad eos quomodolibet competenti cedere tenearis, et tibi de dignitate vel personatu

aut officio dicte Traiectensis seu alicuius collegiatarum civitatis et diocesis Traiectensium ac de beneficio ecclesiastico cum cura vel sine cura ad collacionem . . . . episcopi Leodiensis et . . . . prepositi, decani, archidiaconorum, scolastici, thesaurarii, custodis, cantoris, capituli, canonicorum et personarum Leodiensis, eciam si canonicatus et prebenda ipsius Leodiensis ecclesiarum fuerit, communiter vel divisim pertinente, vacantibus vel vacaturis, per diversas alias nostras litteras graciose mandavimus provideri, quas quidem litteras et processus habitos per easdem et quecunque inde secuta, quoad incompatibile dumtaxat, cum dignitatem vel personatum aut curatum officium vel beneficium fores pacifice assecutus, extunc cassamus et irritamus ac nullius esse volumus roboris vel momenti. Volumus autem, quod, quamprimum vigore presencium huiusmodi canonicatum et prebendam Wratislauiensis fueris pacifice assecutus, prefatos canonicatum et prebendam Padeburnensis ecclesiarum . . . omnino, prout ad id eciam te sponte obtulisti, dimittere tenearis . . . . Datum Rome ap. S. Petrum quinto idus Novembris a. primo.

Simili modo . . . . abbati monasterii s. Marie in Arena extra muros Wratislauienses et preposito ecclesie Brixinensis ac officiali Wratislauiensi . . . .

R. Lat. 3 fol. 18[a] — Supra in marg. sin. C[ANCELLARIA]; in fine: PRO SOCIO, JAC DE TERAMO.

---

207. *Magistro Alardo Johannis Alardi de Molendino scriptori et familiari apostolico ac litterarum apostolicarum abbreviatori consideratione Philippi episcopi Ostiensis, pro eo, capellano suo, supplicantis, providetur de canonicatu sub exspectatione maioris praebendae ecclesiae Varmiensis, non obstante inter cetera, quod hodie ei de canonicatu sub exspectatione praebendae ecclesiae Vratislaviensis a papa mandatum est provideri. „Grata tue familiaritatis“ „Rome ap. S. Petrum quinto idus Novembris a. primo.“ — Simili modo Brixinensis et Pomezaniensis ecclesiarum praepositis ac officiali Pomezaniensi.*

Romae, 1389 Novembris 9.

R. Lat. 3 fol. 188[a] — In fine: PRO SOCIO, N. DE BENEVENTO.

---

208. *Johanni Wengershusen providetur de canonicatu sub exspectatione praebendae ecclesiae Vratislaviensis.*

Romae, 1389 Novembris 9.

Bonifacius . . . . Johanni Wengershusen canonico[a]) Wratislauiensi . . . . Vite ac morum honestas . . . . Volentes itaque tibi . . . . graciam facere specialem, canonicatum ecclesie Wratislauiensis[b]) . . . . apostolica tibi auctoritate conferimus et de illo eciam providemus, prebendam vero, si qua in dicta ecclesia vacat ad presens vel cum vacaverit . . . ., conferendam tibi . . . . donacioni apostolice reservamus . . . .; non obstantibus de certo canonicorum numero et

quibuslibet aliis ipsius ecclesie statutis et consuetudinibus contrariis . . . ., seu si hodie alii vel aliis super equali vel equalibus gracia seu graciis in ipsa ecclesia litteras nostras duxerimus concedendas . . . ., aut quod hodie tibi de beneficio ecclesiastico cum cura vel sine cura vacante vel vacaturo ad collacionem . . . . episcopi et capituli predictorum [Vratislaviensium] ac . . . . prepositi, decani, thesaurarii, scolastici, singulorumque canonicorum et personarum eiusdem ecclesie communiter vel divisim pertinente per alias nostras litteras graciose mandavimus provideri . . . . Datum Rome ap. S. Petrum quinto idus Novembris a. primo.

Simili modo . . . . patriarche Gradensi et . . . . abbati monasterii s. Marie in Arena ac decano ecclesie s. Crucis extra muros Wratislauienses[c] . . . .

R. Lat. 3 fol. 127[a] — [a]) sequitur ‚ecclesie s. Johannis', sed cancellatum [b]) correctum in margine ex ‚s. Johannis Wratislauien.' [c]) correctum ex ‚abbati monasterii b. Marie in Arena extra muros Wratislauienses ac decano ecclesie s. Johannis Wratislauiensis' adiuncta nota: „Correctum de mandato, N. de Benevento". — Supra in marg. sin. C[ANCELLARIA]; in fine: PRO DEO N. DE BENEVENTO.

---

209. *Dětvino*[a]) *de Vratislavia magistro in artibus et in medicina providetur de canonicatu sub exspectatione praebendae ecclesiae Vratislaviensis, non obstante, quod in s. Petri in Brunna Olomucensis dioc. canononicatum et praebendam et quoddam altare in s. Elizabeth Vratislaviensi ecclesiis noscitur obtinere. „Litterarum sciencia, vite" „Rome ap. S. Petrum quinto idus Novembris pont. n. a. primo" — Simili modo episcopo Tudensi et abbati monasterii s. Mariae in Arena extra muros Vratislavienses ac officiali Vratislaviensi.*

Romae, 1389 Novembris 9.

R. Lat. 6 fol. 125[b] — [a]) ‚Dyetwino' — Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: JAC. X. XII DE TERAMO — Aliae litterae super eadem gratia et de eadem data in R. Lat. 3 fol. 172[a] registratae sunt, per quas officiali Vratislaviensi mandatur, quatenus ‚Dyetwino phisico' canonico ecclesiae s. Petri in Brunna Olomucensis dioc., magistro in artibus, de canonicatu sub exspectatione praebendae ecclesiae Vratislaviensis provideat. Ibidem haec nota in fine est adscripta: N. XXII DE BENEVENTO.

---

210. *Officiali Pragensi mandatur, quatenus Theoderico de Praga clerico Pragensis dioc. de canonicatu sub exspectatione praebendae ecclesiae Vyšehradensis*[a]) *prope Pragam provideat. „Dignum arbitramur" „Rome ap. S. Petrum quinto idus Novembris a. primo."*

Romae, 1389 Novembris 9.

R. Lat. 3 fol. 3[b] — [a]) ‚Wissegraden.' — Supra in marg. sin: C[ANCELLARIA]; in fine: N. XXI DE BENEVENTO.

211. *Officiali Pragensi mandatur, quatenus Johanni Bohunkonis de Matrovicz*[a] *clerico Pragensis dioc. consideratione Venceslai Romanorum et Bohemiae regis, pro ipso Johanne, cantore cappellae suae regiae in Hrádek*[b] *dictae dioc., supplicantis, de canonicatu sub exspectatione praebendae ecclesiae Boleslaviensis Pragensis dioc. provideat.* „*Dignum arbitramur*“ „*Rome ap. S. Petrum quinto idus Novembris a. primo.*“

Romae, 1389 Novembris 9.

R. Lat. 7 fol. 150[b] — [a]) ‚Matrowicz‘ [b]) ‚Hradeck‘ — In fine: N. XXI DE BENEVENTO.

---

212. *Officiali Olomucensi mandatur, quatenus Andreae Nicolai de Jevíčko*[a]) *rectori parrochialis ecclesiae in Kelč*[b]) *Olomucensis dioc. consideratione Venceslai Romanorum et Bohemiae regis, pro ipso Andrea, ingrossatore litterarum curiae suae regalis, supplicantis, de canonicatu sub exspectatione praebendae ecclesiae Olomucensis provideat, non obstante, quod praefatam parrochialem ecclesiam obtinet, atque dudum ei de canonicatu et praebenda ecclesiae s. Petri Brunnensis dictae dioc vacantibus, quorum possessionem pacificam nondum est adeptus, apostolica fuit auctoritate provisum; sed quamprimum idem Andreas canonicatum et praebendam ecclesiae Olomucensis fuerit assecutus, praedictos canonicatum et praebendam ecclesiae s. Petri et omne ius ei in ipsis competens omnino, prout ad id se obtulit, dimittere tenetur.* „*Dignum arbitramur*“ „*Rome ap. S. Petrum quinto idus Novembris a. primo.*“

Romae, 1389 Novembris 9.

R. Lat. 3 fol. 27[a] — [a]) ‚Gewicz‘ [b]) ‚Gelcz‘ — Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: N. XXII DE BENEVENTO.

---

213. *Procopio Hostislai de Václavicz*[a]) *presbytero providetur de canonicatu ecclesiae s. Petri Vyšehradensis*[b]) *prope Pragam, ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinentis sub exspectatione praebendae, dignitatis, personatus seu officii, etiam si dignitas ipsa curata fuerit et ad illam consueverit quis per electionem assumi, dummodo dignitas ipsa in eadem ecclesia principalis non fuerit, non obstante, quod in canonicum ipsius ecclesiae auctoritate ordinaria fuit receptus, ita tamen, ut, quamprimum vigore praesentium litterarum canonicatum et praebendam dictae ecclesiae fuerit assecutus, canonicus eiusdem ecclesiae auctoritate ordinaria esse desistat.* „*Laudabilia probitatis*“ „*Rome ap. S. Petrum quinto idus Novembris a. primo*“ — *Simili modo Perusino et Litomyšlensi*[c]) *episcopis et abbati monasterii s. Caroli Pragensis.*

Romae, 1389 Novembris 9.

R. Lat. 7 fol. 197[b] — [a]) ‚Wadislauicz‘ [b]) ‚Wissegraden‘ [c]) ‚Luthomusleu‘. — Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: N. XIIII. XVI DE BENEVENTO.

---

214. *Officiali Vratislaviensi mandatur, quatenus Henrico Spilner de canonicatu sub exspectatione praebendae, dignitatis, personatus vel officii ecclesiae Vratislaviensis provideat.*

Romae, 1389 Novembris 9.

Bonifacius .... officiali Wratislauiensi . . Dignum arbitramur .... Volentes igitur ... Henricum dictum Spilner clericum Wratislauiensis diocesis .... favore prosequi gracioso, discrecioni tue .... mandamus, quatinus, si .... dictum Henricum ad hoc ydoneum esse reppereris, ... ei de canonicatu ecclesie Wratislauiensis .... provideas ...., et si .... dictum Henricum .... ydoneum ad dignitatem vel personatum ipsius ecclesie obtinendum esse reppereris ...., prebendam necnon dignitatem vel personatum seu officium, eciam si dignitas huiusmodi curata fuerit et ad eam consueverit quis per eleccionem assumi, dummodo dignitas ipsa in eadem ecclesia maior post pontificalem non existat, et si forte ita esse non inveneris, ... dummodo ipsum alias .... ad obtinendum prebendam et officium sine cura ydoneum esse reppereris ...., prebendam et officium sine cura dumtaxat, si que vel si qui aut si qua in dicta ecclesia vacant ad presens vel cum vacaverint, ... conferendas vel conferendos seu conferenda eidem Henrico .... donacioni tue auctoritate nostra reserves ....; non obstantibus de certo canonicorum numero et quibuslibet aliis ipsius ecclesie statutis et consuetudinibus contrariis ...., aut si hodie alii vel aliis super equali vel equalibus gracia seu graciis in eadem ecclesia litteras nostras duxerimus concedendas, nos enim tam illas quam presentes effectum sortiri volumus quacunque constitucione apostolica contraria non obstante .... Datum Rome ap. S. Petrum quinto idus Novembris a. primo.

R. Lat. 3 fol. 191[a] — Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: N. XXIII DE BENEVENTO — Clausulae hic ommissae mutatis mutandis cum illis nri. 63. concordant.

---

215. *Officiali Pragensi mandatur, quatenus Johanni de Mnichov[a]) rectori parrochialis ecclesiae in Mnichov[a]) Pragensis dioc. consideratione Venceslai Romanorum et Bohemiae regis, pro ipso Johanne, familiari suo, supplicantis, provideat de canonicatu ecclesiae Olomucensis sub exspectatione praebendae ipsius ecclesiae ac dignitatis, personatus seu officii cum vel sine cura in praedicta vel aliqua ex collegiatis ecclesiis civitatis et diocesis Olomucensium ad collationem episcopi Olomucensis ac praepositi et capituli ecclesiae Olomucensis pertinentium, etiam si ad dignitatem ipsam consueverit quis per electionem assumi, dummodo huiusmodi dignitas maior post pontificalem in cathedrali et principalis in collegiatis ecclesiis non fuerit, cuius quidem dignitatis, personatus vel officii fructus, si cum cura, viginti quinque, si vero sine cura fuerit, decem et octo marcarum argenti valorem annuum non excedant; non obstante, quod dictam parrochialem ecclesiam noscitur obtinere, quam autem dimittere tenetur, quamprimum huiusmodi dignitatem, personatum seu curatum officium fuerit assecutus. „Dignum arbitramur“ „Rome ap. S. Petrum quinto idus Novembris pont. n. a. primo.“*

Romae, 1389 Novembris 9.

R. Lat. 1 fol. 186[a] — [a]) ‚Mnychow' — Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: N. XXV DE BENEVENTO.

---

216. Officiali Pragensi mandatur, quatenus Stiborio Johannis de ‚Koptecz' rectori parrochialis ecclesiae in Stodůlky Pragensis dioc. consideratione Venceslai Romanorum et Bohemiae regis, pro eo, capellano familiari suo domestico commensali, supplicantis, de canonicatu ecclesiae Boleslaviensis dictae dioc. sub. exspectatione praebendae, dignitatis, personatus seu officii cum vel sine cura ad collationem praepositi, decani, custodis et capituli dictae ecclesiae Boleslaviensis pertinentium, etiam si ad dignitatem ipsam consueverit quis per electionem assumi, etiam si dignitas ipsa principalis in collegiata ecclesia fuerit, provideat, non obstante, quod dictus Stiborius praefutam parrochialem ecclesiam noscitur obtinere, quam autem dimittere tenetur, quamprimum huiusmodi dignitatem vel personatum seu officium fuerit pacifice assecutus „Dignum arbitramur." „Rome ap. S. Petrum quinto idus Novembris a. primo."

Romae, 1389 Novembris 9.

R. Lat. 2 fol. 1[a] — [a]) ‚Stodolka' — Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: JAC. XXV DE TERAMO.

---

217. Officili Pragensi mandatur, quatenus Gregorio de Roudnicz beneficium ecclesiasticum cum vel sine cura reservet.

Romae, 1389 Novembris 9.

Bonifacius . . . . officiali Pragensi . . . . Dignum arbitramur . . . . Volentes itaque . . . . Gregorium Crucis de Rudnycz clericum Pragensis diocesis . . . . consideracione carissime in Chr. filie nostre Zophie Romanorum et Boemie regine illustris, pro ipso Gregorio, dilecto suo familiari continuo commensali, nobis super hoc humiliter supplicantis, favore prosequi gracioso, discrecioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus, si per diligentem examinacionem dictum Gregorium bene legere, bene construere et bene cantare ac congrue loqui latinis verbis et alias ydoneum ad curatum beneficium obtinendum esse reppereris, vel eciam si ipse Gregorius non bene cantaret, dummodo in tuis manibus iuret ad sancta dei evangelia, quod infra annum a tempore examinacionis huiusmodi computandum bene cantare addiscet, cum cura vel sine cura, et si forsan ita esse non inveneris, dictusque Gregorius non bene cantet et non iuraverit, ut prefertur dummodo ipsum alias post examinacionem eandem ad obtinendum beneficium sine cura ydoneum esse reppereris, super quibus tuam conscienciam oneramus, sine cura dumtaxat beneficium ecclesiasticum, consuetum clericis secularibus assignari, cuius fructus, redditus et proventus, si cum cura, viginti quinque, si vero sine cura fuerit, decem et octo marcharum argenti secundum taxacionem decime valorem annuum non excedant, ad collacionem, provisionem, presentacionem seu quamvis aliam disposicionem . . . . abbatis et conventus monasterii in Opatouicz

ord. s. Benedicti dicte diocesis communiter vel divisim pertinens, si quod vacat ad presens, vel cum vacaverit, ... conferendum dicto Gregorio . . . . donacioni tue auctoritate nostra reserves . . . .; non obstantibus, si aliqui super provisionibus sibi faciendis de huiusmodi vel aliis beneficiis ecclesiasticis in illis partibus speciales vel generales dicte sedis vel legatorum eius litteras impetrarint . . . ., seu si hodie pro alio vel aliis super equali vel equalibus gracia seu graciis de beneficio seu beneficiis huiusmodi ad collacionem . . . . dictorum abbatis et conventus . . . . pertinente seu pertinentibus . . . . litteras nostras duxerimus concedendas . . . . Et insuper si dictus Gregorius ad hoc repertus fuerit ydoneus, exnunc perinde irritum decernimus et inane, si secus super hiis a quoquam . . . . contigerit attemptari, ac si die date presencium huiusmodi beneficium . . . . conferendum eidem Gregorio . . . . duxissemus specialiter reservandum. Datum Rome ap. S. Petrum quinto idus Novembris a. primo.

R. Lat. 4 fol. 16ª — Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: N. XXII DE BENEVENTO — Clausulae hic ommissae mutatis mutandis cum illis nri. 5 concordant.

---

218. *Ulrico de Strašicz unum, duo, tria seu quatuor beneficia ecclesiastica cum vel sine cura, vacantia vel vacatura, reservantur.*

Romae, 1389 Novembris 9.

Bonifacius . . . . Vlrico Petri de Strassicz clerico Pragensi . . . . Vite ac morum . . . . Volentes itaque tibi, qui, ut asseris, bacallarius in artibus existis, ... graciam facere specialem, unum vel duo aut tria seu quatuor beneficium seu beneficia ecclesiasticum seu ecclesiastica, eciam si ipsum unum vel ipsorum duorum seu trium aut quatuor aliquod curatum fuerit, cuius seu quorum fructus, redditus et proventus, si ipsum unum vel ipsorum duorum aut trium seu quatuor aliquod curatum, vigintiquinque, si vero sine cura fuerint, decem et octo marcharum argenti secundum taxacionem decime valorem annuum non excedant, ad . . . . archiepiscopi Pragensis et . . . . prepositi, decani, archidiaconorum, scolastici, cantoris, custodis, capituli, singulorumque canonicorum et personarum ecclesie Pragensis collacionem . . . . pertinens seu pertinencia, dummodo aliquod ipsorum canonicatus et prebenda ecclesie cathedralis non existat, si quod vel si qua vacat seu vacant ad presens, vel cum vacaverit, aut cum simul vel succesive vacaverint . . . ., conferendum sue conferenda tibi . . . . donacioni apostolice reservamus . . . .; non obstantibus . . . ., quod dudum tibi, ut asseris, de parrochiali ecclesia in Srbicze Pragensis diocesis, tunc certo modo vacante et cuius possessionem nondum habes, apostolica auctoritate graciose concessum fuit provideri. Volumus autem, quod, quamprimum vigore presencium aliquod curatum beneficium fueris pacifice assecutus, predicta concessionis gracia et quecunque inde secuta, quoad curatum beneficium dumtaxat, sint cassa et irrita nulliusque roboris vel momenti . . . . Datum Rome ap. S. Petrum quinto idus Novembris a. primo.

S i m i l i m o d o . . . . episcopo Segobiensi et . . . . abbati monasterii Aule Regie Pragensis diocesis ac . . preposito ecclesie s. Egidii Pragensis . . . .

R. Lat. 4 fol. 3ª — Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: PRO DEO, N. DE BENEVENTO.

---

219. *Petro de Všerub reservantur motu proprio aliquot beneficia ecclesiastica in civitate et diocesi Pragensi et Olomucensi vacantia vel vacatura.*

Romae, 1389 Novembris 9.

Bonifacius . . . . magistro Petro de Wserob canonico Pragensi, secretario et familiari nostro . . . . Grata tue familiaritatis . . . . Volentes itaque tibi, qui eciam litterarum apostolicarum corrector ac scriptor et abbreviator existis, ... graciam facere specialem, unum vel duo seu tria aut plura et tot beneficium seu beneficia ecclesiasticum seu ecclesiastica, quod eius vel eorum fructus . . . . usque ad summam sexaginta[a]) marcharum argenti puri secundum taxacionem decime annuatim ascendant, eciam si ipsum unum vel ipsorum duorum aut trium vel plurium aliquod curatum fuerit, dummodo aliquod eorum canonicatus et prebenda ecclesie cathedralis non existat, ad cuiuscunque seu quorumcunque collacionem, provisionem, presentacionem seu quamvis aliam disposicionem pertinens vel pertinencia, si quod vel si qua in civitatibus aut diocesibus Pragensibus et Olomucensibus vacat seu vacant ad presens, vel cum illud seu illa simul vel successive vacare contigerit . . . ., conferendum vel conferenda tibi . . . . motu propio, non ad tuam vel alterius pro te nobis super hoc oblate peticionis instanciam, sed de nostra mera liberalitate donacioni apostolice reservamus . . . . Et insuper tecum, ut beneficium seu beneficia huiusmodi, quod vel que tibi vigore presencium conferri et de illo vel illis provideri contigerit, ut prefertur, libere recipere et una cum dignitatibus, personatibus, officiis, canonicatibus et prebendis, ecclesiis et aliis beneficiis cum cura vel sine cura, que obtines et expectas et in quibus et ad que ius tibi quomodolibet competit, quotcunque, quecunque et qualiacunque fuerint, licite retinere valeas, generalis concilii et quibuscunque aliis constitucionibus apostolicis ac statutis et consuetudinibus ecclesie vel ecclesiarum, in qua vel quibus huiusmodi beneficium vel beneficia forsan fuerit vel fuerint, contrariis nequaquam obstantibus, auctoritate apostolica motu simili de uberioris dono gracie dispensamus, proviso, quod dignitates, personatus et officia, canonicatus et prebende, ecclesie et alia beneficia huiusmodi debitis non fraudentur obsequiis et animarum cura in eis, quibus illa imminet, nullatenus negligatur. Nulli ergo . . . . Datum Rome ap. S Petrum quinto idus Novembris pont. n. a. primo.

Simili modo . . . . episcopo Segobiensi et . . . . preposito monasterii Cunicensis per prepositum soliti gubernari Olomucensis diocesis et officiali Pragensi . . . .

R. Lat. 4 fol. 76ª — ª) Correctum in margine ex ‚centum' cum nota: „Correctum de mandato. N. de Benevento". — Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: PRO SOCIO, N. DE BENEVENTO. — Litterarum executoriarum originale membr. cum bulla plumbea in filo canapis pendente in archivio capit. eccl. Pragensis sub XX, 22 exstat, ubi hae notae reperiuntur: (supra plicam ad dext.) DUPLICATA, GRATIS PRO SOCIO, JO. DE MALESICZ; (sub plica ad dext.) P. DE BOSCO.

---

220. *Martino de Sternberg conceditur, ut vigore litterarum apostolicarum, per quas ei hodie de beneficio ecclesiastico ad collationem episcopi et capituli Olomucensium pertinente provisum est, etiam canonicatum et maiorem praebendam ecclesiae Olomucensis assequi possit.*

Romae, 1389 Novembris 10.

Bonifacius . . . . Martino Johannis de Sternberg clerico Olomucensis diocesis . . . . Vite ac morum . . . . Hodie siquidem tibi de beneficio ecclesiastico cum cura vel sine cura, ad collacionem . . . . episcopi Olomucensis et . . . . prepositi, decani, scolastici, archidiaconi et capituli, singulorumque canonicorum et personarum ecclesie Olomucensis eciam racione personatuum vel officiorum, que in ecclesia predicta obtinent, ... pertinente, vacante vel vacaturo, eciam si canonicatus et prebenda eiusdem ecclesie existeret, per nostras litteras graciose mandavimus provideri, certis tibi super hoc executoribus deputatis, prout in eisdem litteris plenius continetur. Cum autem, sicut exhibita nobis postmodum tua peticio continebat, a nonnullis asseratur, quod iuxta statuta dicte ecclesia iuramento firmata et eciam de usu, more, observancia et secundum consuetudinem antiquam et approbatam ac hactenus pacifice observatam propter prebendarum ipsius ecclesie distinccionem et disparitatem antiquiores et seniores canonici eiusdem ecclesie secundum temporis recepcionem et ordinem, si volunt, dimissis prioribus prebendis per eos obtentis, prebendas meliores seu pinguiores sive magis eis gratas eiusdem ecclesie, cum vacant, optare et ad eas ascendere possunt: nos volentes te,[a]) qui eciam servitor in palacio nostro existis, ... favore prosequi gracioso, ... volumus et apostolica tibi auctoritate concedimus, ut tu vigore dictarum litterarum canonicatum dicte ecclesie Olomucensis ac eciam unam de huiusmodi melioribus seu pinguioribus sive magis gratis prebendis, si qua vacat ad presens vel cum vacaverit, vigore litterarum ipsarum acceptare et de illis tibi[b]) provideri facere illasque assequi et retinere libere et licite valeas, dictique executores illos tibi conferre et de ipsis possint providere et debeant, statutis et consuetudinibus predictis sub quacunque verborum forma eciam ampliori expressione contrariis . . . . et aliis, que in prefatis litteris volumus non obstare, non obstantibus quibuscunque. Nulli ergo . . . . Datum Rome ap. S. Petrum quarto idus Novembris a. primo.

R. Lat. 5 fol. 94[b] — [a]) ‚tibi' cod. [b]) ‚sibi' cod. — Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: DE MANDATO, N. DE BENEVENTO.

---

221. *Officiali Pragensi mandatur, quatenus Venceslao Mathiae dicto Durass presbytero, rectori altaris ss. Erhardi et Otiliae siti in ecclesia Pragensi, de canonicatu sub exspectatione praebendae ecclesiae Olomucensis provideat, non obstante, quod praefatum altare noscitur obtinere. „Dignum arbitramur" „Rome ap. S. Petrum secundo idus Novembris a. primo."*

Romae, 1389 Novembris 12.

R. Lat. 6 fol. 256[a] — Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: N. XXI DE BENEVENTO.

---

222. Magistro Nicolao de Glivicz[a]*) scriptori et familiari apostolico, qui etiam abbreviator litterarum apostolicarum existit, providetur de canonicatu sub exspectatione praebendae ecclesiae s. Mariae Glogoviensis Vratislaviensis dioc., non obstante, „quod, ut asseris, canonicatum et prebendam in Wratislauiensi et quandam capellam sitam in parrochiali Nisensi Wratislauiensis diocesis ecclesiis obtines, et hodie tibi de Olomucensis*[1]*) ac nuper de Pragensis canonicatibus sub prebendarum ac eiusdem Pragensis ecclesiarum eciam sub dignitatis, personatus seu officii cum cura vel sine cura expectacionibus per alias nostras litteras providimus, et huiusmodi graciam in Pragensi ut premittitur tibi factam ad similem dignitatem, personatum vel officium in Wratislauiensi ecclesiis predictis extendi concessimus graciose, quam quidem concessionis graciam et quecunque inde secuta exmunc cassamus . . . .“ „Grata tue familiaritatis“ „Rome ap. S. Petrum secundo idus Novembris pont. n. a. primo“ — Simili modo episcopo Tudensi et cancellario ecclesiae Vratislaviensis ac officiali Vratislaviensi.*

Romae, 1389 Novembris 12.

R. Lat. 6 fol. 99[a] — [a]) ‚Glywicz‘ — In fine: PRO SOCIO, N. DE BENEVENTO — [1]) Cf. nr. 223.

---

223. Magistro Nicolao de Glivicz[a]*) scriptori et familiari apostolico, qui etiam abbreviator litterarum apostolicarum existit, providetur de canonicatu sub exspectatione praebendae ecclesiae Olomucensis, non obstante, „quod, ut asseris, canonicatum et prebendam in Wratislauiensi et quandam capellam sitam in parrochiali Nysensi ecclesiis obtines, et hodie tibi de s. Marie Glogouiensis Wratislauiensis diocesis*[1]*) ac nuper de Pragensis canonicatibus sub prebendarum ac eiusdem Pragensis ecclesiarum eciam sub dignitatis, personatus seu officii cum cura vel sine cura expectacionibus per alias nostras litteras graciose duximus providendum.“ „Grata tue familiaritatis“ „Rome ap. S. Petrum secundo idus Novembris pont. n. a. primo“ — Simili modo episcopo Tudensi et cancellario ecclesiae Vratislaviensis ac officiali Vratislaviensi.*

Romae, 1389 Novembris 12.

R. Lat. 6 fol. 100[a] — [a]) ‚Glywicz‘ — In fine: PRO SOCIO, N. DE BENEVENTO — [1]) Cf. nr. 222.

---

224. Officiali Pragensi mandatur, quatenus Venceslao Johannis de Praga clerico Pragensi consideratione Venceslai Romanorum et Bohemiae regis de canonicatu sub exspectatione praebendae ecclesiae s. Petri Vyšehradensis Pragensis provideat. „Dignum arbitramur“ „Rome ap. S. Petrum pridie idus Novembris pont. a. primo.“

Romae, 1389 Novembris 12.

R. Lat. 8 fol. 78[b] — Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: N. XXI DE BENEVENTO.

---

225. *Decano ecclesiae s. Pauli Vormatiensis*[a]) *mandatur, quatenus Eberhardo Lupoldi presbytero Naumburgensis*[b]) *dioc. consideratione Venceslai Romanorum et Bohemiae regis de canonicatu sub exspectatione praebendae ecclesiae s. Germani extra muros Spirenses provideat. „Dignum arbitramur" „Rome ap. S. Petrum secundo idus Novembris a. primo."*

Romae, 1389 Novembris 12.

R. Lat. 3 fol. 185[b] — [a]) ‚Wormacien' [b]) ‚Nuemburgen.' — In fine: N. XXI DE BENEVENTO.

---

226. *Officiali Herbipolensi mandatur, quatenus consideratione Venceslai Romanorum et Bohemiae regis Eberhardo Theoderici dicti Czentgrefen clerico Herbipolensis dioc. de canonicatu sub exspectatione praebendae ecclesiae s. Johannis Novi Monasterii Herbipolensis dioc. provideat. „Dignum arbitramur" „Rome ap. S. Petrum secundo idus Novembris a. primo."*

Romae, 1389 Novembris 12.

R. Lat. 6 fol. 150[a] — Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: N. XXI DE BENEVENTO.

---

227. *Officiali Herbipolensi mandatur, quatenus Johanni Galli de Havelburg clerico Herbipolensis dioc. consideratione Venceslai Romanorum et Bohemiae regis de canonicatu sub exspectatione praebendae ecclesiae s. Johannis in Haugis dictae dioc. provideat. „Dignum arbitramur" „Rome ap. S. Petrum secundo idus Novembris a. primo."*

Romae, 1389 Novembris 12.

R. Lat. 6 fol. 92[b] — Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: N. XXI DE BENEVENTO.

---

228. *Jacobo Gostemicz de Wurczin providetur consideratione Venceslai Romanorum et Bohemiae regis de canonicatu sub exspectatione maioris praebendae ecclesiae b. Mariae in Wurczin Misnensis diocesis. „Vite ac morum" „Rome ap. S. Petrum secundo idus Novembris a. primo." — Simili modo Tornacensi et Havelbergensi episcopis ac officiali Pragensi.*

Romae, 1389 Novembris 12.

R. Lat. 7 fol. 87[a] — Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: PRO DEO, N. DE BENEVENTO.

---

229. *Decano ecclesiae s. Petri Budissinensis Misnensis dioc. consideratione Sophiae Romanorum et Bohemiae reginae mandatur, quatenus Conrado Conradi Wissin lachis de Eschwege*[a]*) clerico Maguntinensis dioc.*[1]*) de canonicatu sub exspectatione praebendae ecclesiae s. Severi in Erfordia dictae dioc. provideat. „Dignum arbitramur" „Rome ap. S. Petrum secundo idus Novembris a. primo."*

Romae, 1389 Novembris 12.

R. Lat. 7 fol. 66[a] — [a]) ‚Esschenwege' — Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: N. XXI DE BENEVENTO — [1]) ‚Conradus Eschenwegh' a. 1386 in universitate Pragensi ad baccalariatum in artibus admissus est. (Monum. univ. Prag. I./I. p. 237.)

---

230. *Simoni Nicolai de Brunna providetur de canonicatu ecclesiae s. Dionysii Angariensis Osnaburgensis dioc. sub. exspectatione praebendae. „Vite ac morum" „Rome ap. S. Petrum secundo idus Novembris a. primo" — Simili modo Osnaburgensis et Bielefeldensis*[a]*) Padeburnensis dioc. decanis ac scholastico Misnensis ecclesiarum.*

Romae, 1389 Novembris 12.

R. Lat. 7 fol. 113[a] — [a]) ‚Biluelden' — Supra in marg. sin: C[ANCELLARIA]; in fine: PRO DEO, N. DE BENEVENTO.

---

231. *Officiali Bambergensi mandatur, quatenus Gotfrido Liebsperger canonico ecclesiae s. Stephani Bambergensis, qui per quinquennium in iure canonico studuit,*[1]*) consideratione Venceslai Romanorum et Bohemiae regis dignitatem, personatum seu officium cum vel sine cura in dicta ecclesia Bambergensi vacantia vel vacatura reservet, non obstante, quod dictus Gotfridus canonicatum et praebendam eiusdem ecclesiae Bambergensis et parrochialem ecclesiam in Neukirchen*[a]*) noscitur obtinere. „Dignum arbitramur" „Rome ap. S. Petrum secundo idus Novembris a. primo."*

Romae, 1389 Novembris 12.

R. Lat. 7 fol. 189[b] — [a]) ‚Nuenkirchen' — Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: N. XXII DE BENEVENTO — [1]) ‚Ghodfridus de Liebsbergh canonicus ecclesiae s. Stephani Bauenbergensis' a. 1386 a rectore universitatis iuristarum studii Pragensis intitulatus est (Monum. univ. Prag. II./I. p. 74).

---

232. *Nicolao de Topolan reservatur beneficium ecclesiasticum cum vel sine cura.*

Romae, 1389 Novembris 12.

Bonifacius . . . . Nicolao Benonis de Topolan clerico Olomucensis diocesis . . . . Vite ac morum honestas . . . . Volentes itaque tibi . . . . graciam

facere specialem, beneficium ecclesiasticum cum cura vel sine cura, cuius fructus, redditus et proventus, si cum cura, viginti quinque, si vero sine cura fuerit, decem et octo marcharum argenti secundum taxacionem decime valorem annuum non excedant, ad collacionem, provisionem, presentacionem seu quamvis aliam disposicionem . . . . episcopi Olomucensis et . . . . prepositi, decani et capituli singulorumque canonicorum et personarum ecclesie Olomucensis communiter ve divisim pertinens, eciam si in ecclesia ipsa fuerit, dummodo canonicatus et prebenda ecclesie cathedralis non existat, si quod vacat ad presens vel cum vacaverit, ... conferendum tibi . . . . donacioni apostolice reservamus . . . .; non obstantibus quibuscunque statutis et consuetudinibus ipsius vel alterius ecclesie, in qua huiusmodi beneficium forsan fuerit, contrariis . . . ., aut si aliqui super provisionibus sibi faciendis de huiusmodi vel aliis beneficiis ecclesiasticis in illis partibus [apostolice] sedis vel legatorum eius litteras impetrarint . . . ., seu sie hodie pro alio vel aliis super equali vel equalibus gracia seu graciis litteras nostras duxerimus concedendas . . . ., aut si presens non fueris ad prestandum . . . . solitum iuramentum . . . . Datum Rome ap. S. Petrum secundo idus Novembris a. primo.

S i m i l i m o d o . . . . abbati monasterii Gradicensis prope Olomucz et decano ecclesie Olomucensis ac . . officiali Olomucensi . . . .

R. Lat. 4 fol. 9 b — Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA], et inferius: „Cancellentur alie, cum reperientur, quia corriguntur per istas. N. de Benevento"; in fine: N XI. XIII DE BENEVENTO — Clausulae hic omnissae mutatis mutandis cum illis nri. 2 huius libri concordant.

---

233. Officiali Olomucensi mandatur, quatenus Thomae Nicolai de Jemnicz,[a]) rectori altaris s. Nicolai siti in parrochiali ecclesia de Jemnicz[a], Olomucensis dioc. reservet beneficium ecclesiasticum cum vel sine cura, consuetum clericis saecularibus assignari, cuius fructus 25 resp. 18 marcarum argenti valorem annuum non excedant, ad collationem abbatis et conventus monasterii in Třebíč[b]) ord. s. Benedicti dictae dioc. pertinens, si quod vacat vel cum vacaverit. „Dignum arbitramur" „Rome ap. S. Petrum secundo idus Novembris a. primo".

Romae, 1389 Novembris 12.

R. Later. 18 fol. 28[a] — a) ‚Jempnitz' b) ‚Trebycz' — Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: JAC. XXI DE TERAMO.

---

234. Decano ecclesiae Civitatis Austriae Aquilegensis dioc. mandatur, quatenus Venceslao quondam Thomae de Klučín[a]) clerico Olomucensis dioc. reservet beneficium ecclesiasticum cum vel sine cura, consuetum clericis saecularibus assignari, cuius fructus 25 resp. 18 marcarum argenti valorem annuum non excedant, ad collationem praepositi monasterii in Chotěšov[b]) praemonstratensis ord. Pragensis

dioc. pertinens, si quod vacat vel cum vacaverit. „Dignum arbitramur“ „Rome ap. S. Petrum secundo idus Novembris pont. n. a. primo.“

Romae, 1389 Novembris 12.

R. Lat. 4 fol. 65b — a) ‚Kluczyn‘ b) ‚Chociessowicz‘ — Supra in marg. sin: C[ANCELLARIA]; in fine: N. XXI DE BENEVENTO.

---

235. *Decano ecclesiae b. Mariae Civitatis Austriae Aquilegensis dioc. mandatur, quatenus Laurentio quondam Alberti presbytero Litomyšlensis*[a]) *dioc. reservet beneficium ecclesiasticum cum vel sine cura, consuetum clericis saecularibus assignari, cuius fructus 25 resp. 18 marcarum argenti valorem annuum non excedant, ad collationem abbatis et conventus monasterii in Třebíč*[b]) *ord. s. Benedicti Olomucensis dioc. pertinens, si quod vacat vel cum vacaverit. „Dignum arbitramur“ „Rome ap. S. Petrum secundo idus Novembris a. primo.“*

Romae, 1389 Novembris 12.

R. Lat. 4 fol. 260b — a) ‚Luthomuslen‘ b) ‚Trebicz‘ — Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: N. XX DE BENEVENTO.

---

236. *Officiali Pragensi mandatur, quatenus Nicolao Johannis de Březno*[a]) *presbytero, rectori parrochialis ecclesiae in Holešicz*[b]) *Pragensis dioc., reservet beneficium ecclesiasticum cum vel sine cura, consuetum clericis saecularibus assignari, cuius fructus 25 resp. 18 marcarum valorem annuum non excedant, ad collationem abbatissae et conventus monasterii in Teplicz ord. s. Benedicti dictae dioc. pertinens, si quod vacat vel cum vacaverit; non obstante, quod praefatus Nicolaus eandem parrochialem ecclesiam noscitur obtinere, quam autem dimittere tenetur, quamprimum aliquod curatum beneficium fuerit assecutus. „Dignum arbitramur“ „Rome ap. S. Petrum secundo idus Novembris pont. n. a. primo.“*

Romae, 1389 Novembris 12.

R. Lat. 4 fol. 160b — a) ‚de Brzezna‘ b) ‚Holessicz‘ — Supra in marg. sin. C[ANCELLARIA]; in fine: JAC. XXI DE TERAMO.

---

237. *Officiali Pragensi mandatur, quatenus Zdislao Raczkonis de ‚Giran‘(?)*[a]) *clerico Pragensis dioc. consideratione Sophiae Romanorum et Bohemiae reginae reservet beneficium ecclesiasticum cum vel sine cura, cuius fructus 25 resp. 18 marcarum argenti valorem annuum non excedant, ad collationem archiepiscopi Pragensis et praepositi, decani, scholastici et capituli ecclesiae Pragensis pertinens, dummodo canonicatus et praebenda ecclesiae cathedralis non existat, si quod vacat, vel cum vacaverit. „Dignum arbitramur“ „Rome ap. S. Petrum secundo idus Novembris a. primo.“*

Romae, 1389 Novembris 12.

R. Lat. 4 fol. 20[b] — [a]) Nomen hoc propter correctionem in registro indubitanter legi non potest — In fine: N. XXII DE BENEVENTO.

---

238. *Petro Rosenthal conceditur, ut litterae apostolicae, per quas ei hodie de canonicatu sub exspectatione praebendae ecclesiae Lubucensis, et aliae, per quas ei etiam hodie de beneficio ecclesiastico cum vel sine cura ad collationem episcopi Vratislaviensis et praepositi, decani et capituli ecclesiae Vratislaviensis pertinente, vacante vel vacaturo, provisum est, perinde valeant, ac si in alterutris earum de reliquis expressa mentio facta esset. „Vite ac morum" „Rome ap. S. Petrum secundo idus Novembris a. primo."*

Romae, 1389 Novembris 12.

R. Lat. 5 fol. 34[a] — Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: PRO DEO, N. DE BENEVENTO.

---

239. *Jacobo de Habelschwerdt conceditur, ut in assecutione canonicatus et praebendae, dignitatis, personatus vel officii ecclesiae Vratislaviensis omnibus praeter cardinales et familiares apostolicos anteferatur.*

Romae, 1389 Novembris 13.

Bonifacius . . . . Jacobo de Habilswerde canonico Wratislauiensi . . . . Vite ac morum . . . . Hodie siquidem . . . . canonicatum ecclesie Wratislauiensis . . . . apostolica tibi auctoritate contulimus et de illo eciam tibi providimus, prebendam vero necnon dignitatem, personatum seu officium cum cura vel sine cura, dummodo dignitas ipsa in eadem ecclesia maior post pontificalem non existeret, si que vel si qui aut si qua in eadem ecclesia vacabant tunc, vel cum vacarent, ... conferendas, conferendos vel conferenda tibi . . . . donacioni apostolice reservavimus, non obstantibus inter cetera, si aliqui apostolica vel alia quavis auctoritate in eadem ecclesia in canonicos essent recepti, vel ut reciperentur insisterent, seu si super provisionibus sibi faciendis de canonicatibus et prebendis ac dignitatibus, personatibus vel officiis in dicta ecclesia speciales vel aliis beneficiis ecclesiasticis in illis partibus generales apostolice sedis vel legatorum eius litteras impetrassent . . . . , quibus omnibus preterquam auctoritate nostra in ecclesia ipsa receptis vel prebendas ac dignitates, personatus vel officia expectantibus in eadem te in assecucione prebende et dignitatis, personatus vel officii huiusmodi voluimus anteferri, ... ac decrevimus extunc irritum, si secus . . . . contingeret attemptari, certis tibi super hoc executoribus deputatis, prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur. Nos igitur volentes te . . . . favoribus prosequi gracie amplioris, tuis in hac parte supplicacionibus inclinati, te in assecucione huiusmodi canonicatus et prebende ac dignitatis personatus vel officii omnibus eciam auctoritate nostra in ecclesia ipsa receptis vel prebendas ac dignitates, personatus vel officia expectantibus in eadem preterquam . . . . s. Romane ecclesie cardinalibus et . . . . familiaribus nostris volumus anteferri, sed nullum per hoc eis

quoad assecucionem canonicatuum et prebendarum ac dignitatum, personatuum vel officiorum aut beneficiorum aliorum preiudicium generari; non obstantibus prioribus voluntate et decreto nostris predictis ac omnibus aliis, que in dictis litteris voluimus non obstare. Nulli ergo .... Datum Rome ap. S. Petrum idibus Novembris a. primo.

R. Lat. 5 fol. 58b — Supra in marg. sin.: P. DE BOSCO; in fine: N. XXX DE BENEVENTO.

---

240. *Johanni de Borsnicz providetur de canonicatu sub exspectatione praebendae ecclesiae Poznaniensis.*

Romae, 1389 Novembris 13.

Bonifacius .... Johanni de Borsnicz canonico Poznaniensi, decretorum doctori .... Nobilitas generis, litterarum sciencia, vite ac morum .... Volentes itaque tibi, qui, ut asseris ex utroque parente de militari genere procreatus existis, et in decretis cum rigoroso examine doctoratus fuisti, ... graciam facere specialem, canonicatum ecclesie Poznaniensis .... apostolica tibi auctoritate conferimus et de illo eciam providemus, prebendam vero ipsius ecclesie, si qua in dicta ecclesia vacat ad presens vel cum vacaverit, ... conferendam tibi .... donacioni apostolice reservamus ....; non obstantibus ....., quod, ut asseritur, in Gneznensi canonicatum et prebendam [1]) et in s. Elizabeth unum ac in s. Marie Magdalene Wratislauiensibus aliud altaria sita sine cura obtines, quodque nos dudum tibi de in Pragensi [2]) ac in Olomucensi necnon in Wratislauiensi et in Wladislauiensi canonicatibus sub prebendarum et in eisdem Pragensi et Wratislauiensi ecclesiis sub eciam dignitatum vel personatuum seu officiorum expectacionibus per quasdam providimus, et quod tibi de beneficio ecclesiastico sine cura ad collacionem .... episcopi Wratislauiensis pertinente, vacante vel vacaturo, per alias nostras litteras mandavimus provideri .... Datum Rome ap. S. Petrum idibus Novembris a. primo.

Simili modo .... episcopo Tudensi et .... abbati monasterii b. Marie in Arena extra muros Wratislauienses ac decano ecclesie Wratislauiensis ....

R. Lat. 7 fol. 89a — Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: N. XIII DE BENEVENTO — [1]) Cf. nr. 197. [2]) De canonicatu sub exspectatione praebendae ecclesiae Pragensis Johanni de Borsnicz 1389 Nov. 9 provisum est; cf. Tadra, Kniha protokolů auditorů papežských (Věstník kr. č. spol. nauk 1893 nr. IV.) p. 13.

---

241. *Paulo Nankeri de ‚Virzchonow'[1]), qui presbyter et ex utroque parente de nobili genere procreatus existit, consideratione Hedvigis reginae Poloniae, pro eo, dilecto familiari suo, supplicantis, providetur de canonicatu sub exspectatione praebendae ecclesiae Gneznensis. „Nobilitas generis" „Rome ap. S. Petrum idibus Novembris pont. n. a. primo." — Simili modo decano et archidiacono ecclesiae Gneznensis ac officiali Vratislaviensi.*

Romae, 1389 Novembris 13.

R. Lat. 3 fol. 137a — In fine: N. XII. XIIII DE BENEVENTO — [1]) Wyschanow in regione Poznaniensi?

242. *Officiali Cracoviensi mandatur, quatenus Nicolao Michaelis canonico Cracoviensi consideratione Vladislai regis Poloniae de canonicatu sub exspectatione praebendae ecclesiae Vratislaviensis provideat, non obstante, quod dictus Nicolaus canonicatum et praebendam ecclesiae Cracoviensis ac parrochialem ecclesiam Omnium Sanctorum Cracoviensem noscitur obtinere. „Dignum arbitramur" „Rome ap. S. Petrum idibus Novembris a primo."*

Romae, 1389 Novembris 13.

R. Lat. 3 fol. 131a — In fine: N. XXII DE BENEVENTO.

---

243. *Praeposito ecclesiae Frisingensis mandatur, quatenus Petro Waltheri clerico Misnensis dioc., qui in artibus et medicina magister existit,* [1]) *de canonicatu sub exspectatione praebendae ecclesiae Vratislaviensis provideat. „Dignum arbitramur" „Rome ap. S. Petrum idibus Novembris a. primo."*

Romae, 1389 Novembris 13.

R. Lat. 3 fol. 95a — Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: JAC. XX DE TERAMO — [1]) Iste Petrus Waltheri in universitate Pragensi studuit ibidemque a. 1380 ad baccalariatum in artibus admissus, a. 1383 licentiatus est; a. 1389 ‚magister Petrus Waltheri' de natione Polonorum pro examine baccalaraudiorum in artibus deputatus est. (Mon. univ. Prag. I./1. p. 193. 212. 262.)

244. *Officiali Magdeburgensi mandatur, quatenus Johanni de Belitz canonico Magdeburgensi de canonicatu sub exspectatione praebendae ecclesiae Vratislaviensis provideat, non obstante, quod canonicatum et praebendam ecclesiae Magdeburgensis et parrochialem ecclesiam in Wettbergen*[a]) *Brandeburgensis dioc. noscitur obtinere. „Dignum arbitramur" „Rome ap. S. Petrum idibus Novembris a. primo."*

Romae, 1389 Novembris 13.

R. Lat. 7 fol. 97a — [a]) ‚Wettenberg' — Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: N. XXIII DE BENEVENTO.

245. *Officiali Constantiensi mandatur, quatenus Johanni Eygner clerico Constantiensis dioc., magistro in artibus, qui Pragae studet* [1]), *de canonicatu sub exspectatione praebendae ecclesiae Basiliensis provideat. „Dignum arbitramur" „Rome ap. S. Petrum idibus Novembris a. primo."*

Romae, 1389 Novembris 13.

R. Lat. 3 fol. 184b — Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: N. XXI DE BENEVENTO — [1]) ‚Joannes Egner' in universitate Pragensi a. 1383 ad baccalariatum, a. 1387 ad gradum magisterii in artibus admissus est. (Mon. univ. Prag. I, I. p. 218. 250.)

---

246. *Nicolao Werinbart reservatur beneficium ecclesiasticum cum vel sine cura, cuius fructus 25 resp. 18 marcarum argenti valorem annuum non excedant, ad collationem episcopi Vratislaviensis pertinens, etiam si canonicatus et praebenda ecclesiae cathedralis fuerit, si quod vacat, vel cum vacaverit; non obstante, quod parrochialem ecclesiam in Weidenau[a]) Vratislaviensis dioc. noscitur obtinere, quam autem dimittere tenetur, quamprimum aliquod curatum beneficium fuerit assecutus. „Vite ac morum" „Rome ap. S. Petrum idibus Novembris a. primo." — Simili modo episcopo Tudensi[b]) et abbati monasterii b. Mariae virginis in Arena extra muros Vratislavienses ac officiali Vratislaviensi.*

Romae, 1389 Novembris 13.

R. Lat. 4 fol. 48a — [a]) ‚Wydenaw' [b]) Corr. in marg. ex ‚Theanensi' cum nota: „Correctum de mandato, N. de Benevento" — Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: N. XII. XIII DE BENEVENTO.

---

247. *Nicolao Nicolai de Ludwigsdorf[a]) alias de Greisau[b]) clerico Vratislaviensis dioc. reservatur beneficium ecclesiasticum cum vel sine cura, cuius fructus 25 resp. 18 marcarum argenti valorem annuum non excedant, ad collationem episcopi Vratislaviensis et praepositi, decani, scholastici, archidiaconi et capituli ecclesiae Vratislaviensis pertinens, dummodo canonicatus et praebenda ecclesiae cathedralis non existat, si quod vacat, vel cum vacaverit. „Vite ac morum" „Rome ap. S. Petrum idibus Novembris a. primo." — Simili modo episcopo Theanensi et decano ecclesiae Legnicensis Vratislaviensis dioc. ac officiali Vratislaviensi.*

Romae, 1389 Novembris 13.

R. Lat. 4 fol. 335b — [a]) ‚Ludwiksdorp, Ludviksdorpp' [b]) ‚Grischaw' — Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: PRO DEO, JAC. DE TERAMO.

---

248. *Petro de ‚Sweyt' canonico ecclesiae b. Mariae Stetinensis Caminensis dioc., magistro in medicina, qui Pragae studet,[1]) reservatur beneficium ecclesiasticum cum vel sine cura, cuis fructus 25 resp. 18 marcarum argenti puri valorem annuum non excedant, ad collationem praepositi, decani, cantoris, scholastici et capituli dictae ecclesiae in Stetin pertinens, si quod vacat, vel cum vacaverit. „Litterarum sciencia" „Rome ap. S. Petrum idibus Novembris a. primo." — Simili modo episcopo Tornacensi et decano et archidiacono Diminensi ecclesiae Caminensis.*

Romae, 1389 Novembris 13.

R. Lat. 4 fol. 152[a] — Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: N. XI. XIII DE BENEVENTO — [1]) ‚Petrus Swet de natione Saxonum' iam 1367 April. 25 in universitate Pragensi gradum baccalariatus in artibus recepit. (Mon. univ. Prag. I./1. p. 134.)

---

249. *Officiali Pragensi mandatur, quatenus Paulo Nicolai de Schlackenwerth*[a]) *presbytero Pragensis dioc., magistro in artibus, qui Pragae in theologia studet,*[1]) *reservet beneficium ecclesiasticum cum vel sine cura, cuius fructus 25 resp. 18 marcarum argenti valorem annuum non excedant, ad collationem archiepiscopi Pragensis et praepositi, decani, archidiaconi, scholastici et capituli ecclesiae Pragensis pertinens, si quod vacat, vel cum vacaverit. „Dignum arbitramur" „Rome ap. S. Petrum idibus Novembris a. primo."*

Romae, 1389 Novembris 13.

R. Lat. fol. 248[b] — [a]) ‚Slakenwerde' — Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: N. XXI DE BENEVENTO. — [1]) Cf. Mon. univ. Prag. I./1. p. 219, 276, 299, 312.

---

250. *Officiali Olomucensi mandatur, quatenus Johanni Valentini de Majetín*[a]) *clerico Olomucensis dioc., reservet beneficium ecclesiasticum cum vel sine cura, cuius fructus 25 resp. 18 marcarum argenti valorem annuum non excedant, ad collationem episcopi Olomucensis et praepositi, decani et capituli ecclesiae Olomucensis pertinens, etiam si in ipsa ecclesia fuerit, dummodo canonicatus et praebenda ecclesiae cathedralis non existat, si quod vacat, vel cum vacaverit. „Dignum arbitramur" „Rome ap. S. Petrum idibus Novembris a. primo."*

Romae, 1389 Novembris 13.

R. Lat. 18 fol. 35[a] — [a]) ‚Olomicen' [b]) ‚Magetin' — Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine JAC. XXII DE TERAMO.

---

251. *Officiali Pragensi mandatur, quatenus Petro quondam Johannis Junger de ‚Reddin' nato, canonico ecclesiae Bregensis Vratislaviensis dioc., magistro in artibus, qui presbyter et etiam scholaris in theologia existit et Pragae studet*[1]), *reservet beneficium ecclesiasticum cum vel sine cura, cuius fructus 25 resp. 18 marcarum argenti valorem annuum non excedant, ad collationem episcopi Varmiensis et praepositi, decani, cantoris, custodis et capituli ecclesiae Varmiensis pertinens, si quod vacat, vel cum vacaverit; non obstante, quod dictus Petrus canonicatum et praebendam in praedicta Bregensi et quaedam perpetuam vicariam in maiori et altare, quae sine cura sunt, in s. Aegidii Vratislaviensibus ecclesiis noscitur obtinere. „Dignum arbitramur" „Rome ap. S. Petrum idibus Novembris a. primo."*

Romae, 1389 Novembris 13.

R. Lat. 18 fol. 40[a] — Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: JAC. XXIIII DE TERAMO — [1]) Petrus de Reddin (etiam Petrus Ratyn, de Rathyn, Reddyn, Redino vocatus) a. 1376 in universitate Pragensi gradum baccalariatus, a. 1379 licentiam et magistri in artibus titulum adeptus est. (Mon. univ. Prag. I/I. 171. 184. 185). Posterioribus annis aliquoties in eadem universitate a natione Polonorum examinator baccalariandorum aut magistrandorum deputatus, a. 1395 autem rector trium facultatum electus est. A villa Rathen in regione Vratislaviensi denominatus esse videtur.

---

252. Officiali Vratislaviensi mandatur, quatenus Theoderico de Tost presbytero, rectori altaris S. Laurentii siti in parrochiali ecclesia in Nissa[a]) Vratislaviensis dioc., reservet beneficium ecclesiasticum cum vel sine cura, cuius fructus 25 resp. 18 marcarum argenti valorem annuum non excedant, ad collationem episcopi Vratislaviensis et praepositi, decani, archidiaconi, cantoris, scholastici, custodis et capituli ecclesiae Vratislaviensis pertinens, dummodo canonicatus et praebenda ecclesiae cathedralis non existat, si quod vacat, vel cum vacaverit; non obstante, quod dictus Theodericus altare prefatum noscitur obtinere. „Dignum arbitramur"

„Rome ap. S. Petrum idibus Novembris a. primo."

Romae, 1389 Novembris 13.

R. Lat. 18 fol. 29[a] — [a]) ‚Nysa' — Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: JAC. XXI DE TERAMO.

---

253. Officiali Vratislaviensi mandatur, quatenus Nicolao de Strelicz perpetuo vicario in ecclesia Vratislaviensi consideratione Margaretae reginae Daniae[a]) reservet beneficium ecclesiasticum cum vel sine cura, cuius fructus 25 resp. 18 marcarum argenti valorem annuum non excedant, ad collationem episcopi Vladislaviensis et praepositi, decani, archidiaconi et capituli ecclesiae Vladislaviensis pertinens, dummodo canonicatus et praebenda ecclesiae cathedralis non existat, si quod vacat, vel cum vacaverit; non obstante, quod dictus Nicolaus quandam perpetuam vicariam et quoddam altare sine cura in ecclesia Vratislaviensi obtinet, et hodie ei de beneficio ecclesiastico sine cura, ad collationem abbatis et conventus monasterii in Trebnicz cisterciensis ord. Vratislaviensis dioc. pertinente, vacante vel vacaturo, a papa concessum est provideri. „Dignum arbitramur"

„Rome ap. S. Petrum idibus Novembris a. primo."

Romae, 1389 Novembris 13.

R. Lat. 4 fol. 138[b] — [a]) ‚Dacie' — Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: N. XXII BENEVENTO.

---

254. Officiali Vratislaviensi mandatur, quatenus Augustino Nicolai de Nissa[a]) canonico ecclesiae Ottmuchoviensis[b]) Vratislaviensis dioc. reservet beneficium ecclesiasticum cum vel sine cura, cuius fructus 25 resp. 18 marcarum argenti

valorem annuum non excedant, ad collationem episcopi Vratislaviensis pertinens, dummodo canonicatus et praebenda ecclesiae cathedralis non existat, si quod vacat, vel cum vacaverit; non obstante, quod praefatus Augustinus canonicatum et praebendam dictae ecclesiae noscitur obtinere. „Dignum arbitramur" „Rome ap. S. Petrum idibus Novembris a primo."

Romae, 1389 Novembris 13.

R. Lat. 4 fol. 126[a] — [a]) ‚Nysa' [b]) ‚Othmuchouien' — Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: N. XXI DE BENEVENTO.

---

255. *Officiali Vratislaviensi mandatur, quatenus Nicolao Sculteti de Prusnicz rectori altaris ss. Clementis et Gregorii siti in ecclesia Vratislaviensi, magistro in artibus, qui Pragae studet,*[1]) *reservet beneficium ecclesiasticum cum vel sine cura, cuius fructus 25 resp. 18 marcarum argenti valorem annuum non excedant, ad collationem praepositi, decani, custodis, cantoris et capituli ecclesiae s. Crucis Vratislaviensis pertinens, si quod vacat, vel cum vacaverit; non obstante, quod dictus Nicolaus praefatum altare, quod sine cura est, noscitur obtinere. „Dignum arbitramur" „Rome ap. S. Petrum idibus Novembris a. primo."*

Romae, 1389 Novembris 13.

R. Lat. 4 fol. 197[a] — Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: N. XXIII DE BENEVENTO — [1]) ‚Nicolaus de Prusnicz' de natione Polonorum a. 1385 a rectore universitatis iuristarum studii Pragensis intitulatus est (Mon. univ. Prag. II./I. p. 97); a. 1387 ‚Nicolaus Sculteti' ad gradum magisterii in artibus admissus (ibid. I. I. p. 257).

---

256. *Decano ecclesiae b. Mariae Erfordensis Maguntinensis dioc. mandatur, quatenus Benedicto Lutigeri de Eisenach*[a]) *clerico Maguntinensis dioc., baccalario in artibus, qui Pragae in eisdem artibus studet,*[1]) *r servet beneficium ecclesiasticum cum vel sine cura, cuius fructus 25 resp. 18 marcarum argenti valorem annuum non excedant, ad collationem decani, scholastici, cantoris et capituli ecclesiae b. Mariae Eisenacensis*[b]) *praedictae dioc. pertinens, si quod vacat, vel cum vacaverit. „Dignum arbitramur" „Rome ap. S. Petrum idibus Novembris a. primo."*

Romae, 1389 Novembris 13.

R. Lat. 4 fol. 100[a] — [a]) ‚Isenacho' [b]) ‚Isenacensis' — Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: N. XXI DE BENEVENTO — [1]) ‚Benedictus de Ysenach' a. 1388 in universitate Pragensi ad baccalariatum in artibus admissus est. (Mon. univ. Prag. I. I. p. 261.)

---

257. *Praeposito ecclesiae s. Andreae Verdensis mandatur, quatenus Henrico Brandes clerico Mindensis dioc., magistro in artibus, qui Pragae studet,*[1]) *reservet beneficium ecclesiasticum cum vel sine cura, cuius fructus 25 resp. 18 marcarum argenti valorem annuum non excedant, ad collationem episcopi Mindensis et prae-*

positi, decani, cantoris, thesaurarii et capituli ecclesiae Mindensis pertinens, si quod vacat, vel cum vacaverit. „Dignum arbitramur“ „Rome ap. S. Petrum idibus Novembris a. primo.“

Romae, 1389 Novembris 13.

R. Lat. 4 fol. 142[a] — Supra in marg. sin: C[ANCELLARIA]; in fine: N. XXII DE BENEVENTO — [1]) ‚Henricus Brandis, Brandez‘ a. 1382 in universitate Pragensi ad baccalariatum, a. 1387 ad gradum magisterii in artibus admissus est. (Mon. univ. Prag. I./I. p. 211. 256.)

---

258. *Johanni Raczonis de Těšicz[a]) providetur de canonicatu sub exspectatione praebendae, dignitatis, personatus seu officii ecclesiae Olomucensis, etiam si dignitas ipsa curata fuerit, et ad ipsam consueverit quis per electionem assumi, dummodo dignitas ipsa maior post pontificalem in eadem ecclesia non fuerit; non obstante, quod parrochialem ecclesiam in Kuřím[b]) Olomucensis dioc. noscitur obtinere, quam autem dimittere tenetur, quamprimum dignitatem vel personatum huiusmodi fuerit assecutus. „Vite ac morum“ „Rome ap. S. Petrum idibus Novembris a. primo.“ — Simili modo episcopo Tudensi et abbati monasterii Gradicensis extra muros Olomucenses ac archidiacono Olomucensi.*

Romae, 1389 Novembris 13.

R. Lat. 2 fol. 16[b] — [a]) ‚Tessicz‘ [b]) ‚Gurein‘ — In fine: JAC. XI. XIII DE TERAMO.

---

259. *Ludovico quondam Opeczkonis Wylensdorf de Dresden baccalario in decretis, qui Pragae in iure canonico studet,[1]) providetur de canonicatu ecclesiae Misnensis sub exspectatione maioris praebendae necnon dignitatis, personatus seu officii cum cura vel sine cura ipsius ecclesiae; non obstante, quod canonicatum et praebendam ecclesiae Bregensis Vratislaviensis dioc. noscitur obtinere. „Litterarum sciencia“ „Rome ap. S. Petrum idibus Novembris a. primo.“ — Simili modo episcopo Perusino et Pragensi ac Misnensi officialibus.*

Romae, 1389 Novembris 13.

R. Lat. 8 fol. 5[a] — Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: N. XIII. XV DE BENEVENTO — [1]) Ludovicus de Dresden de natione Polonorum a. 1374 a rectore universitatis iuristarum studii Pragensis intitulatus, a. 1383 ibidem baccalarius in decretis factus est. (Mon. univ. Prag. II./I p. 87. 11).

---

260. *Officiali Pragensi mandatur, quatenus Martino Hispan [de Bor][1]) canonico Pragensi provideat de canonicatu sub exspectatione praebendae ac dignitatis, personatus seu officii cum vel sine cura ecclesiae Vratislaviensis; non obstante, quod dictus Martinus canonicatum et praebendam ecclesiae Pragensis ac parrochialem ecclesiam in Chuchel[a]) Pragensis dioc. noscitur obtinere, quam autem dimittere*

tenetur, quamprimum huiusmodi dignitatem vel personatum seu curatum officium fuerit assecutus. „Dignum arbitramur" „Rome ap. S. Petrum idibus Novembris a. primo."

Romae, 1389 Novembris 13.

R. Lat. 1 fol. 75[a] — [a]) ‚Chucel' — In fine: N. XXV DE BENEVENTO — [1]) Cf. supra. nr. 36.

---

261. *Officiali Cracoviensi mandatur, quatenus Francisco Mathiae de Trebič[a]) presbytero, rectori parrochialis ecclesiae in Bytom Cracoviensis dioc., consideratione Hedvigis reginae Poloniae provideat de canonicatu sub exspectatione praebendae ac dignitatis, personatus vel officii cum vel sine cura ecclesiae Olomucensis; non obstante, quod dictus Franciscus praefatam parrochialem ecclesiam, cuius fructus quinque marcarum argenti puri valorem annuum non excedunt, noscitur obtinere, quam autem dimittere tenetur, quamprimum huiusmodi dignitatem vel personatum aut curatum officium fuerit assecutus. „Dignum arbitramur" „Rome ap. S. Petrum idibus Novembris a. primo."*

Romae, 1389 Novembris 13.

R. Lat. 3. fol. 192[b] — [a]) ‚Trebicz' — In fine: N. XXV DE BENEVENTO.

---

262. *Officiali Pragensi mandatur, quatenus Henningo Niendorp de Burg[a]) magistro in artibus et baccalario in medicina[1]) consideratione Elizabeth Romanorum imperatricis de canonicatu ecclesiae Magdeburgensis sub exspectatione maioris praebendae, dignitatis, personatus seu officii provideat, non obstante, quod canonicatum et maiorem praebendam ecclesiae s. Nicolai in Stendal Halberstadensis dioc. noscitur obtinere. „Dignum arbitramur" „Rome ap. S. Petrum idibus Novembris a. primo."*

Romae, 1389 Novembris 13.

R. Lat. 7 fol. 201[a] — [a]) ‚Borgh' — Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: N. XXVIII DE BENEVENTO — [1]) Henningus Niendorp de Burg (etiam Niendorf, Nyendorp de Borch, Borgh) a. 1374 in universitate Pragensi ad baccalariatum in artibus admissus est et a. 1377 ad licentiatum promotus, incepit d. 5. Aprilis (Mon. univ. Prag. I./I. 160. 174. 175.); posterioribus annis in actis universitatis saepius commemoratur.

---

263. *Officiali Pragensi mandatur, quatenus Ottoni de Egloffstein[a]) rectori parrochialis ecclesiae s. Martini Bambergensis, qui in iure canonico studet ac baccalarius in artibus[1]) et ex utroque parente de militari genere procreatus existit, de canonicatu ecclesiae Herbipolensis sub exspectatione praebendae, dignitatis, personatus seu officii cum vel sine cura provideat, ita tamen, ut ipse Otto dictam parrochialem ecclesiam dimittere teneatur, quamprimum aliquod curatum benefi-*

cium fuerit assecutus. „Dignum arbitramur“ „Rome ap. S. Petrum idibus Novembris a. primo.“

Romae, 1389 Novembris 13.

R. Lat. 7 fol. 186a — a) ‚Eglosstein‘ — Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: N. XXVI DE BENEVENTO — 1) Otto de Egloffstein a. 1387 in studio Pragensi ad baccalariatum in artibus admissus (Mon. univ. Prag. I./I. p. 254), a. 1391 a rectore universitatis iuristarum eiusdem studii intitulatus est (ibid. II./I. p. 77).

---

264. *Officiali Pragensi mandatur, quatenus Arnoldo Colner, qui baccalarius in artibus et ex utroque parente de militari genere procreatus existit* [1]*), provideat de canonicatu sub exspectatione praebendae ac dignitatis, personatus seu officii cum vel sine cura ecclesiae Caminensis; non obstante, quod unam in Lassan et aliam in Gützkow* [a]*) parrochialibus ecclesiis praedictae dioc. perpetuas vicarias sine cura noscitur obtinere. „Dignum arbitramur“ „Rome ap. S. Petrum idibus Novembris a. primo.“*

Romae, 1389 Novembris 13.

R. Lat. 1 fol. 198b — a) ‚Guczekow‘ — In fine: N. XXVI DE BENEVENTO — 1) Arnoldus Kolder (Koler) a. 1374 in studio Pragensi ad baccalariatum in artibus admissus est (Mon. univ. Prag. I./I. p. 161. 162).

---

265. *Henrico Stanislai de Szydlowiec,* [a]*) qui in artibus Pragae studet, providetur de canonicatu sub exspectatione praebendae, dignitatis, personatus seu officii cum vel sine cura ecclesiae Lanciciensis Gneznensis dioc., dummodo dignitas ipsa principalis in eadem ecclesia non existat. „Vite ac morum“ „Rome ap. S. Petrum decimo octavo kal. Decembris a. primo.“ — Simili modo episcopo Tudensi et archidiacono ac custodi ecclesiae Gneznensis.*

Romae, 1389 Novembris 14.

R. Lat. 3 fol. 156b — a) ‚Szidlow‘ — In fine: PRO DEO, N. DE BENEVENTO.

---

266. *Johanni Merkil clerico Vratislaviensis dioc. reservatur beneficium ecclesiasticum cum vel sine cura, cuius fructus 25 resp. 18 marcarum argenti valorem annuum non excedant, ad collationem episcopi Olomucensis et praepositi, decani, scholastici, custodis et capituli ecclesiae Olomucensis pertinens, etiam si huiusmodi beneficium in ecclesia ipsa fuerit, dummodo canonicatus et praebenda ecclesiae cathedralis non existat, si quod vacat, vel cum vacaverit „Vite ac morum“ „Rome ap. S. Petrum decimo octavo kal. Decembris pont. n. a. primo.“ — Simili modo Segobiensi et Abelonensi episcopis et abbati monasterii Gradicensis extra muros Olomucenses.*

Romae, 1389 Novembris 14.

R. Lat. 4 fol. 198b — Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: PRO DEO, N. DE BENEVENTO.

---

267. *Opeczkoni Michaelis de Volavia*[a]) *clerico Vratislaviensis dioc. reservatur beneficium ecclesiasticum cum vel sine cura, cuius fructus 25 resp. 18 marcarum argenti valorem annuum non excedant, ad collationem episcopi Vratislaviensis et praepositi, decani, archidiaconi, scholastici, cantoris, custodis et capituli ecclesiae Vratislaviensis pertinens, etiam si in dicta ecclesia fuerit, dummodo canonicatus et praebenda ecclesiae cathedralis non existat, si quod vacat, vel cum vacaverit, non obstante, quod hodie ei de beneficio ecclesiastico sine cura ad collationem abbatis et conventus monasterii in Lubens cisterciensis ord. dictae dioc. pertinente, vacante vel vacaturo provideri concessum est.* „*Vite ac morum*“ „*Rome ap. S. Petrum XVIII. kal. Decembris pont. n. a. primo.*“ — *Simili modo episcopo Perusino et abbati monasterii s. Mariae in Arena extra muros Vratislavienses ac officiali Vratislaviensi.*

Romae, 1389 Novembris 14.

R. Lat. 4 fol. 6b — a) ‚Olauia‘ — In fine; PRO DEO, N. DE BENEVENTO.

268. *Officiali Vratislaviensi mandatur, quatenus Johanni quondam Nicolai de Jevíčko*[a]) *nato, rectori parrochialis ecclesiae in Schönwaldau*[b]) *Vratislaviensis dioc., reservet beneficium ecclesiasticum cum vel sine cura, cuius fructus 25 resp. 18 marcarum argenti valorem annuum non excedant, ad collationem episcopi Vratislaviensis et praepositi, decani, archidiaconi, cantoris, custodis et capituli ecclesiae Vratislaviensis pertinens, dummodo canonicatus et praebenda cathedralis ecclesiae non fuerit, si quod vacat, vel cum vacaverit; non obstante, quod dictus Johannes praefatam parrochialem ecclesiam noscitur obtinere, quam autem dimittere tenetur, quamprimum huiusmodi curatum beneficium fuerit pacifice assecutus.* „*Dignum arbitramur*“ „*Rome ap. S. Petrum decimo octavo kal. Decembris a. primo.*“

Romae, 1389 Novembris 14.

R. Lat. 4 fol. 139b — a) ‚Gewicz‘ b) ‚Schonewalde‘ — Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: N. XXII DE BENEVENTO.

---

269. *Officiali Olomucensi mandatur, quatenus Stephano quondam Mathiae de Schiltern*[a]) *nato, presbytero Olomucensis dioc., reservet beneficium ecclesiasticum cum vel sine cura, consuetum clericis saecularibus assignari, cuius fructus 25 resp. 18 marcarum argenti valorem annuum non excedant, ad collationem abbatis et conventus monasterii s. Mariae in Třebíč*[b]) *ord. s. Benedicti praedictae dioc. pertinens, si quod vacat, vel cum vacaverit.* „*Dignum arbitramur*“ „*Rome ap. S. Petrum decimo octavo kal. Decembris a. primo.*“

Romae, 1389 Novembris 14.

R. Lat. 4 fol. 206a — a) ‚Schiltam' b) ‚Trewecz' — Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: N. XXII DE BENEVENTO.

---

270. *Officiali Vratislaviensi mandatur, quatenus Ludovico Creycz de Nissa*[a]*) rectori altaris s. Jacobi siti in parrochiali ecclesia de Nissa Vratislaviensis dioc., in iure canonico baccalario, qui in sacra theologia scholaris existit, reservet beneficium ecclesiasticum cum vel sine cura, cuius fructus 25 resp. 18 marcarum argenti valorem annuum non excedant, ad collationem episcopi Vratislaviensis pertinens, dummodo canonicatus et praebenda ecclesiae cathedralis non existat, si quod vacat, vel cum vacaverit; non obstante, „quod idem Ludovicus, ut asserit, predictum et b. Marie situm in ecclesia s. Jacobi in Vienna altaria ac capellam s. Barbare sitam infra septa in Nuemberga monasteriorum ord. s. Augustini Patauiensis dioc., que sine cura sunt, obtinet, et nos hodie sibi de canonicatu sub expectacione prebende ecclesie Wratislauiensis graciose concessimus prouideri.“ „Dignum arbitramur“ „Rome ap. S. Petrum decimo octavo kal. Decembris a. primo.“*

Romae, 1389 Novembris 14.

R. Lat. 4 fol. 228b — a) ‚Nisa' — Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine. N. XXII DE BENEVENTO.

---

271. *Officiali Vratislaviensi mandatur, quatenus Francisco Johannis Simonis clerico, perpetuo beneficiato in ecclesia s. Mariae Magdalenae Vratislaviensi, qui baccalarius in artibus existit, reservet beneficium ecclesiasticum cum vel sine cura, cuius fructus 25 resp. 18 marcarum argenti valorem annuum non excedant, ad collationem praepositi, decani, scholastici, cantoris, custodis et capituli ecclesiae s. Crucis Vratislaviensis pertinens, si quod vacat, vel cum vacaverit; non obstante, quod dictus Franciscus quoddam altare, quod sine cura est, situm in ecclesia s. Mariae praedicta, noscitur obtinere. „Dignum arbitramur“ „Rome ap. S. Petrum decimo octavo kal. Decembris a. primo.“*

Romae, 1389 Novembris 14.

R. Lat. 4 fol. 12a — Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine N. XXII DE BENEVENTO.

---

272. *Officiali Vratislaviensi mandatur, quatenus Francisco de Novo Foro presbytero Vratislaviensis dioc., qui baccalarius in artibus existit,*[1]*) reservet beneficium ecclesiasticum cum vel sine cura, cuius fructus 25 resp. 18 marcarum argenti valorem annuum non excedant, ad collationem episcopi Vratislaviensis et praepositi, decani, scholastici, custodis, archidiaconi, cantoris et capituli ecclesiae Vratislaviensis pertinens, etiam si canonicatus et praebenda aut dignitas, non tamen maior post pontificalem, seu personatus vel officium ipsius ecclesiae fuerit,*

si quod vacat, vel cum vacaverit. „Dignum arbitramur“ „Rome ap. S. Petrum decimo octavo kal. Decembris a. primo.“

Romae, 1389 Novembris 14.

R. Lat. 4 fol. 63b — Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: N. XXIIII DE BENEVENTO — [1]) Franciscus de Novo Foro a. 1382 in studio Pragensi ad baccalariatum in artibus admissus est (Mon. univ. Prag. I./1. p. 209; conf. etiam ibid. p. 377. 378. et Mon. univ Prag. II. I. p. 113).

---

273. *Officiali Pragensi mandatur, quatenus Hermanno Cruth de Ering[a]) clerico Maguntinensis dioc. reservet beneficium ecclesiasticum cum vel sine cura, consuetum clericis saecularibus assignari, cuius fructus 25 resp. 18 marcarum argenti valorem annuum non excedant, ad collationem abbatis et conventus monasterii in Hasungen ord. s. Benedicti dictae dioc. pertinens, si quod vacat, vel cum vacaverit. „Dignum arbitramur“ „Rome ap. S. Petrum decimo octavo kal. Decembris a. primo.“*

Romae, 1389 Novembris 14.

R. Lat. 4 fol. 174b — [a]) ‚Eringen‘ — Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine N. XXI DE BENEVENTO.

---

274. *Officiali Vratislaviensi mandatur, quatenus Gunthero de Prato rectori altaris siti in curia episcopali Legnicensi Vratislaviensis dioc. reservet beneficium ecclesiasticum cum vel sine cura, cuius fructus 25 resp. 18 marcarum argenti valorem annuum non excedant, ad collationem episcopi Vratislaviensis et praepositi, decani, archidiaconi, custodis, cantoris, scholastici et capituli singulorumque canonicorum et personarum ecclesiae Vratislaviensis pertinens, etiam si canonicatus et praebenda aut dignitas, non tamen maior post pontificalem, vel officium in ecclesia Vratislaviensi fuerit, si quod vacat, vel cum vacaverit; non obstante, quod praefatus Guntherus altare praedictum, quod sine cura est, noscitur obtinere. „Dignum arbitramur“ „Rome ap. S. Petrum decimo octavo kal. Decembris a. primo.“*

Romae, 1389 Novembris 14.

R. Lat. 4 fol. 216a — Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine N. XXII DE BENEVENTO.

---

275. *Johanni Koec, qui in iure canonico Pragae studet,[1]) providetur de canonicatu sub exspectatione praebendae ecclesiae s. Johannis Traiectensis. „Vite ac morum“ „Rome ap. S. Petrum decimo septimo kal. Decembris pont. n. a. primo.“ — Simili modo episcopo Tudensi et s. Mariae Traiectensis ac s. Lebuini Daventriensis Traiectensis dioc. ecclesiarum decanis.*

Romae, 1389 Novembris 15.

R. Lat. 6 fol. 108a — Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: PRO DEO, N. DE BENEVENTO — [1]) Johannes ‚Kees' de Traiecto a. 1388 a rectore universitatis iuristarum studii Pragensis intitulatus est (Mon. univ. Prag. II./I. p. 75; cf. ibid. I./I. p. 236. 237).

---

276. Officiali Pragensi mandatur, quatenus Egberto Egberti [de Einbeck] [1]) *clerico Maguntinensis dioc., qui baccalarius in artibus et Pragae studens existit, provideat de canonicatu ecclesiae Bremensis sub exspectatione maioris praebendae in eadem ecclesia, ad collationem archiepiscopi Bremensis et praepositi, decani, scholastici, thesaurarii, cantoris et capituli ecclesiae Bremensis pertinentis. „Dignum arbitramur" „Rome ap. S. Petrum decimo septimo kal. Decembris a. primo."*

Romae, 1389 Novembris 15.

R. Lat. 8 fol. 75a — Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: N. XXI DE BENEVENTO — [1]) Egberus Egberti de ‚Embeck, Eynbeke, Embeg' a. 1389 in studio Pragensi ad baccalariatum in artibus admissus et eodem anno a rectore universitatis iuristarum intitulatus est (Monum. univ. Prag. I./I. p. 262 et II./I p. 142; conf. etiam ibid. I./I. p. 289).

---

277. Bartoldo Wellen, qui Pragae in iure canonico studet et canonicatum et minorem praebendam ecclesiae s. Sebastiani Magdeburgensis obtinet, una de maioribus praebendis eiusdem ecclesiae reservatur. „Vite ac morum" „Rome ap. S. Petrum decimo septimo kal. Decembris pont. n. a. primo." — Simili modo episcopo Tudensi et s. Crucis Hildesheimensis[a]) *et s. Severi Erfordensis Maguntinensis dioc. ecclesiarum decanis.*

Romae, 1389 Novembris 15.

R. Lat. 6 fol. 35b — [a]) ‚Hildesemen' — In fine: PRO DEO, JAC. DE TERAMO.

---

278. Officiali Vladislaviensi mandatur, quatenus Johanni de Glomna rectori parrochialis ecclesiae in Leckow[a]) *Plocensis dioc., qui in iure canonico Pragae studet et ex utroque parente de militari genere procreatus existit, de canonicatu sub exspectatione praebendae, dignitatis, personatus seu officii cum vel sine cura ecclesiae Plocensis provideat. „Dignum arbitramur" „Rome ap S. Petrum decimo septimo kal. Decembris a. primo".*

Romae, 1389 Novembris 15.

R. Lat. 7 fol. 198b — [a]) ‚Leccaw' — Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: N. XXVI DE BENEVENTO.

279. Henrico Witte clerico Varmiensis dioc., qui baccalarius in artibus est et in eisdem artibus Pragae studet [1]), *reservatur beneficium ecclesiasticum cum vel*

sine cura, cuius fructus 25. resp. 18 marcarum argenti valorem annuum non excedant, ad collationem episcopi Varmiensis et praepositi, decani et capituli ecclesiae Varmiensis pertinens, si quod vacat, vel cum vacaverit. „*Vite ac morum*“ „*Rome ap. S. Petrum decimo septimo kal. Decembris a. primo*“. — *Simili modo Tudensi et Sambiensi episcopis ac officiali Varmiensi.*

Romae, 1389 Novembris 15.

R. Lat. 18 fol. 36[a] — Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: JAC. XI. XIII DE TERAMO — [1]) ‚Henricus Wit‘ a. 1383 in studio Pragensi ad baccalariatum in artibus admissus est (Mon. univ. Prag. I. 1. p. 213. 215).

---

280. *Decano ecclesiae s. Martini Mindensis mandatur, quatenus Hermanno Hasart clerico Mindensis dioc., qui Pragae in iure canonico studet,*[1]) *reservet beneficium ecclesiasticum cum vel sine cura, cuius fructus 25 resp. 18 marcarum argenti valorem annuum non excedant, ad collationem episcopi Mindensis et praepositi, decani, cantoris, thesaurarii, archidiaconorum et capituli ecclesiae Mindensis pertinens, si quod vacat, vel cum vacaverit.* „*Dignum arbitramur*“ „*Rome ap. S. Petrum decimo septimo kal. Decembris a. primo.*“

Romae, 1389 Novembris 15.

R. Lat. 4 fol. 51[b] — In fine: N. XXII DE BENEVENTO — [1]) ‚Hermannus Hazart de Mynda‘ a. 1389 a rectore iuristarum studii Pragensis intitulatus est (Monum. univ. Prag. II./I. p. 142).

---

281. *Decano ecclesiae Osnaburgensis*[a]) *mandatur, quatenus Johanni Oldenpe clerico Padeburnensis dioc., qui baccalarius in artibus est et Pragae in eisdem artibus studet, reservet beneficium ecclesiasticum cum vel sine cura, consuetum clericis saecularibus assignari, cuius fructus 25 resp. 18 marcarum argenti valorem annuum non excedant, ad collationem abbatis et conventus monasterii Corbiensis ord. s. Benedicti eiusdem*[b]) *diocesis pertinens, si quod vacat, vel cum vacaverit.* „*Dignum arbitramur*“ „*Rome ap. S. Petrum decimo septimo kal. Decembris a. primo.*“

Romae, 1389 Novembris 15.

R. Lat. 4 fol. 161[b] — [a]) Correctum ex ‚s. Andree Coloniensis‘ cum nota „Correctum de mandato. N. de Benevento“ [b]) Correctum ex „Coloniensis“ — Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: JAC. XXII DE TERAMO.

---

282. *Decano ecclesiae b. Mariae Erfordensis Maguntinensis dioc. mandatur, quatenus Henrico de ‚Kocheberg‘ clerico Maguntinensis dioc., baccalario in artibus, qui in eisdem artibus Pragae studet,*[1]) *reservet beneficium ecclesiasticum cum vel sine cura, cuius fructus 25 resp. 18 marcarum argenti valorem annum non exce-*

dant, ad collationem prepositi, decani, archidiaconi, custodis, cantoris, scholastici et capituli ecclesiae s. Severi Erfordensis pertinens, si quod vacat, vel cum vacaverit. „*Dignum arbitramur*“ „*Rome ap. S. Petrum decimo septimo kal. Decembris pont. n. a. primo.*“

Romae, 1389 Novembris 15.

R. Lat. 4 fol. 217b — Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA] in fine: N. XXI DE BENEVENTO — [1]) ‚Henricus Kocheberg‘ in studio Pragensi ab examinatoribus 1389 Nov. 24 (!) electis ad baccalariatum in artibus admissus est (Monum. univ. Prag. I./I. p. 265; conf. ibid. II./I. p. 103).

---

283. *Officiali Pragensi mandatur, quatenus Venceslao de Chotělsko beneficium sine cura vacans vel vacaturum reservet.*

Romae, 1389 Novembris 15.

Bonifacius . . . . officiali Pragensi . . . . Dignum arbitramur . . . . Volentes igitur . . . . Wenceslaum Petri de Chotilsko clericum Pragensis diocesis, qui, ut asserit, in studio Pragensi in iure canonico studet,[1]) . . . . favore prosequi gracioso, discrecioni tue . . . . mandamus, quatenus, si post diligentem examinacionem dictum Wenceslaum ad hoc ydoneum esse reppereris, super quo tuam conscienciam oneramus, beneficium ecclesiasticum sine cura, cuius fructus, redditus et proventus decem et octo marcharum argenti secundum taxacionem decime valorem annuum non excedant, ad collacionem . . . . prepositi, decani et capituli ecclesie ss. Cosme et Damiani alias s. Wenceslai in Antiqua Boleslauia dicte diocesis communiter vel divisim pertinens, si quod vacat ad presens, vel cum vacaverit, ... conferendum eidem Wenceslao . . . . donacioni tue auctoritate nostra reserves . . . . Datum Rome ap. S. Petrum decimo septimo kal. Decembris a. primo.

R. Lat. 4 fol. 78b — Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: N. XXI DE BENEVENTO — Clausulae hic ommissae mutatis mutandis cum illis nri. 217 concordant — [1]) Venceslaus Petri de ‚Chotilsco‘ a. 1389 a rectore universitatis iuristarum studii Pragensis intitulatus est. (Monum. univ. Prag. II I. p. 42).

284. *Decano ecclesiae b. Mariae Erfordensis Maguntinensis dioc. mandatur, quatenus Gunthero Smyr de Eisenach*[a]) *clerico Maguntinensis dioc., baccalario in artibus, qui Pragae in eisdem artibus studet,*[1]) *reservet beneficium ecclesiasticum sine cura, cuius fructus 18 marcarum argenti valorem annuum non excedant, ad collationem decani et capituli ecclesiae b. Mariae Eisenacensis*[b]) *dictae dioc. pertinens, si quod vacat, vel cum vacaverit.* „*Dignum arbitramur*“ „*Rome ap. S. Petrum decimo septimo kal. Decembris a. primo.*“

Romae, 1389 Novembris 15.

R. Lat. 4 fol. 217b — [a]) ‚Ysenach‘ [b]) ‚Ysenacensis‘ — Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: N. XX DE BENEVENTO — [1]) ‚Guntherus de Ysenach‘ in quadragesima a. 1389 in studio Pragensi ad baccalariatum in artibus admissus est (Monum. univ. Prag I./I. p. 262).

285. Omnibus, qui ostensioni reliquiarum in monasterio Břevnoviensi interfuerint, indulgentiae conceduntur.

Romae, 1389 Novembris 18.

Bonifacius . . . .universis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis . . . . Licet is . . . . Cupientes igitur, ut ecclesia monasterii Brewnoviensis prope Pragam ord. s. Benedicti, in qua nonnulle reliquie quorundam sanctorum apostolorum, martirum, confessorum et virginum et precipue s. Adalberti martiris et pontificis, patroni regni Boemie ac ipsius monasterii fundatoris, sunt recondite et requiescunt, que quidem reliquie dominicis et aliis certis diebus solennibus et precipue in ipsius monasterii solemnitatibus et festivitatibus populo consueverunt ostendi, congruis honoribus frequentetur et eciam reparetur . . . . , omnibus vere penitentibus et confessis, qui ecclesiam ipsam devote visitaverint et ostensioni reliquiarum huiusmodi interfuerint ac ad ipsius ecclesie reparacionem manus adiutrices porrexerint, duos annos et totidem quadragenas de iniunctis eis penitenciis misericorditer relaxamus, presentibus post decennium minime valituris. Volumus autem . . . . Datum Rome ap. S. Petrum XIV. kal. Decembris pont. n. a. primo.

Copia ex originali archivii Břevnoviensis (B. IV. 117) habetur in diplomatario manuscripto musei regni Bohemiae, iuxta quam in fine hae notae leguntur: (in plica ad dext.) REGISTRATA GRATIS, JO. DE MALESICZ; (sub plica ad sin): XVI COM[PUTAVI]. Bulla abscissa est.

---

286. Omnibus, qui missae et aliis divinis officiis per abbatem monasterii Břevnoviensis prope Pragam ord. s. Benedicti celebratis interfuerint, quadraginta dierum indulgentiae conceduntur. „Exposcit vestre devocionis" „Rome ap. S. Petrum XIV. kal. Decembris pont. n. a. primo."

Romae, 1389 Novembris 18.

Editum ap. Ziegelbauer, Historia mon. Brewnov. p. 291; excerptum ap. Dobner, Monum. hist. Bohemiae VI. p. 113 (Hist. diplom. Brewnov. nr. 126). Copia ex originali archivii Břevnoviensis (B. IV. 118) in diplomatario manuscripto musei regni Bohemiae habetur, iuxta quam originali in filo serico bulla plumbea Bonifacii IX. appendet et hae notae in illo reperiuntur: (sub plica ad sin.) IUL., S. DE AQUILA, N. DE PIPERNO COM[PUTAVI]; (supra plicam ad dext.) IO. DE MALESICZ; (a tergo) R[EGISTRATA], XL DIES INDULGENTIARUM.

---

287. Abbatissae et conventui monasterii in Krummau (Krumlov) conceditur, ut aliquas ecclesias diocesis Pragensis visitantes indulgentias anni iubilei assequi possint.

Romae, 1389 Novembris 18.

Bonifacius . . . . dilectis in Christo filiabus . . abbatisse et conventui monasterii in Chrumpnaw ord. s. Clare Pragensis diocesis . . . . Piis et humilibus supplicum votis illis presertim, per que animarum saluti consulitur, libenter

intendimus illaque favoribus prosequimur oportunis. Dudum siquidem pie memorie Urbanus pp. VI. predecessor noster ex certis racionabilibus causis ad id eius animum moventibus de consilio fratrum suorum, de quorum numero tunc eramus, et apostolice potestatis plenitudine statuit, ut universi Christi fideles vere penitentes et confessi, qui in anno a nativitate domini nostri Jesu Christi millesimo trecentesimo nonagesimo instante, tunc futuro, et deinceps perpetuis temporibus de triginta tribus annis in triginta tres annos beatorum apostolorum Petri et Pauli basilicas de Urbe ac Lateranensem et s. Marie Maioris de dicta Urbe ecclesias causa devocionis visitarent, plenissimam omnium peccatorum suorum veniam consequerentur, ita videlicet, ut quicunque vellet huiusmodi indulgentiam assequi, si Romanus, adminus triginta continuis vel interpollatis semel saltem in die, si vero peregrinus aut forensis existeret, modo simili quindecim diebus ad easdem basilicas et ecclesias accedere teneretur, prout in dicti predecessoris litteris inde confectis plenius continetur. Cum autem, sicut exhibita nobis nuper pro parte vestra peticio continebat, vos, que dictas basilicas et ecclesias ex singulari fervore devocionis et pro salute animarum vestrarum libenti animo personaliter visitaretis pro huiusmodi indulgencia assequenda, desiderium vestrum in hac parte ex certis causis racionabilibus nequeatis commode adimplere, pro parte vestra fuit nobis humiliter supplicatum, ut super hoc providere vobis de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, qui cunctorum Christi fidelium salutem intensis desideriis affectamus, cupientes animarum vestrarum saluti, quantum cum deo possumus, salubriter providere, huiusmodi supplicacionibus inclinati, ut confessor, quem quelibet vestrum duxerit eligendum, labore personali, quem in eundi, standi et redeundi itinere, si propterea ad ipsam Urbem personaliter venissetis, passe fuissetis, in alia opera pietatis commutato, vobis auctoritate nostra concedere valeat, quod vos vere penitentes et confesse loco visitacionis basilicarum et ecclesiarum predictarum alias ecclesias in civitate vel diocesi Pragensibus consistentes, de quibus dicto confessori videbitur, triginta continuis vel interpollatis diebus infra huiusmodi annum semel saltem in die visitantes, assequi possitis indulgencias antedictas, devocioni vestre tenore presencium auctoritate apostolica indulgemus, proviso, quod id, quod expensure fuissetis in eundo, stando et redeundo, si ad dictam Urbem secundum personarum decenciam personaliter venissetis, in alios pios usus convertere, et ea, que oblature fuissetis prefatis basilicis et ecclesiis Urbis, ad easdem basilicas et ecclesias teneamini fideliter destinare. Nulli ergo . . . Datum Rome ap. S. Petrum XIIII. kal. Decembris pontn. a primo.

Originale in caesarea regia bibliotheca Pragensi; bulla plumbea in filo serico appendet. In plica ad dext.: REGISTRATA GRATIS, IO. DE MALESICZ VIII. Sub plica ad sin.: L COM[PUTAVI]. In tergo: R[EGISTRATA] N[ICOLAUS DE BENEVENTO].

---

288. Conrado Stoltz providetur de canonicatu sub exspectatione prebendae ecclesiae Poznaniensis, non obstante, „quod, ut asseris, in dicta archidiaconatum Sremensen et in s. Crucis Opoliensi Wratislauiensis dioc. ecclesiis quandam perpetuam vicariam et unum altare obtines, et nos dudum tibi de canonicatu sub expectacione

prebende dicte s. Crucis ecclesie, per cuius quidem prebende assecucionem vicariam predictam dimittere teneris, per nostras litteras duximus providendum". „*Vite ac morum*" „*Rome ap. S. Petrum quarto decimo kal. Decembris a. primo.*" — *Simili modo episcopo Tudensi et praeposito Vratislaviensis ac decano Maioris-Glogoviensis Vratislaviensis dioc. ecclesiarum.*

Romae, 1389 Novembris 18.

R. Lat. 8 fol. 124b — In fine: N. XII. XIIII DE BENEVENTO.

289. *Praeposito ecclesiae s. Petri Budissinensis Misnensis dioc. mandatur, quatenus Alberto Pymonis perpetuo vicario in ecclesia Wurczinensi*a) *Misnensis dioc. de canonicatu sub exspectatione maioris praebendae eiusdem ecclesiae Wurczinensis provideat.* „*Dignum arbitramur*" „*Rome ap. S. Petrum decimo kal. Decembris a. primo.*"

Romae, 1389 Novembris 22.

R. Lat. 6 fol. 248a — a) ‚Wurcynen'. — Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine N. XXIII DE BENEVENTO.

---

290. *Johanni Manco collectori mandatur, quatenus Mathiam de Strobicz ad solvendum camerae apostolicae certam pecuniarum summam compellat.*

Romae, 1389 Decembris 3.

Marinus [. . . . s. Marie Noue diaconus cardinalis, domini pape camerarius,] venerabili viro dom. Johanni Manco apostolice camere clerico, in nonnullis partibus dicte camere apostolice iurium collectori . . . . Quia venerabilis vir dom. Mathias Strobicz decanus Opoliensis Wratislauiensis diocesis in certa summa pecuniarum dicte camere apostolice extiterat et nunc aliqua parte dicte summe per ipsum exsoluta in centum decem et octo florenis auri de camera efficaciter extat obligatus, vobis tenore presencium committimus et mandamus, quatenus dictum dom. Mathiam Strobicz decanum . . . . , dicte camere apostolice, ut prefertur, debitorem, ... moneatis et per censuram ecclesiasticam et alia iuris remedia compellatis, ut dictos centum decem et octo florenos de camera infra certum tempus, eidem per vos . . . . prefigendum, ad curiam Romanam mittat realiter cum effectu, eosdemque reverendissimo in Chr. patri dom. Raynaldo s. Viti ad Macellum diacono cardinali loco et ex parte dicte camere apostolice solvat realiter et assignet, quem eciam reverendissimum patrem . . . . ad dictos centum decem [et] octo florenos recipiendos nomine dicte camere tenore presencium deputamus. Nos enim sentencias sive penas, quas in dictum Mathiam propter premissa . . . . tuleritis . . . . , ratas habebimus et inviolabiliter observari [faciemus]. Datum Rome [sub a. dom. millesimo trecentesimo octuagesimo nono, indiccione duodecima], die III. Decembris pont. . . . . a. primo.

Armar. XXIX tom. 1 fol. 107b.

291. *Judicibus mandatur, quatenus Michaeli de Opol canonicatum et praebendam ecclesiae s. Crucis Opoliensis, si eos vacare reppererint, conferant.*

Romae, 1389 Decembris 6.

Bonifacius . . . . abbati monasterii s. Marie in Arena extra muros Wratislauienses et preposito ecclesie Wratislauiensis ac officiali Wratislauiensi . . . . Laudabilia probitatis et virtutum merita, super quibus apud nos . . . . Michael Stanislai Wyzonis de Opol clericus Wratislauiensis diocesis fidedigno commendatur testimonio, nos inducunt, ut sibi reddamur ad graciam liberales. Cum itaque, sicut accepimus, canonicatus et prebenda ecclesie s. Crucis Opoliensis Wratislauiensis diocesis, quos quondam Leonardus de Benthomsdorf . . . . obtinebat, per ipsius Leonardi obitum, qui extra Romanam curiam diem clausit extremum, vacaverint et vacare noscantur ad presens, licet . . . . Stephanus Petri de Loblyn, qui se gerit pro presbytero dicte diocesis, eosdem canonicatum et prebendam detineat indebite occupatos, nos . . . . discrecioni vestre . . . . mandamus, quatinus . . . ., si vocatis dicto Stephano et aliis, qui fuerint evocandi, dictos canonicatum et prebendam vacare reppereritis, ut prefertur, eosdem canonicatum et prebendam, quorum fructus . . . . duodecim marcharum argenti puri . . . . valorem annuum, ut ipse Michael asserit, non excedunt, eciam si tanto tempore vacaverint, quod eorum collacio iuxta Lateransis statuta concilii ad sedem apostolicam legitime devoluta existat, ipseque Leonardus fructuum et proventuum camere apostolice debitorum collector vel succollector aut officialis sedis predicte seu eiusdem sedis vel alicuius ex . . . . s. Romane ecclesie cardinalibus familiaris fuerit, dummodo tempore date presencium non sit in eis alicui specialiter ius quesitum, ... eidem Michaeli auctoritate nostra conferre et assignare curetis . . . . Datum Rome ap. S. Petrum octavo idus Decembris a. primo.

R. Lat. 3 fol. 239ª — In fine: N. XVI DE BENEVENTO.

---

292. *Nicolao Calvo [de Bavorov] collectori Pragensi mandatur, ut Bosoni de Eugubio 150 florenos assignet.*

Romae, 1389 Decembris 11.

Marinus [. . . . s. Marie Noue diaconus cardinalis, domini pape camerarius,] venerabili viro dom. Nicolao Caluo in provincia Pragensi iurium apostolice camere debitorum collectori . . . . De mandato [sanctissimi domini nostri pape nobis facto oraculo vive vocis tenore presencium precipimus et mandamus,] quatenus omnibus causis et excepcione [remotis de pecuniis ad apostolicam cameram spectantibus penes vos existentibus] assignetis nobili viro dom. Bosoni de Eugubio militi, misso [per prefatum dominum nostrum papam ad nonnullas partes pro agendis ipsius domini nostri], centum quinquaginta florenos auri de camera, quos [in computis vestris in apostolica camera reddendis liberaliter admittemus et admitti faciemus. Si vero dicta pecunia ipsius camere penes vos non esset, ipsam sub mutuo sine mora recipere procuretis, in premissis taliter vos habentes, quod nullo modo deficiat, quin ipsa solucio fiat, facientes de ipsa

solucione fieri duo consimilia publica instrumenta, quorum unum ad ipsam cameram quantocius transmittatis, penes vos pro vestra cautela reliquo reservato]. Datum Rome [ap. S. Petrum] a. dom. MCCCLXXXnono, indiccione XII, die undecima Decembris, pontif. a. primo.

Armar. XXIX tom. 1 fol. 108[a] — Uncinis [] inclusa ex simili documento ibidem fol. 107[a] contento (pro collectore Remensi) suppleta sunt.

---

293. *Johanni archiepiscopo Pragensi mandatur, ut Ubaldino de Florentia 150 florenos auri assignet.*

Romae, 1389 Decembris 11.

Marinus [. . . . s. Marie Noue diaconus cardinalis, domini pape camerarius,] reverendo in Chr. patri dom. Johanni dei gracia archiepiscopo Pragensi . . . . De mandato sanctissimi domini nostri pape nobis facto oraculo vive vocis tenore presencium precipimus et mandamus, quatenus venerabili viro dom. Vbaldino de Florencia decretorum doctori, apostolice camere clerico, presencium ostensori, assignetis seu assignari integraliter faciatis centum quinquaginta florenos auri de camera, excomputandos vobis per nos et ipsam cameram de quibuscunque summis, in quibus ex quacunque causa ipsi camere tenemini et estis obligatus, in premissa solucione taliter vos habentes, quod nullo modo deficiat, quin ipsa solucio fiat. Volumus autem, quod de summa, quam solveritis usque ad quantitatem predictam, duo fieri faciatis consimilia publica instrumenta, quorum unum ad apostolicam cameram, quantocius poteritis, transmittatis, reliquo pro vestra cautela penes vos reservato. Datum Rome [ap. S. Petrum] a. dom. millesimo trecentesimo octuagesimo nono, indiccione duodecima, die undecima Decembris, pont. a. primo.

Armar. XXIX tom. 1 fol. 108[a].

---

294. *Paulo Nicolai Sczhemla providetur de canonicatu sub exspectatione praebendae ecclesiae Poznaniensis. „Vite ac morum“ „Rome ap. S. Petrum quarto nonas Januarii a. primo“. — Simili modo episcopo Tudensi et archidiacono ecclesiae Vratislaviensis ac officiali Poznaniensi.*

Romae, 1390 Januarii 2.

R. Lat. 3 fol. 182[b] — Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA]: in fine: N. XIII. XIIII DE BENEVENTO.

---

295. *Episcopo Tudensi, praeposito ecclesiae s. Mariae in Sternberg Olomucensis dioc. ac officiali Litomyšlensi mandatur, quatenus sententiam in palatio apostolico in causa inter capitulum ecclesiae Olomucensis et Crucem Alberti [de Černín] rectorem parrochialis ecclesiae s. Mauritii Olomucensis latam, per quam decretum*

est dictum Crucem facultatem apud praefatam suam ecclesiam scholas erigendi non habere, publicent et executioni demandent. „Petitio dilectorum“ „Rome ap. S. Petrum V. idus Januarii pont. n. a. primo“.

Romae, 1390 Januarii 9.

Ed. Cod. dipl. Mor. XI. p. 507 nr. 585.

---

296. *Johannes de Landskron*[a]) *frater domus s. Thomae Pragensis, ordinis in heremitarum s. Augustini professor, in capellanum apostolicum recipitur. „Virtutibus clarens“ „Rome ap. S. Petrum IV. idus Januarii pont. n. a. primo.“*

Romae, 1390 Januarii 10.

R. Vat. 312 fol. 124[a]; et iterum Arm. XXXI tom. 36 fol. 22[a] — [a]) ‚Lanczcrona‘ Vat. Arm. — In R. Vat. in fine ad dext. adscriptum est: REGISTRATA GRATIS, ERASMUS.

---

297. *Camerarius apostolicus universis praelatis et officialibus prohibet, ne in Johannem de Štěkna ullam iurisdictionem exerceant, cum ipse capellanus apostolicus sit.*

Romae, 1390 Januarii 20.

[Marinus miseracione divina s. Marie Noue diaconus cardinalis, domini pape camerarius, universis et singulis . . . . patriarchis, archiepiscopis, episcopis, electis eorumque vicariis et officialibus. necnon . . . . prepositis, decanis, archidiaconis, thesaurariis, canonicis et guardianis seu prioribus, archipresbyteris, vicariis, capellanis et aliis quarumcunque ecclesiarum ac monasteriorum et locorum aliorum religiosorum prelatis, capitulis et ceteris personis ecclesiasticis ac conventibus quorumcunque ordinum . . . . , necnon inquisitoribus heretice pravitatis, iusticiariis, auditoribus, officialibus et vicariis, conservatoribus, capitaneis seu bayulis aliisque officialibus quibuscunque, ordinariis et extraordinariis, delegatis, subdelegatis, quacunque auctoritate deputatis, ac omnibus aliis et singulis . . . ., ad cuius seu quorum noticiam presens noster processus seu presentes nostre littere pervenerint . . . . Dudum fel. rec. domini Johannes vicesimus secundus et deinde Clemens sextus, eius successor, Romani pontifices, capellanos honoris domini pape et sedis apostolice, qui erant et essent pro tempore, a foro et iurisdiccione quorumcunque ordinariorum ecclesiasticorum et secularium preterquam Romani seu sui camerarii, qui erat seu esset in futurum, exemerunt, et inhibuerunt sub interdicti, suspensionis et excommunicacionis sentenciis, ne quis eorum in dictos capellanos aliquam exerceret iurisdiccionem, seu eos contra formam exempcionum et privilegiorum apostolicorum per dictos Romanos pontifices concessorum molestaret . . . . Cum autem ad nos racione nostri camerariatus officii spectet dictos capellanos in dictis sic eis concessis auctoritate apostolica exempcionibus conservare eosque in illis defendere et tueri, de mandato sanctissimi domini nostri pape nobis facto oraculo vive

vocis vobis . . . . universis et singulis supradictis exempciones et privilegia apostolica ac omnia et singula in eis contenta per dictos Romanos pontifices concessa prefatis capellanis honoris domini nostri pape et sedis apostolice, qui erant et essent pro tempore, intimantes et ad vestram . . . . noticiam plenariam deducentes, quod] religiosus vir frater Johannes Stiekna monachus monasterii in Aula Regia cisterciensis ord. Pragensis diocesis [est capellanus honoris ipsius domini nostri pape et aliorum capellanorum similium consorcio aggregatus, vos universos et singulos auctoritate apostolica nobis in hac parte commissa tenore presencium requirimus et monemus primo, secundo, tercio et peremptorie, commmuniter et divisim, vobisque . . . . districte precipiendo mandamus inhibentes expresse, ne contra dictum fratrem Johannem capellanum dicti domini nostri pape citando, monendo, interdicendo, suspendendo, excommunicando vel alias censuras ecclesiasticas in eum exercendo vel sentencias aliquas inferendo . . . . procedatis, decernentes, prout est per dictum dominum nostrum papam decretum in dictis litteris apostolicis, irritum et inane quicquid contra monicionem et presens mandatum nostrum ymmo verius apostolicum per vos vel aliquem vestrum vel quemcunque alium contra dictum fratrem Johannem . . . . forsan hactenus attemptatum est vel imposterum contigerit attemptari . . . . In quorum testimonium presentes litteras fieri et sigilli nostri camerariatus officii iussimus appensione muniri. Datum] Rome ap. S. Petrum a. dom. millesimo trecentesimo nonagesimo, indiccione XIII, die XX. mensis Januarii pontificatus dom. Bonifacii pape noni a primo.

Armar. XXXI tom. 36 fol. 65[a], ubi praesens bulla, prout etiam aliae]multae, hoc modo est registrata: „Item similis processus factus fuit pro religioso viro . . . . sub data . . . . “; sed in fol. 61[a] eiusdem codicis totus tenor huiusmodi „similis processus“ legitur, unde istam bullam exempli causa hic supplendam esse putavi.

---

298. Venceslaus episcopus Vratislaviensis quitatur de solutione suorum servitiorum camerae sacri collegii.

Romae, 1390 Januarii 20.

Franciscus [. . . . s. Eustachii dyaconus cardinalis, sacri collegii . . . . cardinalium camerarius, ... notum facimus,] quod reverendus in Chr. pater dom. Wenceslaus dei gracia episcopus Wratislauiensis pro parte partis sui communis servicii . . . . octuaginta sex florenos auri de camera, solidos quadraginta unum, denarios X et obolum monete Romane, et pro parte partis unius minuti servicii . . . . quinque similes florenos, solidos XIII et denarios tres dicte monete . . . . per manus honorabilis [viri] magistri Nicolai Gliwits apostolicarum litterarum scriptoris tempore debito solvi fecit . . . . ; . . . . terminum faciende solucionis dictorum serviciorum a festo purificacionis b. Marie virginis proxime futuro usque ad annum extunc secuturum prorogamus . . . . Datum Rome ap. S. Petrum sub anno dom. MCCCLXXXXmo, indiccione XIII, die vicesima mensis Januarii, pontif. dom. Bonifacii pape noni anno primo.

Oblig. et sol. 47 fol. 85[b], et iterum Oblig. et sol 59 fol. 4[a] — In fine: FL. II GR. II — In libro „divisionum ab a. 1389 ad 1399“ (Oblig. et sol. 51[a]), ubi modus dividendi supra-

dicta servitia inter cardinales adnotabatur, de praesenti solutione fit mentio in haec verba (fol 7a): „Anno [1390] die XXVIII. Januarii soluti sunt per . . . . dom. Wenceslaum episcopum Wratislauiensem pro parte partis sui communis servicii 86 flor., sol. 41, den. 10 et obolus, et pro parte partis unius minuti flor. 5, sol. 13, den. 3. Fuit promotus anno quinto (sc. pontif. Urbani pp. VI., qui est $1382^{18}/_{4}$ — $1383^{17}/_{4}$) . . . . "

299. *Decano ecclesiae s. Hedvigis Bregensis eiusque successoribus indulgetur, ut mitra pontificali decorata uti possint.*

Romae, 1390 Januarii 21.

Bonifacius . . . . decano et capitulo ecclesie s. Hedwigis Bregensis Wratislauiensis diocesis . . . . Exposcit vestre devocionis . . . . Dudum siquidem fel. rec. Urbanus pp. VI. predecessor noster, ut decanus dicte ecclesie, qui tunc erat, et successores eius, dicte ecclesie decani, qui pro tempore forent, mitra pontificali plana et alba, de guarnello et anulo in nativitatis, circumcisionis, epiphanie, resurrexionis, ascensionis et corporis domini nostri Jesu Christi, penthecostes et s. Trinitatis, necnon concepcionis, nativitatis, annunciacionis, purificacionis et assumpcionis b. Marie virginis et in nativitatis b. Johannis Baptiste et ss. apostolorum Petri et Pauli ac s. Hedwigis, sub cuius vocabulo huiusmodi vestra ecclesia constructa est, festivitatibus et celebritate omnium sanctorum in eadem ecclesia, eciam si episcopus Wratislauiensis pro tempore existens ibidem celebraret aut alias interesset, libere possent uti, vobis auctoritate apostolica de speciali gracia per suas litteras duxit indulgendum, prout in eisdem litteris plenius continetur. Nos igitur volentes vos favoribus prosequi gracie amplioris, ... nobilis viri Ludouici senioris ducis Slezie, dicte ecclesie fundatoris, et vestris in hac parte supplicacionibus inclinati, ut ipsius ecclesie decani, qui pro tempore erunt, huiusmodi mitra eciam decorata, prout abbates illarum parcium uti consueverunt, tam in predictis quam eciam in aliis festis duplicibus et processionibus solemnibus ac eciam exequiis principum, que in loco illo celebrari contigerit, uti libere et licite valeant, non obstantibus omnibus, que dictus predecessor in eisdem litteris voluit non obstare, devocioni vestre de amplioris dono gracie auctoritate apostolica tenore presencium indulgemus. Nulli ergo . . . . Datum Rome ap. S. Petrum duodecimo kal. Februarii a. primo.

R. Lat. 9 fol. 204b — In fine: N. C DE BENEVENTO.

300. *Judicibus mandatur, quatenus Johanni [de Miličín] canonicatum et praebendam in ecclesia Olomucensi vacantes conferant.*

Romae, 1390 Januarii 21.

Bonifacius . . . . episcopo Monopolitano et . . . . abbati Gradicensis ac preposito sanctimonialium in Cunicz per prepositum soliti gubernari Olomucensis diocesis monasteriorum . . . . Vite ac morum honestas aliaque . . . merita, super

quibus apud nos . . . . Johannes rector parrochialis ecclesie in Sudomyericz Pragensis diocesis . . . . commendatur . . . ., nos inducunt, ut sibi reddamur .... liberales Cum itaque .... canonicatus et prebenda ecclesie Olomucensis, quos quondam Johannes de Bozkowicz .... obtinebat, per ipsius Johannis obitum, qui extra Romanam curiam diem clausit extremum, vacaverint et vacent ad presens, nos volentes dicto Johanni rectori, qui presbyter et, ut asseritur, bacallarius in artibus existit...., graciam facere specialem, discrecioni vestre .... mandamus, quatenus .... canonicatum et prebendam predictos, quorum fructus .... sexdecim marcharum argenti puri .... valorem annuum .... non excedunt, ... eidem Johanni rectori .... auctoritate nostra conferre et assignare curetis ....; non obstantibus . . . . , quod idem Johannes rector, ut asseritur, in s. Petri Brunnensi et in s. Mauricii Chremsirensi ac in s. Martini Posoniensi ecclesiis cum custodia, que simplex officium existit, canonicatus et prebendas et capellam sine cura s. Ladislai Posoniensem[1]) Pragensis (!), Olomucensis et Strigoniensis diocesium ac parrochialem ecclesiam predictam, quorum omnium fructus . . . . triginta duarum marcharum argenti puri . . . . valorem annuum non excedunt, obtinet, et nos nuper sibi de canonicatibus sub expectacionibus prebendarum necnon dignitatum, personatuum vel officiorum Pragensis et Wratislauiensis ecclesiarum graciose concessimus provideri. Volumus autem, quod ipse Johannes, quamprimum . . . . canonicatum et prebendam ecclesie Olomucensis predictos fuerit pacifice assecutus, eandem capellam . . . . omnino, prout ad id se sponte obtulit, dimittere teneatur . . . . Datum Rome ap. S. Petrum duodecimo kal. Februarii a. primo.

R. Lat. 7 fol. 279[a] — Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: N. XX DE BENEVENTO — [1]) Cf. infra nri. 426 notam b.

301. *Venceslao [Thiem][1]) quondam Conradi de Nikolsburg[a]) nato, presbytero Olomucensis dioc., reservatur beneficium ecclesiasticum cum vel sine cura, consuetum clericis saecularibus assignari, cuius fructus 25 resp. 18 marcarum argenti valorem annuum non excedant, ad collationem abbatis et conventus monasterii S. Lamberti[b]) ord. s. Benedicti Salzburgensis[d]) dioc. pertinens, si quod vacat, vel cum vacaverit. „Vite ac morum" „Rome ap. S. Petrum secundo kal. Februarii pont. n. a. primo." — Eodem modo Segobiensi et Gurcensi episcopis et praeposito ecclesiae Gurcensis.*

Romae, 1390 Januarii 31.

R. Lat. 4 fol. 148[a] — [a]) ‚Nicolspurga, Nyculspurga' [b]) ‚Lamperti' [d]) ‚Salzeburgen.' — Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: N. XI. XIII DE BENEVENTO — [1]) Cf. Kollmann, O kollektorech komory papežské p. 40.

302. *Magister Johannes Zdenkonis de Děkov[a]) rect r parrochialis ecclesiae in Drahoňův Újezd[b]) Pragensis dioc. in sedis apostolicae capellanum recipitur. „Virtutibus clarens" „Rome ap. S. Petrum idibus Februarii pont. n. a. primo".*

Romae, 1390 Februarii 13.

R. Vat. 312 fol. 213[a], et iterum Arm. XXXI tom. 36 fol. 24[b] — [a]) ‚Dyekow' Vat. Arm. [b]) ‚Drahonyowvgezd' Vat. Arm. — In R. Vat. in fine adscriptum est: (ad sin.) X. S. DE AQUILA, N. DE PIPERNO; (ad dext.) T. FABRI

---

303. *Leonardus de Budweis*[a]) *ord. fratrum praedicatorum professor in sedis apostolicae capellanum recipitur. „Virtutibus clarens" „Rome ap. S. Petrum XVI. kal. Marcii pont. n. a. primo."*

Romae, 1390 Februarii 14.

R. Vat. 312 fol. 141[a], et iterum Arm. XXXI tom. 36 fol. 22[a] — [a]) ‚Budeweys' Vat. Arm. — In R. Vat. in fine adscriptum est: (ad sin) X; (ad dext.) S. DE ACHILLE.

---

304. *Johannes archiepiscopus Pragensis quitatur de 240 florenis auri.*

Romae, 1390 Februarii 22.

Marinus [. . . . s. Marie Noue diaconus cardinalis, domini pape camerarius] . . . . Universitati . . . . [notum facimus], quod reverendus in Chr. pater dom. Johannes dei gracia archiepiscopus Pragensis pro parte decimarum per fel. rec. Urbanum papam VI. in regno Boemie ac nonnullis aliis regnis et partibus certis et racionabilibus de causis olim impositarum, per eundem dom. Johannem archiepiscopum racione sue mense archiepiscopalis debitarum, ducentos quadraginta florenos auri de Ungaria per manus honorabilis et religiosi viri fratris Francisci de Boemia ord. fratrum predicatorum minoris penitenciarii nobis die date presencium solvi fecit realiter cum effectu . . . . Datum Rome ap. S. Petrum sub a. dom. MCCCLXXXX, indiccione XIII, mensis Februarii die XXII, a. primo.

Armar. XXIX tom. 1 fol. 134[a] — In fine: (ad sin.) A. PENNENSIS EPISCOPUS THESAURARIUS RECEPTUM; (in medio) VISUM P.; (ad dext.) II FL. II.

---

305. *Magister Venceslaus Nicolai de Újezd*[a]) *rector parrochialis ecclesiae in Meziříč*[b]) *Olomucensis dioc. in apostolicae sedis capellanum recipitur. „Virtutibus clarens" „Rome ap. S. Petrum VI. kal. Marcii pont. n. a. primo".*

Romae, 1390 Februarii 24.

R. Vat. 312 fol. 125[b] ; et iterum Arm. XXXI tom. 36 fol. 22[a] — [a]),Vgezd' Vat. Arm., [b]) ‚Mezirziecz' Vat. Arm. — In R. Vat. in fine adscriptum est (ad sin.) X, T. DE NYEM; (ad dext.) PRO B. DE FONTANELLIS, B. DE BREXANIS.

---

306. *Collectori Pragensi mandatur, ne quid a Petro plebano in Plana pro eius plebanatu nomine annatae exigat, si eiusdem plebanatus fructus certum valorem annuum non excedant.*

Romae, 1390 Martii 1.

Marinus [.... s. Marie Noue diaconus cardinalis, domini pape camerarius] venerabili viro domino .. collectori Pragensi .... Conquestus est nobis Petrus plebanus ecclesie s. Marie in Plana Pragensis diocesis, quod, licet fructus, redditus et proventus dicti plebanatus seu predicte ecclesie verum valorem viginti librarum Turonensium parvorum annis singulis non excedant, vos tamen ex eo, quod dictus Petrus dictum plebanatum per litteras apostolicas acceptavit seu eundem auctoritate apostolica obtinet, medios fructus seu annatam primi anni dicti plebanatus ab eo exigitis et nitimini extorquere. Cumque reservacio apostolica annatarum seu mediorum fructuum beneficiorum auctoritate apostolica obtentorum se ad illa beneficia non extendat, quorum fructus, redditus et proventus primi anni verum valorem viginti librarum parvorum Turonensium non excedunt, tenore presencium vobis precipimus et mandamus, quatenus, si post diligentem et solicitam indagacionem reppereritis omnes et singulos fructus, redditus et proventus ac obvenciones dicti plebanatus, in quibuscunque consistant, annuum et verum valorem predictarum librarum parvorum Turonensium non excedere, que viginti tres florenos auri de camera valere noscuntur, a dicto Petro nichil pro dicto plebanatu annate seu mediorum fructuum nomine exigatis. Datum Rome ap. S. Petrum sub appensione [sigilli nostri camerariatus officii] die prima mensis Marcii a. primo.

Arm. XXIX tom. 1 fol. 134[a]

---

307. *Magistro Johanni de Dülmen*[a]) *auditori causarum palatii apostolici providetur de canonicatu et praebenda ecclesiae Aboensis, de quibus, tunc per dimissionem ipsius Johannis* [de *Dülmen vacantibus, magistro Johanni Namslaw canonico Vratislaviensi, scriptori apostolico, ab Urbano pp. VI. provisum erat, cum dictus Johannes Namslaw, ipsorum possessione per eum non habita, propter assecutionem canonicatus et praebendae ecclesiae Vratislaviensis, qui ei ab eodem papa reservati fuerunt, eos dimittere teneatur.* „*Grata tue devocionis*" „*Rome ap. S. Petrum kal. Marcii a. primo.*" — *Simili modo episcopo Tudensi et archidiacono Ardennae in ecclesia Leodiensi ac officiali Aboensi.*

Romae, 1390 Martii 1.

R. Lat. 7 fol. 270[a] — [a]) ‚Dulmen' — In fine: N. XV. XVII DE BENEVENTO.

---

308. *Nicolao de Glivicz terminus solvendi annatas prorogatur.*

Romae, 1390 Martii 3.

Universis .... Angustinus [.... episcopus Pennensis, domini nostri pape thesaurarius,] .... [notum facimus,] quod venerabilis et discretus vir magister Nicolaus de Gliwicz canonicus Wratislauiensis, litterarum apostolicarum scriptor et abbreviator, nobis exposuit, quod ipse nonnullas pecuniarum summas racione annatarum sive mediorum fructuum primi anni, in quibus camere apostolice sub certis penis

et sentenciis racione canonicatus et prebende Wratislauiensium, quos obtinet, et canonicatus et prebende Poznaniensium et parrochialis ecclesie in Thaurow Wratislauiensis diocesis, quos olim obtinuit, partim videlicet nobis et eciam partim succollectori iurium, fructuum et proventuum dicte camere apostolice debitorum in partibus persolverit, sed quia dubitat, utrum plena sit facta solucio de premissis, sibi peciit per nos de oportuno remedio providere. Quapropter sibi terminum faciende solucionis huiusmodi, si quid plus pro annatis seu mediis fructibus dictorum canonicatuum et prebendarum ac parrochialis ecclesie tenetur, prorogamus et de novo assignamus usque ad festum assumpcionis b. Marie virginis proxime affuturum, ita tamen, quod, si quid plus teneretur et de dictis annata seu mediis fructibus non satis fecerit termino constituto, penis et sentenciis, quibus ante ligabatur, et de quibus ipsum per alias nostras litteras absolvimus, sit astrictus et in his scriptis declaramus astringi et relabi. In quorum testimonium presentes litteras fieri et sigilli nostri pontificalis iussimus appensione muniri. Datum Rome ap. S. Petrum sub a. dom. millesimo trecentesimo nonagesimo, indiccione tredecima, tercia die mensis Marcii, pont. . . . . a. primo.

Arm. XXIX tom. 1 fol. 139a.

---

309. *Abbates Treboniensis*[a]) *et Scotorum in Vienna Pragensis et Pataviensis dioc. ac s. Ambrosii Pragensis monasteriorum conservatores Bohunkonis rectoris parrochialis ecclesiae in Budweis Pragensis dioc. contra ordines mendicantes deputantur. „Frequentes hactenus“ „Rome ap. S. Petrum sexto idus Marcii pont. n. a. primo.*

Romae, 1390 Martii 10.

Editum ex originali ap. Köpl, Urkundenbuch der Stadt Budweis in Böhmen I./1, 1901, p. 274 nr. 512.

---

310. *Conrado de Soltow providetur de thesauraria ecclesiae Vormatiensis vacante.*

Romae, 1390 Martii 19.

Bonifacius . . . . Conrado de Soltow thesaurario ecclesie Wormaciensis, in sacra theologia magistro . . . . Litterarum sciencia, vite ac morum . . . . Dudum siquidem fel. rec. Urbanus pp. sextus predecessor noster omnes dignitates, personatus et officia ceteraque beneficia ecclesiastica cum cura et sine cura, que promovendi per eum ad quarumcunque ecclesiarum cathedralium regimina tempore promocionum huiusmodi obtinerent, extunc imposterum vacatura, collacioni et disposicioni sue reservans, decrevit extunc irritum et inane, si secus . . . . contingeret attemptari. Et deinde thesauraria ecclesie Wormaciensis, quam . . . . Nycolaus episcopus Spirensis tempore promocionis per dictum predecessorem facte de ipso ad ecclesiam Spirensem [1]) . . . . obtinebat, per huiusmodi promocionem et munus consecracionis eidem Nycolao episcopo extra Romanam curiam de

mandato eiusdem predecessoris impensum, vacante, dictoque predecessore, per eum de ipsa thesauraria non disposito, ... sublato de medio, nos . . . . ad apicem summi apostolatus assumpti . . . . declaravimus omnes dignitates, perso natus et officia ceteraque beneficia supradicta, que sic reservata tempore obitus dicti predecessoris vacabant, remansisse et remanere per reservacionem huiusmodi et decretum affecta . . . . Cum autem dicta thesauraria adhuc ut prefertur vacare noscatur . . . . , nos volentes tibi, qui eciam, ut asseris, magister in artibus existis, ... graciam facere specialem . . . . , thesaurariam predictam, cuius fructus . . . . viginti marcharum argenti . . . . valorem annuum . . . . non excedunt, ... tibi apostolica auctoritate conferimus et de illa eciam providemus . . . . ; non obstantibus . . . . , quod, ut asseris, in predicta Wormaciensi et in Hildesemensi cum archidyaconatu Goslariensi, qui curatus est, et quandam obedienciam et in Zwerinensi necnon in Omnium Sanctorum in castro Pragensi canonicatus et prebendas obtines, et dudum de canonicatu et prebenda in Spirensi tunc certo modo vacantibus, quorum omnium fructus . . . . sexaginta marcharum argenti . . . . valorem annuum non excedunt, necnon de prepositura in s. Blasii Brunswicensi Hildesemensis dyocesis ecclesiis, que tunc certo modo vacare sperabatur, cuius possessionem nondum habes, tibi auctoritate apostolica concessum fuit, et alias tibi de uno vel duobus seu tribus aut pluribus et tot . . . . beneficiis . . . . ecclesiasticis, quod eius vel eorum fructus . . . . usque ad summam centum marcharum argenti secundum taxacionem decime annuatim ascenderent, in Maguntinensi, Spirensi vel Hildesemensi ecclesiis aut civitatibus vel dyocesibus . . . . vacantibus . . . . vel vacaturis, graciose concessimus provideri. Volumus autem, quod, si dicta thesauraria dignitas vel personatus aut curata sit, tu archidyaconatum, quem, ut premittitur, obtines, ... omnino dimittere tenearis, quodque de prepositura et de uno, duobus, tribus aut pluribus beneficiis huiusmodi tibi, ut premittitur, facte concessionum gracie predicte et quecunque inde secuta, quoad beneficium curatum dumtaxat, sint cassa et irrita . . . . Datum Rome ap. S. Petrum quarto decimo kal. Aprilis pont. n. a. primo.

Simili modo . . . . patriarche Gradensi et . . . . s. Stephani Maguntinensis et s. Pauli Wormaciensis ecclesiarum decanis . . . .

R. Lat. 7 fol. 248 [a], sed copia huius bullae in registro cancellata est hac nota adiuncta: CANCELLATE, QUIA PROPTER SUI MAGNAM CORRECCIONEM ALIBI REGISTRATE. N. DE BENEVENTO. Alia copia autem in registris non est reperta, qua de causa hic ista copia uti oportuit. Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: JAC. XX. XXII DE TERAMO. — [1]) Nicolaus episcopus cca. a. 1380 promotus est.

---

311. *Judicibus mandatur, quatenus Johanni [de Manešovicz] canonicatum et praebendam in ecclesia Olomucensi vacantes conferant.*

Romae, 1390 Martii 21.

Bonifacius . . . . patriarche Gradensi et . . . . abbati monasterii Gradicensis extra muros Olomucenses ac officiali Olomucensi . . . . Vite ac morum

honestas aliaque . . . . merita, super quibus . . . . Johannes Stephani rector parrochialis ecclesie in Raussans [1]) Olomucensis diocesis . . . . commendatur . . . ., nos inducunt, ut sibi reddamur . . . . liberales. Dudum siquidem dicto Johanni de canonicatu sub expectacione prebende ecclesie Olomucensis ac dignitatis, personatus vel officii in eadem vel aliqua ex collegiatis ecclesiis civitatis Olomucensis et dicte diocesis graciose concessimus provideri; [2]) postmodum vero, sicut exhibita nobis nuper pro parte ipsius Johannis peticio continebat, canonicatu et prebenda eiusdem ecclesie, quos quondam Wenceslaus dictus Waczlawik de Praga . . . . obtinebat, per ipsius Wenceslai obitum, qui extra Romanam curiam decessit, vacantibus, idem Johannes vigore huiusmodi concessionis gracie, litteris apostolicis super ea non confectis, eosdem canonicatum et prebendam sic vacantes alias infra tempus legitimum acceptavit. Cum autem, sicut accepimus, dicti canonicatus et prebenda adhuc ut prefertur vacare noscantur, nos volentes eidem Johanni, qui presbyter est, et, ut asserit, in registro supplicacionum, tam per fel. rec. Urbanum pp. VI. predecessorem nostrum, quam nos seu de ipsius predecessoris vel nostro mandato signatarum, per decem annos et ultra fideliter laborando scripsit, prout scribit, ... graciam facere specialem, discrecioni vestre . . . . mandamus, quatenus . . . . canonicatum et prebendam predictos, quorum fructus . . . . quindecim marcharum argenti puri . . . . valorem annuum . . . . non excedunt, sive ut premititur sive alias quovis modo vel ex alterius cuiuscunque persona vacent, eciam si tanto tempore vacaverint, quod eorum collacio iuxta Lateranensis statuta concilii ad sedem apostolicam legitime devoluta seu dicti canonicatus et prebenda disposicioni apostolice reservati specialiter existant, dictusque Wenceslaus eiusdem sedis capellanus aut fructuum et proventuum camere apostolice debitorum collector vel succollector fuerit, dummodo tempore date presencium non sit in eis alicui specialiter ius quesitum, ... eidem Johanni auctoritate nostra conferre et assignare curetis . . . .; non obstantibus . . . .; quod prefatus Johannes, ut asserit, parrochialem ecclesiam predictam, cuius decem, obtinet, et super parochiali ecclesia in Lubrirzicza, [3]) cuius quinquaginta, ac decanatu in de Cremsir Cracouiensis et dicte Olomucensis diocesium, cuius quadraginta marcharum argenti puri fructus . . . . valorem annuum non excedunt, in palacio apostolico litigat, et nos dudum [4]) sibi de canonicatu sub expectacione prebende in Pragensi ecclesiis per nostras litteras graciose duximus providendum. Volumus autem, quod, quamprimum prefatus Johannes . . . . canonicatus et prebende ecclesie Olomucensis huiusmodi pacificam possessionem fuerit assecutus, predicta concessionis gracia, per quam illos acceptavit, ut prefertur, et quecunque inde secuta, quoad huiusmodi canonicatum et prebendam dumtaxat, sint cassa et irrita . . . . Datum Rome ap. S. Petrum duodecimo kal. Aprilis pont. a. primo.

R. Lat. 5 fol. 92[b] — In fine: DE MANDATO, N. DE BENEVENTO — [1]) Rousinov [2]) Provisio illa 1389 Nov. 12 facta est; conf. infra nr. 1043 [3]) Luborzicza [4]) i. e. 1389 Nov. 10.; cf. nr. 1043.

312. Obligatio Nicolai episcopi Olomucensis.

Romae, 1390 Martii 26.

Anno [nativitatis domini nostri Jesu Christi millesimo trecentesimo nonagesimo, indiccione tercia decima, pontificatus sanctissimi in Chr. patris et domini nostri dom. Bonifacii divina providencia pape IX. anno primo, in Urbe in apostolico palacio in thesauraria apostolice camere apud S. Petrum die sabbati, vigesima sexta mensis Marcii].... reverendus pater dom. Nicolaus episcopus Olomucensis per dom. Thomam de Ficechio procuratorem fiscalem et suum ad hoc legitime constitutum promisit camere et collegio pro suo communi servicio tria milia quingentos florenos auri de camera et quinque servicia consueta; item recognovit camere et collegio pro communi servicio dom. Petri predecessoris sui octingentos sexaginta tres similes florenos, solidos quatraginta septem, denarios tres monete Romane et quinque servicia consueta pro rata; solvendo medietatem promissi in festo assumpcionis b. Marie virginis proxime futuro, aliam medietatem in festo resurreccionis domini nostri Jesu Christi extunc proxime secuturo et totum recognitum in alio simili festo resurreccionis extunc proxime secuturo . . . .

Oblig. et sol. 48 fol. 98[b].

---

313. *Vikerius abbas Gradicensis quitatur de solutione partis suorum servitiorum camerae sacri collegii.*

Romae, 1390 Martii 30.

Franciscus [. . . . s. Eustachii diaconus cardinalis, sacri collegii . . . . cardinalium camerarius, ... notum facimus], quod venerabilis pater frater Wicherius abbas monasterii s. Stephani Gradicensis extra muros Olomucenses pro parte partis sui communis servicii . . . . duodecim florenos auri de camera solidos triginta novem, denarios quatuor et obulum monete Romane, et pro parte partis unius minuti servicii . . . . florenos similes duos, solidos sexdecim . . . . per manus Slawconis germani dicti abbatis die date presencium tempore debito solvi fecit . . . .; . . . . terminum faciende solucionis . . . . usque ad festum nativitatis domini nostri Jesu Christi proxime futurum prorogamus . . . . Datum Rome ap. S. Petrum sub anno dom. millesimo trecentesimo nonagesimo, indiccione tercia decima, die penultimo mensis Marcii pont. . . . . Bonifacii pape VIIII. a. primo.

Oblig. et sol. 47 fol. 89[b]; et iterum Oblig. et sol. 59 fol. 6[a] — In fine: FL. IIII GR. IIII — In libro „divisionum ab a. 1389“ (Oblig. et sol. 51) de praesenti solutione mentio fit in haec verba (fol. 14[a]): „Dicta die [sc. ultima mensis Marcii] dom. Martinus (!) abbas monasterii s. Stephani Gradiciensis ord. premonstratensis Olomucensis diocesis solvit pro parte partis sui communis servicii flor. 12, sol. 39, den. 4 et pro parte partis unius minuti flor. 2 sol. 16. Fuit promotus anno septimo (sc. pontif. Urbani VI., qui est 1384 $^{18}/_{4}$ — 1385 $^{17}/_{4}$) . . . . .“

314. *Episcopo Perusino ac abbati monasterii s. Vincentii Vratislaviensis ac officiali Vratislaviensi mandatur, quatenus Martino Jacobi de Laurinczicze clerico Cracoviensis dioc. parrochialem ecclesiam s. Johannis Baptistae in Zagość,[a]) cuius fructus viginti sex marcarum argenti puri valorem annuum non excedant, vacantem*

per mortem Gregorii dicti Cronica, conferant. „Vite ac morum“ „Rome ap. S. Petrum octavo idus Aprilis pont. n. a. primo.“

Romae, 1390 Aprilis 6.

R. Lat. 2 fol. 196a — a) ‚Zagoscz‘ — In fine: PRO DEO, N. DE BENEVENTO.

---

315. *Episcopo Olomucensi mandatur, quatenus iudicem et iuratos oppidi Znojmensis, postquam aliquod altare erexerint, ab excommunicationis sententia, quam propter Georgii presbyteri interfectionem incurrerunt, absolvat, et interdictum eorum oppido impositum relaxet. „Sedes apostolica“ „Rome ap. S. Petrum idibus Aprilis pont. n. a. primo“.*

Romae, 1390 Aprilis 13.

Ed. in Cod. dipl. Mor. XI p. 516. nro. 594.

---

316. *Ubaldinus de Florentia in provincia Pragensi camerae apostolicae collector instituitur.*

Romae, 1390 Aprilis 19.

Bonifacius . . . . magistro Hubaldino Cambi priori secularis et collegiate ecclesie s. Stephani ad pontem Florentine, decretorum doctori, capellano nostro, fructuum et proventuum camere apostolice in civitate, diocesi ac provincia Pragensibus debitorum collectori . . . . Ex fideli et solicita ac diligenti prudencia et probitate, providencia quoque circumspecta aliisque virtutibus, quibus, prout evidenti opere ac fidedignorum relacione nobis innotuit, te dominus insignivit, presumimus evidenter, [quod ea, que tibi exequenda commiserimus, solerti et salubri studio gubernabis et fideliter exequeris. Hinc est, quod nos de huiusmodi probitate et virtutibus plurimum in domino confidentes,] te fructuum, reddituum et proventuum, censuum, decimarum et aliorum in civitate diocesi et provincia Pragensibus ecclesie Romane et camere apostolice debitorum collectorem et receptorem usque ad nostrum et sedis apostolice beneplacitum auctoritate apostolica tenore presencium facimus, constituimus et eciam deputamus, [omnes et singulos collectores et succollectores huiusmodi fructuum, reddituum, proventuum, censuum, decimarum et debitorum, inibi per nos et dictam sedem vel eius auctoritate quoquo modo deputatos, ac omnes commissiones, super huiusmodi collectorie et succollectorie officiis aliis quam tibi sub quavis verborum forma per dictam sedem vel eius auctoritate factas, penitus revocando, ipsosque collectores et succollectores et alios ab huiusmodi collectorie et succollectorie officiis et commissionibus aliis eis commissis seu factis specialiter vel generaliter totaliter amovendo, tibi per te vel alium seu alios clericos dumtaxat fide et facultatibus ydoneos petendi, exigendi, recipiendi nostro et dicte camere nomine a quibuscumque prelatis, capitulis, collegiis et conventibus ecclesiarum et mona-

steriorum quorumlibet aliisque personis ecclesiasticis, secularibus et regularibus, exemptis et non exemptis, ordinum quorumlibet, ac eciam laycalibus personis omnes et singulas pecuniarum summas ac rerum et bonorum quorumlibet quantitates nobis et camere ac ecclesie predictis debitas et debendas, eciam si bona huiusmodi fuerint confiscata, necnon fructus, redditus et proventus primi anni beneficiorum ecclesiasticorum, in dictis provinciis, civitatibus et diocesibus vel earum aliqua per nos seu auctoritate apostolica collatorum et inantea conferendorum, fructus quoque, redditus et proventus, census annuos et decimas ac omnia alia et singula, nobis et eisdem ecclesie et camere in provinciis, civitatibus et diocesibus predictis quacunque racione vel causa debita vel debenda seu ad nos vel eas nunc et imposterum pertinencia, quecunque, quotcunque et qualiacunque fuerint, communibus et minutis serviciis, racione provisionum prelatorum per nos seu auctoritate apostolica ibidem ad quorumcunque ecclesiarum et monasteriorum regimina promotorum eidem camere debitis, dumtaxat exceptis, raciones quoque et computa a quibuscunque collectoribus et succollectoribus apostolicis et inquisitoribus heretice pravitatis ac predicatoribus verbi crucis ac officialibus aliis pro dicta camera in provinciis, civitatibus et diocesibus supradictis vel earum aliquibus hactenus deputatis seu personis aliis, in quantum negocia et utilitatem dicte camere concernunt, audiendi et examinandi ipsosque ad id, si necesse fuerit, compellendi et per ipsos recepta dictas Romanam ecclesiam et cameram concernencia quovis modo recipiendi ac solventes de receptis quitandi, liberandi et absolvendi; insuper eciam omnibus et singulis commissionibus, privilegiis et apostolicis aliisque litteris et potestatibus, tibi et aliis quibuscunque tuis in huiusmodi collectorie officio precessoribus et predecessoribus auctoritate apostolica missis, concessis seu alias destinatis, in ceptis et non ceptis negociis perinde utendi easque exequendi et ad effectum plenarium deducendi, ac si tibi specialiter per nos essent destinate, necnon contradictores quoslibet et rebelles . . . . auctoritate nostra per censuram ecclesiasticam et bonorum ipsorum sequestracionem et arrestacionem personarum et alia iuris remedia appellacione postposita compescendi ac eciam excommunicacionis et alias sentencias in non solventes tibi iura et debita ipsius ecclesie et camere, ut prefertur, per te vel alium seu alios tuo et dicte camere nomine inflictas et promulgatas, quociens opus fuerit, aggravandi et alias contra eos sentencias promulgandi, necnon contra quoscunque tibi vel tuis officialibus iniuriantes seu te vel dictos tuos officiales impedientes et negocia dicte camere directe vel indirecte, publice vel occulte, auctoritate nostra procedendi, prout ordo exegerit racionis, et si necesse fuerit, ipsos ad comparendum personaliter coram nobis vel nostro camerario infra certum competentem terminum per te eis assignandum citandi ac eciam, si opus fuerit, auxilium brachii secularis, eciam ordinum religiosorum quorumcunque et personarum ecclesiasticarum exemptarum et non exemptarum, invocandi, sentencias quoque excommunicacionis, suspensionis et interdicti in inobedientes, contumaces et rebelles tam per predictos precessores seu predecessores vel eorum substitutos quam per te latas et ferendas, cum ad obedienciam debitam venerint, tollendi et suspendendi et super irregularitate . . . . cum eisdem eciam auctoritate nostra dispensandi . . . . auctoritate predicta facultatem et potestatem plenariam concedentes; ita tamen, quod in fructibus, redditibus et proventibus et aliis bonis quibuscunque ad dictam cameram spectantibus ipsi camere

persolvendis ultra annum dilacionem dare nequeas, et quod in singulis civitatibus et diocesibus infra tuam collectoriam consistentibus, si sint ample et diffuse, ultra unum, et si parve fuerint, in duabus eciam ultra unum dumtaxat succollectores non deputes, et quod omnium et singulorum sucollectorum, quos te deputare continget, nomina et cognomina statim, cum illos deputaveris, nobis seu camerario nostro clare et distincte transmittere, et quod singulis trienniis de receptis et gestis per te in huiusmodi collectorie officio racionem et computum reddere necnon, quidquid per te in predictis recipi contigerit, per litteras cambii vel alium tutum modum nobis vel predicto camerario et gentibus dicte camere, quantocius commode poteris, mittere non postponas . . . .]. Datum Rome ap. S. Petrum XIII. kal. Maii pont. n. a. primo.

Armar. XXXIII tom. 12 fol. 111[b] — Uncinis [] inclusa ex simili bulla (pro Francisco de Capponago) ibidem fol. 104[a] sq. registrata suppleta sunt, cum in copia praesentis bullae loco eorum haec tantum sint posita: „etc. etc. per totum quere in VIII folio supra, adde semper censuum et decimarum et aliorum etc.“ — In fine: (ad sin) F. DE LANZ[ANICO]; (ad dext.) DE CURIA, G. HOUSCILT.

317. Mathias de Strobicz quitatur de solutione partis fructuum de archidiaconatu Opoliensi illegitime perceptorum.

Romae, 1390 Aprilis 24.

Marinus [. . . . s. Marie Noue diaconus cardinalis, dom. pape camerarius] . . . . [notum facimus], quod honorabilis vir dom. Mathias decanus ecclesie Opoliensis Wratislauiensis diocesis pro parte partis fructuum, reddituum et proventuum per ipsum perceptorum de archidiaconatu Opoliensi, eidem arrendato per iniquitatis filium Bartholomeum olim tituli s. Laurencii in Damaso presbyterum cardinalem, vulgariter dictum de Janua, octuaginta unum florenos auri de camera, solidos viginti octo et denarios quatuor monete Romane, ipso tamen domino Mathia remanente adhuc efficaciter obligato apostolice camere in residuo dictorum fructuum per ipsum perceptorum in triginta sex similibus florenis, solidis viginti sex et denariis octo monete predicte, nobis die date presencium per manus honorabilis viri Michaelis de Opol sacre penitenciarie procuratoris solvi fecit . . . . Datum Rome ap. S. Petrum sub a. dom. MCCCLXXXX, indiccione XIII, die vicesima quarta mensis Aprilis pont . . . . a. primo.

Armar. XXIX tom. 1 fol. 186[a].

318. Nicolaus de Boleslavia monachus monasterii in Morbach ord. s. Benedicti Basiliensis dioc., ordinem ipsum expresse professus et in sacerdotio constitutus, ecclesiae Abelonensi, per obitum Francisci episcopi vacanti, in episcopum praeficitur, cique mandatur, ut ad ecclesiam ipsam accedat et personaliter resideat in eadem. „Apostolatus officium“ „Rome ap. S. Petrum sexto nonas Maii pont. n. a. primo.

Romae, 1390 Maii 2.

R. Lat. 2 fol. 263[a] — In fine: JAC. XX DE TERAMO.

319. *Archidiacono Přeroviensi mandatur, quatenus Zachariae Minxonis parrochialem ecclesiam in Milfroun (Mühlfraun), auctoritate ordinaria ei collatam, auctoritate apostolica conferat.*

Romae, 1390 Maii 3.

Bonifacius . . . . archidiacono Prerouiensi in ecclesia Olomucensi . . . . Dignum arbitramur . . . . Exhibita siquidem nobis nuper pro parte . . . . Zacharie Minxonis canonici monasterii Lucensis premonstratensis ord. Olomucensis diocesis peticio continebat, quod olim parrochiali ecclesia in Milfrans dicte diocesis, [que] per canonicos dicti monasterii gubernari, et a qua illam pro tempore obtinens pro solo nutu abbatis predicti monasterii pro tempore existentis amoveri ed at claustrum eiusdem monasterii revocari consueverunt, ex eo vacante, quod quondam Zacharias abbas ipsius monasterii . . . . Sdenkonem canonicum dicti monasterii, ultimo dictam ecclesiam obtinentem, ab ipsa ecclesia ex certis causis amovit et ad claustrum predicti monasterii revocavit, prefatoque Zachariae Minxonis predictam ecclesiam sic vacantem auctoritate ordinaria contulit et sibi de illa eciam providit, ipseque Zacharias Minxonis vigore collacionis et provisionis huiusmodi eandem ecclesiam assecutus, illam extunc et possedit pacifice et quiete. Cum autem, sicut eadem peticio subiungebat, prefatus Zacharias dubitet collacionem et provisionem predictas ex certis causis viribus non subsistere, et, sicut accepimus, prefata ecclesia adhuc ut prefertur vacare noscatur, nos . . . . . discrecioni tue . . . . mandamus, quatenus, si . . . . dictum Zachariam . . . . ad dictam ecclesiam obtinendam ydoneum esse reppereris, ... eandem ecclesiam, cuius fructus . . . . quatuor marcharum argenti puri . . . . valorem annuum non excedunt, ... prefato Zacharie Minxonis auctoritate nostra conferre et assignare procures . . . . Nos enim prefato Zachariae, ut a predicta ecclesia, si illam sibi per te presencium vigore conferri contigerit, ut prefertur, absque causa racionabili amoveri nequeat, auctoritate predicta tenore presencium indulgemus . . . . Datum Rome ap. S. Petrum quinto nonas Maii pont. n. a. primo.

R. Lat. 8 fol. 171ª — In fine: N. XXI DE BENEVENTO.

320. *Officiali Olomucensi mandatur, quatenus Sandero de Rambow auctoritate apostolica concedat, ut provisio de decanatu ecclesiae s. Mauritii in Cremsir auctoritate ordinaria contra reservationem apostolicam ei facta plenam obtineat firmitatem.*

Romae, 1390 Maii 5.

Bonifacius . . . . officiali Olomucensi . . . . Dignum arbitramur . . . . Exhibita siquidem nobis nuper pro parte . . . . Sanderi de Rombow archidiaconi Prerouiensis Olomucensis diocesis peticio continebat, quod olim decanatu ecclesie s. Mauricii in Chremssir dicte diocesis, per obitum quondam Johannis de Boskowicz eiusdem ecclesie decani, qui extra Romanam curiam decessit, vacante, ... Nicolaus episcopus Olomucensis, cum ad episcopum Olomucensem pro tempore

existentem eiusdem decanatus collacio et provisio eciam de antiqua . . . . consuetudine pertineant, decanatum ipsum sic vacantem prefato Sandero auctoritate ordinaria contulit et de illo eciam providit canonice, nisi apostolice reservaciones obstarent. Cum autem, sicut eadem peticio subiungebat, idem Sanderus dubitet predictum decanatum, qui dignitas principalis et curata in eadem ecclesia s. Mauricii existit, tempore collacionis et provisionis huiusmodi fore disposicioni apostolice reservatum, seque propterea posse super eo imposterum molestari, nos volentes dictum Sanderum, qui, ut asserit, iuris peritus est, ... et pro quo eciam prefatus episcopus nobis super hoc humiliter supplicavit, ... favore prosequi gracioso, discrecioni tue . . . . mandamus, quatenus, si . . . . dictum Sanderum . . . . ydoneum ad obtinendum dictum decanatum reppereris . . . ., eidem Sandero, in ecclesia Olomucensi canonic tum et prebendam, quorum fructus . . . . viginti marcharum argenti . . . . valorem annuum . . . . non excedunt, et super quibus in palacio apostolico litigat, ac archidiaconatum Prerouiensem dicte diocesis obtinenti, auctoritate apostolica concedas, quod huiusmodi collacio et provisio de dicto decanatu, cuius fructus . . . . quadraginta marcharum argenti puri . . . . valorem annuum . . . . non excedunt, perinde a data presencium, dummodo prefatus Johannes familiaris noster non fuerit, dictusque Sanderus in eodem decanatu non sit intrusus, valeant et plenam obtineant roboris firmitatem, ac si de dicto decanatu nulla per sedem apostolicam specialis reservacio facta foret. Volumus autem, quod idem Sanderus, quamprimum dictum decanatum fuerit pacifice assecutus, prefatum archidiaconatum, quem, ut prefertur, obtinet, ... omnino, prout eciam ad id se sponte obtulit, dimittere teneatur. Datum Rome ap. S. Petrum tercio nonas Maii pont. n. a. primo.

R. Lat. 1 fol. 281b — In fine: N. XX de BENEVENTO.

---

321. *Officiali Olomucensi mandatur, quatenus Andreae Stojslai de Jevíčko archidiaconatum Preroviensem conferat.*

Romae, 1390 Maii 5.

Bonifacius . . . . officiali Olomucensi . . . . Dignum arbitramur . . . . Hodie siquidem pro parte . . . . Sanderi de Rambow archidiaconi Prerouiensis Olomucensis diocesis nobis exposito, quod olim decanatu ecclesie s. Mauricii in Chremser dicte diocesis tunc per obitum quondam Johannis de Boskowicz . . . . vacante, ... Nicolaus episcopus Olomucensis . . . . decanatum ipsum sic vacantem prefato Sandero auctoritate ordinaria contulerat et providerat eciam de eodem canonice, nisi apostolice reservaciones obstarent, et quod idem Sanderus dubitabat dictum decanatum . . . . tempore collacionis et provisionis huiusmodi fore disposicioni apostolice reservatum . . . ., nos certo dedimus iudici per nostras litteras in mandatis, ut . . . . eidem Sandero auctoritate apostolica concederet, quod huiusmodi collacio et provisio de dicto decanatu ut premittitur sibi facte . . . . perinde valerent . . . ., ac si de ipso decanatu nulla per sedem apostolicam specialis reservacio facta fuisset, et voluimus inter cetera,

quod idem Sanderus, quamprimum dictum decanatum foret pacifice assecutus, archidiaconatum Prerouiensem dicte diocesis, quem ipse Sanderus tunc temporis obtinebat, prout adhuc obtinet, ... omnino dimittere teneretur, prout in dictis litteris plenius continetur[1]). Cum itaque propterea dictus archidiaconatus vacare speretur in brevi, nos volentes . . . . Andream Stoyslai de Gewicz clericum dicte diocesis . . , ., pro quo eciam dictus episcopus, asserens ipsum Andream dilectum familiarem suum, nobis super hoc humiliter supplicavit, ... favore prosequi gracioso, discrecioni tue . . . . mandamus, quatenus, si dictum Andream . . . . ydoneum ad dictum archidiaconatum, qui eciam dignitas curata est, obtinendum esse reppereris, ... prefatum archidiaconatum, ad quem quis per eleccionem non assumitur, cuiusque fructus . . . . triginta duarum marcharum argenti . . . . valorem annuum . . . . non excedunt, cum illum premisso vel alio quovis modo preterquam per dicti Sanderi obitum vacare contigerit, conferendum eidem Andree . . . . donacioni tue auctoritate nostra reserves . . . . Datum Rome ap. S. Petrum tercio nonas Mai a. primo.

R. Lat. 2 fol. 97[b] — In fine: N. XXIIII DE BENEVENTO — [1]) Cf. nrm. 320.

---

322. Johannes episcopus Litomyšlensis quitatur de solutione partis suorum servitiorum camerae sacri collegii.

Romae, 1390 Maii 7.

Franciscus [. . . . s. Eustachii dyaconus cardinalis, sacri collegii . . . . cardinalium camerarius, ... notum facimus,] quod reverendus in Chr. pater dom. Johannes episcopus Luthomuslensis pro parte partis sui communis servicii . . . . centum quindecim florenos auri de camera, solidos triginta tres, denarios quatuor monete Romane, et pro parte partis unius minuti servicii . . . . similes florenos novem, solidos duodecim, denarios octo dicte monete per manus honorabilis viri Johannis prepositi monasterii Zderasiensis[a]) ord. cruciferorum die date presencium tempore debito solvi fecit . . . .; . . . . terminum faciende solucionis [residui] usque ad festum resurreccionis domini nostri Jesu Christi proxime futurum prorogamus . . . . Datum Rome ap. S. Petrum sub anno dom. millesimo trecentesimo nonagesimo, indiccione tercia decima, die septima mensis Maii, pontif. . . . . a. primo.

Oblig. et sol. 47 fol. 94[a]; et iterum Oblig. et sol. 59 fol. 8[a] — [a]) ‚Zdenaswig' Oblig. 59 — In fine: FL. V GR. V — In libro „divisionum ab a. 1389 ad 1399" (Oblig. et sol. 51) de eadem solutione mentio fit in haec verba (fol. 16[a]): „Die septima mensis Maii . . . . [a. 1390] soluti sunt per rever. in Chr. patrem Johannem episcopum Luthomuslensem pro parte partis sui communis servicii flor. auri de camera 115, sol. 33, denar. 3 monete Romane, et pro parte partis unius minuti servicii flor. 9, sol. 12, denar. 8. Fuit promotus anno XII dom. Urbani (i. e. 1389 $^{3}8/_{4}$—$^{15}/_{10}$) . . . ."

---

323. Petrus abbas Opatovicensis quitatur de solutione partis suorum servitiorum camerae sacri collegii.

Romae, 1390 Maii 7.

Franciscus [. . . . s. Eustachii dyaconus cardinalis, sacri collegii . . . . cardinalium camerarius, . . . notum facimus], quod venerabilis pater frater Petrus abbas monasterii s. Laurencii Opathowicz Pragensis diocesis pro parte partis sui communis servicii . . . . ducentos et quinque florenos auri de camera, solidos decem et octo, denarios sex et obolum monete Romane, et pro parte partis unius minuti servicii . . . . decem et septem similes florenos, solidos decem et septem, denarios septem dicte monete . . . . per manus venerabilis viri Hnochy[a]) de Cossicz presbyteri altariste in ecclesia Pragensi die date presencium [. . . . solvi fecit . . . .]; . . . terminum. [faciende solucionis residui . . . .] usque ad festum resurreccionis domini nostri Jesu Christi proxime futurum . . . . [prorogamus . . . .] Datum Rome ap. S. Petrum sub anno dom. millesimo trecentesimo nonagesimo, indiccione tercia decima, die VII. mensis Maii, pontif. . . . . a. primo·

Oblig. et sol. 47 fol. 91[b], et iterum Oblig. et sol. 59 fol. 7[a] — [a]) sic Oblig. 47; ‚Hnechy' Oblig. 59 — In fine: FL. V GR. V — In libro „divisionum ab a. 1389 ad 1399" (Oblig. et sol. 51) de eadem solutione mentio fit in haec verba (fol. 16[a]): „Die septima mensis Maii . . . . [a. 1390] soluti sunt per vener. patrem fratrem Petrum abbatem monasterii s. Laurencii Opathowicz Pragensis dioc. pro parte partis sui communis servicii flor. auri de camera 205, sol. 18, denar. 6 et obolus monete Romane, et pro parte partis unius minuti servicii flor. similes 17, sol. 17, den. 7. Fuit promotus anno XII° (scil pontif. Urbani VI., qui est 1389 $^{18}/_{4}$—$^{15}/_{10}$) . . . ."

---

324. *Johanni de Malesicz conceditur, ut vigore litterarum apostolicarum alias ei concessarum maiorem praebendam vel dignitatem ecclesiae Olomucensis acceptare possit, ac si in eis de quodam contrario statuto ipsius ecclesiae mentio facta esset.*

Romae, 1390 Maii 15.

Bonifacius . . . . magistro Johanni de Malesicz canonico Olomucensi, scriptori et familiari nostro . . . . Grata tue familiaritatis . . . . Dudum siquidem tibi canonicatum ecclesie Olomucensis . . . . apostolica auctoritate contulimus et de illo eciam providimus, prebendam vero necnon dignitatem vel personatum seu officium ipsius ecclesie, eciam si dignitas ipsa curata et maior post pontificalem in ipsa ecclesia foret, et ad eam quis per eleccionem assumi, ipsaque dignitas per canonicos prebendatos dicte ecclesie dumtaxat gubernari consuevissent, si que vel si qui aut si qua vacabant tunc, vel cum simul aut successive vacarent, ... conferendas vel conferendos seu conferenda tibi . . . . donacioni apostolice reservavimus, certis tibi super hoc executoribus deputatis, prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur. Cum autem, sicut exhibita nobis nuper pro parte tua peticio continebat, in dicta ecclesia maiores et minores prebende fore noscantur, et in statutis ipsius ecclesie expresse caveri ac . . . . capitulo ipsius ecclesie a sede apostolica specialiter indultum fore dicatur, quod nullus in dicta ecclesia aliquam de huiusmodi maioribus prebendis obtinere, nisi de minori prebenda ad eandem maiorem prebendam gradatim et per opcionem ascendat, ac in ea dignitatem assequi valeat, nisi in ipsa ecclesia actu canonicus prebendatus existat, de quibus in dictis litteris nulla mencio facta fuit: nos igitur

volentes te . . . . favore prosequi gracie amplioris . . . ., volumus et tibi auctoritate apostolica concedimus, quod tam dictarum quam presencium litterarum vigore maiorem prebendam necnon dignitatem huiusmodi acceptare valeas, dictique executores de illis tibi providere possint ac debeant, ac si de statutis et indulto huiusmodi in ipsis litteris specialis et expressa mencio facta foret, non obstantibus omnibus, que in ipsis litteris voluimus non obstare. Nulli ergo . . . . Datum Rome apud S. Petrum idibus Maii pont. n. a. primo.

R. Lat. 5 fol. 46ª — Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: PRO SOCIO. N. DE BENEVENTO.

---

325. *Omnibus, qui ostensioni partis pepli b. Mariae virginis in ecclesia Pragensi interfuerint, indulgentiae conceduntur.*

Romae, 1390 Maii 15.

Bonifatius . . . . universis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis . . . . Dum precelsa meritorum insignia, quibus regina celorum virgo dei genitrix gloriosa sedibus prelata sydereis quasi stella matutina prerutilat, devote consideracionis indagine perscrutamur, dum eciam intra pectoris archana revolvimus, quod ipsa utpote mater misericordie, mater gratie, pietatis amica, humani generis consolatrix, pro salute fidelium, qui delictorum onere pregravantur, sedula exoratrix et pervigil, ad regem, quem genuit, intercedit, dignum quin potius debitum arbitramur, ut sacras eius reliquias devotis venerationibus visitantes gratiosis remissionum et indulgentiarum muneribus prosequamur. Dudum siquidem fel. rec. Innocentio pape VI. predecessori nostro per clare memorie Carolum Romanorum imperatorem IIII., tunc Romanorum et Boemie regem, exposito, quod ipse imperator quasi tertiam partem pepli b. Marie virginis, illius videlicet panni, quem ipsa in capite suo gestabat, dum dominus noster Jesus Christus pro humani generis salute in ligno crucis pateretur, sanguine ipsius domini nostri Jesu Christi aspersam obtinebat et habebat, ipsamque in aliqua honorabili ecclesia vel capella proponebat collocare, idem predecessor cupiens, quod ecclesia vel capella ipsa, in qua pars dicti pepli ut prefertur collocaretur, dum ipsam partem pepli de septennio in septennium ostendi contingeret, congruis honoribus frequentaretur, omnibus vere penitentibus et confessis, qui die ostensionis huiusmodi ipsam ecclesiam seu capellam visitarent, tres annos et totidem quadragenas de iniunctis eis penitentiis misericorditer relaxavit, prout in litteris eiusdem predecessoris inde confectis dicitur plenius contineri. Cum autem, sicut exhibita nobis nuper pro parte dilectorum filiorum . . decani et capituli ecclesie Pragensis peticio continebat, pars huiusmodi pepli per eundem imperatorem in ipsa Pragensi ecclesia iam dudum extiterit collacata, et dum pars pepli huiusmodi de septennio in septennium, ut prefertur, inibi ostenditur, maxima multitudo populi confluat ad eandem: nos cupientes, quod dicta pars eiusdem pepli in veneratione precipua habeatur, et ecclesia ipsa congruis honoribus frequentetur, et ut Christi fideles eo libentius causa devotionis confluant ad eandem, quo ibidem ex hoc uberius dono celestis gratie conspexerint se refectos, de omnipotentis dei misericordia

et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi omnibus vere penitentibus et confessis, qui ecclesiam ipsam de triennio in triennium visitaverint et ostensioni pepli huiusmodi devote interfuerint, ut prefertur, quinque annos et totidem quadragenas de iniunctis eis penitentiis misericorditer relaxamus. Datum Rome apud S. Petrum idibus Maii pont. n. a. primo.

Orig. in archivio capituli ecclesiae Pragensis (XVIII, 1) In plica ad dext.: REGISTRATA GRATIS, JOHANNES DE MALESICZ; sub plica ad sin.: XXX COM[PUTAVI]. A tergo: R[EGISTRATA] N[ICOLAUS DE BENEVENTO]. Bulla plumbea in filo serico.

---

326. Decano et capitulo ecclesiae Pragensis indulgetur, ut mitris pontificalibus uti possint.

Romae, 1390 Maii 15.

Bonifacius . . . . dilectis filiis . . decano et capitulo ecclesie Pragensis. Exposcit vestre devocionis sinceritas, ut tam vos, quos speciali dilectione[a]) prosequimur, quam ecclesiam vestram Pragensem dignis honoribus attollamus. Hinc est, quod nos vestris devotis supplicationibus inclinati, ut liceat vobis et vestrum singulis in maioribus et patronorum ecclesie vestre festivitatibus mitris pontificalibus gemmatis et aurifrisatis uti, prout decanus et canonici ecclesie s. Petri Wissegradensis Pragensis utuntur,[b]) ac divina officia in ipsis celebrare, dummodo in celebratione ipsa apostolice sedis legatus aut archiepiscopus Pragensis, qui erit pro tempore, presentes non existant — quibuscunque constitutionibus apostolicis in contrarium editis nequaquam obstantibus — vobis et vestrum cuilibet auctoritate apostolica de speciali gracia tenore presentium indulgemus Nulli ergo . . . . Datum Rome ap. S. Petrum idibus Maii pont. n. a. primo.

Istarum litterarum duo exemplaria originalia cum bullis in filo serico pendentibus in archivio capituli ecclesiae Prag. exstant (XVII, 30 + 31). Quorum unum (A) has notas habet: (in plica dext.) JOHANNES DE MALESICZ VI; (sub plica sin.) ADDIDI S. DE AQUILA, OCT., LX, S. DE AQUILA COM[PUTAVI], N. DE PIPERNO; (a tergo) R[EGISTRATA] N[ICOLAUS DE BENEVENTO]. In altero autem exemplari (B) hae notae inveniuntur: (in plica dext.) P. PARIDANO, JO[HANNES] DE ORTEGA; (sub plica sin.) DE[CEMBRIS], L, S. DE AQUILA, JOHANNES DE CANEUARIIS; (sub plica dext.) P. DE BOSCO; (a tergo) R[EGISTRATA] N. [DE BENEVENTO] — a) ‚devotione' B b) ‚prout . . . . utuntur' om. B — Ed. ex exemplari A ap. Pešina, Phosphorus septicornis p. 197; item Balbin, Miscellanea dec. I lib. VI p. 131; item Hammerschmid, Gloria et maiestas Wissehrad. ecclesiae p. 440.

---

327. Johanni praeposito monasterii Zderaziensis Pragensis eiusque successoribus ad supplicationem Venceslai regis facultas conceditur canonicos dicti monasterii ab ecclesiis a dicto monasterio dependentibus, quarum rectores existunt, amovendi et loco eorum alios ordinariis praesentandi. „Devocionis tue sinceritas" „Rome ap. S. Petrum idibus Maii pont. n. a. primo."

Romae, 1390 Maii 15.

Ed. Borový, Libri erectionum IV. in nro. 510.

328. Monasterio Zderaziensi confirmatur quaedam concessio cardinalis Pilei.

Romae, 1390 Maii 15.

Bonifacius . . . . preposito et conventui monasterii Sderasiensis Pragensis Sepulchri dominici Hierosolymitani per prepositum soliti gubernari ord. s. Augustini . . . . Exhibita siquidem nobis nuper pro parte vestra petitio continebat, quod olim . . . . Pileus episcopus Tusculanus, tunc tituli s. Praxedis presbyter cardinalis, in regno Bohemie et nonnullis aliis partibus circumadiacentibus apostolice sedis legatus, vobis, ut missam in vigilia pasche ad instar misse, que in ipsa vigilia in ecclesia s. Joannis alias s. Victoris Bononiensi post vesperos et circa occasum solis alta voce decantatur et celebratur, decantare possetis, concessit et indulsit, cuius quidem concessionis ac indulti obtentu a multis retroactis temporibus in ipsa vigilia singulis annis in vestro monasterio circa occasum ipsum huiusmodi missa per vos solemniter decantata fuit et celebrata, ad cuius quidem misse celebrationem principum et nobilium multitudo ac maximus populorum numerus causa devotionis confluere consuevit. Et quia, sicut accepimus, ab aliquibus asseritur huiusmodi concessionem, per ipsum Pileum episcopum, ut prefertur, factam, viribus non subsistere, pro parte vestra nobis fuit humiliter supplicatum, ut vobis premissa faciendi auctoritate apostolica de speciali gracia concedere dignaremur. Nos igitur charissimi in Chr. filii nostri Venceslai Romanorum et Bohemie regis illustris, nobis super hoc humiliter supplicantis, ac vestris in hac parte supplicationibus inclinati, vobis, ut huiusmodi missam singulis annis in vigilia pasche dumtaxat circa occasum ipsum in ecclesia aut in cimiterio ipsius vestri monasterii, ut prefertur, decantare possitis, tenore presencium de speciali gracia licenciam elargimur . . . . Datum Rome ap. S. Petrum idibus Maii pont. n. a. primo.

Copia saec. XVI in bibliothecae Vaticanae Cod. Vat. 3922 fol. 256[b]. Concessio Pilei ddto. 1380 Oct. 12 ibidem fol. 256[a].

329. Officiali Pragensi mandatur, quatenus Georgio (!) de Podol concedat, ut eius institutio in rectorem parrochialis ecclesiae in Antiqua Pilzna auctoritate ordinaria contra reservationem apostolicam facta plenam obtineat firmitatem.

Romae, 1390 Maii 15.

Bonifacius . . . . officiali Pragensi . . . . Dignum arbitramur . . . . Exhibita siquidem nobis nuper pro parte . . . . Georgii Galli de Podol presbyteri Pragensis diocesis peticio continebat, quod olim parrochiali ecclesia in Antiqua Pilzna dicte diocesis per obitum quondam Nicolai de Vgezdecz ipsius ecclesie rectoris in Romana curia defuncti vacante, carissimus in Chr. filius noster Wenceslaus Romanorum et Boemie rex illustris, verus patronus, ut asserit, dicte ecclesie et in pacifica possessione vel quasi iuris presentandi personam ydoneam ad ecclesiam supradictam existens, prefatum Georgium ad eandem ecclesiam sic vacantem . . . . Johanni archiepiscopo Pragensi infra tempus legitimum presentavit, idemque archiepiscopus dictum Georgium auctoritate ordinaria in rectorem ecclesie instituit antedicte canonice, nisi apostolice reservaciones obstarent, ipseque Georgius

vigore presentacionis et institucionis huiusmodi dictam ecclesiam extitit assecutus illamque tenet et possidet de presenti.[1]) Cum autem . . . . ipse Georgius dubitet ecclesiam ipsam, cuius fructus . . . . viginti marcharum argenti puri . . . . valorem annuum non excedunt, ut asseritur, tempore presentacionis seu institucionis predictarum fore disposicioni apostolice reservatam, seque propterea posse super ea imposterum molestari, nos volentes eundem Georgium . . . . consideracione predicti regis, pro ipso Georgio cappellano suo nobis . . . . supplicantis, favore prosequi gracioso . . . ., discrecioni tue . . . . mandamus, quatenus . . . . prefato Georgio, cui nuper, ut asseritur, de canonicatu sub expectacione prebende ecclesie Wissegradensis Pragensis graciose provideri concessimus, apostolica auctoritate concedas, quod presentacio et institucio predicte et quecunque inde secuta perinde a data presencium, dummodo Nicolaus familiaris noster et Georgius predicti in dicta ecclesia intrusus non fuerit, valeant plenamque obtineant roboris firmitatem, ac si de predicta ecclesia nulla per sedem apostolicam specialis reservacio facta foret. Datum Rome ap. S. Petrum idibus Maii a. primo.

R. Lat. 1 fol. 314[a] — Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA],; in fine: N. XXI DE BENEVENTO — [1]) De hac institutione Libri confirmationum ad 1390 Jan. 24 his verbis narrant: „ad presentacionem dom. Johannis prepositi eccl. s. Petri Wissegradensis prope Pragam, regni Boemie cancellarii, ad ecclesiam parroch. in Antiqua Pilzna, per mortem dom. Nicolai vacantem, in qua prefatus dom. Johannes prepositus tamquam cancellarius regni Boemie ius patronatus dinoscitur obtinere, dom. Gregorium dictum Hudera dom. Wenczeslai regis etc. capellanum continuum commensalem plebanum instituimus". Ex quo patet nostrum Georgium Galli de Podol eundem esse ac illum Gregorium dictum Hudera. Tomek, Dějepis Prahy V. 152 Gregorium Hudera (Chudera) a. 1394 inter canonicos Vyšehradenses adducit (Cf. ibid. 53. 133).

---

330. Cum Zbynkone de Hasenburg dispensatur super irregularitate.

Romae, 1390 Maii 15.

Bonifacius . . . . dilecto filio Sbinconi dilecti filii nobilis viri Willelmi baronis baronie de Hasemburg nato, clerico Pragensis diocesis . . . . Sedes apostolica pia mater recurrentibus ad eam cum humilitate filiis post excessum libenter se propiciam exhibet et benignam. Exhibita siquidem nobis nuper pro [parte] tua peticio continebat, quod olim prepositura ecclesie Melnicensis Pragensis diocesis, cui canonicatus et prebenda ecclesie Pragensis canonice sunt annexi, tunc per obitum quondam Johannis de Lanczstein . . . . extra Romanam curiam defuncti vacante, carissimus in Chr. filius Wenceslaus Romanorum et Boemie rex illustris, verus patronus dicte prepositure . . . . racione regni sui Boemie existens, ... Johanni archiepiscopo Pragensi te, tunc in quinto decimo etatis tue anno constitutum, ad dictam preposituram infra tempus legitimum presentavit, idemque archiepiscopus te in prepositum dicte ecclesie Melnicensis auctoritate ordinaria alias tamen canonice instituit,[1]) tuque pretextu presentacionis et institucionis huiusmodi dictam preposituram, que dignitas unica et principalis in eadem ecclesia Melnicensi existit, assecutus, illam extunc detinuisti, prout detines, fructus percipiens ex eadem quamvis de facto. Quare pro parte tua nobis fuit humiliter

supplicatum, ut providere tibi et statui tuo super premissis de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur . . . . consideracione dicti regis, nobis super hoc humiliter supplicantis, ... omnem inhabilitatis et infamie maculam sive notam per te premissorum occasione contractam auctoritate apostolica . . . . penitus abolemus. Volumus autem, quod preposituram predictam exnunc realiter et omnino dimittas. Nulli ergo . . . . Datum Rome ap. S. Petrum idibus Maii a. primo.

R. Lat. 1 fol. 316b — In fine: N. XII DE BENEVENTO — [1]) Alias Libri confirmationum, ubi ad 1389 Sept. 22 sic legitur: „ad present. Elizabeth imperatricis ad praeposituram eccl. Melnicensis, per mortem d. Johannis de Landenstein vacantem, illustrem dom. Barnym ducem Stetinensem Pomeranie, Cassubie etc., fratrem germanum dicte dom. imperatricis, in supradicte prepositure rectorem instituimus."

---

331. *Jacobo abbati monasterii Plasensis*[a]) *cisterciensis ord. Pragensis dioc., qui homo annosus et debilis complexionis existit, indulgetur, ut cum confessoris et medici consensu diebus, quibus alias non est esus carnium interdictus, carnibus vesci valeat.* „*Exigit tue devocionis*" „*Rome ap. S. Petrum idibus Maii pont. n. a. primo.*"

Romae, 1390 Maii 15.

R. Lat. 1 fol. 169a — a) ‚Plassen' — In marg. sin.; C[ANCELLARIA]; in fine: N. X DE BENEVENTO.

---

332. *Tilmanno Colmi (Colini?) confratri monasterii Plasensis*[a]) *cisterciensis ord. Pragensis dioc., qui homo annosus et debilis complexionis existit, indulgetur, ut diebus, quibus alias non est esus carnium interdictus, cum confessoris et medici consensu carnibus vesci valeat.* „*Exigit tue devocionis*" „*Rome ap. S. Petrum idibus Maii a. primo.*"

Romae, 1390 Maii 15.

R. Lat. 1 fol. 169b — a) ‚Plassen' — In marg. sin.: C[ANCELLARIA]: in fine: N. X DE BENEVENTO.

---

333. *Sifridus Andreae de Ejpovicz*[a]) *frater domus hospitalis s. Mariae Theutonicorum Jerosolimitani in Pilzna Pragensis dioc. in sedis apostolicae capellanum recipitur.* „*Virtutibus clarens*" „*Rome ap. S. Petrum idibus Maii a. primo.*"

Romae, 1390 Maii 15.

R. Vat. 313 fol. 71b; altera copia in R. Lat. 10 fol. 331a, et tertia in Armar. XXXI. tom. 36 fol. 31a — a) ‚Eypowicz' Vat. Lat. Arm. — In R. Vat. in fine hae notae adscriptae sunt: (ad sin.) X, P. DE MONCELLA, G. GREGORII; (ad dext.) JO. DE MALESICZ; in R. Lat.: N. X DE BENEVENTO.

---

334. Augustinus episcopus Pennensis, thesaurarius apostolicus, Arnoldum Ergestem decanum ecclesiae Varmiensis quitat de pecunia, quam pro annata dicti decanatus per manus magistri Johannis Namslaw canonici Vratislaviensis et litterarum apostolicarum scriptoris camerae apostolicae solvi fecit. „Rome [ap. S. Petrum] die prima Junii a. primo.

Romae, 1390 Junii 1.

Armar. XXIX tom. 1 fol. 159b

---

335. Paro episcopus Polignanensis de omnibus per eum in negotiis, quae ipsi ab Urbano VI. commissa erant, receptis et gestis quitatur, et obligationes, quas de eiusdem papae mandato camerae apostolicae fecerat, penitus cassantur.

Romae, 1390 Junii 2.

Bonifacius . . . . Panoni episcopo Polignanensi . . . . Eximie devocionis affectus, quem ad nos et Romanam geris ecclesiam, necnon preclare virtutes, quibus personam tuam eciam familiari experiencia novimus insignitam, et commendabilia tuorum virtuosorum operum merita digne nos inducunt, ut illa te gracia favorabili prosequamur, quam tue quieti tuoque statui fore conspicimus oportunam. Dudum siquidem fel. rec. Urbanus pp. VI. predecessor noster te pro quibusdam negociis Romanam ecclesiam et eciam cameram apostolicam concernentibus ad nonnullas Italie, Alamanie, Boemie et alias diversas partes personaliter destinavit, tibique pecunias et res alias eidem camere debitas petendi, exigendi et recipiendi et de receptis solventes quitandi et liberandi aliaque diversa negocia faciendi et exequendi plenam concessit per eius litteras facultatem. Cum itaque postmodum, sicut exhibita nobis nuper pro parte tua peticio continebat, licet tu ad execucionem tibi ut premittitur commissorum fideli diligencia intendens, nonnullas pecunias et res dicte camere nomine a diversis personis variisque ex causis receperis, et alia diversa negocia peregeris, ac de omnibus per te receptis et gestis secundum bonam conscienciam tuam dicte camere seu gentibus eius sufficientem et debitam ac fidelem reddideris racionem, tamen idem predecessor, contra te minus veraciter informatus, voluit, quod te in certis pecuniarum summis dicte camere solemniter obligares, prout te postea per instrumentum publicum obligasti, et nonnullas pecuniarum summas per te et tuo nomine penes dilectos filios Jacobum Fecis et Antonium Ticii et ceteros ac diversos alios personas et mercatores depositas arrestari et nonnullos ac diversos processus contra te fieri mandavit et ordinavit, tuque dubites premissorum occasione posse imposterum molestari, pro parte tua nobis fuit humiliter supplicatum, ut tibi tuoque statui super predictis providere de oportuno remedio dignaremur. Nos igitur . . . . te tuosque heredes, successores, bona et eciam fideiussores, si quos forsan premissorum occasione prestiteris, de omnibus et singulis per te seu tuos officiales ex causa premissa receptis, habitis, solutis, assignatis atque gestis, quecunque, quotcunque et qualiacunque et ex quibuscunque causis fuerint, sive de illis aut illorum parte plenam et sufficientem, sive minus plenam minusque sufficientem, sive

prorsus nullam reddideris racionem, et eciam de omnibus singulis aliis, in quibus dicte camere qualicunque racione vel causa usque in presentem diem esses aut videreris seu appareres quomodolibet obligatus, eciam si te et tua sub quavis forma vel concepcione verborum, quibusvis confessionibus, renunciacionibus, summissionibus et cautelis ac eciam iuramentis adiectis, ad prefixum tempus iam lapsum vel non lapsum sponte per stipulacionem vel alias solemniter seu efficaciter obligaveris, eciam si prestiteris ydoneas cauciones, et eciam si promissa et conventa in toto vel in parte ad tempus prefinitum vel postea non adimpleveris, et eciam si super illis vel illorum aliquo per aliquem vel aliquos dicte camere officialem vel officiales aut prefati predecessoris commissarium vel commissarios ad id sufficientem vel non sufficientem potestatem habentem vel habentes rite vel non rite inquisitum, processum, cognitum et sentenciatum fuerit, sive non, et eciam si huiusmodi sentencia vel sentencie nulla provocacione suspensa vel suspense in rem transierit vel transierint iudicatam, et tali vel talibus sentencie vel sentenciis excommunicacionis aut alie spirituales seu eciam pene temporales adiecte fuerint, sive non, et illas vel earum aliquam ex negligencia vel contemptu incurreris, sive non, et ab huiusmodi obligacionibus, cauciones, inquisicionibus, processibus, sentenciis atque penis . . . . auctoritate apostolica de potestatis apostolice plenitudine ac specialis dono gracie tenore presencium quitamus, absolvimus et perpetuo liberamus; et nichilominus obligaciones, cauciones, inquisiciones, processus, sentencias atque penas atque sequestraciones huiusmodi tollimus, cassamus, irritamus et omnino viribus vacuamus, et eidem camere eiusque officialibus super premissis et quolibet premissorum perpetuum silencium imponimus per presentes, ac volumus et apostolica auctoritate decernimus, quod, si forsan per ius vel accionem habentem seu apparentem habere contra te directe vel exceptive obiceretur raciones de huiusmodi receptis, solutis et gestis per te sufficienter redditas, visas, calculatas, pecuniamque numeratam et ponderatam et reliqua restituta non fuisse, sed illas revideri et ad calculum rursus reduci debere, tibi in nullo possit obesse; remittimus insuper tibi omnia iura et acciones predicte camere contra te, heredes, successores, bona et fideiussores huiusmodi ex premissis vel aliquo premissorum quomodolibet competencia seu eciam competentes, omnes processus apostolica vel alia quavis auctoritate contra formam presencium litterarum ex officio vel ad partis instanciam decetero forsan habendos exnunc decernentes irritos et inanes, ac volentes, quod dictarum pecuniarum arresto non obstante de eisdem pecuniis tibi perinde respondeatur, ac si sequestrum predictum minime emanasset. Nulli ergo . . . . Datum Rome ap. S. Petrum IIII nonas Junii pont. n. a. primo.

R Vat. 312 fol. 156ª — In fine: (ad sin.) P. DE ALATRO; (ad dext.) GRATIS DE MANDATO DOMINI NOSTRI PAPE, P. FRANCISCI.

---

336. *Visitantibus parrochialem ecclesiam s. Galli Pragensem indulgentiae conceduntur.*

Romae, 1390 Junii 3.

Bonifacius .... universis .... Licet is .... Cum itaque, sicut accepimus, parrochialis ecclesia s. Galli Pragensis, in qua multe sanctorum reliquie sunt recondite, reparacione indigere noscatur, nos cupientes, quod dicta ecclesia congruis honoribus frequentetur .... , omnibus vere penitentibus et confessis, qui in nativitatis, circumcisionis, epyphanie, resurreccionis, ascensionis, corporis domini nostri Jesu Christi et pentecostes, necnon in nativitatis, annunciacionis, purificacionis et assumpcionis b. Marie virginis et nativitatis b. Johannis Baptiste, [beatorum] apostolorum Petri et Pauli et s. Galli ac ipsius ecclesie dedicacionis festivitatibus et celebritate omnium sanctorum, necnon per ipsarum nativitatis, epyphanie, resurreccionis, ascensionis et corporis domini ac nativitatis, assumpcionis b. Marie et nativitatis b. Johannis Baptiste et apostolorum Petri et Pauli predictorum festivitatum octavas et per sex dies predictum festum penthecostes immediate sequentes prefatam ecclesiam devote visitaverint annuatim [et ad reparacionem huiusmodi manus porrexerint adiutrices], singulis videlicet festivitatum et celebritatis unum annum et unam quadragenam, octavarum vero et sex dierum predictorum diebus .... centum dies de iniunctis eis penitenciis relaxamus, presentibus post decennium minime valituris. Volumus autem .... Datum Rome ap. S. Petrum tercio nonas Junii anno primo.

R. Lat. 17 fol. 147[a] — In marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: JAC. XVI DE TERAMO.

---

337. Officiali Pragensi mandatur, quatenus Johanni de Schwamberg[a] *clerico Pragensis dioc., de baronum genere procreato, canonicatum et praebendam ecclesiae Pragensis, quorum fructus 20 marcarum argenti valorem annuum non excedunt, vacantes per liberam resignationem Johannis de Wartenberg per procuratorem eius magistrum Petrum de Všerub*[b] *archidiaconum Horšoviensem*[c]*, secretarium apostolicum, in manibus papae factam, conferat, non obstante, quod dudum eidem Johanni de Schwamberg de canonicatu sub exspectatione praebendae ecclesiae s. Petri Vyšehradensis a papa concessum est provideri. „Dignum arbitramur" „Rome ap. S. Petrum tercio nonas Junii a. primo."*

Romae, 1390 Junii 3.

R. Lat. 1 fol. 254[b] — [a]) ‚Swanberg' [b]) ‚Wserob' [c]) ‚Horsouien.' — In fine: N. XXII DE BENEVENTO.

---

338. Marinus s. Mariae Novae cardinalis, camerarius apostolicus, universis praelatis et officialibus prohibet, ne in magistrum Federicum quondam Gotfredi Rorer de Egra canonicum Paduanum ullam iurisdictionem exerceant, cum ipse capellanus apostolicus sit. „Rome ap. S. Petrum a. dom. MCCCLXXXX, indiccione XIII, die quarta mensis Junii a. primo."

Romae, 1390 Junii 4.

Arm. XXX tom. 36 fol. 65[b] — Cf. nrum. 297 huius libri.

339. *Nicolao Gelucke providetur de canonicatu et media praebenda ecclesiae Varmiensis vacantibus, non obstante, quod dudum ei de uno cum cura vel sine cura ad episcopi Olomucensis et praepositi, decani, cantoris, thesaurarii, custodis et capituli singulorumque canonicorum et personarum Olomucensis, ac de alio sine cura ad episcopi Vratislaviensis et praepositi, decani, cantoris, thesaurarii, custodis, archidiaconorum et capituli singulorumque canonicorum et personarum Vratislaviensis ecclesiarum collationem pertinentibus beneficiis ecclesiasticis, vacantibus vel vacaturis, a papa concessum est provideri. „Vite ac morum" „Reate sexto decimo kal. Julii pont. n. a. primo." — Simili modo episcopo Monopolitano et praeposito ac decano ecclesiae s. Salvatoris in Gutstadt Varmiensis dioc.*

Reate, 1390 Junii 16.

R. Lat. 7 fol. 280[b] — In fine: PRO DEO, N. DE BENEVENTO.

---

340. *Magistro Johanni Namslaw scriptori apostolico providetur de canonicatu et praebenda ecclesiae Poznaniensis per obitum Jaroslai Dobeslai vacantibus, quorum fructus 10 marcarum argenti valorem annuum non excedunt, non obstante, quod in Vratislaviensi canonicatum cum praebenda, quorum fructus 30 marcarum annuatim non excedunt, et in Vyšehradensi prope Pragam ac in Pragensi et in Varmiensi ecclesiis canonicatus sub exspectationibus praebendarum necnon dignitatis, personatus seu officii in eadem Pragensi ecclesia auctoritate quarundam litterarum papae Bonifacii IX. noscitur obtinere. „Grata devocionis" „Reate decimo sexto kal. Julii a. primo." — Simili modo patriarchae Gradensi et archidiacono Vratislaviensi ac officiali Poznaniensi.*

Reate, 1390 Junii 16.

R. Lat. 3 fol. 231[a] — Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: PRO SOCIO. N. DE BENEVENTO.

341. *Magistro Thomae de Ambrevilla[a]) canonico Leodiensi, legum doctori, capellano apostolico et causarum palatii apostolici auditori, mandatur, quatenus magistrum Hermannum de Bielefeld[b]) canonicum ecclesiae b. Mariae Bielefeldensis[c]) Padeburnensis dioc., decretorum doctorem et palatii apostolici auditorem, surroget ad omne ius, quod Hermanno de Insula canonico ecclesiae Misnensis, capellano et auditori apostolico, apud sedem apostolicam vita functo, tempore eius obitus in certa obedientia in ecclesia Misnensi necnon capella s. Johannis Baptistae in castro Misnensi, super quibus in palatio apostolico cum quibusdam adversariis litigabat, quomodolibet competebat; non obstante inter cetera, quod dictus Hermannus de Bielefeld canonicatum ecclesiae Vratislaviensis sub exspectatione praebendae, dignitatis, personatus vel officii obtinet. „Grata dilecti" „Reate decimo sexto kal. Julii pont. n. a. primo."*

Reate, 1390 Junii 16.

R. Lat. 5 fol. 85a — a) ‚Ambreuilla', b) ‚Biluelt c) ‚Biluelden' — Supra in marg. sin. C[ANCELLARIA]; in fine: N. XXX DE BENEVENTO.

342. Magistro Hermanno de Bielefeld a) decretorum doctori, capellano apostolico et causarum apostolici palatii auditori, provideturde canonicatu et maiori praebenda ac scholastria ecclesiae Misnensis, quorum fructus viginti quatuor marcarum argenti valorem annuum non excedunt, vacantibus per mortem magistri Hermanni de Insula auditoris palatii apostolici, non obstante inter cetera, quod canonicatum ecclesiae Vratislaviensis sub exspectatione praebendae, dignitatis, personatus vel officii obtinet. „Grata tue devocionis" „Reate decimo sexto kal. Julii a. primo." — Simili modo patriarchae Gradensi et praeposito Bambergensis ac decano Herbipolensis ecclesiarum.

Reate, 1390 Junii 16,

R. Lat. 5 fol. 87a — a) ‚Biluelt' — Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine N. XXVIII. XXX DE BENEVENTO.

343. Iudicibus mandatur, quatenus Nicolao de Tišňovicz parrochialem ecclesiam in Třebíč, si eam vacare reppererint, conferant.

Reate, 1390 Junii 20.

Bonifacius . . . . episcopo Olomucensi et . . . . preposito ac decano ecclesie Olomucensis . . . . Vite ac morum honestas aliaque . . . . merita, super quibus . . . . Nicolaus Johannis de Thusnawicz presbyter Olomucensis diocesis . . . . commendatur . . . . , nos inducunt, ut sibi reddamur . . . . liberales. Cum itaque, sicut accepimus, parrochialis ecclesia s. Martini in Trebecz dicte diocesis, quam quondam Johanes de Polecz . . . . obtinebat, per ipsius Johannis obitum, qui extra Romanam curiam diem clausit extremum, vacaverit et vacet ad presens, licet . . . . Andreas Peltz de Znoyma, qui se gerit pro presbytero dicte diocesis, illam detineat indebite occupatam, nos . . . . discrecioni vestre . . . . mandamus, quatenus . . . . , si vocatis dicto Andrea et aliis, qui fuerint evocandi, ecclesiam predictam, cuius fructus . . . . viginti quinque marcharum argenti puri . . . . valorem annuum . . . non excedunt, sive ut prefertur, sive alias quovis modo aut ex alterius cuiuscunque persona vel ex eo, quod . . . . Laurencius de P[r]eronia frater ordinis predicatorum, tunc clericus secularis existens et ordinem ipsum ingressus, in eo regularem professionem per fratres dicti ordinis emitti consuetam emisit, vacare reppereritis, ... eidem Nicolao auctoritate nostra conferre et assignare curetis . . . . ; non obstantibus . . . ., quod dudum eidem Nicolao, ut asserit, de beneficio ecclesiastico cum cura vel sine cura, vacante vel vacaturo, ad collacionem . . . . prepositi, decani pro tempore existencium et . . . . capituli ecclesie Olomucensis . . . . pertinente, per alias nostras litteras graciose mandavimus provideri. Volumus autem, quod, quamprimum ipse Nicolaus . . . . ecclesiam parrochialem predictam fuerit pa-

cifice assecutus, predicte littere, per quas huiusmodi beneficia, ut prefertur, expectat et . . . . quecunque inde secuta, quoad curatum beneficium dumtaxat, sint cassa . . . . Datum Reate duodecimo kal. Julii a. primo.

R. Lat. 4 fol. 270ᵃ — In fine N. XVIII DE BENEVENTO.

---

344. *Ubaldino [de Florentia] collectori Pragensi mandatur, ut Bosoni de Eugubio certam summam assignet.*

Reate, 1390 Junii 22.

Marinus . . . . s. Marie Noue diaconus cardinalis, domini pape camerarius,] venerabili viro dom. Vbaldino Cambii in provincia Pragensi et nonnullis aliis partibus iurium apostolice camere debitorum collectori . . . . Tenore presencium vobis districte precipimus et mandamus, quatenus de pecuniis ad apostolicam cameram spectantibus, penes vos existentibus, seu de primis, quas vos habere continget, assignetis seu assignari integraliter faciatis reverendo patri dom. Johanni electo Merseburgensi, olim preposito Sderasiensi, recipienti nomine egregii militis dom. Bosoni de Eugubio, octuaginta quinque florenos de camera, in quibus dicta camera ipsi domino Bosoni ex certis causis tenebatur et erat efficaciter obligata. De qua quidem solucione duo faciatis fieri consimilia publica instrumenta, quorum uno penes vos retento, reliquum ad dictam cameram quantocius mittere procuretis. Datum Reate sub appensione sigilli nostri camerariatus officii a. dom. MCCC nonagesimo, indiccione tercia decima, die vicesima secunda mensis Junii pont. a. primo.

Armar. XXIX tom. 1 fol. 164ᵇ.

---

345. *Archiepiscopo Pragensi, episcopo Tudensi et officiali Pragensi mandatur, quatenus executores testamenti, si quod magister Petrus de Všerub canonicus Pragensis, litterarum apostolicarum corrector, iuxta concessionem apostolicam hodie ei factam condiderit, et heredes dicti Petri per collectores et succollectores fructuum camerae apostolicae et alios quoscunque molestari seu impediri non permittant.*

„Sincere devocionis“ „Reate VIIII. kal. Julii pont. n. a. primo.“

Reate, 1390 Junii 23.

Orig. cum bulla in filo canapis in archivio capit. eccl. Prag. sub XVII, 3. In plica ad dext.: DUPLICATA GRATIS PRO SOCIO, JOHANNES DE MALESICZ.

---

346. *Martino Rulant providetur de parrochiali ecclesia in villa ‚Cruppen‘* [1]) *Misnensis dioc., cuius fructus quinque marcarum argenti puri valorem annuum non excedunt, vacante per mortem ultimi rectoris Johannis, qui apud sedem apo-*

stolicam decessit. „Vite ac morum“ „Reate nono kal. Julii a primo.“ — Simili modo episcopo Segobiensi et archidiacono Lusatiae Misnensis ac cantori Budissinensis Misnensis dioc. ecclesiarum.

Reate, 1390 Junii 23.

R. Lat. 2 fol. 170ᵃ — In fine: PRO DEO, N. DE BENEVENTO — [1]) Krappe (?) villa districtus Budissinensis.

---

347. *Jacobo Petri de ‚Welminicz‘* [1]) *clerico Misnensis dioc. reservatur beneficium ecclesiasticum cum vel sine cura, consuetum clericis saecularibus assignari, cuius fructus 25 resp. 18 marcarum argenti valorem annuum non excedant, ad collationem abbatis et conventus monasterii in Nova Cella cisterciensis ord. Misnensis dioc. pertinens, si quod vacat, vel cum vacaverit. „Vite ac morum“ „Reate tercio kal. Julii a. primo.“ — Simili modo episcopo Tornacensi et decano s. Crucis Vratislaviensis ac archidiacono Lubucensis ecclesiarum.*

Reate, 1390 Junii 29.

R. Lat. 4 fol. 253ᵃ — Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: PRO DEO, N. DE BENEVENTO. — [1]) Wellmitz (?), duae villae in Prussia, altera in districtu Guben, altera in distr. Krossen.

---

348. *Marinus s. Mariae Novae diaconus cardinalis, camerarius apostolicus, Antonium Jacobi et Doffum Nepi et socios, mercatores Florentinos Romanam curiam sequentes, quitat de 30 florenis de Ungaria et 6 florenis currentibus, penes eosdem per quondam magistrum Nicolaum de Vratislavia in Romana curia procuratorem depositis et ad cameram apostolicam vigore apostolicae reservationis spectantibus, quos ipsi dictae camerae solverunt. „Reate in domibus nostre residencie millesimo trecentesimo nonagesimo, indiccione tercia decima, die sexta Julii pont. . . . . a. primo.“*

Reate, 1390 Julii 6.

Armar. XXIX tom. 1 fol. 165ᵃ.

---

349. *Ecclesiam monasterii Brevnoviensis prope Pragam ord. s. Benedicti, „in qua multe sanctorum reliquie sunt venerabiliter recondite, et in qua etiam corpus recolende memorie Guntheri de Hassia professi monasterii Altahensis dicti ordinis Ratisponensis dioc. requiescit“, in qua ecclesia etiam „dominus noster Jesus Christus ob ipsorum sanctorum merita multa miracula operatur“, annuatim in die obitus praedicti Guntheri visitantibus duorum annorum et totidem quadragenarum indulgentiae conceduntur. „Splendor paterne glorie“ „Reate VII. idus Julii pont. n. a. primo“.*

Reate, 1390 Julii 9.

Editum apud Ziegelbauer, Historia monast. Brewnoviensis 1740, p. 142; item apud Piter, Thesaurus absconditus in agro seu monasterio Brzewnoviensi 1762, p. 66, et iterum ibidem p. 78; excerptum cum falsa data ap. Dobner, Monum. hist. Bohemiae VI p. 114 (Hist. diplom. Brewnov. nr. 128.) — Copia ex originali archivii Břevnoviensis B. IV. 119 in diplomatario manuscripto musei regni Bohemiae est, iuxta quam originale, cui bulla plumbea Bonifacii IX appendet, has notas habet: (sub plica ad sin.) AUG, XVI, S. DE AQUILA, N. DE PIPERNO COM[PUTAVI]; (supra plicam ad dext.) IO. DE MALESICZ; (a tergo) R[EGISTRATA] DUO ANNI ET TOTIDEM QUADRAGENE IN DIE BEATI GUNTHERI.

---

350. *Auditori apostolico mandatur, quatenus Johannem de Kbel surroget ad omne ius, quod Carolo de Červená Lhota tempore eius obitus in parrochiali ecclesia in Našiměřicz competebat.*

Reate, 1390 Julii 9.

Bonifacius .... dilecto filio magistro Antonio de Ponto capellano nostro et causarum palacii apostolici auditori .... Nobilitas generis, vite ac morum honestas aliaque .... merita, super quibus apud nos dilectus filius Johannes de Kbel perpetuus vicarius in ecclesia Olomucensi fidedignorum commendatur testimoniis, nos inducunt, ut sibi reddamur ad graciam liberales. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dicti Johannis peticio continebat, quod orta dudum inter quondam Carolum de Czirwena Lhota et quondam Henricum Kawsung presbyteros et dilectum filium Nicolaum rectorem parrochialis ecclesie in Superiori Holubrunna Patauiensis diocesis super parrochiali ecclesia in Nassmyerzicz Olomucensis diocesis, ad quam, tunc per obitum quondam Artlebi de Bukowina ipsius ecclesie rectoris extra Romanam curiam defuncti vacantem, Carolus se a vero patrono dicte ecclesie in Nassmyerzicz et existente in pacifica possesione vel quasi iuris presentandi rectorem ad eandem ecclesiam dilectis filiis Jaroslao de Petrowicz et Hermanno de Naklis canonicis dicte ecclesie Olomucensis, vicariis in spiritualibus eiusdem Olomucensis ecclesie, per dilectos filios capitulum dicte ecclesie, eadem Olomucensi ecclesia tunc pastore carente, deputatis, infra tempus legitimum presentatum, et quilibet ipsorum Caroli, Henrici et Nicolai eandem ecclesiam in Nassmyerziecz ad se de iure spectare asserebant, materia questionis et causa huiusmodi per appellacionem dicti Caroli ad sedem apostolicam legitime introducta: fel. rec. Urbanus papa VI. predecessor noster causam appellacionis huiusmodi et negocii principalis quondam Petro de Coppa cappellano dicte sedis et auditori causarum palacii apostolici ad instanciam dicti Caroli audiendam commisit et fine debito terminandam, ipseque Nicolaus liti et cause huiusmodi ac omni iuri sibi in eadem ecclesia in Nassmyerzicz seu ad eam quomodolibet competenti coram notario publico et certis testibus extra dictam curiam libere et sponte cessit; et tandem, postquam prefatus Petrus auditor in causa ipsa ad nonnullos actus processerat, lite huiusmodi sic indecisa pendente, prefatus Henricus extra dictam curiam extitit vita functus, et dilectus filius Johannes de Gulen, qui se gerit pro preposito ecclesie in Wolframskirchen predicte Olomucensis diocesis, per dilectum filium nobilem virum Benessium baronem baronie de Crawar dicte diocesis, asserentem se verum patronum dicte ecclesie in Nassmyerzicz et exi-

stentem in pacifica possessione vel quasi iuris presentandi personam ydoneam ad ecclesiam in Nassmyerzicz supradictam, se prefatis vicariis ad ipsam ecclesiam presentari similiter procuravit; et subsequenter prefatus predecessor eidem Petro auditori suis dedit litteris in mandatis, ut eundem Carolum, dummodo ipse in dicta ecclesia in Nassmyerzicz intrusus non fuisset, in omni iure et ad omne ius, si quod prefato Henrico tempore sui obitus in eadem ecclesia in Nassmyerzicz seu ad eam quomodolibet competebat aut competere poterat, auctoritate apostolica surrogaret ipsumque ius sibi conferret et provideret eciam de eodem, dictumque Carolum ad huiusmodi ius et eius prosecucionem et defensionem in eo statu, in quo predictus Henricus tempore sui obitus existebat, admitteret et admitti faceret, ut moris esset, prout in eisdem litteris plenius continetur; et deinde eodem Carolo per prefatum auditorem in huiusmodi iure surrogato ipsoque ad huiusmodi ius ac eius prosecucionem et defensionem admisso, prefatoque predecessore, sicut domino placuit, sublato de medio, nos divina disponente clemencia ad apicem summi apostolatus assumpti causam huiusmodi tibi, cum dictus Petrus auditor eciam vita functus extitisset, audiendam commisimus et fine debito terminandam; et tandem, postquam inter eosdem Carolum et Johannem coram te in causa ipsa ad nonnullos alios actus processum fuerat, lite huiusmodi sic indecisa pendente prefatus Carolus in Romana curia debitum nature persolvit. Nos igitur statum cause huiusmodi habentes presentibus pro expresso, et ne ad ipsam parrochialem ecclesiam pateat alicui viciosus ingressus, si lis huiusmodi careat legitimo defensore, qui tueatur eandem, providere dictoque Johanni de Kbel, qui, ut asserit, ex utroque parente de militari genere procreatus existit et sedi apostolice plurima impendit obsequia, premissorum meritorum suorum intuitu graciam facere volentes, discrecioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus eundem Johannem de Kbel, dummodo ipse in dicta parrochiali ecclesia in Nassmyerzicz non fuerit intrusus, et veri patroni dicte parrochialis ecclesie ad id accedat assensus, in omni iure et ad omne ius, quod dicto Carolo in dicta parrochiali ecclesia in Nassmyerzicz, cuius fructus . . . . quadraginta marcharum argenti secundum communem extimacionem valorem annuum, ut ipse Johannes de Kbel asserit, non excedunt, seu ad eam tempore sui obitus quomodolibet competebat seu competere poterat, eciam si dictus Carolus sedis eiusdem capellanus aut alicuius ex . . . . s. Romane ecclesie cardinalibus familiaris fuerit, auctoritate nostra surroges, dictumque ius sibi conferas et provideas eciam de eodem, ac ipsum Johannem de Kbel ad ius et eius ac litis et cause huiusmodi prosecucionem et defensionem in eo statu, in quo idem Johannes de Kbel causam ipsam invenerit, et in quo dictus Carolus tempore dicti sui obitus existebat et, si vite superstes existeret, posset et deberet admitti, eadem auctoritate admittas et admitti facias, ut est moris; non obstantibus fel. rec. Bonifacii pape VIII. predecessoris nostri et aliis constitucionibus apostolicis contraris quibuscunque, seu quod idem Johannes de Kbel, ut asserit, parrochialem ecclesiam de Nepomuk Pragensis diocesis et quandam perpetuam vicariam sacerdotalem in dicta Olomucensi, quarum fructus . . . . triginta marcharum argenti . . . . valorem annuum non excedunt, et canonicatum sub expectacione prebende necnon dignitatis, personatus seu officii cum vel sine cura in Pragensi ecclesiis auctoritate litterarum nostrarum noscitur obtinere. Volumus autem, quod ipse Johannes de Kbel, quamprimum vigore presencium

ecclesie in Nassmyerzicz predicte possessionem fuerit pacificam assecutus, prefatam ecclesiam in Nepomuk, quam, ut prefertur, obtinet, ... omnino dimittere teneatur, quodque prefate littere, per quas canonicatum obtinet et prebendam ac dignitatem vel personatum seu officium huiusmodi, ut prefertur, expectat, et processus habiti per easdem et quecunque inde secuta, quoad dignitatem, personatum seu curatum officium dumtaxat, sint cassa et irrita, nulliusque roboris vel momenti. Et insuper exnunc irritum et inane decernimus, si secus . . . . contigerit attemptari. Datum Reate septimo idus Julii a. primo.

R. Lat. 1 fol. 261b — In fine: DE MANDATO, JAC. DE TERAMO.

---

351. *Nobilibus viris Ulrico baroni baroniae de Nova Domo, Přibikoni de Stráž,* [a] *Petro dicto ‚Wyzzne' de Větřní,* [b] *Zulconi de Zalezl, Divišio de Dobronicz,* [c] *Andreae de Krummau,* [d] *Oczykoni dicto de Krummau,* [d] *Johanni dicto Subek de Samosol,* [e] *Georgio Bohuniconis de Žirovnicz (Serowitz),* [f] *Předvoj de Petrovicz,* [g] *Andreae Zdislai* [h] *de Bilsk, Ogerio de Březí,* [j] *Držkrajo de Žimuticz,* [l] *Ulrico dicto Ocas de Třebělicz,* [m] *Johanni dicto Ocas de Třebělicz,* [n] *Drahonio de Třenicz (Střenitz),* [o] *Ruprechto de Otročicz,* [p] *Vojtěchoni de Kraselov* [q]*, Andreae dicto Žákavec de Zvířeticz,* [r] *Hněvkoni de Hodějov,* [s] *Michaeli de Olešná,* [t] *Vilhelmo de Újezd,* [v] *Henrico de Babín* [x] *et Gregorio dicto Vector de Krummau,* [d] *armigeris Pragensis dioc. indulgetur, ut cum confessoris consensu aliquas ecclesias illarum partium per quindecim dies continuos vel interpolatos semel saltem in die infra annum iubilei 1390 visitantes, indulgentiam visitantibus urbem Romam infra dictum annum concessam assequantur. „Devocionis vestre" „Rome ap. S. Petrum XVI. kal. Octobris pont. n. a. primo".*

Romae, 1390 Septembris 16.

Orig. cum bulla plumbea in filo serico in archivio Třeboniensi exstat (Historica 50 A). In plica: (siu.) XXIII, (dext.) PRO S. DE AQUILA, IO. JACOZI XXI. Sub plica: (sin.) SEPT. LXVI, S. DE AQUILA, N. DE PIPERNO; (dext.) P. DE BOSCO. In tergo: R[EGISTRATA] N[ICOLAUS DE BENEVENTO] — [a]) ‚Przybiconi de Strazz' [b]) ‚Wyetrzne' [c]) ‚Dywissio de Drobronycz' [d]) ‚Chrumpnav' [e]) ‚Samozel' [f]) ‚Syrawitz' [g]) ‚Przedwor de Petrowicz' [h]) ‚Zdysslai' [j]) ‚Brzezye' [l]) ‚Drzgragro de Zymunticz' [m]) ‚Oczas de Trzebrelicz' [n]) ‚Oczes de Trzyebrelicz' [o]) ‚de Sestrzyenetz' [p]) ‚Otratzicz' [q]) ‚Woytzechoni de Crasyelow' [r]) ‚Zakawecz de Sworzyeticz' [s]) ‚Hnyekoni de Hodyeyow' [t]) ‚Olessna' [v]) ‚Vygozd' [x]) ‚Baben' — E copia dom. A. Krejčík.

---

352. *Iudicibus mandatur, quatenus Petro de Glivicz parrochialem ecclesiam in Paczkaw, quam ipse vigore apostolicae gratiae exspectativae acceptavit, conferant.*

Romae, 1390 Septembris 19.

Bonifacius . . . . episcopo Tudensi et . . . . abbati monasterii s. Marie extra muros Wratislauienses ac officiali Wratislauiensi . . . . Vite ac morum honestas aliaque . . . . merita, super quibus . . . . Petrus Johannis Zaluelt de Glywicz clericus Wratislauiensis diocesis . . . . commendatur . . . ., nos

inducunt, ut sibi reddamur . . . . liberales. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dicti Petri peticio continebat, quod olim parrochiali ecclesia in Paczkaw dicte diocesis, quam quondam Nicolaus de Olauia . . . . obtinebat, per ipsius Nicolai obitum, qui extra Romanam curiam diem clausit extremum, vacante, idem Petrus vigore litterarum nostrarum, per quas beneficium ecclesiasticum cum cura vel sine cura, ad collacionem . . . . episcopi Wratislauiensis et . . . . prepositi, decani, archidiaconi, custodis, scolastici, cantoris ac capituli, singulorumque canonicorum et personarum ecclesie Wratislauiensis . . . . pertinens, expectabat, dictam ecclesiam sic vacantem et ad collacionem dicti episcopi pertinentem infra tempus debitum acceptavit et de ea sibi provideri fecit, ac possessionem ipsius pacificam assecutus fuit. Cum autem, sicut eadem peticio subiungebat, dictus Petrus dubitet acceptacionem et provisionem huiusmodi ex certis causis viribus non subsistere, et, sicut accepimus, dicta ecclesia adhuc ut prefertur vacare noscatur, nos . . . . discrecioni vestre . . . . mandamus, quatenus . . . . dictam ecclesiam, cuius fructus . . . . triginta marcharum argenti puri . . . . valorem annuum, ut ipse Petrus asserit, non excedunt, sive premisso sive alio quovis modo vel ex alterius cuiuscunque persona seu ex eo, quod dictus Nicolaus vel persona huiusmodi beneficium aut officium curatum seu dignitatem aut personatum obtinens, dictam ecclesiam canonice sibi collatam assecutus vel assecuta, illam cum huiusmodi beneficio seu officio aut dignitate vel personatu eciam post et contra constitucionem fel. rec. Johannis pape XXII. predecessoris nostri, que incipit ‚Execrabilis‘, vel ecclesiam ipsam obtinens huiusmodi beneficium seu officium curatum aut dignitatem vel personatum canonice sibi collatam vel collatum pacifice assecutus, illud, illam vel illum cum eadem ecclesia contra canonicas sanciones detinuerit, nulla super hoc canonica dispencacione obtenta, indebite occupata vel occupatas seu occupatos, vacet, eciam si tanto tempore vacaverit, quod eius collacio iuxta Lateranensis statuta concilii ad sedem apostolicam legitime devoluta seu ecclesia ipsa disposicioni apostolice specialiter reservata existant, et eciam si super ea in dicta curia vel extra illam lis pendeat indecisa, et dictus Nicolaus vel persona huiusmodi dicte sedis capellanus aut nuncius vel fructuum et proventuum camere apostolice debitorum collector vel succollector seu dicte sedis vel alicuius ex . . . . s. Romane ecclesie cardinalibus familiaris fuerit, dummodo tempore date presencium non sit in ea alicui specialiter ius quesitum . . . ., eidem Petro auctoritate nostra conferre et assignare curetis . . . .; non obstantibus . . . . ., quod dudum eidem Petro de beneficio ecclesiastico sine cura ad collacionem . . . . dicti episcopi pertinente, vacante vel vacaturo, graciose concessimus provideri. Volumus autem, quod, quamprimum ipse Petrus vigore presencium dictam ecclesiam fuerit pacifice assecutus, predicte littere, per quas eam acceptavit, ut prefertur, et processus habiti per easdem et quecunque inde secuta sint cassa et irrita nulliusque roboris vel momenti Et insuper exnunc irritum decernimus . . . ., si secus . . . . contigerit attemptari. Datum Rome ap. S. Petrum tercio decimo kal. Octobris pont. n. a. primo.

R. Lat. 5 fol. 77^{b} — Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: N. XXII DE BENEVENTO.

353. *Iudicibus mandatur, quatenus Martino [de Sternberg] canonicatum et praebendam ecclesiae Olomucensis, quos ipse vigore apostolicae gratiae exspectativae acceptavit, conferant.*

Romae, 1390 Septembris 21.

Bonifacius . . . . patriarche Gradensi et . . . . abbati monasterii Gradicensis extra muros Olomucenses ac archidiacono Prerouiensi in ecclesia Olomucensi . . . . Vite ac morum honestas aliaque . . . . merita, super quibus apud nos . . . . Martinus Johannis clericus Olomucensis diocesis[a]) . . . . commendatur, ... nos inducunt, ut sibi reddamur . . . . liberales. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dicti Martini peticio continebat, quod olim canonicatu ecclesie Olomucensis et prebenda de Pencicz, quos quondam Henricus Drnowicz . . . . obtinebat, per eiusdem Henrici obitum, qui extra Romanam curiam diem clausit extremum, vacantibus, idem Martinus auctoritate quarundam litterarum nostrarum graciose sibi concessarum, per quas beneficium ecclesiasticum cum cura vel sine cura, ad collacionem . . . . episcopi Olomucensis et . . . . prepositi decani, scolastici, archidiaconi et capituli singulorumque canonicorum et personarum ecclesie Olomucensis communiter vel divisim pertinens, vacans vel vacaturum, eciam si canonicatus et prebenda eiusdem ecclesie existeret, expectabat,[1]) eosdem canonicatum et prebendam, sic vacantes et ad collacionem dictorum decani et capituli communiter pertinentes[b]), infra tempus legitimum acceptavit et de illis sibi obtinuit provideri. Cum autem, sicut eadem peticio subiungebat, dictus Martinus dubitet acceptacionem et provisionem huiusmodi ex certis causis viribus non substitere, et, sicut accepimus, predicti canonicatus et prebenda adhuc ut prefertur vacare noscantur, nos volentes eidem Martino, qui in palacio nostro servitor existit, premissorum intuitu graciam facere specialem, discrecioni vestre . . . mandamus, quatenus . . . . canonicatum et prebendam predictos, quorum fructus . . . . decem et octo marcharum argenti puri . . . . valorem annuum, ut ipse Martinus asserit, non excedunt, sive premisso sive alio quovis modo aut ex alterius cuiuscunque persona vacent, eciam si dictus Henricus vel persona huiusmodi sedis apostolice capellanus vel alias officialis seu nuncius aut fructuum et proventuum camere apostolice debitorum collector vel succollector seu noster aut fel. rec. Urbani pp. VI. predecessoris nostri vel alicuius ex . . . . s. Romane ecclesie cardinalibus familiaris fuerit, dummodo tempore date presencium non sit in eis alicui specialiter ius quesitum, ... eidem Martino auctoritate nostra conferre et assignare curetis . . . .; non obstantibus . . . ., quod dictus Martinus super parrochiali ecclesia in Jaricz Olomucensis diocesis, cuius fructus . . . . eciam decem et octo marcharum argenti . . . . valorem annuum . . . . non excedunt, in palacio apostolico noscitur litigare. Volumus autem, quod, quamprimum dictus Martinus eosdem canonicatum et prebendam fuerit pacifice assecutus, predicte littere, per quas eandem prebendam acceptavit et sibi de ea fecit ut prefertur provideri, et processus habiti per easdem et quecunque inde secuta sint cassa et irrita nulliusque roboris vel momenti . . . . Datum Rome ap. S. Petrum undecimo kal. Octobris a. primo.

R. Lat. 1 fol. 231[b] — [a]) Corr. in margine loco cancellati ‚canonicus Olomucensis', adiuncta nota: „Correctum de mandato, N. de Benevento." [b]) ‚beneficium — pertinentes' adscriptum

in margine loco cancellati ‚canonicatum ipsius ecclesie obtinens, prebendam inibi expectabat, dictam prebendam sic vacantem', adiuncta nota: „Correctum de mandato. N. de Benevento" – In fine: DE MANDATO, N. DE BENEVENTO — [1]) Cf. nr. 220 huius libri.

---

354. Venceslao de Alta Muta providetur de parrochiali ecclesia ibidem.

Romae, 1390 Septembris 23.

Bonifacius . . . . Wenceslao Bohunkonis de Alta Muta rectori parrochialis ecclesie s. Marie in Alta Muta Luthomuslensis diocesis . . . . Vite ac morum . . . . Dudum siquidem omnes parrochiales ecclesias ceteraque beneficia ecclesiastica cum cura vel sine cura, tunc apud sedem apostolicam vacancia et inantea vacatura, collacioni et disposicioni nostre reservantes, decrevimus extunc irritum . . . . , si secus . . . . contingeret attemptari. Cum itaque postmodum parrochialis ecclesia s. Marie virginis in Alta Muta Luthomuslensis diocesis, quam quondam Johannes dictus Hanko . . . . obtinebat, per ipsius Johannis obitum, qui apud dictam sedem diem clausit extremum, apud sedem ipsam vacaverit et vacet ad presens, nullusque preter nos hac vice de ipsa ecclesia disponere potuerit neque possit reservacione et decreto obsistentibus supradictis, nos volentes tibi, qui presbiter es et, ut asseris, in Romana curia in theologia studes, ... graciam facere specialem, dictam ecclesiam, cuius fructus . . . . viginti quinque marcarum argenti puri . . . . valorem annuum, ut asseris, non excedunt, sic vacantem, eciam si ecclesia ipsa alias dispocioni apostolice specialiter reservata existat, cum omnibus iuribus et pertinenciis suis apostolica tibi auctoritate conferimus et de illa eciam providemus . . . .; non obstantibus . . . ., quod beneficium ecclesiasticum cum cura vel sine cura, ad collacionem . . archiepiscopi Pragensis et . . . . prepositi, decani, archidiaconorum, scolastici, cantoris, custodis et capituli singulorumque canonicorum ecclesie Pragensis . . . . pertinens, auctoritate quarundam litterarum nostrarum te asseris expectare. Volumus autem, quod, quamprimum vigore presencium dictam parrochialem ecclesiam fueris pacifice assecutus, prefate littere, per quas huiusmodi beneficium, ut prefertur, expectas, ... et quecunque inde secuta, quoad curatum beneficium dumtaxat, sint cassa . . . . Nulli ergo . . . . Datum Rome ap. S. Petrum nono kal. Octobris pont. n. a. primo.

Simili modo . . . . episcopo Pennensi et . . . . priori ecclesie Luthomuslensis ac officiali Luthomuslensi . . . .

R. Lat. 2 fol. 167[a] — Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: JAC. XI. XIII DE TERAMO.

---

355. Hynkoni[a]) rectori parrochialis ecclesiae de Kralovicz[b]) Pragensis dioc. indulgetur, ut confessor eius in mortis articulo plenam omnium peccatorum remissionem ei concedere possit. „Provenit" „Rome ap. S. Petrum VII. kal. Octobris pont. n. a. primo".

Romae, 1390 Septembris 25.

Orig. in archivio capit. eccl. Prag. (XVIII, 6). In plica ad dext.: PRO L. DE LACU JA. DE BONONIA. Sub plica: (ad sin.) SEPT., XIV, S. DE AQUILA, N. DE PIPERNO; (ad dext.) P. DE BOSCO. A tergo: R[EGISTRATA] N[ICOLAUS DE BENEVENTO]. Bulla plumbea in filo serico. — a) ‚Hinconi' b) ‚Cralowicz'.

---

356. *Abbati Cladrubensi mandatur, ut a Johanne de Děkov capellano apostolico fidelitatis iuramentum recipiat.*

Romae, 1390 Octobris 1.

Marinus, [. . . . s. Marie Noue diaconus cardinalis, dom. pape camerarius,] venerabili patri fratri . . abbati monasterii in Cladrona ord. s. Benedicti Pragensis diocesis . . . . Cum sanctissimus in Chr. pater et dominus noster dom. Bonifacius divina providencia papa VIIII. honorabilem virum magistrum Johannem Zdenkonis de Dyekow rectorem parrochialis ecclesie in Drahonyow Vgezd Pragensis diocesis volens prosequi favore gracie specialis et supplicacionibus pro parte ipsius magistri Johannis porrectis super hoc inclinatus, ipsum in capellanum Sue Sanctitatis et sedis apostolice benigne receperit et numero et consorcio aliorum capellanorum dicte sedis aggregaverit cum libertatibus, exempcionibus, franchisiis, immunitatibus, honoribus et oneribus in talibus consuetis, prout in litteris apostolicis super huiusmodi capellanatu confectis lacius continetur,[1]) et capellani honoris, qui creantur pro tempore, [secundum laudabilem apostolice camere consuetudinem, si sint presentes in curia, tenentur et debent iuramentum fidelitatis in ipsa camera prestare, prefatusque magister Johannes absens de presenti a Romana curia existat ipsumque iuramentum personaliter prestare non valeat, idcirco paternitati vestre . . . . auctoritate nostra ymmo verius apostolica tenore presencium committimus et mandamus, quatenus a praefato magistro Johanne recipiatis corporaliter iuramentum in forma prefate camere consueta . . . .], post dictum iuramentum roccheto et cappa ipsum induentes et birretum in eius capite imponentes ac ad osculum pacis ipsum recipiendo nomine nostro, prout in talibus insigniis pro capellanatu honoris huiusmodi extitit fieri consuetum, facientesque de ipsius iuramenti prestacione confici publicum instrumentum, quod nobis et ipsi, quantocius poteritis, transmittatis . . . . Datum Rome ap. S. Petrum sub a. dom. MCCCLXXXX, indiccione XIII, die prima mensis Octobris pont. . . . . a. primo.

Armar. XXIX tom. 1 fol. 177a. Uncinis [] inclusa ex aliis similibus documentis ibidem registratis suppleta sunt. In fine: VISUM BAY[LARDINUS] DE VERONA. — 1) Cf. supra nr. 302.

---

357. *Praeposito ecclesiae s. Aegidii Pragensis mandatur, quatenus bona a monasterio Strahoviensi illegitime alienata in eiusdem monasterii proprietatem revocet.*

Romae, 1390 Octobris 4.

Bonifacius . . . . preposito ecclesie s. Egidii Pragensis . . . . Ad audienciam nostram pervenit, quod tam dilecti filii . . abbas et conventus monasterii

Strahouiensis alias Montis Sion Pragensis premonstratensis ord. quam predecessores eorum decimas, redditus, terras, vineas, possessiones, domus, piscarias, prata, pascua, grangias, nemora, molendina, iura, iurisdicciones et quedam alia bona ipsius monasterii datis super hoc litteris, confectis exinde publicis instrumentis, interpositis iuramentis, factis renunciacionibus et penis adiectis in gravem ipsius monasterii lesionem nonnullis clericis et laicis, aliquibus[a]) eorum ad vitam, quibusdam vero ad non modicum tempus et aliis perpetuo ad firmam vel sub censu annuo concesserunt, quorum aliqui dicuntur super hiis confirmacionis litteras[b]) in forma communi a sede apostolica impetrasse. Quia vero nostra interest super hoc de oportuno remedio providere, discrecioni tue per apostolica scripta mandamus, quatinus ea, que de bonis ipsius monasterii per concessiones huiusmodi alienata inveneris illicite vel distracta, non obstantibus litteris, instrumentis, iuramentis, renunciacionibus, penis et confirmacionibus antedictis ad ius et proprietatem eiusdem monasterii legitime revocare procures, contradictores per censuram ecclesiasticam appellacione postposita compescendo; testes autem, qui fuerint nominati, si se gracia, odio vel timore subtraxerint, censura simili appellacione cessante compellas veritati testimonium perhibere. Datum Rome apud S. Petrum IIII. nonas Octobris pont. n. a. primo.

Orig. cum bulla in filo canapis in archivio capituli eccl. Prag. (XVIII, b). In plica ad dext: JO. JACOZI; sub plica ad sin.: OCT., II, P. DE ESCULO. A tergo supra in med.: N. CRUGER. — [b]) ‚aliquilibus' or. [a]) ‚litteris' or.

---

358. Marinus s. Mariae Novae diaconus cardinalis, camerarius apostolicus, Johanni archiepiscopo Pragensi terminum solvendi id, in quo camerae apostolicae ratione decimae per Urbanum pp. VI. in regno Bohemiae impositae existit obligatus, usque ad festum resurrectionis domini proxime futurum prorogat. „Rome ap. S. Petrum sub a. dom. millesimo trecentesimo nonagesimo, indiccione XIII[a], die quarta mensis Octobris . . . . a. primo".

Romae, 1390 Octobris 4.

Armar. XXIX tom. 1 fol. 178[a] – In fine: VISUM BAY[LARDINUS] DE VERONA.

---

359. Petrus abbas Opatovicensis quitatur de solutione complementi suorum servitiorum camerae sacri collegii.

Romae, 1390 Octobris 10.

Henricus [. . . . tit. s. Anastasie presbyter cardinalis, sacri collegii . . . . cardinalium camerarius, ... notum facimus.] quod venerabilis pater frater Petrus abbas monasterii s. Laurencii Opathowicz ord. s. Benedicti Pragensis diocesis pro complemento sui communis servicii . . . . quadraginta unum florenum auri de camera, solidos triginta tres et denarium unum et obolum monete Romane, et pro complemento unius minuti servicii tres similes florenos, solidos

XXVI, denarios novem nobis per manus venerabilis fratris Johannis sacristani monasterii Brewnouiensis prope Pragam die date presencium tempore debito solvi fecit . . . . Datum [Rome ap. S. Petrum] sub anno dom. [MCCC nonagesimo, ind. XIII], die decima mensis Octobris, pont. anno primo.

Oblig. et. sol. 59 fol. 10b — In fine: FL. I GR. II — De eadem solutione in libro „divisionum ab a. 1389 ad 1399“ (Oblig. et sol 51) mentio fit (fol. 28a) in haec verba: „[A 1390] die decima mensis Octobris ven. frater Petrus abbas monasterii s. Laurencii Opathowicz ord. s. Benedicti Pragensis dioc. solvit pro complemento sui communis servicii flor. auri de camera, 41, sol. 33, den. 1 et obulum, et pro complemento unius minuti servicii . . . . 3 similes flor. sol. 26, den. 9. Fuit promotus anno XII (sc. Urbani VI, qui est $1389^{18}/_{4}-{}^{15}/_{10}$) . . . .“

---

360. *Abbati monasterii Siloensis praemonstratensis ord. Pragensis diocesis eiusque successoribus indulgetur, ut mitra, anulo et baculo pastorali et aliis pontificalibus insigniis uti et in dicto monasterio et prioratibus ac ecclesiis ad illud pertinentibus benedictionem solemnem post missarum et matutinorum solemnia clargiri possint. ‚Exposcit vestre devocionis‘ „Rome ap. S. Petrum quarto idus Octobris pont. n. a. primo“.*

Romae, 1390 Octobris 12.

Copia huius bullae ex transsumpto Johannis de Rabenstein ddto. 1463 Junii 15, cuius originale in archivio monasterii Siloensis sub nro 56 adservatur, in diplomatario manuscripto musei regni Bohemiae exstat.

---

361. *Abbati monasterii Břevnoviensis prope Pragam mandatur, quatenus exemptionem praepositi et conventus monasterii Roudnicensis ord. s. Augustini Pragensis dioc. a iurisdictione archidiaconi, si eos exemptionem huiusmodi legitime praescripsisse invenerit, auctoritate apostolica confirmet. „Humilibus et honestis“ „Rome ap. S. Petrum III. idus Octobris pont. n. a. primo“.*

Romae, 1390 Octobris 13.

Ed. Emler, Diplomatář kláštera ř. sv. Augustina v Roudnici. (Věstník kr. č. spol. nauk 1893 p. 31 nr. 22.)

---

362. *Collectori et succollectori Pragensibus mandatur, quatenus a Zbynkone de Hasenburg exigant fructus per eum de praepositura Mělnicensi illegitime perceptos.*

Romae, 1390 Octobris 13.

Augustinus dei gracia episcopus Perusinus, domini nostri pape thesaurarius, venerabilibus viris dominis in .. civitate et diocesi Pragensibus iurium apostolice camere debitorum collectori et eius succollectori . . . . Cum nobilis vir Sbinco natus nobilis viri Wilhelmi baronis baronie de Hasenburg, clericus

Pragensis diocesis, teneatur apostolice camere de fructibus per eum male perceptis pro tempore, quo iniuste et indebite preposituram ecclesie Melnicensis Pragensis diocesis possedit, quam preposituram idem Sbinco tenetur de facto dimittere, prout apparet per litteras apostolicas inde confectas super ipsius Sbinconis habilitacione,[1]) quas presencialiter vobis mittimus per presencium portitorem, et quia de tempore dicte tenute et valore annuo dicte prepositure hic in Romana curia veram informacionem habere nequimus, ideirco harum serie vobis committimus et mandamus, quatenus receptis presentibus de dictis tenuta et valore dicte prepositure vocatis vocandis vos diligenter et sollicite informetis, et iuxta informacionem per vos habitam, consideratis temporibus, quibus dictus Sbinco tenuit preposituram memoratam, ab eodem Sbincone petatis et exigatis fructus, redditus et proventus, per eum, ut premittitur, indebite perceptos de prepositura supradicta, vel alias conveniatis cum eo pro commodo dicte camere, prout vobis melius videbitur expedire, providentes taliter in premissis, quod per modum obligacionis et solucionis per vos recipiende ius predicte camere non ledatur . . . . Datum Rome [ap. S. Petrum] sub appensione sigilli nostri pontificalis sub a. dom. MCCCLXXXX, indiccione XIII, die tercia decima Octobris . . . . a. primo.

Armar. XXIX tom. 1 fol. 182[a] — [1]) Cf. supra nr. 330.

---

363. Hermannus de Kunžak[a]*) canonicus ecclesiae Siloensis*[b]*) praemonstratensis ord. Olomucensis dioc. (!) in sedis apostolicae capellanum recipitur. „Virtutibus clarens“ „Rome ap. S. Petrum XV. kal. Novembris pont. n. a. primo“.*

Romae, 1390 Octobris 18.

R. Vat. 312 fol. 233[b]; altera copia in Armar. XXXI tom. 36 fol. 25[b] — [a]) ‚Kunzek‘ Vat. Arm. [b]) ‚Silocen.‘ Vat. Arm. — In R. Vat. sequentes notae in fine adscriptae sunt: (ad sin.) X, S. DE AQUILA, N. DE PIPERNO; (ad dext.) L. RODINUS.

---

364. Johanni Ysneri providetur de perpetua capellania in capella b. Mariae Vratislaviensi.

Romae, 1390 Octobris 23.

Bonifacius . . . . Johanni Ysneri perpetuo capellano in capella b. Marie virginis sita iuxta ecclesiam Wratislauiensem, magistro in artibus . . . . Litterarum sciencia . . . . Cum itaque, sicut accepimus, olim in fundacione perpetue capellanie ‚mansionarie‘ nuncupate in capella b. Marie virginis sita iuxta ecclesiam Wratislauiensem canonice statutum fuerit et eciam ordinatum, quod, si quis pro tempore obtinens dictam capellaniam aliquod aliud beneficium ecclesiasticum assequeretur, eo ipso dicta capellania vacaret, idemque illam obtinens ipsum dimittere teneretur, dictaque capellania postmodum ex eo vacaverit et vacet ad presens, quod tu eandem capellaniam tunc obtinens, scolastriam ecclesie Poznaniensis tunc vacantem

certo modo, auctoritate litterarum fel. rec. Urbani pp. VI. predecessoris nostri tibi collatam, fuisti pacifice assecutus, nos attendentes, quod nullus preter Romanum pontificem hac vice de dicta capellania disponere potuit neque potest pro eo, quod idem predecessor in sui apostolatus primordiis omnia beneficia ecclesiastica quorumcunque, per assecucionem pacificam aliorum beneficiorum ecclesiasticorum quorumlibet, per ipsum predecessorem seu eius auctoritate tunc collatorum et inantea conferendorum eisdem, tunc vacancia et imposterum vacatura, collacioni et disposicioni sue reservans, decrevit extunc irritum et inane, si secus . . . . contigerit attemptari, dictoque predecessore, per eum de dicta capellania non disposito, ... sublato de medio, nos . . . . per nostras litteras declaravimus omnia beneficia supradicta, per eundem predecessorem disposicioni sue reservata et tempore obitus dicti predecessoris vacancia, per huiusmodi reservacionem et decretum remansisse et remanere affecta, nullumque de illis preter Romanum pontificem ea vice disponere potuisse sive posse quoquo modo, ac decrevimus irritum et inane quidquid in contrarium . . . . attemptatum forsan erat tunc vel contingeret imposterum attemptari. Volentes itaque tibi, qui eciam in sacra theologia, ut asseris, bacalarius formatus existis, ... graciam facere specialem, prefatam capellaniam, que sine cura est, et cuius fructus . . . . octo marcharum argenti . . . . valorem annuum . . . . non excedunt, ... apostolica tibi auctoritate conferimus et de illa eciam providemus . . . .; non obstantibus . . . ., quod, ut asseris, scolastriam predictam, cuius fructus . . . . sexdecim marcharum argenti . . . . valorem annuum non excedunt, obtines, et nos dudum tibi de uno cum cura vel sine cura ad . . . . episcopi [Wratislauiensis] et . . . . prepositi, decani et capituli Wratislauiensis communiter vel divisim primo, et deinde de alio sine cura ad . . . . archiepiscopi Pragensis et . . . . prepositi, decani et capituli Pragensis ecclesiarum beneficiis ecclesiasticis, vacantibus vel vacaturis, eciam communiter vel divisim pertinentibus, graciose concessimus provideri. Nos insuper tibi, ut predictam capellaniam libere recipere et ipsam cum scolastria predicta, que dignitas sine cura existat, et quibuscunque aliis beneficiis ecclesiasticis, que alias canonice te assequi contigerit, licite retinere valeas, statuto ac ordinacione predictis et quibuscunque aliis contrariis nequaquam obstantibus, tenore presencium concedimus de gracia speciali, proviso, quod capellania et scolastria ac alia beneficia huiusmodi debitis obsequiis non fraudentur et animarum cura, si qua illis imminuerit, nullatenus negligatur . . . . Datum Rome ap. S. Petrum decimo kal. Novembris a. primo.

Simili modo . . . . episcopo Perusino et . . . . Pragensi et Wratislauiensi officialibus . . . .

R. Lat. 4 fol. 267a — Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: N. XIIII XVI DE BENEVENTO.

---

365. *Petrus Luczkonis de Dymokur*[a]*) monachus monasterii s. Benedicti de Montefabuli cisterciensis ord. Pensauriensis dioc. in sedis apostolicae capellanum recipitur. „Virtutibus clarens“ „Rome ap. S. Petrum VIII. kal. Novembris pont. n. a. primo“.*

Romae, 1390 Octobris 25.

R. Vat. 312 fol. 246b, et iterum Armar. XXXI tom. 36 fol. 26b — a) ‚Dimokur' Vat. Arm. — In fine (in R. Vat. tantum): (ad sin.) X. S. DE AQUILA, N. DE PIPERNO; (ad dext.) T. BOGEL.

---

366. Visitantibus parrochialem ecclesiam in Řečicz indulgentiae conceduntur.

Romae, 1390 Octobris 26.

Bonifacius . . . . universis . . . . Licet is . . . . Cupientes igitur, ut parrochialis ecclesia Corporis Christi in Rzeczicz Pragensis diocesis congruis honoribus frequentetur et eciam conservetur, ... omnibus vere penitentibus et confessis, qui in nativitatis, circumcisionis, epiphanie, resurreccionis, ascensionis et eiusdem corporis domini nostri Jesu Christi ac penthecostes, necnon in nativitatis, annunciacionis, purificacionis et assumpcionis b. Marie virginis, b. Johannis Baptiste et . . . . apostolorum Petri et Pauli et dedicacionis ipsius ecclesie festivitatibus ac celebritate omnium sanctorum, necnon per ipsarum nativitatis, epiphanie, resurreccionis, ascensionis et corporis domini ac nativitatis et assumpcionis b. Marie et nativitatis b. Johannis ac apostolorum Petri et Pauli predictorum festivitatum octavas, et per sex dies, predictam festivitatem penthecostes immediate sequentes, eandem ecclesiam devote visitaverint et ad eius fabricam manus porrexerint adiutrices, singulis videlicet festivitatum et celebritatis duos annos et duas quadragenas, octavarum vero et sex dierum predictorum diebus, quibus predictam ecclesiam visitaverint et adiutrices manus porrexerint, ut prefertur, centum dies de iniunctis eis penitenciis misericorditer relaxamus, presentibus post decennium minime valituris. Volumus autem .... Datum Rome ap. S. Petrum septimo kal. Novembris a. primo.

R. Lat. 9 fol. 200b — In fine: N. XVI DE BENEVENTO.

---

367. Cum Alberto de Vetoria dispensatur super defectu aetatis.

Romae, 1390 Novembris 2.

Bonifacius . . . . dilecto filio Alberto de Vetouia clerico Olomucensis diocesis . . . . Nobilitas generis, vite ac morum . . . . Volentes igitur te, qui, ut asseritur, in quarto decimo etatis tue anno constitutus et de baronum genere procreatus existis, ... favoribus prosequi graciosis . . . ., tecum, ut beneficia ecclesiastica cum cura, eciam si dignitates, personatus et officia in cathedralibus vel collegiatis, et dignitates ipse in eisdem cathedralibus maiores post pontificales aut in collegiatis ecclesiis huiusmodi principales fuerint, et ad illa consueverint qui per eleccionem assumi, si tibi alias canonice conferantur vel eligaris aut assumaris ad illa, unam dignitatem vel unum personatum aut unum beneficium seu officium curatum pro vice dumtaxat, recipere et retinere illaque tociens, quociens tibi placuerit, dimittere et loco dimissi vel dimissorum aliud vel alia simile vel dissimile aut similia vel dissimilia beneficium seu beneficia huiusmodi, unam dignitatem vel unum personatum aut unum beneficium seu officium cum

cura pro vice dumtaxat, ut prefertur, recipere et retinere libere et licite valeas, huiusmodi etatis defectu ac generalis concilii et quibuscunque alis constitucionibus apostolicis necnon statutis et consuetudinibus ecclesiarum, in quibus huiusmodi beneficia forsan fuerint, contrariis . . . . nequaquam obstantibus, auctoritate apostolica tenore presencium de specialis dono gracie dispensamus, proviso, quod huiusmodi beneficia debitis non fraudentur obsequiis, et animarum cura in eis, quibus illa imminet, nullatenus negligatur. Nulli ergo . . . . Datum Rome ap. S. Petrum quarto nonas Novembris a. primo.

R. Lat. 9 fol. 210a — In fine: N. XX DE BENEVENTO.

---

368. *Johanni Salmut providetur de canonicatu sub exspectatione praebendae ecclesiae Lubucensis. „Vite ac morum“ „Rome ap. S. Petrum quarto nonas Novembris a. primo“. — Simili modo episcopo Segobiensi et praeposito ecclesiae Litoměřicensis[a]) Pragensis dioc. ac officiali Vratislaviensi.*

Romae, 1390 Novembris 2.

R. Lat. 8 fol. 80a — [a]) ‚Luthomericen.‘ — Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: PRO DEO, N. DE BENEVENTO.

---

369. *Officiali Pragensi mandatur, quatenus Clementi Smilonis de Mnichov[a]) rectori parrochialis ecclesiae in Citov[b]) Pragensis dioc., qui presbyter et magister in artibus existit et in theologia studet,[1]) consideratione Venceslai Romanorum et Bohemiae regis reservet beneficium quoddam cum vel sine cura, vacans vel vacaturum, etiam si dignitas, personatus vel officium fuerit, dummodo dignitas ipsa in cathedrali maior post pontificalem vel in collegiata ecclesiis principalis non fuerit.*

[1389 Novembris 9 — 1390 Novembris 8.]

R. Lat. 1 fol. 81b, sed ibi nonnisi initium harum litterarum continetur, cum folium sequens cum residuo earum desit. — [a]) ‚Mnychaw‘ [b]) ‚Ozietaw‘ (sic) — [1]) Cf. Libros confirm. ad 1394 Aprilis 3: „data est crida dom. Franconi . . . . ad ecclesiam in Czietow vacantem ex eo, quod dom. Clemens ultimus rector aliud beneficium est assecutus“. A. 1382 „Clemens de Czetow“ in studio Pragensi ad licentiam in artibus admissus est (Monum. univ. Prag. I. I. p. 203; conf. etiam ibid. II./I. p. 48. et Tomek, Dějepis Prahy V. 227).

---

370. *Ottoni de Milcz, ex utroque parente de militari genere procreato, providetur de canonicatu ecclesiae Maguntinensis sub exspectatione praebendae, dignitatis, personatus vel officii cum vel sine cura in eadem vel in aliqua ex collegiatis ecclesiis civitatis et diocesis Maguntinensium; non obstante, „quod, ut asseris, parochialem ecclesiam in Bettingen Herbipolensis dioc. et Herbipolensis cum certis oblegiis ac Bambergensis cum prebendis canonicatus obtines, et nos hodie tibi de*

Eystetensis et Wratislauiensis canonicatibus sub expectacionibus prebendarum ac dignitatis vel personatus seu officii cum cura vel sine cura eiusdem Wratislauiensis ecclesiarum graciose concessimus prouideri. Volumus autem, quod, quamprimum vigore presencium dignitatem vel personatum seu officium fueris pacifice assecutus, parrochialem ecclesiam predictam . . . . dimittere tenearis, et eciam predictam concessionis graciam, tibi in dicta ecclesia Wratislauiensi, ut premittitur, factam, et quecunque inde secuta exnunc cassamus . . . .“ „Nobilitas generis“ „Rome ap. S. Petrum quinto idus Novembris a. secundo [a])“. — *Simili modo episcopo Tudensi et praepositis Brixinensis et s. Stephani Bambergensis ecclesiarum.*

Romae, 1390 Novembris 9.

R. Lat. 16 fol. 150[a]; hic autem copia huius bullae cancellata est adiuncta in margine nota: CANCELLATE, QUIA ALIBI DE ANNO PRIMO PROPTER DATE CORRECCIONEM IN LIBRO XXVII DE PREBENDIS ET DIGNITATIBUS VACATURIS FOLIO XXI° ALITER REGISTRATE SUNT. N. DE BENEVENTO. Quia autem alia copia in registris non est reperta, ista hic uti oportuit — [a]) Correctum in margine ex ‚primo‘ cum nota: „Correctum de mandato. N. de Benevento“. — In fine: N. XIIII. XVI DE BENEVENTO.

---

371. Archidiacono Olomucensi mandatur, quatenus procedat ad executionem litterarum Urbani pp. VI., per quas ei commissum est, ut, si Henricum Cobticz canonicatu et praebenda ecclesiae s. Petri in Brunna sententialiter privaret, Petro de Nemoticz eos conferret.

Romae, 1390 Novembris 10.

Bonifacius . . . . archidyacono ecclesie Olomucensis . . . . Justis et honestis supplicum votis libenter annuimus illaque favoribus prosequimur oportunis. Dudum siquidem ad audienciam fel. rec. Urbani pp. VI. predecessoris nostri perducto, quod, cum olim . . . . Lucas Aduocati rector ‚plebanus‘ nuncupatus parrochialis et collegiate ecclesie s. Petri in Brunna Olomucensis diocesis super dicta ecclesia contra quosdam in palacio apostolico litigando, pro se tres diffinitivas sentencias in eodem palacio reportasset, et super execucione sentenciarum huiusmodi ad . . . . episcopum Pennensem et duos alios ipsius episcopi in hac parte collegas apostolicas litteras impetrasset, prefatus episcopus solus in huiusmodi execucionis procedens negocio, prout ex dictarum forma poterat litterarum, nonnullos processus fecerat in talibus fieri consuetos, monens inter cetera dilectos filios capitulum et Henricum Cobticz canonicum predicte ecclesie, ut prefatum Lucam infra certum terminum competentem tunc expressum in rectorem dicte ecclesie reciperent, ipsumque circa hoc non impedirent, alioquin in singulares personas dictorum capituli et ipsum Henricum excommunicacionis sentenciam promulgabat, et licet predicti capitulum mandatis huiusmodi paruissent, tamen prefatus Henricus monicioni huiusmodi infra dictum terminum nec eciam post parere curaverat, ipsumque Lucam alias super dicta rectoria et eius occasione multipliciter impediverat, huiusmodi excommunicacionis sentenciam incurrendo, ipsamque sentenciam per duos annos et ultra sustinuerat et sustinebat animo indurato, seque divinis immiscuerat officiis et in illis ministraverat et ministrabat: prefatus predecessor

attendens, quod veris existentibus supradictis, prefatus Henricus canonicatu et prebenda, quos in dicta ecclesia obtinebat, reddiderat se indignum, per quasdam, ut vocatis dicto Henrico ac aliis, qui forent evocandi, super premissis inquireres auctoritate apostolica diligencius veritatem, et si per inquisicionem huiusmodi reperires premissa fore vera, prefatum Henricum canonicatu et prebenda predictis eadem auctoritate sentencialiter privares eumque realiter amoveres ab eisdem, ac per quasdam alias suas litteras tibi dedit in mandatis, ut, si prefatum Henricum canonicatu et prebenda per te sentencialiter privari et ab eisdem amoveri contingeret, ut prefertur, canonicatum et prebendam predictos, sic vacantes, cum omnibus iuribus et pertinenciis suis . . . . Petro Blasii de Nemoticz rectori parrochialis ecclesie in Durnholcz dicte diocesis conferre et assignare curares, prout in dictis litteris plenius continetur. Cum autem, sicut exhibita nobis nuper pro parte dicti Petri peticio continebat, antequam ad execucionem dictarum litterarum procederes, prefatus predecessor, sicut domino placuit, ab hac luce fuerit subtractus, tuque propterea dubites ad execucionem earundem litterarum non posse procedere, pro parte ipsius Petri nobis fuit humiliter supplicatum, ut providere sibi super hoc de oportuno remedio dignaremur. Nos igitur huiusmodi supplicacionibus inclinati discrecioni tue . . . . mandamus, quatenus ad execucionem dictarum litterarum iuxta continenciam ipsarum procedere procures, premissis et aliis non obstantibus, que idem predecessor in litteris ipsis voluit non obstare. Datum Rome ap. S. Petrum quarto idus Novembris a. secundo.

R. Lat. 21 fol. 53a — In fine: N. XVIII DE BENEVENTO — Altera copia siue registratoris subscriptione ibidem fol. 50a

---

372. *Johanni episcopo Lubucensi mandatur, quatenus aequalitatem praebendarum in ecclesia Vratislaviensi instituat.*

Romae, 1390 Novembris 10.

Bonifacius .... Johanni episcopo Lubucensi . . . . Ad ea, que honorem et commodum ecclesiarum ecclesiasticarumque personarum ac divini cultus augmentum conspiciunt, libenter intendimus, et ut effectum debitum sorciantur, apponimus diligencie nostre partes. Sane peticio pro parte venerabilis fratris nostri Wenceslai episcopi et dilectorum filiorum capituli Wratislauiensium nobis nuper exhibita continebat, quod in ecclesia Wratislauiensi prebende canonicales multum inequales existunt, et quod canonici parvi valoris prebendas habentes statum ipsis congruentem de fructibus prebendarum suarum tenere commode non valeant, alii vero canonici magni valoris prebendas habentes non curant in dicta ecclesia residenciam facere personalem, propter quod in ecclesia ipsa cultus divinus de die in diem plurimum minuitur. Quare pro parte episcopi et capituli predictorum nobis fuit humiliter supplicatum, ut equalitatem prebendarum in dicta ecclesia instituere ipsamque ecclesiam statutis racionabilibus reformare et alias supe premissis providere de oportuno remedio dignaremur. Nos igitur, qui divini cultus augmentum et personarum ecclesiasticarum commoditatem ferventer appetimus, huiusmodi supplicacionibus inclinati, fraternitati tue, de qua in hiis

et aliis specialem in domino fiduciam obtinemus, per apostolica scripta committimus et mandamus, quatinus ad ecclesiam ipsam personaliter accedens, et habens pre oculis solum deum, consideratis universis et aliis, que circa hoc fuerint attendenda, cum consensu episcopi Wratislauiensis, qui fuerit pro tempore, et dictorum capituli equalitatem prebendarum huiusmodi in dicta ecclesia auctoritate nostra instituas, ita quod cedentibus vel decedentibus canonicis ipsius ecclesie, qui magni valoris prebendas obtinent, seu prebendas ipsas alias quomodolibet dimittentibus tua huiusmodi institucio debitum sorciatur effectum, et nichilominus ecclesiam ipsam statutis et ordinacionibus racionabilibus et alias, sicut pro dicti divini cultus augmento expedire cognoveris, eadem auctoritate reformes, contradictores per censuram ecclesiasticam appellacione postposita compescendo; non obstantibus quibuscunque constitucionibus apostolicis et statutis et consuetudinibus predicte ecclesie contrariis . . . . Datum Rome ap. S. Petrum quarto idus Novembris pont. n. a. secundo.

R. Lat. 12 fol. 51b — In fine: N. XXX DE BENEVENTO.

---

373. Bambergensis et Vratislaviensis episcopi ac abbas monasterii Scotorum in Vienna Pataviensis dioc. instituuntur conservatores praepositi, decani et capituli ecclesiae Pragensis usque in decennium. „Militanti ecclesie“ „Rome ap. S. Petrum XV. kal. Decembris pont. n. a. secundo“.

Romae, 1390 Novembris 17.

Orig. cum bulla in filo canapis in archivio capituli ecclesiae Pragensis (XVIII, 15). In plica ad dext.: JO DE MALESICZ; sub plica ad sin.: JAN., XXX, P. DE MONTELLA, G. GREGORII COM[PUTAVI]; in tergo: R[EGISTRATA], JAC[OBUS DE TERAMO]; DETUR DOMINO OFFICIALI PRAGENSI, JO. DE MALESICZ — Registratum in R. Lat. 13 fol. 289a, ubi in fine adscriptum est: JAC. XXX DE TERAMO.

---

374. Ulrico Jacobi de Dublovicz[a]) clerico Pragensis dioc. reservatur beneficium ecclesiasticum sine cura, cuius fructus 18 marcarum argenti valorem annuum non excedant, ad collationem abbatissae et conventus monasterii s. Georgii in castro Pragensi ord. s. Benedicti pertinens, si quod vacat, vel cum vacaverit. „Vite ac morum“ „Rome ap. S. Petrum decimo quinto kal. Decembris a. secundo“. — Simili modo episcopo Tropiensi et decano ecclesiae Pragensis ac officiali Pragensi.

Romae, 1390 Novembris 17.

R. Lat. 19 fol. 139a — a) ‚Dublewicz‘ — Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: PRO DEO, N. DE BENEVENTO.

---

375. Nobili viro Nicolao baroni baroniae de Hasenburg Pragensis dioc., qui propter certas infirmitates, quas saepius patitur, ieiunare non potest, ad suppli-

cationem Venceslai Romanorum et Bohemiae regis indulgetur, ut cum confessoris sui dispensatione diebus, quibus ieiunia sunt per ecclesiam instituta, ovis et lacticiniis vesci possit, quotiens confessor et medici hoc ei viderint expedire. „Devocionis tue sinceritas" „Rome ap. S. Petrum decimo quinto kal. Decembris pont. n. a. secundo".

Romae, 1390 Novembris 17.

R. Lat. 12 fol. 48a — In fine: N. XII DE BENEVENTO.

---

376. *Archiepiscopo Pragensi mandatur, quatenus Gallo de Přibram votum limina apostolorum visitandi in alia opera pietatis commutet.*

Romae, 1390 Novembris 17.

Bonifacius . . . . archiepiscopo Pragensi . . . . Iustis petencium desideriis libenter annuimus eisque, quantum cum deo possumus, favorem benivolum impertimur. Sane peticio pro parte dilecti filii Galli de Przibram canonici Pragensis nobis nuper exhibita continebat, quod olim ipse zelo devocionis accensus vovit limina apostolorum Petri et Pauli de Urbe visitare, sed propter senectutem suam huiusmodi votum commode adimplere non potest; quare pro parte dicti Galli nobis fuit humiliter supplicatum, ut providere sibi super hoc de salubri remedio dignaremur. Nos itaque carissimi in Chr. filii nostri Wenceslai Romanorum et Boemie regis illustris ac huiusmodi dicti Galli in hac parte supplicacionibus inclinati, fraternitati tue, de qua specialem in domino fiduciam obtinemus, per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus, si est ita, iniuncto dicto Gallo pro compensacione laboris personalis, quem pro dicto voto complendo subire habebat, competenti penitencia salutari, votum ipsum commutes eidem in alia opera pietatis, prout secundum deum anime sue saluti videris expedire, ita tamen, quod tantum, quantum dictus Gallus fuisset in eundi, standi et redeundi itinere pro execucione dicti voti expensurus, collectori generali per nos in Romana curia deputato pro fabricis seu reparacionibus basilicarum dictorum apostolorum assignet et oblacionem, quam obtulisset, si illuc personaliter accessisset, ad basilicas ipsas, quantocius commode poterit, fideliter destinare procuret. Datum Rome ap. S. Petrum XV. kal. Decembris pont. n. a. secundo.

R. Vat. 312 fol. 281b cum his notis in fine: (ad sin.) XVI, S. DE AQUILA, N. DE PIPERNO; (ad dext.) PRO P. DE WSEROB JO. DE MALESICZ. Altera copia in R. Lat. 12 fol. 177a, ubi in fine adscriptum est: N. XVI DE BENEVENTO. Tertia copia (posterior) in R. Vat. 347 fol. 133b.

---

377. *Archiepiscopo Pragensi mandatur, quatenus cum Gallo de Přibram super irregularitate dispenset.*

Romae, 1390 Novembris 17.

Bonifacius .... archiepiscopo Pragensi .... Sedes apostolica pia mater .... Exhibita siquidem nobis nuper pro parte Galli de Przibram canonici Pragensis peticio

continebat, quod olim ipse, qui, ut asseritur, in arte medicine expertus existit, multos infirmos arte sua huiusmodi curavit, quod eciam, quos libenter curasset, curare non potuit, dubitatque, licet non recolat, aliquos ex illis tam clericos quam laicos, quos sub sua cura habebat, ex ignorancia vel desidia sua forsan decessisse. Quare pro parte ipsius Galli nobis fuit humiliter suplicatum, ut sibi, qui presbyter est et desiderat in susceptis ordinibus ministrare, providere super hoc de benignitate apostolica dignaremur. Nos itaque [consideracione] carissimi in Chr. filii nostri Wenceslai Romanorum et Boemie regis illustris, pro ipso Gallo nobis super hoc humiliter supplicantis, ... fraternitati tue . . . . committimus et mandamus, quatenus cum eodem Gallo, quatenus indigeat, ut, premissis et constitucionibus apostolicis contrariis nequaquam obstantibus, in susceptis ordinibus licite ministrare valeat, auctoritate nostra dispenses; et nichilominus, ipsius Galli semel tantum confessione diligenter audita, pro commissis debitam eidem absolucionem impendas ipsumque ab excommunicacionum sentenciis, si quas forsan propter premissa incurrit, absolvas in forma ecclesie consueta, iniuncta sibi pro modo culpe penitencia salutari et aliis, que de iure fuerint iniungenda. Datum Rome ap. S. Petrum quinto decimo kal. Decembris a. secundo.

R. Lat. 12 fol. 58a — In fine: JAC. XVII DE TERAMO.

---

378. *Augustinus episcopus Perusinus, thesaurarius apostolicus, Nicolao Šiška*[a] *rectori parrochialis ecclesiae in Klokot Pragensis dioc. terminum solvendi annatam parrochialis ecclesiae in Usk super Lužnicz*[b] *usque ad festum assumptionis b. Mariae virginis proxime futurum prorogat.* „*[Rome] MCCCLXXXX, indiccione XIII, die decima octava Novembris, pont. . . . . a. secundo*“.

Romae, 1390 Novembris 18.

Armar. XXIX tom. 1 fol. 190a — a) ‚Syska‘ b) ‚Wssk super Luznicz‘ — Nicolaum ‚Siska‘ in artibus baccalarium 1389 Jan. 29, iure, quod ei in parr. ecclesia in Usk super Lužnicz competebat, renuntiato, ad parrochialem ecclesiam in Klokot institutum fuisse, e Libris confirmationum apparet.

---

379. *Venceslao Zachynkyrche et Henrico de Wilkow laicis Vratislaviensis dioc. indulgetur, ut cum confessoris consensu aliquas ecclesias illarum partium septem diebus continuis vel interpolatis semel saltem in die infra duos menses, postquam praesentes litterae ad manus eorum pervenerint, visitantes, perinde plenam omnium peccatorum remissionem consequantur, ac si infra annum iubilei 1390 Romam personaliter venissent.* „*Devocionis vestre*“ „*Rome ap. S. Petrum duodecimo kal. Decembris a. secundo.*“

Romae, 1390 Novembris 20.

R. Lat. 12 fol. 250a — In fine: JAC. XXII DE TERAMO.

---

380. *Venceslaus Romanorum et Bohemiae rex Bonifacium pp. IX. rogat, ut Ubaldino de Florentia decretorum doctori, suo consiliario familiari domestico commensali, et fratri Nicolao ord. fratrum minorum de Praga, confessori suo, de intentionibus regis distinctius informatis, quibus idem rex inter cetera capitula seu articulos responsionem litterarum papae exponendam commisit, plenariam fidem exhibeat.* „*Prage die 21. Novembris regnorum nostrorum a. Boemie 28, Romani vero 15.*“

Pragae, 1390 Novembris 21.

Istae litterae regis Venceslai in Reg. Vat. 312 fol. 285[b] inter bullas Bonifacii IX praeter consuetudinem sunt registratae, ubi etiam articuli supranominati continentur. Litterae ipsae ap. Raynaldum, Annales ecclesiastici ad a. 1390, et iterum una cum dictis articulis ap. Weizsäcker, Deutsche Reichstagsakten II pag. 369 sqq. editae sunt. Per articulos praefatos committitur dictis ambasiatoribus: 1. ut recommandent regem Venceslaum papae Bonifacio; 2. ut ei exponant, „qualiter .... dom. rex .... intendit omnino recipere imperialem coronam a prefato dom. papa et attendere cum omni diligencia ad publicum bonum Italie et imperii sacri et simul cum domino papa operari omnia utilia pro bona reparacione christianitatis ...., 3. quod regia maiestas .... disposuit mittere ad partes Italiae .... dom. marchionem Morauie generalem vicarium sacri imperii, 4. quod dom. rex .... offert se dicto dom. pape ad omnes suos honores et sedis apostolice, et certa alia specialia et particularia sua desideria commisit per dictos suos nuncios ambaxiatores exponenda et perficienda cum domino papa ....“

---

381. *Venceslao Nicolai de Ostojkovicz*[a]) *providetur de parrochiali ecclesia s. Venceslai in Litoměřicz*[b]) *Pragensis dioc., cuius fructus decem marcarum argenti valorem annuum non excedunt, vacante per mortem ultimi rectoris Johannis apud sedem apostolicam defuncti; non obstante, quod nuper dicto Venceslao de beneficio ecclesiastico cum vel sine cura, ad collationem episcopi Olomucensis et praepositi, decani et capituli singulorumque canonicorum et personarum ecclesiae Olomucensis pertinente, vacante vel vacaturo, per litteras papae Bonifacii IX. provideri mandatum est, quae litterae nullius roboris esse debent, quamprimum ipse Venceslaus parrochialem ecclesiam praedictam assecutus fuerit.* „*Vite ac morum*“ „*Rome ap. S. Petrum decimo kal. Decembris a. secundo*“ — *Simili modo episcopo Tudensi et archidiacono Litoměřicensi*[c]) *in ecclesia Pragensi ac officiali Pragensi.*

Romae, 1390 Novembris 22.

R. Lat. 20 fol. 221[a] — [a]) ‚Ostoykouicz‘ [b]) ‚Lythomericz‘ [c]) ‚Lithomericzen‘. — In fine: PRO DEO, N. DE BENEVENTO.

---

382. *Johanni de Borsnicz providetur de canonicatu et praebenda in ecclesia s. Mariae Glogoviensi vacantibus.*

Romae, 1390 Novembris 24.

Bonifacius .... Johanni de Borsnicz canonico ecclesie s. Marie Glogouiensis Wratislauiensis diocesis, decretorum doctori .... Nobilitas generis,

litterarum sciencia . . . . Dudum siquidem omnes canonicatus et prebendas ceteraque beneficia ecclesiastica, tunc apud sedem apostolicam vacancia et inantea vacatura, collacioni et disposicioni nostre reservantes, decrevimus extunc irritum . . . ., si secus . . . . contingeret attemptari. Cum itaque postmodum canonicatus et prebenda ecclesie s. Marie Glogouiensis Wratislauiensis diocesis, quos quondam Johannes de Heryndorff . . . . obtinebat, per ipsius Johannis obitum, qui apud sedem predictam diem clausit extremum, apud sedem ipsam vacaverint et vacent ad presens, ... nos volentes tibi, qui, ut asseris, ex utroque parente de militari genere procreatus existis et in Romana curia sextum librum decretalium ac in Bononiensi studiis decretum ordinarie legisti et cum rigore examinis in decretis doctoratus fuisti, ... graciam facere specialem, canonicatum et prebendam predictos, quorum fructus . . . . sexdecim marcharum argenti puri . . . . valorem annuum . . . . non excedunt, sic vacantes, ... apostolica tibi auctoritate conferimus et de illis eciam providemus . . . .; non obstantibus . . . ., quod, ut asseris, in s. Elizabeth unum et in s. Marie Magdalene Wratislauiensibus parrochialibus aliud altaria sita obtines, et de quibusdam in Gneznensi, tunc certo modo vacantibus, fuit apostolica auctoritate provisum,[1]) et super certis in Wratislauiensi ecclesiis canonicatibus et prebendis, quorum omnium fructus . . . . sexaginta marcharum argenti puri . . . . valorem annuum non excedunt, in palacio apostolico nosceris litigare, et alias tibi de eiusdem Wratislauiensis ac Pragensis et Olomucensis necnon Poznaniensis[2]) atque Wladislauiensis canonicatibus sub expectacionibus prebendarum necnon dignitatis vel personatus seu officii cum cura vel sine cura earundem Wratislauiensis et Pragensis ecclesiarum, necnon de beneficio ecclesiastico cum cura, vacante vel vacaturo, spectante ad collacionem predicti [sc. Vratislaviensis] episcopi successive et graciose concessimus provideri. . . . . Datum Rome ap. S. Petrum octavo kal. Decembris pont. n. a. secundo.

Simili modo . . . . episcopo Tudensi et . . . . abbati monasterii b. Marie in Arena extra muros Wratislauienses ac . . preposito ecclesie Wratislauiensis . . . .

R. Lat. 19 fol. 308a — In fine: JAC. XIII. XV DE TERAMO — [1]) Cf. supra nr. 197. [2]) Supra nr. 240.

---

383. Visitantibus parrochialem ecclesiam in Dürnholz indulgentiae conceduntur.

Romae, 1390 Novembris 25.

Bonifacius . . . . universis . . . . Splendor paterne glorie, qui sua mundum illuminat ineffabili claritate, pia vota fidelium de clementissima ipsius maiestate sperancium tunc precipue benigno favore prosequitur, cum devota ipsorum humilitas sanctorum meritis et precibus adiuvatur. Cupientes igitur, ut ecclesia s. Martini episcopi et confessoris de Dornholcz Olomucensis diocesis, in qua ad altare b. Marie virginis in ea situm singulis diebus tempestive missa celebratur, ad quam magna populi solet confluere multitudo, a Christi fidelibus congruis honoribus frequentetur . . . ., omnibus vere penitentibus et confessis, qui in nativitatis, circumcisionis, epyphanie, resurreccionis, ascensionis et corporis do-

mini nostri Jesu Christi ac penthecostes, necnon nativitatis, annunciacionis, purificacionis et assumpcionis eiusdem b. Marie ac nativitatis Johannis Baptiste et beatorum apostolorum Petri et Pauli ac s. Martini predictorum et eiusdem ecclesie dedicacionis festivitatibus et celebritate omnium sanctorum, necnon per ipsarum nativitatis, epyphanie, resurreccionis, ascensionis et corporis domini ac nativitatis et assumpcionis b. Marie ac nativitatis b. Johannis et apostolorum predictorum festivitatum octavas et per sex dies dictam festivitatem penthecostes immediate sequentes eandem ecclesiam devote visitaverint annuatim, singulis videlicet festivitatum et celebritatis duos annos et totidem quadragenas, octavarum vero et sex dierum predictorum diebus, quibus ecclesiam ipsam devote visitaverint, ut prefertur, centum dies de iniunctis eis penitenciis misericorditer relaxamus, presentibus post decennium minime valituris. Volumus autem . . . . Datum Rome ap. S. Petrum septimo kal. Decembris a. secundo.

R. Lat. 12 fol. 185^{b} — In fine: N. XII DE BENEVENTO — In partibus ommissis cum nro. 153 concordat.

---

384. *Paulo Tungen providetur de perpetua vicaria in ecclesia Olomucensi, quam pro perpetua vicaria in ecclesia Varmiensi permutavit.*

Romae, 1390 Novembris 27.

Bonifacius . . . . Paulo Tungen perpetuo vicario in ecclesia Olomucensi . . . . Apostolice sedis circumspecta benignitas . . . . Cum itaque nuper tu per . . . . Johannem Pes canonicum Warmiensem, ad hoc per te specialiter constitutum, unam in Warmiensi et . . . . Nicolaus Rampardi per te ipsum eciam unam perpetuas vicarias in Olomucensi ecclesiis, quas tunc temporis obtinebatis, desiderantes illas ex certis racionabilibus causis invicem permutare, in manibus . . . . episcopi Penestrini, s. Romane ecclesie vicecancellarii, ex causa permutacionis huiusmodi duxeritis apud sedem apostolicam libere resignandas, idemque episcopus resignaciones huiusmodi de speciali mandato nostro facto sibi super hoc oraculo vive vocis apud sedem admiserit antedictam, nos votis tuis in hac parte favorabiliter annuentes, eandem vicariam in ecclesia Olomucensi, que curata est, et cuius fructus . . . . decem marcharum argenti puri . . . . valorem annuum . . . . non excedunt, ... apostolica tibi auctoritate conferimus et de illa eciam providemus . . . .; non obstantibus . . . .; quod dudum tibi de uno ad . . . . patriarche Aquilegensis et . . . . prepositi, decani et capituli ecclesie Aquilegensis . . . ., et successive de alio ad . . . . episcopi Wratislauiensis et . . . . prepositi, decani, archidiaconorum et capituli ecclesie Wratislauiensis . . . ., necnon deinde de alio ad . . . . episcopi et capituli Warmiensium predictorum necnon . . . . decani, custodis et cantoris ecclesie Warmiensis predicte collacionem . . . . pertinentibus beneficiis ecclesiasticis cum cura vel sine cura, vacantibus vel vacaturis, graciose concessimus provideri. Volumus autem, quod, quamprimum . . . . eandem vicariam in ecclesia Olomucensi fueris pacifice assecutus, predicte concessionum gracie et quecunque inde secuta, quoad curata beneficia dumtaxat, sint cassa et irrita . . . . Nostre enim intencionis existit, quod nullum ius ex collacione huius-

modi in dicta vicaria ecclesie Olomucensis acquiratur, nisi tu et Nicolaus prefati ius haberetis tempore resignacionum huiusmodi in vicariis predictis per vos taliter resignatis . . . . Datum Rome ap. S. Petrum quinto kal. Decembris a. secundo.

[Simili modo] . . . . patriarche Gradensi et .... preposito ecclesie s. Petri Wissegradensis prope Pragam ac officiali Pragensi ....

R. Lat. 17 fol. 331[a] — In fine: JAC. XII. XIIII DE TERAMO.

---

385. *Abbati monasterii s. Mariae in Arena extra muros Vratislavienses et decano ac custodi ecclesiae Lanciciensis Gneznensis dioc. mandatur, quatenus Johanni Stanislai de Piotrkowice[a]) clerico Gneznensis dioc. parrochialem ecclesiam in Marzenino dictae dioc., si eam vacare reppererint, conferant. „Vite ac morum“ „Rome ap. S. Petrum quinto kal. Decembris a. secundo.“*

Romae, 1390 Novembris 27.

R. Lat. 17 fol. 295[a] — [a]) ‚Potrkowicze‘ — Supra in marg. sin. C[ANCELLARIA]; subscriptio registratoris in fine deest.

---

386. *Pragensi et Gneznensi archiepiscopis eorumque suffraganeis mandatur, ut per duos annos a kalendis Januarii proxime futuri inchoandos decimam omnium reddituum et proventuum ecclesiasticorum in eorum civitatibus et diocesibus consistentium a quibuscunque personis ecclesiasticis praeter cardinales et hospitalium s. Johannis Jerosolimitani et b. Mariae Theutonicorum magistros, priores, praeceptores et fratres exigant eamque collectori camerae in illis partibus deputato persolvant; termini solutionis huiusmodi decimae festum ascensionis domini et celebritas omnium sanctorum dictorum duorum annorum statuuntur. „Crescit in dies“ „Rome ap. S. Petrum IIII. kal. Decembris pont. n a. secundo.“*

Romae, 1390 Novembris 28.

Arm. XXXIII tom. 12 fol. 113[a] — In fine: DE CURIA, IO. DE BONONIA — Altera copia abbreviata ibid. fol. 111[b] continetur, sed cancellata est hac nota in margine adscripta: „Cassata, qui inferius continetur integre etc.“ — Ed Theiner, Monumenta hist. Poloniae I. p. 764 nr. 1034.

---

387. *Mathiae Martini clerico Pragensis dioc. reservatur beneficium ecclesiasticum cum vel sine cura, consuetum clericis saecularibus assignari, cuius fructus 25 resp. 18 marcarum argenti valorem annuum non excedant, ad collationem abbatis et conventus monasterii in Vilémov ord. s. Benedicti Pragensis dioc. pertinens, si quod vacat, vel cum vacaverit. „Vite ac morum“ „Rome ap. S. Petrum secundo kal. Decembris a. secundo.“ — Simili modo patriarchae Gradensi et Pragensis ac Omnium Sanctorum in castro Pragensi ecclesiarum decanis.*

Romae, 1390 Novembris 30.

Reg. Lat. 11 fol. 36[a] — In fine: PRO DEO, N. DE BENEVENTO.

388. *Pavoni episcopo Tropiensi, nuntio apostolico, conceditur potestas dispensandi cum centum personis illegitime ordinatis vel ordinandis, ut in susceptis ordinibus ministrare valeant.*

Romae, 1390 Novembris 30.

Bonifacius . . . . Pauoni episcopo Tropiensi, referendario nostro, apostolice sedis nuncio . . . . Cum te ad Alamanie superioris et inferioris, Leodii et Boemie ac Metensem et nonnullas alias partes in nostris litteris inde confectis expressas pro certis nostris et Romane ecclesie arduis negociis presencialiter destinemus, nos volentes illa tibi concedere, per que personis parcium predictarum te valeas reddere graciosum, fraternitati tue cum centum personis hac vice dumtaxat parcium predictarum dispensandi, de quibus tibi videbitur, que absque suorum ordinarionum licencia vel extra tempora a iure statuta aut in minori et minus ad id idonea etate constitute se fecissent, non tamen per saltum, ad sacros ordines promoveri et huiusmodi ordines suscepissent, ut persone ipse, si tamen etatis ydonee fuerint, in sic susceptis ordinibus ministrare licite valeant, et modo eciam simili ordinande, quas duxeris eligendas, dummodo alias literarum sciencia, morum honestate et virtutum meritis predite sint, constitucionibus apostolicis contrariis non obstantibus quibuscunque, plenam et liberam tenore presencium concedimus potestatem. Datum Rome ap. S. Petrum II. kal. Decembris pont. n. a. secundo.

R. Vat. 312 fol. 274[a] — In fine: (ad sin.) A. DE PORTUGRUARIO; (ad dext.) DE CURIA, L. RODINUS.

---

388. *Eidem datur facultas dispensandi cum centum personis illarum partium corpore vitiatis, dummodo vitium ipsum non sit adeo notabile, ut scandalum generetur in populo, ut ad omnes etiam sacros ordines promoveri et quaelibet eorum beneficium ecclesiasticum etiam curatum recipere possint.*

Romae, 1390 Novembris 30.

R. Vat 312 fol 274[b] — In fine: (ad sin.) A. DE PORTUGRUARIO; (ad dext.) DE CURIA, M. DE CHERUBINIS.

---

390. *Eidem datur facultas omnibus Christi fidelibus, qui aliquam ex centum ecclesiis illarum partium per eum eligendis certis diebus anni visitaverint, indulgentiam unius anni et quadraginta dierum resp. centum dierum largiendi, ita tamen, ut litterae dictis ecclesiis per eum propterea concedendae post decennium minime valeant.*

Romae, 1390 Novembris 30.

R Vat. 312 fol. 277[b] — In fine: (ad sin.) A. DE PORTUGRUARIO; (ad dext) DE CURIA, JA. DE BONONIA.

---

391. *Eidem conceditur facultas absolvendi quascunque personas utriusque sexus, quae sepulcrum dominicum et alia oratoria Terrae sanctae sine sedis apostolicae licentia visitarunt, necnon quae ligna, ferrum et arma ac merces et alia prohibita ad Alexandriae et alias partes ultramarinas, quae per soldanum Babyloniae detinentur, detulerunt, postquam restituerint lucra per eas inde acquisita et tantundem de suo solverint, ab excommunicationum sententiis, quas propter praemissa incurrerunt. „Rome ap. S. Petrum II. kal. Decembris a. secundo."*

Romae, 1390 Novembris 30.

R. Vat. 312 fol. 275[a] — In fine: (ad sin.) A. DE PORTUGRUARIO; (ad dext.) DE CURIA, M. DE NOUARIA.

---

392. *Eidem datur facultas indulgendi centum personis illarum partium, ut confessor eorum semel tantum in mortis articulo plenam omnium peccatorum remissionem eis concedere possit. „Rome ap. S. Petrum II. kal. Decembris a. secundo."*

Romae, 1390 Novembris 30.

R. Vat. 312 fol. 276[a] — In fine: (ad sin.) A. DE PORTUGRUARIO: (ad dext.) DE CURIA, L. RODINUS.

---

393. *Eidem datur facultas concedendi centum personis illarum partium, ecclesiasticis seu saecularibus, alicuius auctoritatis seu status, ut aliquem idoneum presbyterum earum quaelibet possit eligere in confessorem, qui pro commissis eis debitam absolutionem impendat, nisi forsan talia essent, propter quae sedes apostolica esset merito consulenda. „Rome ap. S. Petrum II. kal. Decembris pont. n. a. secundo."*

Romae, 1390 Novembris 30.

R. Val. 312 fol. 275[b] — In fine: (ad sin.) A. DE PORTUGRUARIO; (ad dext.) DE CURIA, JO. DE ORTEGA.

---

394. *Magistro Petro de Všerub canonico Pragensi, secretario et familiari apostolico ac litterarum apostolicarum correctori, scriptori et abbreviatori, motu proprio conceditur, ut litterae apostolicae 1389 Novembris 9 ei concessae, per quas ei tot beneficia ecclesiastica in civitatibus et diocesibus Pragensibus et Olomucensibus reservata fuerunt, ut eorum fructus ad summam 60 marcarum annuatim ascenderent,[1]) etiam ad quotcunque parrochiales ecclesias, dignitates, personatus et officia cum vel sine cura, etiam si dignitates ipsae in cathedralibus post pontificales maiores et in collegiatis ecclesiis principales fuerint et ad eas consueverit quis per electionem assumi, usque ad dictam summam se extendant. „Grata tue familiaritatis" „Rome ap. S. Petrum kal. Decembris pont. n. a. secundo."*

Romae, 1390 Decembris 1.

R. Lat. 11 fol. 102a — In fine: PRO CORRECTORE, N. DE BENEVENTO. — [1]) Vide supra nr. 219.

---

395. *Confirmatur laudum in causa, quae inter Gregorium Ladislai rectorem parrochialis ecclesiae s. Mariae Magdalenae oppidi Budensis Vesprimiensis dioc. et Nicolaum rectorem parrochialis ecclesiae b. Mariae virginis dicti oppidi vertebatur, ab arbitris latum, prout in instrumento publico 1390 Decembris 1 per Martinum Johannis de Turnovia notarium publicum ac in causa huiusmodi scribam confecto et praesentibus inserto continetur. Subscriptio autem notarii in hoc instrumento talis est: „Ego Martinus Johannis de Turowia clericus Pragensis diocesis, sacra apostolica et imperiali auctoritate publicus notarius ac iudex ordinarius curie archiepiscopalis Strigoniensis et cause prescripte scriba, prolacioni, laudo seu arbitrio .... presens interfui .... et de mandato omnium et singulorum dominorum arbitrorum, arbitratorum et amicabilium compositorum presentes litteras scripsi, publicavi et in hanc publicam formam redegi.“ „Iis, que pro commodo“ „Rome ap. S. Petrum kal. Decembris a. secundo.“*

Romae, 1390 Decembris 1.

R. Lat. 11 fol. 111a — In fine: N. LX DE BENEVENTO.

---

396. *Augustinus episcopus Perusinus, thesaurarius apostolicus, iurium apostolicae camerae debitorum in civitate et diocesi Pragensi, Olomucensi et Vratislaviensi collectoribus et eorum succollectoribus mandat, quatenus litteras apostolicas super excomputatione 220 florenorum a Petro de Všerub litterarum apostolicarum correctore camerae apostolicae mutuatorum in annatis beneficiorum eiusdem Petri, eis pridem directas,[1]) quae iuxta dicti Petri relationem non fuerunt executioni mandatae, exsequi non tardent. „Rome ap. S. Petrum sub appensione sigilli nostri pontificalis sub a. dom. millesimo trecentesimo nonagesimo, indiccione XIII, die secunda mensis Decembris pontificatus .... Bonifacii .... pape VIIII. a. secundo.“*

Romae, 1390 Decembris 2.

Armar. XXIX tom. 1 fol. 194a — [1]) Vide illas litteras sub nro. 189 huius libri.

---

397. *Conrado abbati et conventui ac novitiis et conversis monasterii in Velehrad cisterciensis ord. Olomucensis dioc. indulgetur, ut cum confessoris permissione aliquas ecclesias illarum partium quindecim continuis vel interpolatis diebus semel saltem in die infra annum iubilei 1390, si poterint, alioquin infra festum resurrectionis domini proxime venturum visitantes, perinde plenarias indulgentias assequantur, ac si basilicas et ecclesias urbis Romae visitarent. „Piis et humilibus“ „Rome ap. S. Petrum IV. nonas Decembris pont. n. a. secundo.“*

Romae, 1390 Decembris 2.

Ed. in Cod. dipl. Mor. XI pag. 541 nr. 630.

398. *Officiali Vratislaviensi mandatur, quatenus Stephano Stephani Institoris clerico Vratislaviensis dioc. reservet beneficium ecclesiasticum sine cura, cuius fructus 18 marcarum argenti valorem annuum non excedant, ad collationem praepositi, decani, cantoris, custodis et capituli singulorumque canonicorum et personarum ecclesiae s. Crucis Vratislaviensis pertinens, si quod vacat, vel cum vacaverit. „Dignum arbitramur" „Rome ap. S. Petrum quarto nonas Decembris a. secundo."*

Romae, 1390 Decembris 2.

R. Lat. 15 fol. 141ª — In marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: N. XX DE BENEVENTO.

---

399. *Judicibus mandatur, quatenus Bartholomaeo tituli s. Pudentianae cardinali canonicatus et praebendas in Vratislaviensi et Opoliensi ecclesiis vacantes conferant.*

Romae, 1390 Decembris 4.

Bonifacius .... Constantinopolitano et Gradensi patriarchis ac .... custodi ecclesie Pragensis .... Dum exquisitam dilecti filii nostri Bartholomei tituli s. Potenciane presbyteri cardinalis circumspeccionis industriam diligenter attendimus et paterna meditacione pensamus, quod ipse Romanam ecclesiam .... suorum honorat magnitudine meritorum, dignum reputamus et debitum, ut eam sibi reperiat .... liberalem. Dudum siquidem per nos accepto, quod Wratislauiensis et Opoliensis Wratislauiensis dyocesis ecclesiarum canonicatus et prebende, quos quondam Johannes de Waldow .. . obtinebat, per ipsius Johannis obitum, qui extra Romanam curiam decesserat, vacaverant et vacabant tunc, nos videlicet tercio idus Decembris pont. n. anno primo[1]) de dictis canonicatibus et prebendis .... bone memorie Francisco s. Eustachii diacono cardinali graciose concessimus provideri, eosdem canonicatus et prebendas extunc collacioni et disposicioni nostre ea vice specialiter reservando .... Cum itaque postmodum prefatus Franciscus cardinalis, antequam sibi de eisdem canonicatibus et prebendis provideretur, apud sedem apostolicam viam fuerit universe carnis ingressus,[2]) dictique canonicatus et prebende adhuc ut prefertur vacare noscantur, nos volentes ipsi Bartholomeo cardinali, ut expensarum onera, que oportet eum continue de necessitate subire, commodius supportare valeat, de alicuius subvencionis auxilio providere graciamque facere specialem, motu proprio .... discrecioni vestre .... mandamus, quatenus .... prefatos canonicatus et prebendas, quorum fructus .... sexaginta marcharum argenti puri .... valorem annuum .... non excedunt ...., eidem Bartholomeo cardinali auctoritate apostolica conferre et assignare curetis ....; non obstantibus, quod ipse Bartholomeus cardinalis ordinis s. Benedicti professor existit, et constitucionibus apostolicis necnon statutis et consuetudinibus ipsarum ecclesiarum contrariis ...., aut si idem Bartholomeus presens non fuerit ad prestandum de observandis statutis et consuetudinibus ipsius ecclesie solitum iuramentum, ad quod prestandum, dummodo per procuratorem ydoneum illud prestet, eundem Bartholomeum volumus non teneri. Nos enim cum ipso Bartho-

lomeo cardinali, ut dictos canonicatus et prebendas, si illos sibi presencium vigore conferri contigerit, ut prefertur, libere recipere et una cum ecclesia s. Potenciane de Urbe, que titulus sui cardinalatus existit, ac dignitatibus, personatibus, officiis, canonicatibus et prebendis, ecclesiis et aliis beneficiis ecclesiasticis secularibus et regularibus, cum cura et sine cura, que obtinet et expectat, et in quibus et ad que sibi ius quomodolibet competit, quecunque, quotcunque et qualiacunque fuerint, retinere licite valeat — generalis concilii et quibuscunque aliis constitucionibus apostolicis necnon statutis et consuetudinibus supradictis contrariis nequaquam obstantibus — motu simili auctoritate predicta de uberioris dono gracie tenore presencium dispensamus, proviso, quod dignitates, personatus, officia, canonicatus, prebende, ecclesie et alia beneficia supradicta debitis obsequiis non fraudentur et animarum cura, quibus illa imminet, nullatenus negligatur .... Datum Rome ap. S. Petrum secundo nonas Decembris a. secundo.

R. Lat. 13 fol. 225ª — In fine: PRO DOMINO CARDINALI, JAC. DE TERAMO — [1]) 1389 Dec. 11. [2]) Franciscus de Aliffa s. Eustachii diaconus cardinalis 1390 Sept. 27 obiit

---

400. *Pavoni episcopo Tropiensi, nuntio apostolico, datur facultas componendi cum centum personis super restitutione rerum per eas illicite acquisitarum camerae apostolicae.*

Romae, 1390 Decembris 5.

Bonifacius .... Pauoni episcopo Tropiensi, referendario nostro, apostolice sedis nuncio .... Cum, sicut ad audienciam nostram pervenit, nonnulli clerici et persone ecclesiastice seculares et regulares ac laici Almanie superioris et inferioris ac Boemie, Leodiensis et Metensis parcium, ad quas te pro nonnullis nostris et Romane ecclesie negociis presencialiter destinamus, nonnullas pecuniarum et rerum aliarum quantitates et quedam alia bona mobilia et immobilia illicite acquisiverint, aut acquisita similiter pervenerint ad ipsos, de quorum restitucione, quibus facienda sit, penitus ignoratur, nos cupientes saluti animarum ipsorum, quantum cum deo possumus, providere, ac volentes ea tibi concedere, per que ipsis clericis, personis et laicis te reddere valeas graciosum, fraternitati tue cum centum personis ecclesiasticis et laicis, tecum super huiusmodi sic per eos acquisitis et que ad eos pervenerunt, ut prefertur, et de illis componere volentibus, iuxta quantitates acquisitorum et que pervenerunt ad eos, sicut predicitur, ac facultates eorum componere, prout tibi videbitur expedire, illaque, de quibus cum eis composueris, ab ipsis nomine dicte camere recipere et eos, a quibus ea recipere te continget, tam de receptis huiusmodi, quam de aliis, ad quorum restitucionem integram, si non intervenisset composicio huiusmodi, tenerentur, absolvere perpetuo valeas et quitare, plenam concedimus tenore presencium potestatem. Volumus autem, quod de huiusmodi composicionibus et recepcionibus singulariter de singulis duo confici facias consimilia publica instrumenta, quorum uno hiis, a quibus predicta receperis, dimisso, reliquum ad nostram cameram mittere non postponas. Datum Rome ap. S. Petrum nonis Decembris pont. n. a. secundo.

R. Vat. 312 fol. 264ª — In fine: (ad sin.) P. DE BOSCO: (ad. dext.) DE CURIA, J. CHAMBONIS.

---

401. *Eidem datur facultas conferendi auctoritate apostolica quaecunque beneficia ecclesiastica cum vel sine cura, quorum collatio ad sedem apostolicam legitime est devoluta, etiam si eorum aliqua canonicatus et praebendae aut dignitates, personatus et in metropolitanis vel cathedralibus et in ipsis metropolitanis vel cathedralibus maiores post pontificales aut in collegiatis ecclesiis principales seu prioratus etiam conventuales vel administrationes fuerint, et ad ea consueverint qui per electionem assumi, personis idoneis, quas duxerit eligendas, etiam si quaelibet personarum earundem unum vel duo aut tria alia beneficia ecclesiastica obtineat, ita tamen, ut illae ex personis praedictis, quae beneficia incompatibilia cum illis, quae idem nuntius eis contulerit, obtinuerint, quamprimum beneficia sic eis collata assecutae fuerint, huiusmodi incompatibilia beneficia dimittere teneantur; de nominibus et cognominibus dictorum beneficiorum et personarum et de diebus collationum idem nuntius cameram apostolicam vel eiusdem collectorem in illis partibus constitutum certificare debet. „Rome ap. S. Petrum nonis Decembris pont n. a. secundo."*

Romae, 1390 Decembris 5.

R. Vat. 312 fol. 266ª — In fine: (ad sin.) P. DE BOSCO; (ad dext.) DE CURIA, B. MONACHI.

402. *Eidem datur facultas omnibus personis illarum partium, quae s. sepulcrum dominicum et alia loca ultramarina ac beatorum apostolorum Petri et Pauli ac Jacobi in Compostella limina vorerunt visitare, sed hoc commode facere non possunt, vota huiusmodi in alia pietatis opera commutandi, postquam tantum, quantum secundum personae suae condecentiam in itinere pro votis praedictis complendis expendissent, in manibus eius assignaverint camerae apostolicae per eum in Terrae sanctae subsidium destinandum. „Rome ap. S. Petrum nonis Decembris pont. n. a. secundo."*

Romae, 1390 Decembris 5.

R. Vat. 312 fol. 263ª — In fine: (ad sin.). P. DE BOSCO; (ad dext.) DE CURIA A. DE BARONIBUS. — Altera copia (recentior) in R. Vat. 347 fol. 132ª.

---

403. *Eidem datur facultas indulgendi auctoritate apostolica omnibus personis illarum partium, ut confessor earum eadem auctoritate eis concedere valeat, ut aliquas ecclesias ipsarum partium quindecim diebus continuis vel interpolatis semel saltem in die infra annum 1390 vel infra certum tempus exinde secuturum, per dictum nuntium eis praefigendum, visitando, aliae vero, quae propter religionis honestatem aut corporis infirmitatem vel antiquitatem seu aliud legitimum impe-*

dimentum huiusmodi visitationem commode facere non poterunt, aliquas orationes dicendo vel alia pia opera faciendo, perinde plenissimam omnium peccatorum remissionem assequantur, ac si basilicas beatorum Petri et Pauli ac Lateranensem et s. Mariae Maioris ecclesias de Urbe propterea visitassent; ita tamen, ut confessor laborem personalem, quem passae fuissent, si ad ipsam Urbem venissent, eis in alia opera pietatis commutet, et ut ipsae personae, religiosis tamen exceptis, expensas, quas ad dictam Urbem venientes fecissent, ac oblationes, quas dictis basilicis et ecclesiis Urbis obtulissent, eidem nuntio assignent, qui eas dictis basilicis et ecclesiis de mandato apostolico in earum fabricis distribuendas quantocius destinare tenetur. „Rome ap. S. Petrum nonis Decembris pont. n. a. secundo."

Romae, 1390 Decembris 5.

R. Vat. 312 fol. 263b — In fine: (ad sin.) P. DE BOSCO; (ad dext.) DE CURIA, JA. DE FULGINEO.

---

404. *Eidem datur facultas concedendi auctoritate apostolica tabellionatus officium quinquaginta personis illarum partium, quas ad id elegerit, etiam si earum aliquae coniugatae vel in sacris ordinibus constitutae fuerint. „Ne contractuum memoria" „Rome ap. S. Petrum nonis Decembris pont. n. a. secundo."*

Romae, 1390 Decembris 5.

R. Vat. 312 fol. 262a — In fine: (ad sin.) P. DE BOSCO; (ad dext.) DE CURIA, J. CHAMBONIS.

---

405. *Eidem datur facultas dispensandi cum quinquaginta personis defectum natalium patientibus, ut quibuscunque constitutionibus apostolicis et legibus imperialibus non obstantibus in quibuscunque bonis parentum et cognatorum suorum succedere valeant, absque praeiudicio tamen illorum, qui in bonis huiusmodi succedere deberent, si personae, quae bona ipsa legant seu relinquunt, ab intestato decederent. „Rome ap. S. Petrum nonis Decembris pont. n. a. secundo."*

Romae, 1390 Decembris 5.

R. Vat. 312 fol. 262b — In fine: (ad sin.) P. DE BOSCO; (ad dext.) DE CURIA, JO. JACOZI.

---

406. *Eidem datur facultas dispensandi auctoritate apostolica cum quinquaginta personis illarum partium defectum natalium patientibus, ut ad omnes etiam sacros ordines promoveri et quaelibet earum duo beneficia ecclesiastica, etiam si unum illorum curam habeat animarum, et etiam si huiusmodi beneficia vel aliquod ipsorum canonicatus et praebenda aut dignitas, personatus seu officium in metropolitanis vel cathedralibus, et dignitas ipsa maior post pontificalem in metropolitanis vel cathedralibus huiusmodi aut principalis in collegiatis ecclesiis*

existant, et ad eam consueverint qui per electionem assumi, recipere et retinere, illaque totiens, quotiens eis placuerit, dimittere et loco dimissorum alia beneficia ecclesiastica se invicem compatibilia recipere et retinere possint; et nihilominus eisdem personis concedendi, ut in quibuscunque gratiis per eas de cetero a sede apostolica impetrandis nullam de huiusmodi defectu teneantur facere mentionem. „Rome ap. S. Petrum nonis Decembris pont. n. a. secundo."

Romae, 1390 Decembris 5.

R. Vat. 312 fol. 261b — In fine: (ad sin.) P. DE BOSCO; (ad dext.) DE CURIA, JO. JACOZI. — Altera copia (recentior) in R. Vat. 347 fol. 131a.

***407**. Eidem datur facultas dispensandi cum quinquaginta viris et totidem mulieribus in quarto aut quarto et tertio consanguinitatis gradibus invicem se contingentibus, qui ex aliqua honesta causa cupiunt invicem matrimonialiter copulari, ut matrimonium insimul contrahere, cum illis autem eorum, qui matrimonium iam contraxerunt, si huiusmodi consanguinitatem prius ignorabant, ut in matrimonio sic contracto remanere, si autem eam sciebant, ut post separationem eorum ad tempus, de quo ipsi nuntio videbitur, et post absolutionem ab excommunicationum sententiis, quas propterea incurrerunt, matrimonium inter se de novo contrahere possint. „Rome ap. S. Petrum nonis Decembris pont. n. a. secundo."*

Romae, 1390 Decembris 5.

R. Vat. 312 fol. 264b — In fine: (ad sin.) P. DE BOSCO; (ad dext.) DE CURIA, A. DE BARONIBUS.

***408**. Johanni Johannis providetur de parrochiali ecclesia s. Valentini in Antiqua civitate Pragensi, cuius fructus 20 marcarum argenti valorem annuum non excedunt, vacante per obitum eius rectoris Andreae, qui apud sedem apostolicam decessit; non obstante, quod ipse Johannes super parrochiali ecclesia in Antiqua Pilzna Pragensis dioc. in palatio apostolico litigat, et nuper ei de canonicatu sub exspectatione praebendae ecclesiae Pragensis a papa concessum est provideri, quam ecclesiam in Antiqua Pilzna, si eam evincat, dimittere tenetur, quamprimum praefatam ecclesiam s. Valentini fuerit assecutus. „Vite ac morum" „Rome ap. S. Petrum octavo idus Decembris a. secundo." — Simili modo episcopo Tudensi et abbati monasterii in Insula Pragensis dioc. ac officiali Pragensi.*

Romae, 1390 Decembris 6.

R. Lat. 17 fol. 287a — In fine: JAC. XI. XIII DE TERAMO.

***409**. Petrus Blasii [de Nemoticz] rector parrochialis ecclesiae in Dürnholz[a])*

Olomucensis dioc. in sedis apostolicae capellanum recipitur. „Virtutibus clarens“ „Rome ap. S. Petrum VII. idus Decembris pont. n. a. secundo.“

Romae, 1390 Decembris 7.

R. Vat. 312 fol. 280[a] cum his notis in fine: (ad sin.) X., S. DE AQUILA, N. DE PIPERNO; (ad dext.) FRANCISCUS. Altera copia in R. Lat. 10 fol. 318[a], ubi in fine adscriptum est: N. X DE BENEVENTO. Tertia copia sine notis in Armar. XXXI. tom. 36 fol. 27[a] — [a]) ‚Durenholcz‘ Vat. Lat. Arm.

---

410. *Parrochialem ecclesiam s. Stephani prope Mutam Pragensis dioc., quae reparatione indiget, certis diebus anni (illis, qui supra in nro. 366 sunt nominati, ac in festo s. Stephani) visitantibus et ad reparationem huiusmodi manus adiutrices porrigentibus duo anni et duae quadragenae, respective centum dies de iniunctis eis poenitentiis relaxantur, praesentibus post decennium minime valituris. „Licet is“ „Rome ap. S. Petrum quinto idus Decembris a. secundo.“*

Romae, 1390 Decembris 9.

R. Lat. 17 fol. 145[a] — Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: JAC. XVI DE TERAMO.

---

411. *Ad reaedificationem ecclesiae Vyšehradensis manus adiutrices porrigentibus indulgentiae conceduntur.*

Romae, 1390 Decembris 9.

Bonifacius . . . . universis . . . Ecclesiarum fabricis manum porrigere adiutricem pium apud deum et meritorium reputantes, frequenter Christi fideles ad impendendum ecclesiis ipsis auxilium nostris litteris exhortamur, et ut ad id eo fervencius animentur, quo maius ex hoc animarum commodum se speraverint adipisci, nonnumquam pro hiis temporalibus suffragiis spiritualia eis munera videlicet remissiones et indulgencias elargimur. Cum itaque, sicut accepimus, ecclesia s. Petri Wissegradensis Pragensis reedificetur opere non modicum sumptuoso, nos cupientes, quod edificium huiusmodi compleatur, universitatem vestram rogamus et hortamur in domino, in remissionem vobis peccaminum iniungentes, quatenus de bonis a deo vobis collatis pro reedificacione dicte ecclesie pias elemosinas et grata caritatis subsidia erogetis, ut per subvencionem vestram huiusmodi prefata ecclesia celerius valeat reedificari, et vos per hec et alia bona opera, que domino inspirante feceritis, possitis ad eterne felicitatis gaudia pervenire. Nos enim de omnipotentis dei misericordia et beatorum Petri et Pauli, apostolorum eius, auctoritate confisi, omnibus vere penitentibus et confessis, qui ad reedificacionem huiusmodi manus porrexerint adiutrices, duos annos et duas quadragenas de iniunctis eis penitenciis misericorditer relaxamus, presentibus post sex annos minime valituris; quas mitti posse per questuarios per Pragenses, Gneznenses et Salzeburgenses civitates, dioceses et provincias duntaxat conce-

dimus, eas, si per ipsos questuarios extra civitates, dioceses et provincias predictas misse fuerint, carere viribus decernentes. Volumus autem etc.[a]) Datum Rome ap. S. Petrum quinto idus Decembris a. secundo.

R. Lat. 17 fol. 145[a] — [a]) Sic in reg.; formulam hic omnissam vide in nro. 153 huius libri. — In marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: JAC XX DE TERAMO.

---

412. *Ad reparationem ecclesiae in Cunicz manus adiutrices porrigentibus indulgentiae conceduntur.*

Romae, 1390 Decembris 9.

Bonifacius .... universis .... Ecclesiarum fabricis .... Cum itaque, sicut accepimus, ecclesia s. Marie in Cunicz Olomucensis diocesis propter sui vetustatem reparacione non modica indigere noscatur, nos cupientes, quod ecclesia ipsa reparetur, universitatem vestram rogamus, ... quatenus .... pro reparacione dicte ecclesie pias elemosinas et grata caritatis subsidia erogetis .... Nos enim omnibus vere penitentibus et confessis, qui ad reparacionem huiusmodi manus porrexerint adiutrices, duos annos et duas quadragenas de iniunctis eis penitenciis misericorditer relaxamus, presentibus post sex annos minime valituris; quas mitti posse per questuarios per Olomucenses et Wratislauienses civitates et dioceses duntaxat concedimus .... Datum Rome ap. S. Petrum quinto idus Decembris a. secundo.

R. Lat. 17 fol. 145[b] — In marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: JAC. XX DE TERAMO.

413. *Praeposito Pragensi et decano Vyšehradensi mandatur, quatenus Johannem plebanum in Čáslavia (?) propter quasdam eius falsas assertiones ad curiam apostolicam citent.*

Romae, 1390 Decembris 9.

Bonifacius .... preposito Pragensis et decano Wyssegradensis Pragensis dyocesis ecclesiarum .... Nuper ad audienciam nostram ex fide dignorum clamo[ro]sa insinuacione pervenit, quod Johannes plebanus plebis de Chsacrina[1]) Pragensis dyocesis in diminucionem auctoritatis sedis apostolice labia dolosa et linguam magniloquam vel maliloquam extendere in proprie salutis dispendium non verendo, publice coram populo dicere ac predicare temerario ausu presumit, quod papa Romanus in preiudicium sacerdotum ecclesiarum parrochialium fratribus ordinis minorum audiendi confessiones aliquorum, nisi eorum tantum, qui fratribus ipsis in locis eorum deserviunt, nequit concedere potestatem; et ut fratres ipsos dictus Johannes durius opprimat, subiectis sibi parrochianis, cum eos contingit aput ipsorum fratrum ecclesias sive loca eligere sepulturam, ecclesiastica denegat sacramenta, donec super huiusmodi sepultura eorum mutaverint voluntatem; ele-

mosinas quoque denegari precipit fratribus memoratis; in frequentantes eciam ipsorum fratrum missas et officia excommunicacionis sentenciam temeritate propria fulminare presumit; pueris insuper baptizandis per ipsum, si beati Francisci nomine sint vocandi, sacrum baptizma denegat exhiberi, donec eis nomen aliud imponatur, et nihilominus alia gravamina commisit et agit, [pro] quibus est graviter puniendus. Cum igitur hec, si vera sint, nolumus, sed eciam nec debemus sub dissimulacione transire, ne saltem cedere valeant in exemplo [in] perniciem aliorum, discrecioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus vos vel alter vestrum per vos vel alium seu alios inquisita de hiis de plano sine strepitu et figura iudicii diligencius veritate, si eundem Johannem culpabilem inveneritis in premissis, ipsum ex parte nostra peremptorie citare curetis, ut infra duorum mensium spacium post citationem vestram personaliter sub pena suspensionis officii et privacionis omnium beneficiorum ecclesiasticorum, que obtinet, nostro conspectui se representet, recepturus pro meritis nostrisque mandatis et beneplacitis plenarie pariturus. Diem autem citacionis et formam et quidquid feceritis et inveneritis in predictis, nobis per vestras patentes literas harum seriem continentes fideliter intimare curetis. Datum Rome aput S. Petrum V.° idus Decembris pont. n. a. secundo.

Copia e ‚codice Thomaeo' (liber formularum saec. XV, qui in archivio monasterii s. Thomae Pragensis adservatur) fol. 26b habetur in diplomatario manuscripto musei regni Bohemiae. — [1]) Parrochia similis nominis in Bohemia non existit, quam ob rem nomen istud e ‚Czaslauia, Chaslauia', corruptum esse puto. In Čáslavia enim monasterium fratrum minorum fuit, et plebanus, qui aa. 1389—1400 ecclesiam Časlaviensem obtinebat, Johannis (de Stráž) nomen habuit. Conf. Sedláček, Děje města Čáslavě, 1874, p. 64.

---

414. *Universis praelatis et clero mandatur, ut Pavoni episcopo Tropiensi, apostolicae sedis nuntio ad nonnullas Alamanniae ac Bohemiae et alias partes pro quibusdam magnis et arduis Romanae ecclesiae negotiis destinato, diebus singulis de decem florenis auri pro expensis eius necessariis et de securo conductu provideant, praesentibus post annum minime valituris. „Rome ap. S. Petrum IIII. idus Decembris pont. n. a. secundo."*

Romae, 1390 Decembris 10.

R. Vat. 312 fol. 265b – In fine (ad dext.): DE CURIA, B. MONACHI.

---

415. *Abbati Eberacensi mandatur, quatenus monasteriis et personis cisterciensis ordinis partium infrascriptarum imponat caritativum subsidium, per dictum ordinem sedi apostolicae concessum.*

Romae, 1390 Decembris 12.

Bonifacius . . . . dilecto filio . . abbati monasterii de Eberaco cisterciensis ordinis Erbipolensis diocesis . . . . Cum in generali capitulo tui ordinis [nuper vide-

licet in die s. Lamberti episcopi et martiris pontificatus nostri anno primo [1]) in alma Urbe celebrato per capitulum ipsum fuerit ordinatum et deliberatum ac eciam diffinitum, quod idem ordo pro subveniendo necessitatibus Romane ecclesie et presertim hoc procelloso tempore contra hereticos et scismaticos, qui eandem ecclesiam multipliciter affligere et turbare nituntur, nobis et camere apostolice per dictum ordinem de certo caritativo subsidio, prout dudum fel. rec. Gregorio XI. et Urbano VI. Romanis pontificibus, predecessoribus nostris, per eundem ordinem successive subventum fuerat, liberaliter debeat subveniri, nos cupientes, quod huiusmodi subsidium a quibuscunque monasteriis et locis et personis utriusque sexus eiusdem ordinis] quacunque preeminencia vel dignitate nitentibus, in Franconie, Sueuie, Austrie, Bauarie, Boemie, Cyrie (*sic*), Carinthie, Missie (*sic*), Morauie et Lusacie partibus, in quibus generalis visitator in dicto generali capitulo deputatus existis, [consistentibus, ad subveniendum cicius dictis necessitatibus, quod eciam nos presencium tenore imponimus, celeriter imponatur ac eciam exigatur, discrecioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus visis presentibus idem subsidium singulis monasteriis, locis et personis predictis iuxta imposicionem eis factam tempore dicti Urbani predecessoris exigendum et levandum per collectores fructuum et proventuum camere apostolice debitorum in illis partibus deputatos infra certum terminum per te sub coaccione debita prefigendum eisdem personis auctoritate apostolica imponere non postponas. Nos enim tibi faciendi premissa et eisdem collectoribus personas easdem ad dandum et solvendum sibi vel alicui ipsorum, recipientibus nostro et dicte camere nomine, huiusmodi subsidium pro rata, monasteria et loca ac personas easdem secundum tuam imposicionem huiusmodi contingente, ex parte nostra caritative hortandi ac monendi et requirendi, easque ad id, si opus fuerit, et alios eciam contradictores quoslibet et rebelles per censuram ecclesiasticam et alia iuris remedia apellacione postposita compellendi .... concedimus auctoritate apostolica facultatem, eisdem eciam collectoribus et eorum cuilibet quittandi et absolvendi plenarie de receptis .... facultatem huiusmodi concedentes. Volumus autem, quod omnes et singulas pecuniarum summas, quas collectores ipsi de huiusmodi subsidio percipient, quamprimum poterunt, ad predictam cameram tute et caute ac fideliter transmittant, quodque tu de singulis imposicionibus et iidem collectores de singulis eisdem summis confici faciatis publica instrumenta et in vestris quaternis poni, ut de ipsis computum et racionem fidelem possitis reddere camere supradicte. Datum Rome ap. S. Petrum II. idus Decembris pont. n. a. secundo.]

R. Vat. 312 fol. 291b — Uncinis [] contenta ex aliis similibus bullis eiusdem codicis suppleta sunt, prout in copia praesentis bullae in registro desideratur. — In fine: (ad sin.) T. PETRA; (ad dext.) DE CURIA, M. DE CASANOVA. — [1]) 1390 Sept. 17.

416. *Nicolao Puchnik conceditur, ut etiam post assecutionem dignitatis, personatus vel curati officii parrochialem ecclesiam in Hartvikovicz aut aliquam aliam retinere valeat.*

Romae, 1390 Decembris 12.

Bonifacius .... Nicolao Puchnik canonico Pragensi, licenciato in decretis .... Litterarum sciencia .... Dudum siquidem tibi de dignitate, personatu vel officio cum cura vel sine cura, eciam si dignitas ipsa maior post pontificalem in cathedrali aut principalis in collegiata ecclesiis foret, et ad eam per eleccionem consuevisset quis assumi, ad collacionem .... archiepiscopi et .... capituli Pragensium .... pertinente, vacante vel vacatura seu vacaturo, ... per nostras litteras mandavimus provideri, volentes inter cetera, quod, quamprimum dignitatem, personatum seu curatum officium huiusmodi .... fores pacifice assecutus, parrochialem ecclesiam in Hartwicowicz Olomucensis diocesis, quam tunc temporis obtinebas, prout obtines ...., omnino dimittere tenereris, prout in eisdem litteris plenius continetur. Nos igitur volentes te, qui, ut asseris, in decretis cum rigore examinis licenciatus fuisti ac eciam magister in artibus et curie archiepiscopalis Pragensis officialis existis, premissorum intuitu favoribus prosequi graciosis, tuis in hac parte supplicacionibus inclinati, volumus et apostolica tibi auctoritate concedimus, quod si forsan ante assecucionem dignitatis, personatus vel curati officii huiusmodi te predictam parrochialem ecclesiam simpliciter vel ex causa permutacionis dimittere et loco eius aliam parrochialem ecclesiam qualitercunque[a]) assequi te contingat, propterea nostre predicte littere, quoad dignitatem, personatum vel curatum officium huiusmodi non expirent, sed ipse littere et processus habiti per eąsdem et quecunque inde secuta in suo perdurent robore firmitatis, et quod eciam postquam dignitatem, personatum vel curatum officium huiusmodi .... fueris pacifice assecutus, predictam in Harwicowicz (*sic*), si illam interim non dimiseris, prioribus voluntate et decreto nostris predictis contrariis non obstantibus, vel si illam dimiseris, aliam huiusmodi parrochialem ecclesias, quam tunc temporis tenueris, cum dignitate, personatu vel curato officio huiusmodi usque ad unum annum retinere libere et licite valeas, super quo tecum presencium tenore auctoritate predicta .... dispensamus, generalis concilii ac fel. rec. Clementis V. et Benedicti XII. Romanorum pontificum, predecessorum nostrorum, et aliis constitucionibus apostolicis necnon statutis [et] consuetudinibus ecclesie, in qua dignitas, personatus vel curatum officium huiusmodi fuerit, contrariis .... non obstantibus quibuscunque; ita tamen, quod alterum ex parrochiali ecclesia [et] dignitate, personatu vel curato officio huiusmodi pro alio beneficio ecclesiastico cum eorum reliquo compatibili interim permutare, alioquin illam ex predictis parrochialibus ecclesiis, quam tunc tenueris, ... omnino dimittere tenearis .... Datum Rome ap. S. Petrum secundo idus Decembris a. secundo.

R. Lat. 11 fol. 81[a] — [a]) Adscriptum in marg. loco cancellati: ‚tibi apostolica vel ordinaria auctoritate conferri et illam' adiuncta nota: „Correctum et cancellatum de mandato. N. de Benevento" — In fine: N. XX DE BENEVENTO — Eaedem litterae cum variis differentiis, quae autem non rem, sed solam formam tangunt, in R. Lat. 12 fol. 85[a] iterum registratae sunt, sed cancellatae hac nota in margine adscripta: „Cancellata, quia de novo registrata est alibi de mandato. N. de Benevento". Notae tamen solitae ibi etiam reperiuntur, videlicet supra in marg. sin.: „C[ancellaria]"; in fine: „N. XVIII de Benevento"

---

417. *Cum Ada Bohušii*[a]) *de Popovicz*[b]) *clerico Olomucensis dioc., qui de nobili genere procreatus est et defectum aetatis patitur, cum in vicesimo*

aetatis suae anno constitutus existat, dispensatur, ut defectu praedicto non obstante aliquam parrochialem ecclesiam recipere ipsamque pro alia parrochiali ecclesia semel et pluries permutare valeat. „*Nobilitas generis*“ „*Rome ap. S. Petrum secundo idus Decembris a. secundo.*“

Romae, 1390 Decembris 12.

R. Lat. 12 fol. 239 — [a]) ‚Bohussii‘ [b]) ‚Popowicz‘ — In marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: JAC. XII DE TERAMO.

418. *Vikerius abbas Gradicensis quitatur de solutione suorum servitiorum camerae sacri collegii.*

Romae, 1390 Decembris 12.

Henricus [. . . . s. Anastasie presbyter cardinalis, sacri collegii . . . . cardinalium camerarius, ... notum facimus,] quod venerabilis pater frater Wikerius abbas monasterii s. Stephani Gradicensis ord. premonstratensis Olomucensis diocesis pro complemento finalis solucionis sui communis servicii . . . . viginti quatuor florenos auri de camera, solidos viginti quinque, denarios septem monete Romane, et pro complemento finalis solucionis unius minuti servicii . . . . tres similes florenos, solidos tres, denarios duos dicte monete, et pro parte partis communis servicii fratris Petri antepredecessoris sui, per ipsum fratrem Petrum promissi et non soluti ac per ipsum fratrem Wikerium recogniti, quindecim similes florenos, solidos decem, denarios quinque, et pro parte partis unius minuti servicii . . . . unum similem florenum, solidos duos, denarios quinque dicte monete Romane nobis tempore debito per manus venerabilium virorum Willelmi Cutelangen [1]) canonici Olomucensis et Philippi de Brunna presbyteri Olomucensis diocesis solvi fecit . . . .: . . . . pro residuo dictorum communis et unius minuti serviciorum per ipsum fratrem Wikerium pro ipso fratre Petro antepredecessore suo recognitorum . . . . terminum [faciende solucionis] usque ad festum assumpcionis b. Marie virginis proxime futurum prorogamus . . . . Datum [Rome ap. S. Petrum MCCC nonagesimo, indiccione XIII], die duodecima mensis Decembris pont. . . . . a. secundo.

Oblig. et sol. 59 fol. 13[a] — In fine: FLOR. II GR. II. — Eiusdem solutionis in libro „divisionum ab 1389 ad 1399“ (Oblig. et sol. 51) mentio fit (fol. 27[b]) in haec verba: „[A. 1390] die XII [mensis Decembris] ven pater fr Vikerius abbas monasterii s. Stephani Gradicensis solvit pro complemento sui communis servicii flor. 24, sol. 25, denar. 6, obolum (sic), et pro minuto flor. 3, sol. 3, denar 2. Fuit promotus anno VIII (sc. Urbani VI, qui est $1385\,^{19}/_{4}$—$1386\,^{18}/_{4}$) . . . . Et pro parte partis communis servicii fratris Petri antepredecessoris sui flor. 15, sol. 15, denar 10 (sic) et pro minuto flor. 1, sol 2, denar. 5; qui frater Petrus predecessor fuit promotus anno IIII dom. Urbani (i. e. $1381\,^{19}/_{4}$ - $1382\,^{18}/_{4}$)“ — [1]) recte Cortelangen.

---

419. *Henricus s. Anastasiae cardinalis, sacri collegii camerarius, Johannem episcopum Lubucensem*[a]) *quitat de pecunia, quam pro complemento suorum com-*

munis et minuti servitiorum per manus Thomae Nicolai de Paulow clerici Vratislaviensis dioc. camerae sacri collegii solvi fecit. „[Rome a. MCCC nonagesimo, ind. XIII], die XII mensis Decembris pont. . . . . a. secundo.“

Romae, 1390 Decembris 13.

Oblig. et sol. 59 fol.[b] — [a]) In registro erronee, prout ex re ipsa evidenter apparet, ‚Lubicensis‘ loco ‚Lubucensis‘ positum est. — In fine: FL. II GR. II.

420. *Johanni archiepiscopo Pragensi mandatur, quatenus causam appellationis Jacobi de Kaplicz, a sententia eiusdem archiepiscopi, per quam propter quosdam haereticos articulos contra eum falso confictos per decennium a sacerdotali ministerio suspensus fuit, ad sedem apostolicam interiectae, cum consilio magistrorum theologiae decernat.*

Romae, 1390 Decembris 13.

Bonifacius . . . . Johanni[a]) archiepiscopo Pragensi . . . . Justis et humilibus[b]) supplicum votis illis presertim, per que errorum dubia summoveri et correctis ad apostolicam sedem cum humilitatis spiritu recurrentibus post excessum pietatis et misericordie ianua aperiri valeat, libenter annuimus illaque favoribus prosequimur oportunis. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dilecti filii Jacobi Mathie de Caplicz presbyteri tue diocesis peticio continebat, quod olim ipse, qui non alicuius lucri temporalis causa, sed zelo salutis animarum ad populum sepius de licencia nonnullorum rectorum parrochialium ecclesiarum ‚plebanorum‘ nuncupatorum dicte tue diocesis, prout moris est in illis partibus, predicavit verbum dei, in suis publicis predicacionibus quandoque dixit: quod inter omnes sanctos mater domini nostri Jesu Christi catholicis plus poterat impetrare et efficacius suffragari; et quod, si aliqui beate Marie aut beatis Augustino vel Francisco aut aliis sanctis particularibus servientes furta adulteria vel alia huiusmodi vicia committebant aut spoliabant bonis ecclesias ac viduas et orphanos per exaccionem aut alias affligebant vel blasphemabant et venerabantur sanctos, qui in celis erant, talibus opera, que ad laudem sanctorum ipsorum in tali statu existentes faciebant, non proderant ad vitam eternam; et quod bona, que faciebant existentes in mortali peccato, licet ad aliqua alia prodessent, tamen ad vitam perhennem prodesse non poterant; et quod illi, qui de male acquisitis facerent elemosinas in agone et ante agonem pro se suisque parentibus, tales elemosine non proderant ipsismet[c]) nec animabus, pro quibus erant facte, quantum ad diminucionem pene purgatorii, sed pocius illis, quorum bona fuerunt, quia deus non acceptat sacrificium de furto; et quod, cum aliquis laicus corpus Christi peteret a sacerdote, et ille sibi ministrare nollet, instanter petere debebat, et si sacerdos huiusmodi illud sibi ministrare adhuc recusaret, eum oportebat multiplicare preces, et cum sibi daret, tamquam per importunitatem suam ei de manibus extrahere videbatur, non tamen quod laicus debebat rapere sacramentum de manu sacerdotis vel aliam quamcunque inhonestam importunitatem facere, sed honesto modo tamquam apud patrem spiritualem instare, et hoc tantum

laicus bone vite, de quo nichil grave contra precepta dei appareret in opere; item quod, cum sancti doctores Ambrosius et Augustinus et ceteri dicerent, quod veritas, a quocunque dicebatur, a spiritu sancto erat, quia deus veritas prima est, a qua est omnis alia veritas, ergo ita Jacobo erat credendum, dicenti veritatem, quam ipsi sancti doctores docuerunt, sicut pellibus mortuorum animalium, in quibus veritas predicta dicitur scripta esse, quia ipse Jacobus viva ymago dei et ad ymaginem dei creata, pelles autem ille mortue erant; et quod, cum aliqui corpus Christi in tabernaculo revereri non curabant, nec ante corpus Christi multas candelas, sed pocius ante pulcras ymagines ponebant, ipse Jacobus dicebat, quia aliqui minus provide faciebant, venerantes pulcras sanctorum ymagines pluribus candelis, et corpus Christi in loco, ubi reservatur, non curabant, quia indecens nimis erat, quod maior reverencia et devocio ostenderetur ymaginibus pulcre formatis, quam venerabilissimo sacramento in tabernaculo recondito corporis salvatoris, quia ibi inhabitat plenitudo divinitatis corporaliter secundum apostolum, et quod minus malum esset illas ymagines cremare, quam propter eas ommittere reverenciam sacramenti predicti; et quod cuilibet laico christiano iuste viventi licebat frequenter sumere corpus Christi, quia per nullum modum alium melius quam sic memorabatur dominica passio, et maxime cum ipse Jesus tradens corpus suum discipulis suis dixerit: ‚hec quocienscunque feceritis, in mei memoriam facietis‘; et quod in Jesu est plenitudo gracie tamquam in capite, quia de plenitudine eius omnes accipimus, sed in b. Maria tamquam transfundente; et quod fides, spes, caritas radices sunt omnium virtutum, quarum fundamentum est humilitas, sine qua cum superbia nec virginitas b. Marie placuisset deo, nam humilitas tollit superbiam, que omnia bona destruit et mala germinat; et quod idem dicebat, quod qui se muniebant signo crucis et transibant furatum vel fornicatum, huiusmodi signatura eis non proderat, cum se ad[d]) hoc signarent, ut eis nichil mali eveniat, ipsi autem malum facere volebant, quia dicunt Crisostomus et Augustinus: ‚iusticia dei nescit dare patrocinium criminibus‘; et quod quicunque dabat indulgencias ad ymagines simpliciter, stulte faciebat, sed si daret, ut aliquis faceret aliquas reverencias aut devociones beate virgini aut aliis sanctis, quorum ille ymagines erant, et talis obtinuisset illas indulgencias; et quod multi oras canonicas dicebant et cantabant ore, corde autem illas non attendebant, scire debebant tales, quod modicum coram deo valerent pro eo, quia dixit dominus Jesus: ‚hic populus labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me‘; et quod acquirentes male divicias per exacciones vel alias et ornabant exinde ossa sanctorum auro et argento, pauperes opprimendo, scire debebant, quod sanctis, qui in celis sunt, talia obsequia non placebant, quia dicit Crisostomus: ‚non gaudent martires, ubi predant[e]) pauperes‘. Et licet semper idem Jacobus protestatus fuerit in publico asserens premissa, quod semper in omnibus et per omnia cum sancta Romana ecclesia tenuerat et tenebat, tamen postmodum quibusdam religiosis diversorum ordinum mendaciter et false confingentibus, quod prefatus Jacobus in huiusmodi predicacionibus dixerat: quod virgo Maria christianis non poterat in aliquo suffragari, et quod sanctorum suffragia christianis et suffragia ecclesie fidelibus defunctis non proderant; et quod, cum sacerdos alicui laico corpus Christi dare nolebat, idem laicus simpliciter debebat illud de manibus extrahere sacerdotis et manducare; et eidem Jacobo veritatem loquenti simpliciter

ita bene credendum erat, sicut doctoribus s. Romane ecclesie, qui iam obierunt; et quod omnes sanctorum ymagines erant cremande; et quod quilibet christianus, licet tantum nomine, debebat cotidie sumere corpus Christi et quandocunque et quociescunque voluisset in die, sive in meridie, sive post prandium, sive post cenam; et eum dixisse, quod mater domini alio modo non esset plena gracia, nisi sicut vas, quando impletur cervisia; et quod mater domini non fuisset sanctificata, nisi fuisset humilis; et quod malis non proderat signo crucis se munire; et quod, si quis daret indulgencias ad ymagines sanctorum, fatue faceret; et quod melius esset studere et predicare, quam horas dicere; et quod ossa sanctorum pocius deberent cremari, quam auro et argento decorari: dictus Jacobus terroribus carcerum et excomunicacionum, cum eciam testes, qui contra eum fuerant producti, et quos ipse Jacobus falsos reputat, eius fuissent delatores, et quod contra eum odii rancore concepto talia confinxissent aut ipsum male intellexissent vel non bene audivissent aut verba ipsius male intepretati fuissent, predictos confictos articulos hereticos et male sonantes, quasi eos ita protulisset, cum tamen ipsos nunquam sensisset nec tenere voluisset, tamen coram magna multitudine laicorum et cleri publice et sollemniter, latine et vulgariter eos fuit revocare coactus, propter quod tu, de premissis, ut idem Jacobus asserit, sinistre informatus et credens dictum Jacobum premissa perpetrasse, eum a sacerdotali ministerio non servatis terminis iuris per decennium suspendisti, cum ipse alias pluries dixerit publice et asseruerit, prout dicit et asserit eciam de presenti, quod, si qua erronea vel alias male predicasset, illa voluit, prout exnunc vult pro non dictis haberi, et si ea presumptuose forsitan defendisset, exinde veniam petebat humiliter, prout petit, subiciens se determinacioni et auctoritati s. Romane ecclesie ac eciam iudicio saniori. Quare pro parte memorati Jacobi nobis fuit humiliter supplicatum, ut providere sibi super hiis de oportuno remedio dignaremur. Nos igitur huiusmodi suplicacionibus inclinati, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus per te ipsum adhibitis aliquibus prudentibus viris in sacra theologia magistris Prage commorantibus, de quibus tibi videbitur, et vocatis qui fuerunt evocandi ac auditis hincinde propositis, quod iustum fuerit appellacione remota decernas, faciens quod decreveris per censuram ecclesiasticam firmiter observari; testes autem, qui fuerint nominati, si se gracia, odio vel timore subtraxerint, censura simili appellacione cessante compellas veritati testimonium perhibere; et nichilominus, si prefatum Jacobum in premissis reppereris innocentem, eum ad statum pristinum et ad famam publico et sollemniter, latine et vulgariter restituas et reponas et ceteris perpetuum silencium super premissis imponas; et si prefatum Jacobum in huiusmodi sibi impositis vel ipsorum aliquo culpabilem inveneris, ea per dictum Jacobum publice et sollemniter facias revocari sibique humiliter id petenti pro commissis iniungas penitenciam salutarem et ab ipso caucionem recipias, quod de cetero similia committentibus aut committere volentibus non prestet auxilium, consilium vel favorem; et postquam sibi huiusmodi penitenciam iniunxeris, ne duplici pena mulctari videatur, predictam suspensionem per te factam studeas revocare, contradictores eadem censura appellacione postposita compescendo. Non obstante, si aliquibus communiter vel divisim a sede apostolica sit indultum, quod interdici suspendi vel excommunicari non possint, per litteras apostolicas non facientes plenam et expressum ac de verbo ad verbum de

indulto huiusmodi mencionem. Datum Rome ap. S. Petrum idibus Decembris anno secundo.

R. Lat. 12 fol. 116b — a) ‚Johanni' eadem manu supra linea adscriptum, adiuncto ab alia manu nomine registratoris: ‚Jac[obus de Teramo]' b) corr. ex ‚honestis' c) ‚ipsimet' cod. d) ‚ab' cod. e) .prolāt' cod. — Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: PRO DEO, JAC. DE TERAMO. — Jacobus Mathiae de Kaplicz hic nominatus sine dubio idem est ac ille sacerdos Jacobus, discipulus magistri Mathiae de Janov, qui una cum dicto magistro in synodo cleri Pragensis 1389 Oct. 18 habita quosdam articulos erroneos revocare coactus est. Cf. Palacký, Documenta mag. Johannis Hus p. 700—702, et Krofta, Kněz Jakub, stoupenec Matěje z Janova (Český časopis hist. VI. p. 278).

---

421. *Universis praelatis et clero mandatur, ut Pavoni episcopo Tropiensi, referendario apostolico et apostolicae sedis nuntio ad Alamanniae superioris et inferioris, Leodii, Bohemiae et Metensem ac nonnullas alias mundi partes accessuro, de securo conductu provideant, praesentibus post unum annum minime valituris. „Rome ap. S. Petrum idibus Decembris a. secundo."*

Romae, 1390 Decembris 13.

R. Vat. 312 fol. 276a — In fine: (ad sin.) A. DE PORTUGRUARIO; (ad dext.) DE CURIA, A. DE PORTUGRUARIO.

---

422. *Pavoni episcopo Tropiensi, apostolicae sedis nuntio pro certis arduis Romanae ecclesiae et camerae apostolicae negotiis ad Alamanniae et Bohemiae ac nonnullas alias partes destinato, conceditur facultas ab omnibus collectoribus et succollectoribus camerae apostolicae, necnon commissariis et locatenentibus eorum, et inquisitoribus haereticae pravitatis ac praedicatoribus verbi crucis, in Coloniensi, Treverensi, Maguntinensi, Pragensi, Gneznensi, Salzburgensi et Magdeburgensi provinciis constitutis, de omnibus per eos nomine camerae apostolicae receptis, exactis, solutis et gestis rationes et computa exigendi. „Rome ap. S. Petrum XVIII. kal. Januarii . . . . a. secundo."*

Romae, 1390 Decembris 14.

R. Vat. 312 fol. 280b — In fine (ad dext.): DE CURIA, B. DE PISTORIO — Forma fere ad verbum cum nro. 162 concordat.

---

423. *Thomas de Paulow per litteras postea cancellatas in nonnullis Alamanniae et Bohemiae partibus pro ecclesia Romana et camera apostolica thesaurarius deputatur.*

Romae, 1390 Decembris 14.

Bonifacius . . . . Thome Nicolai de Paulow rectori parrochialis ecclesie in Furstenwalde Lubucensis diocesis . . . . Integre fidei probata sinceritas et

circumspecta prudencia alieque virtutes, quibus personam tuam fidedignorum testimoniis iuvari percepimus, nobis spem indubiam pollicentur, quod ea, que tibi commiserimus, cum debita diligencia et industria ac fideliter exequeris. Cum igitur . . . . Panonem episcopum Tropiensem, apostolice sedis nuncium, ad nonnullas Alamanie et Boemie ac alias partes pro quibusdam magnis et arduis nostris et Romane ecclesie negociis presencialiter destinemus, sibique pro camera apostolica quamplura negocia gerendi, procurandi, faciendi, expediendi et exequendi plenam concesserimus per nostras litteras potestatem, prout in eisdem litteris plenius continetur;[1]) sed quia dictus nuncius debita camere ipsius recipiendi et de receptis quitandi a nobis potestatem non habet, neque, licet de eo plenissime confidamus, certis de causis curat habere, ne defectu potestatis huiusmodi negocia ipsa impediri contingat, nos . . . . te pro nobis et eisdem ecclesia et camera in predictis partibus thesaurarium auctoritate apostolica presencium tenore constituimus et eciam deputamus, tibi debita camere predicte, eciam si super illis vel eorum aliquo dictus nuncius a nobis potestatem haberet, prout idem nuncius mandaverit, in partibus illis petendi, exigendi, recuperandi et recipiendi, necnon solventes de receptis et de hiis eciam, que pro dicta camera alias legitime persolvissent, quitandi et perpetuo liberandi et omnia alia et singula in premissis necessaria seu quomodolibet oportuna procurandi, faciendi, exequendi et complendi potestatem plenam et liberam auctoritate predicta harum serie concedentes. Nostre quoque intencionis existit, quod, cum eidem nuncio de florenis decem auri pro suis expensis per prelatos et personas ecclesiasticas parcium predictarum singulis diebus mandaverimus provideri, si forsan, quod absit, talis provisio sibi cum integritate non persolvatur, tu de hiis, que nomine predicte camere recipies, tantum, quantum de provisione huiusmodi defuerit, ipsi nuncio solvere non omittas. Quocirca devocionem tuam attente requirimus et monemus, tibi nichilominus in virtute sancte obediencie districte precipiendo mandantes, quatenus ad partes easdem cum prefato nuncio te personaliter conferens et oportunam in omnibus diligenciam adhibens, officium huiusmodi tibi commissum prudenter exequi studeas . . . . Volumus autem tibique adiicimus in mandatis, quod unum quaternum sive regestrum tecum portes, in quo omnia et singula, que vigore presencium recipere seu alias in premissis facere te continget, particulatim, distincte ac fideliter conscribantur, et quaternum seu regestrum huiusmodi vel eius copiam publica manu transsumptam tuoque sigillo signatam ad predictam cameram mittere seu portare studeas et reliqua consignare. Datum Rome ap. S. Petrum XVIII. kal. Januarii pont. n. a. secundo.

R. Vat. 312 fol. 280b — In fine (ad dext.) DE CURIA, G. GREGORII — Copia huius bullae in registro cancellata est, et in margine haec nota, alia manu adscripta, legitur: INDICCIONE XIIII DIE SABBATIS QUARTA DECIMA MENSIS JANUARII (sc. a. 1391) COMPARUIT CORAM REVERENDISSIMO DOM. CARDINALI CAMERARIO DICTUS THOMAS NICOLAI PRESENTIBUS DOMINIS DE CAMERA ET RENUNCIAVIT BULLE PREDICTE, ET IDEO CANCELLATUM. NICOLAUS. — [1]) Cf. nrum. immediate praecedentem.

---

424. *Parochialem ecclesiam s. Aegidii in Lužec*[a]) *Pragensis dioc., ad quam, ut asseritur, ex devotione magna confluit populi multitudo in die festivitatis s. Aegidii*

annuatim visitantibus et ad eiusdem ecclesiae conservacionem manus adiutrices porrigentibus duo anni et totidem quadragenae de iniunctis eis poenitentiis relaxantur. „Licet is“ „Rome ap. S. Petrum decimo nono kal. Januarii a. secundo.“

Romae, 1390 Decembris 14.

R. Lat. 12 fol. 194[a] — [a]) Luzecz. — In fine: JAC. XVI DE TERAMO.

425. *Mathias abbas in Sagano liberatur a solutione communis servitii.*

Romae, 1390 Decembris 16.

[A. 1390, indiccione XIV, pontificatus Bonifacii IX. anno secundo, die veneris, sexta decima mensis Decembris coram . . . . Marino . . s. Marie Nove dyacono cardinali, domini pape camerario, ...] venerabilis pater frater Mathias abbas monasterii in Saghano ord. s. Augustini Wratislauiensis diocesis fuit hac vice duntaxat propter paupertatem dicti monasterii a prestacione sui communis servicii liberatus.

Oblig. et sol. 48 fol. 111[b].

426. *Iudicibus mandatur, quatenus Petro [de Nemoticz] canonicatum et praebendam ac custodiam ecclesiae Posoniensis et capellam s. Ladislai sitam prope eandem ecclesiam conferant.*

Romae, 1390 Decembris 17.

Bonifacius . . . . episcopo Concordiensi et . . . . abbati monasterii Scotorum Wiennensis Patauiensis diocesis ac preposito ecclesie Posoniensis Strigoniensis diocesis[a]) . . . . Vite ac morum honestas, aliaque . . . . merita, super quibus . . . . Petrus Blasii alias dictus Durenholcz rector parrochialis ecclesie in Durenholcz Olomucensis diocesis . . . . commendatur . . . . , nos inducunt, ut sibi reddamur . . . . liberales. Cum itaque, sicut accepimus, canonicatus et prebenda ac custodia ecclesie Posoniensis et capella sine cura s. Ladislai sita prope eandem ecclesiam Strigoniensis diocesis, quos quondam Bernardus dictus Bernald . . . . obtinebat, per ipsius Bernaldi obitum, qui extra Romanam curiam diem clausit extremum, vacaverint et vacent ad presens,[b]) nos . . . . discrecioni vestre . . . . mandamus, quatenus . . . .[c]) canonicatum et prebendam ac custodiam necnon capellam predictos, que quidem custodia simplex officium est, et cuius ac eorundem canonicatus et prebende necnon capelle fructus . . . . triginta marcarum argenti puri . . . . valorem annuum . . . . non excedunt, ... prefato Petro auctoritate nostra conferre et assignare curetis . . . .; non obstantibus . . . . , quod dictus Petrus, ut asserit, predictam parrochialem ecclesiam, cuius viginti sex, obtinet, ac dudum sibi de capella s. Petri Snoymensi necnon Brunensis[1]) dicte Olomucensis diocesis, quorum sedecim marcharum argenti puri fructus . . . . valorem annuum non excedunt, concessum ac de prefate Posoniensis ecclesiarum canoni-

catibus et prebendis tunc certis modis vacantibus per litteras apostolicas mandatum fuit, ac nos nuper sibi de uno ad . . . . episcopi Olomucensis et . . . . prepositi, decani et capituli singulorumque canonicorum ecclesie Olomucensis . . . . necnon de duobus aliis beneficiis ecclesiasticis sine cura ad . . . . archiepiscopi Pragensis collacionem . . . . pertinentibus, vacantibus vel vacaturis, graciose concessimus provideri. Volumus autem, quod, quamprimum dictus Petrus . . . . predictos canonicatum et prebendam ecclesie Posoniensis fuerit pacifice assecutus, predicta concessionis gracia de prefatis aliis canonicatu et prebenda eiusdem ecclesie Posoniensis, ut prefertur, sibi facta et quecunque inde secuta sint cassa . . . . Datum Rome ap. S. Petrum sexto decimo kal. Januarii pont. n. a. secundo.

R. Lat. 19. fol. 306[a] — [a]) Adscriptum in margine loco cancellati: ‚dilectis filiis s. Georgii de Viridicampo et preposito (sic) Posoniensis Strigoniensis dioc. prepositis ac archidiacono Bocsiensis Strigoniensis ecclesiarum' [b]) in cod. sequitur: ‚licet dilectus filius Johannes rector plebanus nuncupatus parrochialis ecclesie in Sudomericz Pragensis dioc. eosdem canonicatum et prebendam ac custodiam necnon capellam detineat indebite occupatos', sed cancellatum adiuncta nota: „Cancellatum de mandato" [c]) sequitur: ‚vocatis dicto Johanne et aliis, qui fuerint evocandi', sed cancellatum ut supra. — Supra in marg. sin.: A DE PORTUGRUARIO; in fine: N. XXII DE BENEVENTO. — [1]) Cf. supra nr. 371. — Ed. cum pluribus erroribus Fraknói, Monum. Hungariae Vaticana, Ser. I tom. III, p. 108 nr. 125.

427. *Pavoni episcopo Tropiensi, nuntio apostolico, componendi cum clero infrascriptarum provinciarum super decima a sede apostolica ei nuper imposita facultas conceditur.*

Romae, 1390 Decembris 19.

Bonifacius . . . . Pauoni episcopo Tropiensi, apostolice sedis nuncio . . . . Nuper ex certis racionabilibus causis ad id nostrum inducentibus animum decimam omnium reddituum et proventuum ecclesiasticorum, in Coloniensi, Maguntinensi, Treuerensi, Pragensi, Salzeburgensi, Gneznensi et Magdeburgensi provinciis et civitate ac diocesi Cameracensibus consistencium, per duos annos a kalendis Januarii proxime futuri inchoandos et continue subsequentes in certis terminis tunc expressis ab omnibus et singulis archiepiscopis et episcopis ac prelatis et personis ecclesiasticis secularibus et regularibus, exemptis et non exemptis, huiusmodi redditus et proventus in predictis provinciis et civitate ac diocesi obtinentibus et infra dictum biennium obtenturis . . . . , quibusdam de more exceptis, solvendam, exigendam et colligendam ac in relevacionem onerum apostolice camere incumbencium convertendam auctoritate apostolica per alias nostras litteras duximus imponendam. Cum autem pro quibusdam magnis et arduis nostris et Romane ecclesie negociis te ad partes illas presencialiter destinemus et forsan pro necessitate rerum agendarum sit futurum expediens et honestum, quod de et super decima ipsa cum archiepiscopis, episcopis, prelatis et personis predictis aliqua composicio fiat, nos . . . . fraternitati tue super decima huiusmodi cum archiepiscopis, episcopis, prelatis et personis supradictis, si et prout tue circumspecioni videbitur, componendi plenam et liberam tenore presencium concedimus

facultatem, ratum habituri et gratum quicquid egeris in premissis. Datum Rome ap. S. Petrum XIIII. kal. Januarii pont. n. a secundo.

R. Vat. 312 fol. 287ª — In fine: (ad sin.) COM[PUTAVI]: (ad dext.) DE CURIA, B. DE FONTANELLIS.

---

428. *Mathias canonicus monasterii de Sagano eidem monasterio in abbatem praeficitur.*

Romae, 1390 Decembris 19.

Bonifacius . . . . dilecto filio Mathie abbati monasterii de Sagano ord. s. Augustini Wratislauiensis diocesis . . . . Inter solicitudines varias, quibus assidue premimur, illa potissime pulsat et excitat mentem nostram, ut status ecclesiarum et monasteriorum omnium, cure nostre divina providencia commissorum, spiritualiter et temporaliter augeatur, quodque illis, que suis destituta pastoribus vacacionis incommoda deplorare noscuntur, tales ministros preficere studeamus, per quorum regimen ecclesie et monasteria ipsa valeant utiliter et salubriter gubernari. Dudum siquidem quondam Johanne abbate monasterii de Sagano ord. s. Augustini Wratislauiensis diocesis regimini eiusdem monasterii presidente, nos cupientes eidem monasterio, cum vacaret, per apostolice sedis providenciam utilem et ydoneam preesse personam, provisionem eiusdem monasterii ordinacioni et disposicioni nostre reservantes, decrevimus extunc irritum et inane, si secus super hiis per quoscumque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari. Postmodum vero, cum prefatum monasterium per ipsius Johannis abbatis obitum, qui extra Romanam curiam decessit, vacavisset, nos vacacione huiusmodi fidedignis relatibus intellecta, ad provisionem ipsius monasterii celerem et felicem, de qua nullus preter nos ea vice se intromittere potuerat neque poterat, reservacione et decreto obsistentibus supradictis, ne monasterium ipsum longe vacacionis exponeretur incommodis, paternis et solicitis studiis intendentes, de persona quondam Nicolai dicti monasterii abbatis eidem monasterio auctoritate apostolica providimus ipsumque illi prefecimus in abbatem. Cum itaque postmodum prefatus Nicolaus, litteris apostolicis super huiusmodi provisione non confectis, extra dictam curiam viam fuerit universe carnis ingressus, et secundum premissa prefatum monasterium adhuc, ut prefertur, vacare noscatur, nullusque de illius provisione preter nos hac vice se intromittere potuerit sive possit, reservacione et decreto obsistentibus supradictis, ne monasterium ipsum longioris vacacionis sustineat detrimenta, paternis et solicitis studiis intendentes, post deliberacionem, quam de preficiendo eidem monasterio personam utilem et eciam fructuosam cum fratribus nostris habuimus diligentem, demum ad te, canonicum eiusdem monasterii, ordinem ipsum expresse professum et in sacerdocio constitutum, cui de religionis zelo, litterarum sciencia, vite mundicia, honestate morum, spiritualium providencia et temporalium circumspeccione aliisque multiplicium virtutum donis apud nos fidedigna testimonia perhibentur, et pro quo eciam dilecti filii conventus eiusdem monasterii per suas patentes litteras nobis super hoc humiliter supplicarunt, direximus oculos nostre mentis, quibus

omnibus debita meditacione pensatis, de persona tua nobis et eisdem fratribus ob dictorum tuorum exigenciam meritorum accepta eidem monasterio de ipsorum fratrum consilio auctoritate apostolica providemus, teque illi preficimus in abbatem, curam et administracionem ipsius monasterii tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, in illo, qui dat gracias et largitur premia confidentes, quod, dirigente domino actus tuos, prefatum monasterium per tue circumspeccionis industriam et studium fructuosum regetur utiliter et prospere dirigetur ac grata in eisdem spiritualibus et temporalibus suscipiet incrementa. Volumus autem, quod in dicto monasterio solitus canonicorum et ministrorum numerus nullatenus minuatur. Quocirca discrecioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus impositum tibi a domino onus regiminis dicti monasterii suscipiens reverenter, sic te in eius cura salubriter exercenda diligentem exhibeas et eciam studiosum, quod monasterium ipsum gubernatori provido et fructuoso administratori gaudeat se commissum, tuque preter eterne retribucionis premium nostram et dicte sedis benedicciouem et graciam exinde uberius consequi merearis. Datum Rome ap. S. Petrum quarto decimo kal. Januarii pont. n. a. secundo.

Simili modo: dilectis filiis conventui monasterii de Sagano ord. s. Augustini Wratislauiensis diocesis . . . . Inter solicitudines varias, quibus etc. Quocirca discrecioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus eundem abbatem tamquam patrem et pastorem animarum vestrarum grato admittentes honore ac exhibentes sibi obedienciam et reverenciam debitas et devotas, eius salubria monita et mandata suscipiatis humiliter et efficaciter adimplere curetis; alioquin sentenciam, quam idem abbas rite tulerit in rebelles, ratam habebimus et faciemus usque ad satisfaccionem condignam inviolabiliter observari. Datum ut supra.

Simili modo: venerabili fratri . . episcopo Wratislauiensi . . . . Inter solicitudines etc. Cum itaque, ut idem abbas in commissa sibi cura predicti monasterii, quod tibi ordinario iure subesse dinoscitur, facilius proficere valeat, tuus favor ei fore noscatur plurimum oportunus, fraternitatem tuam rogamus et hortamur attente per apostolica tibi scripta mandantes, quatenus eundem abbatem et commissum sibi monasterium habens pro nostra et apostolice sedis reverencia propensius commendatos, in ampliandis et conservandis iuribus suis sic eos tui favoris presidio prosequaris, quod idem abbas in commisso sibi eiusdem monasterii regimine se possit utilius exercere, tuque divinam misericordiam et nostram ac dicte sedis benivolenciam et graciam exinde uberius consequi merearis. Datum ut supra.

R. Lat. 13 fol. 124b — In fine: N. XVIII. VIIII. VIIII DE BENEVENTO.

429. *Welhardo de Zedlitz*[a]) *et Bernhardo de Zedlitz*[a]) *clericis ac nobili viro Bernhardo de Zedlicz*[a]) *militi et Petro Haseler laico necnon Catherinae Soschwiczynne et Agathae Hemynne mulieribus Vratislaviensis dioc. indulgetur, ut aliquas ecclesias illarum partium per confessorem eis deputandas septem diebus continuis vel interpolatis saltem semel in die infra festum resurrectionis domini visitando,*

plenissimam peccatorum suorum veniam perinde consequantur, ac si infra annum iubilei 1390 Romam personaliter visitassent. „Devocionis vestre“ „Rome ap. S. Petrum XIIII. kal. Januarii pont. n. a. secundo.“

Romae, 1390 Decembris 19.

R. Lat. 12 fol. 266[a] — [a]) Czedelicz — In fine: N. XXX DE BENEVENTO.

---

430. *Nicolao [de Boleslavia] electo Abelonensi*[1]) *indulgetur, ut pontificalia officia etiam extra civitatem et diocesim Abelonensem in quibuscunque aliis diocesibus cum diocesanorum consensu exercere possit. „Personam tuam“ „Rome ap. S. Petrum undecimo kal. Januarii a. secundo.“*

Romae, 1390 Decembris 22.

R. Lat. 12 fol. 204[b] — In fine: JAC. XX DE TERAMO — [1]) Cf. supra nr. 318.

---

431. *Johanni Slemekitel, Nicolao Schilher, Johanni Peylacher, Georio Staynpeck, necnon Margarethae praedicti Johannis Slemekitel et Annae Pauli Wurffel laicorum uxoribus Pataviensis et Olomucensis diocesium indulgetur, ut aliquas ecclesias illarum partium per confessorem eis deputandas septem diebus continuis vel interpolatis semel saltem in die infra duos menses a die receptionis praesentium visitando, plenissimam peccatorum suorum veniam perinde consequantur, ac si infra annum iubilei 1390 Romam personaliter visitassent. „Devocionis vestre“ „Rome ap. S. Petrum XI. kal. Januarii pont. n. a. secundo“.*

Romae, 1390 Decembris 22.

R. Lat. 12 fol. 249[a] — In fine: N. XXX DE BENEVENTO.

---

432. *Ulrico notario cambii, Petro Seltepamhof, Henslino dicto Deymyl, Mixikoni de Pirkštein,*[a]) *Henslino Sakleyher, Conrado dicto Mulner et Petro dicto Servitori de Montibus, necnon Myrkoni ciri Pragensi, Preskoni dicto Noss, Janoni Hraviška de Vyčapy*[b]), *Přibikoni de Ostrov*[c]), *Adamkoni de Paseky*[d]), *Jacobo de Dymokury*[e]) *et Janoni de Skalicz*[f]) *armigeris, atque Annae dicti Ulrici notarii uxori, Annae viduae, dictae Annae matri, Margaretae Duchkonis dicti Prager, Margaretae Francisci dicti Gysser, Elizabeth Mathiae de Asino, Dorotheae Henslini dicti Deymyl, Agneti Petri de Pětichvost*[g]), *Catherinae Adamkonis, Magdalenae de Sonnenberg*[h]) *et Elizabeth Jacobi laicorum uxoribus, mulieribus Pragensis dioc., indulgetur, ut aliquas ecclesias illarum partium per confessorem eis deputandas septem diebus continuis vel interpolatis saltem semel in die infra festum resurrectionis domini visitando, plenissimam peccatorum suorum veniam perinde consequantur, ac si infra annum iubilei 1390 Romam personaliter visitassent. „Devocionis vestre“ „Rome ap. S. Petrum undecimo kal. Januarii a. secundo.“*

Romae, 1390 Decembris 22.

R. Lat. 12 fol. 246ᵗ — a) ‚Perkensteyn' b) ‚Hrawischka de Wychschap' c) ‚Przybiconi de Ostrow' d) ‚Pasyk' e) ‚Sdymokor' f) ‚Skalycz' g) ‚Pyetichwost' h) ‚Sumberk' — In fine: N. XLVI DE BENEVENTO.

---

433. *Petro Blasii de Nemoticz presbytero Olomucensis dioc. tabellionatus officium conceditur. „Ne contractuum memoria" „Rome ap. S. Petrum undecimo kal. Januarii a. secundo."*

Romae, 1390 Decembris 22.

R. Lat. 1 fol. 96ᵗ — In fine: N. XVI DE BENEVENTO.

---

434. *Pavoni episcopo Tropiensi, nuntio apostolico, conceditur potestas exigendi ab omnibus ad indulgentiam anni iubilei publicandam deputatis omnes pecunias et res, quas ratione indulgentiae huiusmodi receperunt.*

Romae, 1390 Decembris 23.

Bonifacius .... Pauoni episcopo Tropiensi referendario nostro ac apostolice sedis nuncio .... Cum dilectus filius Franciscus tituli s. Susanne presbyter cardinalis, tunc in nonnullis partibus apostolice sedis legatus, nonnullos deputaverit in diversis partibus ad publicandum et concedendum personis ipsarum parcium indulgenciam instantis anni iubilei et commutandum eisdem personis laborem personalem et expensas, quos .... passe fuissent, si pro huiusmodi indulgencia assequenda ad dictam Urbem venissent et basilicas ac ecclesias ipsius Urbis ad hoc deputatas visitassent, in alia pia opera pietatis, videlicet in fabricis basilicarum et ecclesiarum predictarum, et ad exigendum et recipiendum ab ipsis personis ea, que racione dicte commutacionis predicte persone dare et assignare predictis basilicis et ecclesiis tenerentur, ac eciam oblaciones, quas persone huiusmodi eisdem basilicis et ecclesiis obtulissent, si ad ipsam Urbem personaliter propterea venissent ...., ipsique sic per dictum legatum .... deputati nonnullis personis ad ipsam Urbem certis de causis venire non valentibus huiusmodi indulgenciam concesserunt et racione commutacionis laborum et expensarum predictarum nonnullas pecunias et alias res et bona ac eciam oblaciones huiusmodi nomine basilicarum et ecclesiarum predictarum receperunt, quas basilicis et ecclesiis predictis destinare postposuerunt et postponunt ...., nos .... fraternitati tue, quam ad Almanie superioris et inferioris, Boemie, Leodiensem, Metensem et nonnullas alias partes pro nonnullis nostris et Romane ecclesie negociis presencialiter destinamus, per te vel alium seu alios ydoneos, quos ad hoc duxeris eligendos, nomine basilicarum et ecclesiarum predictarum petendi, exigendi et recipiendi ab omnibus et singulis per dictum legatum in quibuscunque partibus sic ut prefertur deputatis omnes et singulas pecunias res et bona quecunque, quas et que ipsi a quibuscunque personis quarumcunque parcium racione et ex causa concessionis, commutacionis et oblacionum predictarum quovis modo per se vel alios quoscunque receperint, super quibus, si necesse fuerit, summarie et

simpliciter et de plano ac sine strepitu et figura iudicii te informes, ... ac ipsos de hiis, que ab ipsis te recipere continget, exinde quitandi et eciam absolvendi .... concedimus auctoritate apostolica .... potestatem. Volumus autem, quod de hiis, que exinde receperis, duo confici facias similia publica instrumenta, quorum unum, reliquo penes te retento, camere apostolice destinare non postponas .... Datum Rome ap. S. Petrum X. kal. Januarii pont. n. a. secundo.

R. Vat. 312 fol. 284ᵛ — In fine (ad dext.): DE CURIA, JO. NAMSLAW.

---

435. *Collectori et sucollectori Pragensibus mandatur, quatenus a Gallo de Přibram tantum exigant, quantum expendere debuisset, si limina apostolorum visitavisset.*

Romae, 1390 Decembris 24.

Augustinus [.... episcopus Perusinus, domini nostri pape thesaurarius,] venerabilibus viris dominis .. in civitate et diocesi Pragensibus iurium apostolice camere debitorum collectori et eius succollectori .... Tenore presencium vobis districte precipimus et mandamus, quatenus diligenter et mature consideratis expensis, quas honorabilis vir dom. Gallus de Przibram canonicus Pragensis verisimiliter incurrere debuisset, iuxta status sui condecenciam in visitando limina beatorum Petri et Pauli apostolorum de Urbe, que .... vovit personaliter visitare ...., [1]) [eas] petatis et exigatis ac ad cameram apostolicam predictam pro reparacione ecclesiarum Urbis convertendas transmittere non tardetis, deductis tamen decem florenis ungaricalibus, quos nobis die date presencium per manus discreti viri Bohuslai clerici Pragensis, familiaris sui, pro composicione dicti voti solvi fecit ...., concedentes vobis harum serie dictum dominum Gallum de solutis vobis pro huiusmodi causa quitandi .... Datum Rome [ap. S. Petrum] die vicesima quarta Decembris a. secundo.

Armar. XXIX tom 1 fol. 200ᵇ — [1]) Cf. supra nr. 376.

---

436. *Omnibus, qui capellam s. Catherinae in castro Freienstein*[a]) *Olomucensis dioc. certis diebus anni (in nro. 366 nominatis) visitaverint et ad eius fabricam manus adiutrices porrexerint, duo anni et duae quadragenae, resp. centum dies de iniunctis eis poenitentiis relaxantur, praesentibus post decennium minime valituris. „Licet is“ „Rome ap. S. Petrum sexto kal. Januarii a. secundo.“*

Romae, 1390 Decembris 27.

R. Lat. 17 fol. 241ᵃ — [a]) ‚Freynstayn‘ — In fine: N. XVI DE BENEVENTO.

---

437. *Frater Laurentius Nicolai humulatoris de Vratislavia canonicus monasterii s. Mariae extra muros Vratislavienses ord. s. Augustini in capellanum sedis apo-*

stolicae recipitur. „Virtutibus clarens“ „Rome ap. S. Petrum VI. kal. Januarii pont. n. a. secundo.“

Romae, 1390 Decembris 27.

R. Vat. 313 fol. 243a cum his notis in fine: (ad sin.) X, COM[PUTAVI]; (ad dext.) REGISTRATA GRATIS, J. CHAMBONIS. Altera copia in R. Lat. 10 fol. 316a, ubi in fine adscriptum est: N. X DE BENEVENTO. Tertia copia sine notis in Armar. XXXI tom. 36 fol. 36a.

---

438. *Episcopo Perusino et abbati monasterii Brevnoviensis*[a] *prope Pragam ac officiali Pragensi mandatur, quatenus Johanni Petri de Třemošnicz*[b] *clerico Pragensis dioc., qui in registris thesaurariae camerae apostolicae longo tempore laboravit, plebaniam ‚rectoriam‘ nuncupatam ecclesiae s. Aegidii Pragensis, quae curata est, cuiusque fructus viginti quatuor marcarum argenti valorem annuum non excedunt, vacantem per obitum ultimi plebani ‚rectoris‘ nuncupati Duchkonis,*[c] *qui extra Romanam curiam decessit, auctoritate apostolica conferant,*[1] *non obstante, quod dudum eidem Johanni de canonicatu sub exspectatione praebendae ecclesiae Olomucensis ac de beneficio ecclesiastico cum vel sine cura, vacante vel vacaturo, ad collationem archiepiscopi Pragensis et praepositi, decani et capituli ecclesiae Pragensis pertinente, a papa concessum est provideri. „Vite ac morum.“*

[1390.]

R. Lat. 1 fol. 103a — a) ‚Brewnouien‘ b) ‚Trzemossnicz‘ c) ‚Duchco‘ — Finis huius bullae cum data in registro deest, quia sequens folium e codice evulsum est. — 1) Conf. Libros confirm ad 1390 Oct. 21, ubi legitur: „ad plebaniam seu perpetuam vicariam ecclesie s. Egidii per mortem dom. Duchconis .... vacantem .... dom. Procopium canonicum ecclesie Wissegradensis, presbyterum, ... rectorem legitimum instituimus.“ Ibidem a. 1390 Nov. 26 et 1391 Maii 31 Procopius plebanus ecclesiae s. Aegidii commemoratur. Cf. etiam infra nr. 623.

---

439. *Iudicibus mandatur, quatenus Petrum de Nemoticz in rectorem capellae s. Petri in Znojma instituant.*

Romae, 1391 Januarii 2.

Bonifacius .... abbati monasterii Lucensis prope Snoymam Olomucensis diocesis et .. decano ac .. archidiacono ecclesie Olomucensis .... Vite ac morum honestas aliaque .... merita, super quibus .... Petrus Blasii de Nemoticz rector parrochialis ecclesie in Dornholcz Olomucensis diocesis .... commendatur ...., nos inducunt, ut sibi reddamur .... liberales. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dicti Petri peticio continebat, quod olim cappella s. Petri in Snoyma dicte diocesis per liberam resignacionem .... Nicolai de Gorziczano ipsius capelle rectoris, per eum de illa in manibus .... Johannis de Guben (*sic*) [1] officialis Olomucensis extra Romanam curiam sponte factam et per eundem officialem extra eandem curiam auctoritate ordinaria admissam, vacante, ... nobilis vir Jodocus marchio Morauie verus patronus dicte cappelle .... prefatum Petrum

officiali predicto infra tempus legitimum presentavit. Cum autem, sicut eadem peticio subiungebat, prefatus officialis dictum Petrum in rectorem ipsius capelle instituere absque racionabili causa recusaverit, et .... eadem capella adhuc .... vacare noscatur, nos volentes eidem Petro, qui presbyter est, ... graciam facere specialem, discrecioni vestre .... mandamus, quatenus ...., si presentacionem huiusmodi legitime et de persona ydonea factam esse inveneritis, eundem Petrum in rectorem predicte capelle, que sine cura est, cuiusque fructus .... sex marcharum argenti puri .... valorem annuum .... non excedunt, ... auctoritate nostra instituere curetis ....; non obstantibus ...., quod prefatus Petrus, ut asserit, dictam parrochialem ecclesiam, cuius viginti sex, obtinet, et sibi de canonicatibus et prebendis s. Petri in Brunna et Pozoniensis predicte Olomucensis et Strigoniensis diocesium ecclesiarum, tunc certis modis vacantibus, et quorum quindecim marcharum argenti puri fructus .... valorem annuum non excedunt, fuit auctoritate apostolica provisum,[2]) quodque nuper sibi de beneficio ecclesiastico sine cura, ad collacionem .... prefati episcopi [Olomucensis] et .... prepositi, decani et capituli ecclesie Olomucensis .... pertinente, vacante vel vacaturo, graciose concessimus provideri .... Datum Rome ap. S. Petrum quarto nonas Januarii a. secundo.

R. Lat. 12 fol. 101b — Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: N. XVIII DE BENEVENTO — [1]) Recte Gulen, Ghulen [2]) Cf. supra nros. 371 et 426.

---

440. *Cum Mathaeo Johannis baronis baroniae de Sternberg*[a]) *alias de Lukov*[b]) *Olomucensis dioc. nato, qui diaconus est, dispensatur, ut non obstante defectu aetatis, quem patitur, cum in vicesimo primo actatis suae anno constitutus existat, curatum beneficium ecclesiasticum, etiam si dignitas, personatus vel officium fuerit, recipere illudque dimittere et loco dimissi aliud beneficium ecclesiasticum recipere valeat.* „*Nobilitas generis*“ „*Rome ap. S. Petrum quarto nonas Januarii a. secundo*“.

Romae, 1391 Januarii 2.

R. Lat. 12 fol. 126b — [a]) ‚Sternberg‘ [b]) ‚Lucaw‘ — In fine JAC. XVI DE TERAMO.

---

441. *Mathiae, nuper a papa Bonifacio monasterio in Sagano ord. s. Augustini Vratislaviensis dioc. in abbatem praefecto,*[1]) *conceditur, ut a quocunque catholico antistite munus benedictionis recipere valeat, ita tamen, ut episcopo Vratislaviensi, cui dictum monasterium ordinario iure subesse dinoscitur, nullum praeiudicium generetur.* „*Cum nuper*“ „*Rome ap. S. Petrum tercio nonas Januarii a. secundo.*“

Romae, 1391 Januarii 3.

R. Lat. 12 fol. 193b — In fine: N. X DE BENEVENTO — [1]) Cf. supra nr. 428.

---

442. *Nobili mulieri Elizabeth relictae quondam Petri baronis baroniae de Michelsberg*[a]*), viduae Pragensis dioc., indulgetur, ut cum duabus matronis honestis monasterium s. Francisci Pragense monialium inclusarum, sub cura et secundum instituta ord. fratrum minorum viventium, ter in anno ingredi possit. „Devocionis sinceritas promeretur" „Rome ap. S. Petrum octavo idus Januarii a. secundo".*

Romae, 1391 Januarii 6.

R. Lat. 12 fol. 195[b] — [a]) ‚Michelsperg' — In fine JAC. X DE TERAMO.

---

443. *Visitantibus parrochialem ecclesiam in Hainau indulgentiae conceduntur.*

Romae, 1391 Januarii 7.

Bonifacius . . . . universis . . . . Licet is . . . . Cum itaque, sicut accepimus, parrochialis ecclesia opidi Haynaw Wratislauiensis diocesis, que ab olim laudabiliter constructa fuerat, proximis temporibus propter cuiusdam turris casum sit pro maiori parte collapsa, campanis et organis, que ibidem prius erant, in toto destructis, et nisi de celeris subvencionis remedio succurratur, quod pars ipsius ecclesie, que remansit, totaliter corruat, sit verisimiliter dubitandum, nos cupientes, quod ecclesia ipsa congruis honoribus frequentetur et eciam reparetur . . . . , omnibus vere penitentibus et confessis, qui in nativitatis, circumcisionis, ephiphanie, resurreccionis, ascensionis et corporis domini nostri Jesu Christi et penthecostes ac nativitatis, annunciacionis, purificacionis b. Marie virginis, sub cuius vacabulo dicta ecclesia est fundata, ac nativitatis b. Johannis Baptiste, dictorum beatorum apostolorum Petri et Pauli ac dedicacionis ipsius ecclesie festivitatibus et celebritate omnium sanctorum, necnon per ipsarum nativitatis, ephyphanie, resurreccionis, ascensionis et corporis domini ac nativitatis et assumpcionis b. Marie et nativitatis b. Johannis ac apostolorum Petri et Pauli predictorum festivitatum octavas et per sex dies dictam festivitatem penthecostes immediate sequentes eandem ecclesiam devote visitaverint annuatim et ad eius reparacionem manus porrexerint adiutrices, singulis videlicet festivitatum et celebritatis unum annum et quadraginta dies, octavarum vero et sex dierum predictorum diebus, quibus ecclesiam ipsam visitaverint et adiutrices manus porrexerint, ut prefertur, centum dies de iniunctis eis penitenciis misericorditer relaxamus, presentibus post decennium minime valituris. Volumus autem . . . . Datum Rome ap. S. Petrum septimo idus Januarii a. secundo.

R. Lat. 12 fol. 231[a] — In fine N. XV$_1$ DE BENEVENTO.

---

444. *Nicolaus de Unhošt*[a]*) ordinis fratrum minorum professor in sacerdotio constitutus ecclesiae Laventinensi per obitum Henrici episcopi vacanti in episcopum praeficitur, cum Ortholphus decanus Salzburgensis provisionem de dicta ecclesia sibi factam acceptare non curaverit, et Augustinus episcopus Concordiensis translationem suam ad eandem ecclesiam expresse recusaverit. „Apostolatus officium"*

„Rome ap. S. Petrum tercio idus Januarii pont. n. a. secundo.“ — Simili modo scribitur: 1. capitulo ecclesiae Laventinensis, 2. clero diocesis Laventinensis, 3. populo eiusdem diocesis, 4. universis vasallis ecclesiae Laventinensis, 5. archiepiscopo Salzburgensi, 6. Venceslao regi Romanorum.

Romae, 1391 Januarii 11.

R. Lat. 13 fol. 125ᵇ – ᵃ) ‚Vnhost‘ — In fine: DE MANDATO, JAC. DE TERAMO.

---

445. *Johannes canonicus monasterii Strahoviensis eidem monasterio in abbatem praeficitur.*

Romae, 1391 Januarii 11.

Bonifacius . . . . Johanni abbati monasterii Strahouiensis alias Montis Syon prope Pragam premonstratensis ordinis . . . . Inter solicitudines varias . . . . Dudum siquidem quondam Conrado abbate monasterii Strahouiensis alias Montis Syon prope Pragam premonstratensis ord. regimini eiusdem monasterii presidente, nos . . . . provisionem ipsius monasterii ordinacioni et disposicioni nostre duximus ea vice specialiter reservandam, decernentes extunc irritum . . . ., si secus . . . . contingeret attemptari. Postmodum vero prefato monasterio per obitum dicti Conradi abbatis, qui extra Romanam curiam debitum nature persolvit, abbatis regimine destituto, dilecti filii conventus eiusdem monasterii, reservacionis et decreti predictorum ignari, te, canonicum dicti monasterii ordinem ipsum expresse professum et in sacerdocio constitutum, in eorum et dicti monasterii abbatem licet de facto concorditer elegerunt, tuque, reservacionis et decreti predictorum similiter inscius, eleccioni huiusmodi, illius tibi presentato decreto, eciam de facto consensisti. Et demum reservacione et decreto predictis ad tuam deductis noticiam, huiusmodi eleccionis negocium proponi fecisti in consistorio coram nobis. Nos igitur huiusmodi eleccionem et quecunque inde secuta, utpote post et contra reservacionem et decretum predicta de facto, ut premittitur, attemptata, reputantes, prout erant, irrita et inania . . . ., post deliberacionem, quam . . . . cum fratribus nostris habuimus diligentem, demum ad te . . . . direximus oculos nostre mentis, quibus omnibus necnon dictorum conventus te eligencium concordi voluntate attenta meditacione pensatis, de persona tua . . . . eidem monasterio de dictorum fratrum consilio . . . . auctoritate apostolica providemus teque illi preficimus in abbatem . . . . Datum Rome ap. S. Petrum tercio idus Januarii a. secundo.

Simili modo . . . . conventui monasterii Strahouiensis alias Montis Syon prope Pragam premonstratensis ord. . . . .

Simili modo . . . . abbati monasterii Premonstratensis Laudunensis diocesis . . . . Inter solicitudines varias etc. Cum igitur, ut idem abbas in commissa sibi cura predicti monasterii, quod tibi ut patri abbati ex institutis eiusdem ordinis subesse dinoscitur, facilius proficere valeat, tuus favor sibi esse noscatur plurimum oportunus, discrecionem tuam rogamus et hortamur attente . . . ., quatinus eundem abbatem et commissum sibi monasterium . . . . favoris presidio prosequaris . . . .

R. Lat. 13 fol. 132ᵃ — In fine: N XVIII. VIIII. VIIII DE BENEVENTO.

446. *Praepositus Budissinensis Misnensis dioc. et decanus s. Crucis Vratislaviensis ac archidiaconus Lubucensis ecclesiarum instituuntur conservatores abbatis et conventus monasterii in Sagano ord. s. Augustini Vratislaviensis dioc. usque ad quinquennium. „Militanti ecclesie“ „Rome ap. S. Petrum idibus Januarii pont. n. a. secundo.“*

Romae, 1391 Januarii 13.

R. Lat. 13 fol. 290b — In fine: N. XXX DE BENEVENTO.

---

447. *Marino s. Mariae Novae cardinali providetur motu proprio de canonicatu et praebenda cum gratiis canonicalibus in ecclesia Vratislaviensi vacantibus.*

Romae, 1391 Januarii 13.

Bonifacius . . . . Marino s. Marie Noue diacono cardinali . . . . Dum [ad] personam tuam, quam divina clemencia variis illustravit muneribus graciarum, paterne dirigimus consideracionis intuitum et attente prospicimus, quod tu Romanam ecclesiam, cuius honorabile membrum existis, tuorum honoras magnitudine meritorum, dignum quinimo debitum reputamus et congruum, ut eam tibi reperias in exhibicione graciarum munificam et in tuis oportunitatibus liberalem. Dudum siquidem fel. rec. Urbanus pp. VI. predecessor noster omnes canonicatus et prebendas ceteraque beneficia ecclesiastica, que promovendi per eum ad quarumcunque ecclesiarum cathedralium regimina tempore promocionum huiusmodi obtinerent, extunc inantea vacatura, collacioni et disposicioni sue reservans, decrevit extunc irritum . . . ., si secus . . . . contingeret attemptari. Et deinde idem predecessor . . . . Heinricum Wladislauiensem, tunc Cameracensem electum ad ecclesiam Cameracensem tunc vacantem duxit auctoritate apostolica promovendum, preficiendo ipsum eidem ecclesie in episcopum et pastorem; postmodum vero eundem Heinricum, antequam possessionem pacificam ipsius ecclesie assequeretur, a vinculo, quo eidem ecclesie, cui tunc preerat, tenebatur, absolvens, eum ad ecclesiam Wladislauiensem tunc pastore carentem eadem auctoritate transtulit, preficiendo ipsum eidem ecclesie Wladislauiensi in episcopum et pastorem, prout in diversis ipsius predecessoris inde confectis litteris plenius continetur.[1]) Et subsequenter canonicatu et prebenda ecclesie Wratislauiensis cum graciis canonicalibus in eadem ecclesia, quos dictus Heinricus electus tempore promocionis, translacionis et prefeccionis huiusmodi . . . . obtinebat, per huiusmodi promocionem, translacionem et prefeccionem et lapsum temporis de consecrandis episcopis a canonibus diffiniti vacantibus, dictoque predecessore, de illis per eum non disposito, ... rebus humanis exempto, nos . . . . ad apicem summi apostolatus assumpti . . . . per nostras litteras declaravimus canonicatus et prebendas ceteraque beneficia supradicta, que tempore obitus dicti predecessoris sic reservata vacabant, remansisse et remanere per huiusmodi reservacionem et decretum affecta . . . . Cum autem dicti canonicatus et prebenda cum graciis canonicalibus adhuc . . . . vacare noscantur . . . ., nos . . . . canonicatum et prebendam ac gracias canonicales supradictos, quorum fructus . . . . quadraginta

marcharum argenti puri . . . . valorem annuum non excedunt, motu . . . . proprio . . . . apostolica tibi auctoritate conferimus et de illis eciam providemus . . . . Datum Rome ap. S. Petrum idibus Januarii a. secundo.

Simili modo . . . . episcopo Tudensi et . . . . Wratislauiensis ac s. Crucis prope Wratislauiam ecclesiarum prepositis . . . .

R. Lat. 13 fol. 235b — In fine: PRO DOMINO CARDINALI, N. DE BENEVENTO. — [1]) Henricus de Legnicz obligavit se pro ecclesia Vratislaviensi 1389 Mai 14.

---

448. *Auditori apostolico mandatur motu proprio, quatenus Philippum episcopum Ostiensem surroget ad omne ius, quod Johanni Goeswini in archidiaconatu ecclesiae s. Mariae Glogoviensis tempore eius obitus competebat.*

Romae, 1391 Januarii 13.

Bonifacius . . . . magistro Andree Baret capellano nostro et apostolici palacii causarum auditori . . . . Dum exquisitam venerabilis fratris nostri Philippi episcopi Ostiensis circumspeccionis industriam diligenter attendimus et paterna consideracione pensamus, quod idem episcopus Romanam ecclesiam, cuius honorabile membrum existit, suorum honorat magnitudine meritorum ,dignum reputamus et debitum, ut eam sibi reperiat . . . . liberalem. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte ipsius episcopi peticio continebat, quod orta dudum inter ipsum episcopum et quondam Johannem Goeswini clericum super archidiaconatu ecclesie s. Marie Glogouiensis-Maioris Wratislauiensis diocesis, de quo tunc vacante per obitum quondam Petri Streycholtz ...., qui extra Romanam curiam diem clausit extremum, episcopus auctoritate apostolica sibi graciose et canonice provisum fuisse, dictumque Johannem se gracie et provisioni predictis contra iusticiam opposuisse et opponere ac fecisse et facere, quominus gracia et provisio predicte debitum sortirentur effectum. Johannes vero predicti eundem archidiaconatum ad se de iure spectare asserebant, prout ipse episcopus adhuc asserit, materia questionis et causa huiusmodi ad sedem apostolicam legitime introducta, nos causam huiusmodi ad instanciam dicti episcopi tibi . . . . commisimus . . . . , et tandem, postquam in causa huiusmodi coram te ad nonnullos actus inter partes ipsas processum fuerat, prefatus Johannes in possessione dicti archidiaconatus existens ac lite huiusmodi sic coram te indecisa pendente extra dictam curiam extitit vita functus. Nos igitur . . . . , ne dicto episcopo novus adversarius in causa huiusmodi surrogetur, ac ut expensarum onera, que ipsum iugiter subire oportet, facilius supportare valeat, de alicuius subvencionis auxilio providere .... volentes, motu proprio . . . . discrecioni tue . . . . mandamus, quatenus eundem episcopum in omni iure et ad omne ius, si quod prefato Johanni in eodem archidiaconatu, cuius fructus . . . . quadraginta marcharum argenti puri . . . . valorem annuum . . . . non excedunt, seu ad eum tempore sui obitus quomodolibet competebat aut competere poterat, eciam si dictus archidiaconatus dignitas parrochialis in ipsa ecclesia s. Marie existat, sibique cura immineat animarum, et ad eum quis consueverit per eleccionem assumi, auctoritate nostra surroges .... dictumque episcopum ad huiusmodi ius et eius prosecucionem . . . . et eciam

ad possessionem huiusmodi, in qua eciam prefatus Johannes tempore dicti obitus erat, admittas et admitti facias, ut est moris, et nichilominus archidiaconatum predictum . . . . eidem episcopo auctoritate predicta conferas et assignes . . . .; non obstantibus quibuscunque statutis et consuetudinibus contrariis . . . . Nos enim cum eodem episcopo, ut dictum archidiaconatum . . . . recipere et una cum Ostiensi et Velletrensi ecclesiis canonice unitis ac . . . . aliis beneficiis ecclesiasticis . . . ., quecunque, quotcunque et qualiacunque fuerint, retinere libere et licite valeat . . . ., motu simili dispensamus . . . . Datum Rome ap. S. Petrum idibus Januarii a. secundo.

R. Lat. 13 fol. 178^{b} — Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: PRO DOMINO CARDINALI, N. DE BENEVENTO.

---

449. *Philippo episcopo Ostiensi conceditur facultas contra praelatos et clerum, qui ei durante eius legatione procurationes debitas solvere non curaverunt, perinde procedendi, ac si adhuc eiusdem legationis officio fungeretur.*

Romae, 1391 Januarii 13.

Bonifacius . . . . Philippo episcopo Ostiensi . . . . Dudum fel. rec. Urbanus pp. VI. . . . . te ad Francie, Boemie, Nauarie, Dacie, Swecie et Norwegie regna, necnon Alamanie, Flandrie, Leodii, Hannonie et Lothoringie partes ac ducatum Barensem, commisso tibi in eis plene legacionis officio, destinavit, et mandavit inter cetera te per . . . . patriarchas, archiepiscopos, episcopos ac . . . . electos, abbates, priores, prepositos, decanos, archidiaconos, archipresbyteros, plebanos, rectores aliosque ecclesiarum et monasteriorum prelatos ac eorum vicesgerentes, capitula quoque et conventus ecclesiarum et monasteriorum ipsorum ac alias personas ecclesiasticas . . . ., cum tu per terras ipsorum transires, ... benigne recipi et honeste pertractari tibique pro tuis et familie tue expensis necessariis de procuracione legato de latere dari consueta seu triginta duobus florenis auri de camera pro singulis diebus in eundo, morando et redeundo tam intra quam extra huiusmodi tue legacionis terminos provideri, quodque, si te in aliquibus terris sive locis aut loco interdum contingeret moram trahere, quod nedum dicti . . . . prelati . . . . ac persone ecclesiastice . . . ., ubi legatus existeres, vel adiacencium parcium, per quas transires, sed eciam remotarum, dum in eisdem maneres, eciam extra huiusmodi legacionis terminos . . . . contribuere tenerentur quoad expensas subportandas easdem . . . . Cum autem, sicut nuper nobis . . . . exposuisti, licet tu in regnis et partibus antedictis protunc huiusmodi legacionis officio insistens, nonnullos processus feceris in talibus fieri consuetos, per quos inter cetera nonnullos archiepiscopos, episcopos, prelatos necnon personas ecclesiasticas in regnis et partibus ipsis constitutos monueras, ut infra certos terminos peremptorios competentes tunc expressos tibi . . . . in procuracionibus huiusmodi . . . . contribuerent, alioquin extunc in eos diversas excommunicacionis, suspensionis et interdicti sentencias promulgares . . . . , tamen iidem archiepiscopi, episcopi, prelati ac persone . . . . tibi procuraciones huiusmodi solvere . . . . infra predictos terminos seu eciam postea contumaciter non curarunt, et quod

propter hoc damna gravia dinosceris incurrisse. Quare nobis humiliter supplicasti, ut — non obstante, quod postea huiusmodi legacio exspiraverit — tibi et statui tuo providere in premissis de oportuno remedio dignaremur. Nos igitur . . . . legitimis super hiis per te habitis servatis processibus ad eorum aggravacionem . . . . procedendi ac eciam archiepiscopos, episcopos, prelatos et personas supradictos ab eisdem et quibuslibet aliis sentenciis et penis, quas vigore dictorum processuum iam incurrerunt, ... absolvendi et super irregularitate . . . ., eis prius ad tempus, de quo tibi videbitur, a suorum ordinum execucione suspensis, ... dispensandi et alia in hiis tibi quomodolibet oportuna dumtaxat circa exaccionem huiusmodi procuracionum per te faciendam in regnis et partibus ipsis, pro eo tempore, quo huiusmodi legacionis officio insistebas, ibidem per archiepiscopos, episcopos, prelatos et personas et quoscunque alios tibi adhuc debitarum, faciendi et ordinandi, ..., prout facere et ordinare posses, si huiusmodi legacionis officio adhuc in eisdem partibus personaliter residendo fungereris, ... tibi . . . . auctoritate apostolica concedimus facultatem; non obstantibus . . . ., si dictis archiepiscopis, episcopis prelatis et personis . . . . ab eadem sit sede indultum, quod legatis et nunciis sedis ipsius vel aliis quibuscunque procuracionem vel subsidium exhibere vel in ipsis contribuere, nisi ad eos declinaverint, minime teneantur . . . . Datum Rome ap. S. Petrum idibus Januarii a. secundo.

R. Lat. 13 fol. 217[b] — In fine: PRO DOMINO CARDINALI, N. DE BENEVENTO.

---

450. *Francisco episcopo Penestrino, s. Romanae ecclesiae vicecancellario, mandatur, quatenus Johanni de Gützkow*[a]) *in iure canonico baccalario canonicatum et praebendam Zverinensis atque Johanni de Senging canonicatum et maiorem praebendam Pataviensis ecclesiarum, quos ipsi invicem permutare desiderant, auctoritate apostolica conferat, non obstante inter cetera, quod nuper dicto Johanni de Senging de canonicatu et praebenda in ecclesia Vratislaviensi vacantibus, necnon de canonicatu sub exspectatione praebendae eiusdem ecclesiae a papa concessum est provideri. „Apostolice sedis“ „Rome ap. S. Petrum decimo octavo kal. Februarii*[b]) *a. secundo“.*

Romae, 1391 Januarii 15.

R. Lat. 12 fol. 227[b] — [a]) ‚Gaczecowe‘ [b]) Correctum eadem manu in marg. loco cancellati ‚Decembris‘ et alia manu adscriptum: „N. de Benevento“ — Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: N. LVIII DE BENEVENTO.

---

451. *Nicolao de Unhošt,*[a]) *ecclesiae Laventinensi pridem a papa Bonifacio in episcopum praefecto,*[1]) *conceditur, ut a quocunque catholico antistite munus consecrationis recipere valeat, ita tamen, ut archiepiscopo Salzburgensi, eiusdem ecclesiae metropolitano, nullum per hoc praeiudicium generetur. „Cum nos pridem“ „Rome ap. S. Petrum decimo sexto kal. Februarii pont. n. a. secundo“.*

Romae, 1391 Januarii 17.

R. Lat. 17 fol. 200b — a) ‚Unhost' — In fine: DE MANDATO, JAC. DE TERAMO — 1) Cf. supra nr. 444.

---

452. *Nicolao de Boleslavia, ecclesiae Abelonensi pridem a papa Bonifacio in episcopum praefecto,*[1]) *conceditur, ut a quocunque catholico antistite munus consecrationis recipere valeat, ita tamen, ut per hoc archiepiscopo Atheniensi, ea praefata ecclesia metropolitico iure subesse dinoscitur, nullum praeiudicium generetur. „Cum nos pridem" „Rome ap. S. Petrum decimo sexto kal. Februarii a secundo".*

Romae, 1391 Januarii 17.

R. Lat. 12 fol 208a — In fine: N. XII DE BENEVENTO — 1) Cf. supra nr. 318.

---

453. *Johanni Hersevelt reservatur parrochialis ecclesia in Hrušovan (Grussbach).*

Romae, 1391 Januarii 18.

Bonifacius . . . . Johanni Herseuelt clerico Warmiensis diocesis . . . . Vite ac morum . . . . Cum itaque parrochialis ecclesia s. Stephani in Grunspan Olomucensis diocesis, quam . . . . Jacobus electus Cesariensis tempore promocionis per nos facte de ipso ad ecclesiam Cesariensem tunc vacantem obtinebat, prout obtinet, per huiusmodi promocionem et munus consecracionis suscipiendum ab ipso electo vacare speretur, nos volentes tibi . . . . consideracione . . . . Bartholomei tituli s. Potenciane presbyteri cardinalis, pro te, dilecto suo familiari continuo commensali, ... supplicantis, graciam facere specialem, parrochialem ecclesiam [predictam], cuius fructus . . . . triginta marcharum argenti puri . . . . valorem annuum . . . . non excedunt, cum illam ut premittitur vel alias quovis modo preterquam per ipsius electi obitum vacare contigerit . . . ., conferendam tibi . . . . donacioni apostolice reservamus . . . .; non obstantibus . . . ., quod dudum tibi, ut asseritur, de uno cum cura vel sine cura ad . . . . episcopi Warmiensis et . . . . decani et capituli singulorumque canonicorum et personarum Warmiensis . . . . et de alio sine cura ad . . . . episcopi Wratislauiensis et . . . . prepositi, decani et capituli singulorumque canonicorum et personarum Wratislauiensis ecclesiarum . . . . collacionem . . . . pertinentibus beneficiis ecclesiasticis, vacantibus vel vacaturis, graciose concessimus prouideri. Volumus autem, quod, quamprimum vigore presencium dictam parrochialem ecclesiam fueris pacifice assecutus, dicta concessionis gracia de huiusmodi beneficio cum cura vel sine cura, ad dictorum Warmiensis episcopi et decani, capituli, canonicorum et personarum Warmiensis ecclesie . . . . pertinente, et quecunque inde secuta, quoad beneficium curatum duntaxat, sint cassa . . . . Datum Rome ap. S. Petrum quinto decimo kal. Februarii a. secundo.

Simili modo . . . . patriarche Gradensi et . . . . archidiacono ecclesie Olomucensis ac officiali Olomucensi . . . .

R. Lat. 20 fol. 153a — Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: PRO DEO, N. DE BENEVENTO.

454. *Parrochialem ecclesiam b. Mariae virginis in Stálek Olomucensis dioc. certis diebus anni (in nr. 366 nominatis) visitantibus et ad eius fabricam manus adiutrices porrigentibus duo anni et duae quadragenae, resp. centum dies de iniunctis eis poenitentiis relaxantur, praesentibus post decennium minime valituris. „Licet is“ „Rome ap. S. Petrum decimo quinto kal. Februarii a. secundo.*

Romae, 1391 Januarii 18.

R. Lat. 17 fol. 241[a] — In fine: N. XVI DE BENEVENTO.

---

455. *Episcopus Vratislaviensis et abbas monasterii s. Mariae in Arena extra muros Vratislavienses ac praepositus ecclesiae s. Bartholomaei Glogoviae Superioris[a]) Vratislaviensis dioc. conservatores Johannis archiepiscopi Gneznensis usque ad quinquennium instituuntur. „Ad hoc nos deus pretulit“ „Rome ap. S. Petrum quinto decimo kal. Februarii a. secundo“.*

Romae, 1391 Januarii 18.

R. Lat. 13 fol. 294[a] — [a]) ‚Glogouiensis superioris‘ — In fine: JAC. XXX DE TERAMO.

---

456. *Tudensi et Poznaniensi episcopis ac abbati monasterii Tynciensis Cracoviensis dioc. mandatur, quatenus Abrahae Johannis rectori parrochialis ecclesiae in Potrawin dictae dioc., qui multa servitia in partibus illis camerae apostolicae exhibuit et exhibere paratus existit, et cui nuper a papa concessum est, ut ad omne ius, quod Mathiae rectori parrochialis ecclesiae de Zarnowiec[a]) dictae Cracoviensis dioc. tempore eius obitus et Nicolao Ticzkonis[b]) clerico Vratislaviensis dioc. tempore resignationis, ab eo per dictum Abraham procuratorem suum in manibus Francisci episcopi Penestrini, s. Romanae ecclesiae vicecancellarii, factae, in canonicatu et praebenda ecclesiae Cracoviensis per obitum Venceslai de Wislicia[c]) vacantibus competebat, surrogaretur, eosdem canonicatum et praebendam conferant. „Laudabilia probitatis“ „Rome ap. S. Petrum XV. kal. Februarii pont. n. a. secundo“.*

Romae, 1391 Januarii 18.

R. Lat. 12 fol. 81[a], ubi autem copia huius bullae cancellata est hac nota in margine a diuuct : NCELLATA, QUIA PROPTER SUI MAGNAM CORRECCIONEM ALIBI REGISTRATA EST DE MANDATO, N. DE BENEVENTO. Altera copia valde differens invenitur in R. Lat. 15 fol. 229[a], sed illa etiam cancellata est adiuncta nota: CANCELLATA, QUIA ALIBI PROPTER SUI NIMIAM CORRECCIONEM IN LIBRO PRIMO DE DIVERSIS FORMIS FOL. XCVII ALITER REGISTRATA EST, N. DE BENEVENTO. Alia copia autem non est reperta — [a]) ‚Zarnowecz‘ [b]) ‚Tyczkonis‘ [c]) ‚Wysliczia‘ — In fine: N. XXII DE BENEVENTO.

---

457. *Ubaldino de Florentia collectori Pragensi mandatur, ut Bosoni de Eugubio certam summam assignet.*

Romae, 1391 Januarii 18.

Marinus [s. Marie Noue diaconus cardinalis, domini pape camerarius], venerabili viro domino Vbaldino de Florencia decretorum doctori, apostolice camere clerico, in provincia Pragensi iurium apostolice camere debitorum collectori .... De mandato sanctissimi domini nostri pape vive vocis oraculo nobis facto tenore presencium vobis precipimus et mandamus, quatenus de pecuniis ad apostolicam cameram spectantibus penes vos existentibus, seu de primis, quas vos habere continget, assignetis per vos vel alium egregio militi domino Bossono de Bafaellibus (*sic*) de Eugubio, alias misso per prefatum dominum nostrum papam ad illustrem principem dominum regem Romanorum pro agendis ipsius domini nostri pape, seu eiusdem domini Bossoni procuratori ad hoc speciale mandatum habenti pro expensis per ipsum factis in ipso itinere centum quinquaginta florenos auri de camera, quos in vestris computis, cum per instrumentum publicum de ipsa solucione docueritis, liberaliter admittemus et admitti faciemus .... Datum Rome ap. S. Petrum sub a. dom. millesimo trecentesimo nonagesimo primo, indiccione quarta decima, die decima octava mensis Januarii pont.... a. secundo.

Armar. XXIX tom. 1 fol. 212b — In fine: P. DE JUUEN[ACIO].

---

458. *Ubaldino electo Cortonensi, referendario apostolico, fructuum et proventuum in civitate et diocesi ac provincia Pragensibus camerae apostolicae debitorum collectori, apostolicae sedis nuntio, datur potestas exigendi decimam unius anni omnium redituum et proventuum ecclesiasticorum, in regno Bohemiae et terris tam ditioni Venceslai regis Romanorum ratione regni Bohemiae et alias subiectis, quam etiam Romani imperii per Alamanniam et etiam in terris patriarchatus Aquilegensis, necnon in Vratislaviensibus et Aquilegensibus ac etiam in illis civitatibus et diocesibus, quae archiepiscopo Pragensi, apostolicae sedis legato nato, ratione legationis huiusmodi subesse dinoscuntur, consistentium, ab omnibus praelatis et personis ecclesiasticis, praeterquam a cardinalibus s. Romanae ecclesiae et a magistris, prioribus, praeceptoribus et fratribus hospitalis s. Johannis Jerosolimitani et b. Mariae Theutonicorum et a personis ecclesiasticis consistentibus in civitatibus, terris atque locis, quae per Stephanum et alios duces Bavariae, eius consanguineos, ubique tenentur; quae quidem decima in relevamen expensarum itineris, quod dictus rex Venceslaus pro suscipiendo imperiali diademate Romam infra breve facere disposuit, convertenda est. Primus enim terminus solutionis medietatis decimae huiusmodi festum assumptionis b. Mariae proxime futurum, secundus vero terminus solutionis alterius medietatis ipsius decimae festum nativitatis domini statuuntur. „In laudis iubilum exultans“ „Rome ap. S. Petrum X. kal. Februarii pont. n. a. secundo“.*

Romae, 1391 Januarii 23.

R. Vat. 312 fol. 319a cum his notis in fine: (ad sin.) P. DE WSERUB; (ad dext.) DE CURIA, JO. DE CANEUARIIS. Altera copia in R. Lat. 13 fol. 271a, ubi in fine adscriptum est: DE CURIA, N. DE BENEVENTO. Tertia copia (recentior) in R. Vat. 347 fol. 135. — Ed. e R. Vat. in Deutsche Reichstagsakten II. pag. 371 nr. 218.

459. *Ubaldino Cortonensi et Nicolao Laventinensi electis, nuntiis apostolicis, mandatur, ut omnes antipapae Clementi VII. adhaerentes capi et carceri mancipari faciant.*

Romae, 1391 Januarii 23.

Bonifacius .... Vbaldino Cortonensi, referendario nostro, et Nicolao Lauentinensi electis, apostolice sedis nunciis .... Ad audienciam nostram pervenit, quod nonnulli iniquitatis filii perdicionis alumpno Roberto olim basilice duodecim Apostolorum presbytero cardinali, nunc antipape, qui se Clementem VII. ausu sacrilego nominare presumit, ... adherentes ad regnum Bohemie et terras, tam dicto regi quam imperio Romano per Alamaniam subiectas accedere et in eis quandoque publice et quandoque occulte stare et morari presumunt. Nos attendentes, quod multum periculosum sit tales inter fideles tollerare ...., discrecioni vestre .... committimus et mandamus, quatenus vos vel alter vestrum per vos vel alium seu alios omnes et singulas personas, cuiuscunque status, gradus, ordinis, condicionis vel preeminencie fuerint, eciam si pontificali vel alia quavis ecclesiastica vel mundana prefulgeant dignitate, dicto Roberto antipape adherentes, capiatis et capi faciatis et carceri mancipari et tam diu detineatis eidem carceri mancipatas, donec huiusmodi capcio nobis intimata fuerit et quousque a nobis aliud receperitis in mandatis .... Datum Rome ap. S. Petrum X. kal. Februarii pont. n. a. secundo.

R. Vat. 312 fol. 325 — In fine: (ad sin.) P. DE WSERUB; (ad dext.) DE CURIA, JA. DE FULGINEO.

---

460. *Johanni nuper a sede apostolica monasterio Strahoviensi alias Montis Sion prope Pragam praemonstratensis ord. in abbatem praefecto*[1]*) conceditur, ut a quocunque catholico antistite munus benedictionis recipere valeat. „Cum nuper“ „Rome ap. S. Petrum octavo kal. Februarii a. secundo“.*

Romae, 1391 Januarii 25.

R. Lat. 12 fol. 208[a] — In fine: N. X DE BENEVENTO — [1]) Cf. supra nr. 445.

---

461. *Conceditur, ut in ecclesia Corporis Christi in Montibus Cutnis canonice de novo fundata et constructa sacramentum corporis Christi supra altare maius ipsius ecclesiae in vase perlucido singulis septimanis a vesperis quartae usque in vesperas quintae feriae ostendi valeat omnibusque sacramentum praedictum visitantibus unus annus et quadraginta dies de iniunctis eis poenitentiis relaxantur. „Immensa divine largitatis“ „Rome ap. S. Petrum sexto kal. Februarii pont n. a. secundo“.*

Romae, 1391 Januarii 27.

R. Lat. 17 fol. 191[a] — In fine: N. XXXX DE BENEVENTO — Ed. Čelakovský, Codex iuris municipalis II p. 822 nr. 641; vide notas editoris ibidem.

---

462. *Episcopo Olomucenci mandatur, ut, causa super abbatissatu monasterii s. Georgii in castro Pragensi decisa, Kunkam dictam Kolovratovna eidem monasterio in abbatissam praeficiat, eiusque adversariae Annae de Lipoltícz certam annuam pensionem de proventibus dicti monasterii assignet.*

Romae, 1391 Februarii 5.

Bonifacius .... episcopo Olomucensi .... Solicite consideracionis intuitum, prout officii pastoralis cura requirit, circa statum ecclesiarum et monasteriorum omnium, que vacacionis incommoda deplorare noscuntur, extendentes, operose diligencie studium libenter impendimus, ut ecclesiis et monasteriis ipsis, ne longe vacacionis pregraventur incommodis, de salubris provisionis remedio succurratur. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dilecte in Chr. filie Cunke dicte Colowratowna monialis monasterii s. Georgii in castro Pragensi ord. s. Benedicti peticio continebat, quod, cum olim prefatum monasterium ex eo vacavisset, quod quondam Catherina tunc abbatissa dicti monasterii regimini ipsius monasterii, cui tunc preerat, in manibus .... Nicolai Puchnik officialis Pragensis ex certis causis racionabilibus extra Romanam curiam sponte et libere cesserat, dictusque officialis, habens ad hoc a .... Johanne archiepiscopo Pragensi specialem potestatem, cessionem huiusmodi auctoritate ipsius potestatis extra eandem curiam admiserat, ac licet dilecte in Chr. filie conventus ipsius monasterii vocatis omnibus, qui debuerant, voluerant et potuerant eleccioni huiusmodi commode interesse, die ad eligendum prefixa, ut moris est, convenientes in unum, prefatam Cunkam in earum et dicti monasterii abbatissam concorditer elegissent, ipsaque Cunka eleccioni huiusmodi, ipsius sibi presentato decreto, consensisset et eam a prefato officiali, habente eciam ad hoc ab eodem archiepiscopo similem potestatem, obtinuisset auctoritate dicte potestatis confirmari,[1]) in hiis omnibus statutis a iure temporibus observatis, et deinde possessionem pacificam administracionis bonorum dicti monasterii assecuta fuisset, tamen postmodum, prefata Catherina falso asserente se per vim et metum ad cedendum dicto monasterio compulsam eodemque monasterio spoliatam fuisse, dictamque Cunkam se in predicto monasterio intrusisse illudque occupasse et detinere indebite occupatum, ortaque propterea inter Cunkam et Catherinam prefatas super abbatissatu dicti monasterii materia questionis, et causa huiusmodi ad sedem apostolicam legitime introducta et coram diversis auditoribus causarum palacii apostolici ex commissionibus apostolicis diucius ventilata, tandem predicta Catherina, petitorio[a]) per eam in huiusmodi causa intentato suspenso, in solo possessorio procedens, tres pro se et contra prefatam Cunkam in eodem possessorio dumtaxat diffinitivas sentencias reportavit et super execucione sentenciarum dictarum et satisfaccione expensarum, in quibus dicta Cunka condemnata fuerat, apostolicas ad .... episcopum Pennensem, eius proprio nomine non expresso, et duos alios suos in hac parte collegas litteras impetravit. Demum vero fel. rec. Urbanus pp. VI. prede-

cessor noster tibi suis dedit litteris in mandatis, ut, postquam dicta Cunka huiusmodi sentenciis in possessorio, ut premittitur, latis paruisset cum effectu, vocatis qui fuissent evocandi et auditis hinc inde propositis, causam petitorii[a]) huiusmodi audires, et quod iustum foret summarie, simpliciter et de plano, sine strepitu et figura iudicii decerneres, ipsamque causam concordia vel iudicio terminares. Subsequenter vero .... Augustinus Perusinus, tunc Pennensis episcopus ad instanciam dicte Catherine solus in huiusmodi execucionis procedens negocio, prout ex dictarum sibi directarum forma poterat litterarum, nonnullos processus fecit in talibus fieri consuetos, monens inter cetera Cunkam et conventum prefatas, ut infra certum terminum peremptorium competentem, tunc expressum, possessionem administracionis bonorum dicti monasterii eidem Catherine libere et expedite dimitterent sibique de fructibus ex dicto monasterio perceptis et expensis predictis, que ad certam florenorum summam taxate fuerant, satisfacerent, alioquin in easdem Cunkam et conventum diversarum excommunicacionis, suspensionis et interdicti sentencias promulgabat, prefateque Cunka et conventus, quia processibus et monicioni huiusmodi infra dictum terminum non paruerant, excommunicate fuerant et excommunicate publice nunciate, prefatumque earum monasterium ecclesiastico suppositum extitit interdicto. Postremum vero, sicut eadem peticio subiungebat, prenominate Cunka et conventus huiusmodi processibus paruerunt seque a prefatis sentenciis canonice absolvi procurarunt, prefataque Catherina, lite huiusmodi sic indecisa pendente, apud sedem apostolicam extitit vita functa, et dilecta in Chr. filia Anna de Lipolticz monialis dicti monasterii se in omni iure et ad omne ius, quod prefate Catherine tempore mortis sue in prefato abbatissatu seu ad illum quomodolibet competebat seu competere poterat, necnon ad possessionem, in qua dicta Catherina tempore cessionis predicte existebat, obtinuit surrogari. Nos igitur statum huiusmodi cause habentes presentibus pro expresso ac volentes super hoc, ne monasterium ipsum per lites huiusmodi destruatur et collabatur, salubriter providere, consideracione .... Wenceslai Romanorum et Boemie regis illustris, nobis super hoc humiliter supplicantis, ipsius regis et prefatarum Cunke et conventus in hac parte supplicacionibus inclinati, fraternitati tue, de qua in hiis et aliis specialem in domino fiduciam obtinemus, ... committimus et mandamus, quatenus vocatis qui fuerint evocandi, de premissis auctoritate nostra te diligencius[b]) informes, et si per instrumenta publica vel testes ydoneos tibi constiterit eandem Katherinam dicto monasterio seu eius regimini et abbatissatui sponte et libere renunciasse, prefate Anne super iure, in quo et ad quod, ut prefertur, se subrogari obtinuit, et monasterio ac abbatissatu supradictis perpetuum silencium imponas, eleccionemque predictam de prefata Cunka celebratam, si alias eam canonicam fore inveneris, eadem auctoritate nostra confirmes ipsamque Cunkam eidem monasterio preficias in abbatissam ....; et insuper, si eleccionem ipsam per te contingerit confirmari, eidem Cunke munus benediccionis, si sibi prius non fuerit impensum, impendas vel per alium catholicum antistitem, graciam et communionem apostolice sedis habentem, impendi facias et procures. Volumus autem, quod tu vel idem antistes, qui eidem Cunke prefatum munus impendes vel impendet, vel eciam si iam sibi foret impensum, ab ipsa nostro et ecclesie Romane nomine fidelitatis debite solitum recipias vel recipiat iuramentum ...., quodque per hoc archiepiscopo

Pragensi, qui est pro tempore, cui dictum monasterium ordinario iure subesse dinoscitur, nullum imposterum preiudicium generetur. Volumus insuper, tibi nichilominus in virtute sancte obediencie districcius iniungentes, quatenus, si tibi videatur, quod per te premissa fieri debeant, antequam ad execucionem eorum procedas, prefate Anne, ne frustra tot labores subierit et expensas, si in eodem monasterio voluerit permanere, ultra communem victum et provisionem, quos simul cum aliis monialibus ipsius monasterii perciperet, sexaginta, si vero ad aliud monasterium eiusdem vel alterius ordinis, paris vel arcioris observancie regularis transire maluerit, quo ex nunc sibi liberam licenciam elargimur, centum et viginti quinque florenorum auri provisionem annuam de proventibus dicti monasterii s. Georgii, donec vitam in humanis duxerit, auctoritate predicta studeas assignare ipsamque provisionem facias summota difficultate qualibet integraliter exhibere .... Nos enim te eidem Anne in hac parte conservatorem perpetuum deputamus. Datum Rome ap. S. Petrum nonis Februarii a. secundo.

R. Lat. 17 fol. 4b — a) ‚petorio, petorii' b) ‚indulgencius' — In marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: N. XXX DE BENEVENTO. — [1]) Confirmationem illam ddto. 1386 Dec. 23 vide in Libris confirmationum III.—IV. p. 193.

---

463. *Conceditur, ut, cum iudex, iurati et universitas oppidi regalis in Nova Pilzna Pragensis dioc. ad laudem corporis et sanguinis dom. n. Jesu Christi singulis quintis feriis in parrochiali ecclesia s. Bartholomaei dicti oppidi missam cum magna solemnitate faciant celebrari, singulis quartis feriis a vesperis et in crastino, videlicet quinta feria, quousque dicta missa compleatur, in altari dictae ecclesiae corpus dominicum in vase perlucido servari valeat, et omnibus vere poenitentibus et confessis, qui missae praedictae interfuerint, duo anni et totidem quadragenae, in die vero festivitatis ipsius corporis domini quinque anni et totidem quadragenae de iniunctis eis poenitentiis relaxantur. „Immensa divine largitatis" „Rome ap. S. Petrum nonis Februarii pont. n. a. secundo".*

Romae, 1391 Februarii 5.

R. Lat. 12 fol. 129a — Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: N. XII DE BENEVENTO. — Ed. ex originali apud Strnad, Listář král. města Plzně I. p. 180 nr. 159, et iterum apud Čelakovský, Codex iuris municipalis II, p. 814 nr. 636 (in utroque loco sub data 1390 Febr. 5).

---

464 *Conceditur, ut episcopi vel superiores et praelati ecclesiae s. Petri Vyšehradensis Pragensis in altari b. Petri in eadem ecclesia sito, in quo nullus missam vel alia divina officia audet celebrare absque sedis apostolicae licentia speciali, missam celebrare, et cum episcopus aut superior, centum, cum vero aliquis ex praelatis dictae ecclesiae missam huiusmodi celebrabit, quinquaginta dierum indulgentias Christi fidelibus, qui missae eidem interfuerint, elargiri*

possint. „*Ad venerabilem s. Petri*“ „*Rome ap. S. Petrum nonis Februarii pont. n. a. secundo.*“

Romae, 1391 Februarii 5.

Ed. Hammerschmid, Gloria et maiestas Wissehradensis ecclesiae, Pragae 1700, p. 428.

---

465. *Archiepiscopo Pragensi mandatur, quatenus monasterio in Vilémov ord. s. Benedicti Pragensis dioc., cuius fructus 600 marcarum argenti puri valorem annuum non excedunt, propter guerras et depraedationes multum depauperato, parrochialem ecclesiam s. Mariae intra muros dicti monasterii sitam, quae de iure patronatus abbatis et conventus eiusdem monasterii existit, cuiusque fructus 20 marcarum argenti valorem annuum non excedunt, auctoritate apostolica uniat, reservata tamen congrua portione pro perpetuo vicario inibi instituendo.* „*Sacrae religionis*“ „*Rome ap. S. Petrum nonis Februarii pont. n. a. II.*“

Romae, 1391 Februarii 5.

Ed. apud Borový, Libri erectionum IV. p. 363 in nro. 507 (insertum litteris Johannis archiepiscopi Pragensis ddto. 1391 Julii 5).

---

466. *Jacobus dictus Papa canonicus monasterii in Rokyczan*[a]) *ord. s. Augustini Pragensis dioc. in sedis apostolicae capellanum recipitur* „*Virtutibus clarens*“ „*Rome ap. S. Petrum nonis Februarii a. secundo.*“

Romae, 1391 Februarii 5.

R. Vat. 313 fol. 71[b] cum his notis in fine: (ad sin.) X., P. DE MONTELLA, G. GREGORII; (ad dext.) JO. DE MALESICZ. Altera copia in R. Lat. 10 fol. 331[b], ubi in fine adscriptum est: N. X DE BENEVENTO. Tertia copia in Armar. XXXI tom. 36 fol. 31[a] — [a]) ‚Rokyczano‘.

---

467. *Cum Johanne dicto Jan converso monasterii in Pomuk cisterciensis ord. Pragensis diocesis, qui debilis est, et Venceslai Romanorum et Bohemiae regis obsequiis de superiorum suorum licentia necessario insistit, dispensatur, ut, quamdiu huiusmodi obsequiis dicti regis institerit, diebus, quibus alias esus carnium non est interdictus, carnibus vesci valeat.* „*Exigit tue*“ „*Rome ap. S. Petrum nonis Februarii a. secundo*“.

Romae, 1391 Februarii 5.

R. Lat. 12 fol. 160[a] — In fine: N. X DE BENEVENTO. — Alia copia istius dispensationis ibidem fol. 243[a] continetur, sed ibi supradictus Johannes ‚conversus monasterii Plasensis‘ vocatur.

***468**. Auditori apostolico mandatur, quatenus causam, quae inter Petrum dictum Pestal et Andream de Znojma super parrochiali ecclesia in Třebíč in palatio apostolico vertitur, decidat.*

Romae, 1391 Februarii 10.

Bonifacius .... magistro Antonio de Ponto capellano nostro et causarum palacii apostolici auditori .... Romani pontificis circumspecta providencia ad ea libenter intendit, per que beneficia ecclesiastica absque canonica institucione non detineantur occupata, et erga personas illas se reddit graciosam, quibus ad id propria virtutum merita laudabiliter suffragantur. Olim siquidem fel. rec. Urbano pape VI. predecessori nostro pro parte .... abbatis et conventus monasterii in Trebecz ord. s. Benedicti Olomucensis diocesis exposito, quod orta dudum inter eos et .... Petrum dictum Pestal monachum dicti monasterii et Andream de Znoyma clericum dicte diocesis super parrochiali ecclesia in Trebecz dicte diocesis, ad quam, tunc per obitum quondam Johannis de Ruchwano ipsius ecclesie rectoris extra Romanam curiam defuncti vacantem, Petrus se per dictos abbatem et conventum, qui ecclesiam ipsam in proprios usus canonice obtinent, bone memorie Johanni episcopo Olomucensi infra tempus legitimum presentatum et per eundem episcopum in rectorem dicte ecclesie auctoritate ordinaria institutum fuisse canonice, Andreas vero predicti ecclesiam ipsam sic vacantem vigore quarundam litterarum apostolicarum graciose sibi concessarum, prout ex earum forma se posse dicebat, se eciam infra tempus legitimum acceptasse et de ea sibi provisum fuisse, dictumque Petrum impedivisse, quominus huiusmodi acceptacio et provisio debitum sortirentur effectum, materia questionis, [1]) et causa huiusmodi ad sedem apostolicam legitime introducta et in palacio apostolico coram diversis auditoribus causarum dicti palacii ex commissionibus apostolicis diucius ventilata, tandem dictus Andreas tres pro se et contra ipsum Petrum, per quas dicta ecclesia Andree adiudicata et super ea Petro prefatis perpetuum silencium impositum fuerat, diffinitivas sentencias reportarat et super execucione sentenciarum huiusmodi apostolicas ad certos iudices litteras impetrarat, et quod dictus Andreas tempore acceptacionis et provisionis huiusmodi nondum erat clericali caractere insignitus, dictus predecessor .... episcopo Olomucensi, eius proprio nomine non expresso, suis dedit litteris in mandatis, ut, postquam sentencie huiusmodi fuissent execucioni debite demandate, vocatis dicto Andrea et aliis, qui forent evocandi, super premissis se diligenter informaret, et si per informacionem huiusmodi sibi constaret eundem Andream tempore impetracionis suarum primarum litterarum predictarum clericali caractere insignitum non fuisse, ut prefertur, dicto Andree super eadem ecclesia perpetuum silencium imponere procuraret, prout in eisdem litteris continetur plenius. Postmodum vero, sicut exhibita nobis nuper pro parte dicti Petri peticio continebat, dictus Petrus huiusmodi litteras .... Nicolao episcopo Olomucensi debite presentavit, et nichilominus, postquam dictus episcopus in huiusmodi causa ad nonnullos actus processerat inter dictos Petrum et Andream, idem Petrus, senciens se ab eodem episcopo indebite gravari, ad sedem appellavit eandem, nosque causam appellacionis huiusmodi et negocii principalis ad instanciam dicti Petri monachi quondam Petro de Coppa capellano nostro et causarum dicti palacii auditori, non

obstante, quod causa ipsa de sui natura ad eandem curiam legitime devoluta et in ea tractanda et finienda non esset, primo, et deinde ex certis causis tibi .... commisimus ...., tuque in causa ipsa inter partes easdem ad nonnullos actus citra tamen conclusionem diceris processisse. Cum autem, sicut eadem peticio subiungebat, prefati abbas et conventus cum dicto Andrea de et super parrochiali ecclesia prefata ac fructibus inde perceptis et expensis factis in lite predicta, eodem Petro monacho in curia ipsa existente et ad id penitus non vocato, certam composicionem fecerint in maximum preiudicium ipsius Petri monachi, et a nonnullis asseratur composicionem huiusmodi eidem Petro monacho in aliquo preiudicare non potuisse neque posse, pro parte ipsius Petri monachi nobis fuit humiliter supplicatum, ut sibi super hoc providere de oportuno remedio dignaremur. Nos igitur .... attendentes, quod beneficium ecclesiasticum absque institucione canonica obtineri non potest ...., discrecioni tue .... committimus et mandamus, quatenus vocatis dicto Andrea et aliis, qui fuerint evocandi, eidem Andree auctoritate nostra prefigas certum terminum peremptorium competentem, infra quem, quod tempore date litterarum predictarum, per quas ecclesiam ipsam acceptavit et de illa sibi provideri fecit, ut prefertur, fuerit clericali caractere insignitus, coram te legitime probare teneatur, quod si fecerit, quod canonicum fuerit appellacione remota decernas, faciens quod decreveris per censuram ecclesiasticam firmiter observari. Si vero se tempore predicto clericali caractere insignitum fuisse infra eundem terminum legitime non probaverit, tu predictas tres sentencias pro eo, ut premittitur, latas fuisse et esse nullas, inefficaces et invalidas ac nullius roboris vel momenti eadem auctoritate declares ipsique Andree super eadem ecclesia perpétuum silencium imponas et nichilominus eandem ecclesiam, cuius fructus .... triginta marcharum argenti .... valorem annuum .... non excedunt ...., eidem Petro monacho auctoritate predicta conferas et assignes .... Nos enim tibi eundem Andream extra eandem curiam et ad partes, quociens opus fuerit, citandi plenam concedimus tenore presencium facultatem; non obstantibus, quod causa ipsa de sui natura ad eandem curiam devoluta et in ea tractanda et finienda non sit, et tam pie memorie Bonifacii pp. VIII. predecessoris nostri et de una et de duabus dietis in concilio generali quam aliis constitucionibus apostolicis contrariis quibuscunque .... Datum Rome ap. S. Petrum quarto idus Februarii a. secundo.

R. Lat. 14 fol. 90a — Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: PRO DEO, N. DE BENEVENTO — [1]) Conf. supra nr. 343.

---

469. *Johanni de Kbel conceditur, ut litterae apostolicae super parrochiali ecclesia in Našimeřicz ei alias concessae perinde valeant, ac si in eis verus eiusdem ecclesiae fructuum valor annuus expressus esset.*

Romae, 1391 Februarii 15.

Bonifacius .... Johanni de Kbel perpetuo vicario in ecclesia Olomucensi .... Nobilitas generis .... Nuper siquidem te in omni iure et ad omne ius, quod quondam Carolo de Czirwena Lhota presbytero tempore sui obitus in parrochiali

ecclesia in Nassmyericz Olomucensis diocesis, cuius fructus .... quadraginta marcharum argenti puri .... valorem annuum, ut asserebatur, non excedebant, super qua idem Carolus in palacio apostolico litigabat, seu ad eam quomodolibet competebat seu competere poterat, per nostras litteras surrogari .... mandavimus ....[1]) Cum autem, sicut exhibita nobis nuper pro parte tua peticio continebat, tu dubites easdem litteras ex eo posse surrepticias reputari, quod a nonnullis asseritur huiusmodi fructus .... dictum valorem excedere annuatim, qui tamen sexaginta marcharum argenti puri .... valorem annuum, ut asseris, non excedunt, nos volentes te, qui, ut asseris, ex utroque parente de militari genere procreatus existis ...., favore prosequi gracioso ...., volumus et apostolica tibi auctoritate concedimus, quod predicte littere .... perinde a data presencium valeant ...., ac si in prefatis litteris, quod dicti fructus .... sexaginta marcharum argenti puri .... valorem annuum non excederent, fuisset expressum .... Datum Rome ap. S. Petrum quinto decimo kal. Marcii a. secundo.

R. Lat. 17 fol. 32[a] — In fine: DE MANDATO, N. DE BENEVENTO — [1]) Cf. nr. 350.

---

470. *Nicolaus de Glivicz quitatur de solutione annatae.*

Romae, 1391 Februarii 15.

Universis .... Augustinus [.... episcopus Perusinus, domini nostri pape thesaurarius] .... Universitati .... [notum facimus], quod honorabilis vir magister Nicolaus Glywicz litterarum apostolicarum scriptor, olim rector parrochialis ecclesie in Thurow Wratislauiensis diocesis, pro annata seu mediis fructibus primi anni dicte parrochialis ecclesie, in quibus apostolice camere sub certis penis et sentenciis racione dicte parrochialis ecclesie extitit efficaciter obligatus, viginti florenos auri de Janua de anno domini nostri Jesu Christi millesimo trecentesimo octuagesimo sexto, die quinta decima mensis Octobris in civitate Janue, ubi tunc Romana curia residebat, apostolice camere tempore debito solvit realiter cum effectu, de quibus viginti florenis auri sic datis et solutis dictum dom. Nicolaum eiusque heredes et successores et dictam parrochialem ecclesiam tenore presencium quitamus, absolvimus et eciam liberamus; mandantes insuper venerabilibus viris dominis .. in civitate et diocesi Wratislauiensibus fructuum, reddituum, proventuum et iurium apostolice camere debitorum collectori et eius succollectori, quatenus, si valorem dictorum viginti florenorum de camera dicti fructus non excedant, pro dicta annata seu mediis fructibus primi anni dictum dom. Nicolaum vel eius procuratorem de cetero non molestent neque faciant per alios molestari .... Datum Rome ap. S. Petrum a. dom. M°CCC° nonagesimo primo, indiccione quarta decima, die quinta decima mensis Februarii pont. .... a. secundo.

Armar. XXIX tom. 1. fol. 229[a] — In fine (ad sin.): A. PERUSINUS ETC.

471. Johannes de Luticz plebanus plebis s. Nicolai in Gorlicz Misnensis dioc. in sedis apostolicae capellanum recipitur. „Virtutibus clarens“ „Rome ap. S. Petrum XIV. kal. Marcii pont. n. a. secundo.“

Romae, 1391 Februarii 16.

R. Vat. 313 fol. 87b cum his notis in fine: (ad sin.) X, P. DE MONTELLA, G. GREGORII; (ad dext.) G. DE REYS. Iterum registratum in R. Lat. 10 fol. 323a, ubi in fine adscriptum est: JAC. X DE TERAMO. Tertia copia sine huiusmodi notis in Armar. XXXI tom. 36 fol. 32a.

---

472. Obligatio Johannis abbatis Strahoviensis.

Romae, 1391 Februarii 17.

Anno [millesimo trecentesimo nonagesimo primo, indiccione quarta decima] die vero veneris, decima septima dicti mensis Februarii [in Urbe ap. S. Petrum, in thesauraria apostolice camere] .... reverendus pater dom. Petrus de Wserob apostolicarum litterarum corrector, tamquam principalis et privata persona obligans camere et collegio se et sua omnia bona et beneficia, promisit eidem camere et collegio pro communi servicio venerabilis patris fratris Johannis abbatis monasterii Strahoviensis alias Montis Syon ord. premonstratensis Pragensis centum florenos auri de camera et quinque servicia consueta; item recognovit camere tantummodo, si et in quantum non possent clare videri recognita propter carenciam aliquorum librorum; solvendo medietatem promissi in festo assumpcionis b. Marie virginis proxime futuro, aliam medietatem in festo resurreccionis domini nostri Jesu Christi extunc proxime secuturo, et recognitum, si et in quantum, similibus modis et terminis anno revoluto, et promisit portare in primo termino prime solucionis fiende mandatum sufficiens de ratihabicione obligacionis huiusmodi vel de novo se obligandi ....

Oblig. et sol. 48 fol. 116a. In margine sin. adscriptum est: „Indiccione XV. die XVI. Januarii frater Nicolaus de Jarmir procuratorio nomine obligavit se de novo, remanentibus omnibus in suo robore, videlicet terminis et dilationibus, si que date sunt. Iuravit etc.“ Eadem obligatio in Oblig. et sol. 52. fol. 9b reperitur, sed ibi pars recognitum camerae tantummodo concernens ommissa est.

473. Johannes canonicus monasterii s. Vincentii extra muros Vratislavienses eidem monasterio in abbatem praeficitur.

Romae, 1391 Februarii 20.

Bonifacius .... Johanni abbati monasterii s. Vincencii extra muros Wratislauienses premonstratensis ord. .... Inter solicitudines varias .... Dudum siquidem quondam Francisco abbate monasterii s. Vincencii extra muros Wratislauienses premonstratensis ord. regimini eiusdem monasterii presidente, nos .... provisionem ipsius monasterii ordinacioni et disposicioni nostre duximus ea vice

specialiter reservandam, decernentes extunc irritum ...., si secus .... contingeret attemptari. Postmodum vero prefato monasterio per ipsius Francisci abbatis obitum, qui extra Romanam curiam diem clausit extremum, abbatis regimine destituto, dilecti filii conventus dicti monasterii, reservacionis et decreti predictorum forsan ignari, te, canonicum ipsius monasterii ordinem ipsum expresse professum et in sacerdocio constitutum, in eorum ac dicti monasterii abbatem licet de facto concorditer elegerunt, tuque, reservacionis et decreti predictorum similiter inscius, eleccioni huiusmodi, illius tibi presentato decreto, consensisti eciam de facto. Et deinde reservacione et decreto predictis ad tuam deductis noticiam, eleccionis huismodi negocium proponi fecisti in consistorio coram nobis. Nos igitur eleccionem huiusmodi et quecunque inde secuta .... irrita, prout erant, et inania reputantes, ... post deliberacionem, quam .... cum fratribus nostris habuimus diligentem, demum ad te .... convertimus oculos nostre mentis, quibus omnibus necnon dictorum conventus te eligencium concordi voluntate debita meditacione pensatis, de persona tua .... eidem monasterio de dictorum fratrum consilio auctoritate apostolica providemus teque illi preficimus in abbatem .... Datum Rome ap. S. Petrum decimo kal. Marcii a. secundo.

Simili modo .... conventui monasterii s. Vincencii extra muros Wratislauienses premonstratensis ord. ....

Simili modo .... universis vasallis monasterii s. Vincencii extra muros Wratislauienses premonstratensis ord. .... Inter solicitudines varias etc. Quocirca universitati vestre .... mandamus, quatinus eundem abbatem devote suscipientes ac debita honorificencia prosequentes, ei fidelitatem solitam necnon consueta servicia et iura, a vobis sibi debita, exhibere integre studeatis ....

Simili modo .... abbati monasterii Strahouiensis Pragensis premonstratensis ord. .... Inter solicitudines varias etc. Cum igitur, ut idem Johannes abbas in commissa sibi cura predicti monasterii s. Vincencii, quod tibi ut patri abbati ex institutis eiusdem ordinis per sedem apostolicam ex certa sciencia approbatis subesse dinoscitur, facilius proficere valeat, tuus favor sibi esse noscatur plurimum oportunus, discrecionem tuam rogamus .... quatenus eundem abbatem et commissum sibi monasterium .... tui favoris presidio prosequaris ....

Simili modo .... Wenceslao Romanorum et Boemie regi illustri .... Gracie divine ....

R. Lat. 13 fol. 140b — In marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: JAC. XVIII. IX. IX. IX. IX DE TERAMO.

---

474. *Augustinus episcopus Perusinus, thesaurarius apostolicus, Philippum de Brunna rectorem parrochialis ecclesiae in Strážka*[a]) *Olomucensis dioc. quitat de quindecim florenis auri de camera, quos ipse pro annata dictae parrochialis ecclesiae die datae praesentium camerae apostolicae solvit. „Rome ap. S. Petrum sub a. dom. millesimo CCC nonagesimo primo, indiccione quarta decima, die vicesima mensis Februarii, pont .... a. secundo."*

Romae, 1391 Februarii 20.

Armar. XXIX tom. 1 fol. 231[a] — [a]) ‚Straska' — In margine alia manu adscriptum est: „Isti quindecim floreni non fuerunt soluti in camera, sed fuerunt excomputati in annatis, prout patet in littera, quia dom. Philippus debebat recipere a quondam dom. Petro Coppa auditore etc., cuius domini Petri apostolica camera spolia recepit."

---

475. *Cum Stanislao Steynrocker dispensatur super irregularitate.*

Romae, 1391 Februarii 21.

Bonifacius .... Stanislao Steynroker presbytero Wratislauiensis diocesis .... Sedes apostolica pia mater .... Exhibita siquidem nobis nuper pro parte tua peticio continebat, quod cum olim tu in vicesimo secundo tue etatis anno constitutus existeres, tamquam simplex et iuris ignarus, nullaque super hoc canonica dispensacione obtenta, te fecisti alias tamen rite ad sacerdocium promoveri, ac deinde, parrochiali ecclesia in Greyfenberch Wratislauiensis diocesis, quam quondam Syfridus Weydeman .... obtinebat, per ipsius Syfridi obitum, qui extra Romanam curiam decessit, vacante, tu .... Wenceslao episcopo Wratislauiensi a veris patronis eiusdem ecclesie .... presentatus licet de facto ac per eundem episcopum in ipsius ecclesie rectorem auctoritate ordinaria institutus eciam de facto et presentacionis ac institucionis huiusmodi pretextu eandem ecclesiam assecutus fuisti, ac in susceptis ordinibus sacramenta ecclesiastica parrochianis dicte ecclesie eciam divina officia celebrando ministrasti, ipsamque ecclesiam detinuisti, prout adhuc detines indebite occupatam, fructus ex illa percipiens similiter de facto. Quare pro parte tua nobis fuit humiliter supplicatum, ut tibi et statui tuo super hoc de oportuno remedio providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur .... omnem inhabilitatis et infamie maculam sive notam per te premissorum occasione contractam auctoritate apostolica .... penitus abolemus. Volumus autem, quod dictam parrochialem ecclesiam exnunc realiter et omnino dimittas .... Datum Rome ap. S. Petrum nono kal. Marcii pont n. a. secundo.

R. Lat. 10 fol. 213[b] — In fine: N. XVI DE BENEVENTO.

---

476. *Officiali Wratislauiensi mandatur, quatenus Stanislao Steynrocker parrochialem ecclesiam in Greiffenberg, postquam eam dimiserit, de novo conferat.*

Romae, 1391 Februarii 21.

Bonifacius ... officiali Wratislauiensi .... Dignum arbitramur .... Hodie siquidem pro parte .... Stanislai Steynrocker presbyteri Wratislauiensis diocesis nobis exposito, quod, cum olim ipse in vigesimo secundo sue etatis anno constitutus existeret ...., se fecerat .... ad sacerdocium promoveri, ac deinde parrochiali ecclesia in Greyfenberg dicte diocesis .... vacante, dictus Stanislaus .... eandem ecclesiam assecutus fuerat .... ipsamque .... detinuerat, prout detinebat indebite occupatam: nos omnem inhabilitatis et infamie maculam sive notam per ipsum Stanislaum premissorum occasione contractam per alias nostras litteras

penitus abolevimus, ac voluimus, quod ipse Stanislaus ecclesiam predictam extunc realiter et omniao dimitteret, prout in dictis litteris plenius continetur.[1]) Cum autem secundum premissa predicta ecclesia .... adhuc .... vacare noscatur, nos .... discrecioni tue .... mandamus, quatinus, si .... dictum Stanislaum, qui, ut asserit, in trigesimo eiusdem sue etatis anno constitutus existit, ... ydoneum ad dictam ecclesiam obtinendum esse inveneris, ... ecclesiam predictam, cuius fructus .... decem et octo florenorum auri .... valorem annuum .... non excedunt, ... eidem Stanislao, postquam illam realiter et omnino dimiserit, ... conferre et assignare procures .... Datum Rome ap. S. Petrum nono kal. Marcii pont. n. a. secundo.

R. Lat. 10 fol. 224ª — In fine: N. XXIIII DE BENEVENTO — [1]) Cf. supra nr. 475.

---

477. *Patriarchae Gradensi mandatur, quatenus, si Johannem Namslaw de homicidio quodam innocentem esse reppererit, eum nullam irregularitatis maculam incurrisse declaret.*

Romae, 1391 Februarii 21.

Bonifacius .... patriarche Gradensi in Romana curia commoranti .... Justis et honestis supplicum votis libenter annuimus illaque favoribus prosequimur oportunis. Exhibita nobis nuper pro parte .... magistri Johannis Namslaw canonici Warmiensis, scriptoris nostri, peticio continebat, quod, licet nuper ipse, dum per Waltherum de Bruchsella diaconum Spirensis diocesis in personam quondam Johannis de Gochicz subdiaconi homicidium perpetraretur, ex casu fortuito presens fuerit, tamen manibus propriis prefatum Johannem Gochtzyn (*sic*) tunc interfectum non tetigit, neque prefatum Waltherum ad hoc irritavit seu induxit aut sibi mandavit vel cum ipso Walthero verbo vel intersigno id fieri ordinavit, neque alias quovis modo quoad actum huiusmodi prestitit auxilium, consilium vel favorem, neque ratum habuit homicidium antedictum. Cum autem, sicut eadem peticio subiungebat, ipse Johannes Namslaw per illos, qui tunc presentes fuerant, sufficienter probare possit se de homicidio huiusmodi fuisse et esse penitus innocentem, pro parte ipsius Johannis fuit nobis humiliter supplicatum, ut sibi ad obstruendum ora emulorum suorum obloqnencium super hoc providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur .... fraternitati tue .... committimus et mandamus, quatenus auctoritate nostra te de premissis diligenter informes, et si per testes, qui, dum prefatum homicidium perpetraretur, presentes fuerant, ut prefertur, et eorum deposiciones ac informacionem huiusmodi premissa reppereris veritate fulciri, prefatum Johannem Namslaw eadem auctoritate declares nullam propterea inhabilitatis seu irregularitatis aut infamie maculam incurrisse, super quibus eciam confici facias unum vel plura publicum seu publica instrumentum seu instrumenta tui sigilli munimine roboratum seu roborata, in quo vel in quibus propria nomina eorundem, quos super premissis examinaveris, ut prefertur, ad maiorem certitudinem premissorum facias annotari. Datum Rome ap. S. Petrum VIIII. kal. Marcii pont. n. a. secundo.

R. Lat. 12 fol. 33ᵇ — In fine: PRO SOCIO, N. DE BENEVENTO.

478. *Incorporatio parrochialis ecclesiae in Nagold*[a]) *Constantiensis dioc. monasterio in Stein*[b]) *ord. s. Benedicti eiusdem dioc., per Nicolaum Olomucensem, tunc Constantiensem episcopum facta, necnon litterae dicti episcopi super hoc sub data Constantiae 1386 Julii 11. editae, quarum tenor de verbo ad verbum praesentibus est insertus, confirmantur.* „*Sincere devocionis*“ „*Rome ap. S. Petrum nono kal. Marcii a. secundo*“.

Romae, 1391 Februarii 21.

R. Lat. 14 fol. 32[a] — [a]) ‚Nagolt, Nagelt‘ [b]) ‚Stain‘ — Supra in marg. sin.: C[ANCEL LARIA]; in fine: JAC. XXIIII DE TERAMO.

---

479. *Johanni nuper a sede apostolica monasterio s. Vincentii extra muros Vratislavienses praemonstratensis ordinis in abbatem praefecto* [1]) *conceditur, ut a quocunque catholico antistite munus benedictionis recipere valeat.* „*Cum nuper*“ „*Rome ap. S. Petrum quarto kal. Marcii a. secundo*“.

Romae, 1391 Februarii 26.

R. Lat. 12 fol. 216[a] — In fine: JAC. XII DE TERAMO — [1]) Cf. supra nr. 473.

---

480. *Litterae testimoniales pro Martino de Úterý.*

Romae, 1391 Martii 3.

Marinus . . . . [s. Marie Noue diaconus cardinalis, domini pape camerarius], ... universis . . . . Universitati vestre notum facimus per presentes, quod attentis et consideratis multiplicibus et fidelibus serviciis, que honorabilis vir dom. Martinus de Vteri presbyter, canonicus Olomucensis, in officiis panetarie et buticularie domini nostri pape quampluribus annis tempore sancte memorie dom. Urbani. pape VI. impendit et adhuc impendere non desistit, ipsum Martinum pro servitore et familiari palacii apostolici dicti dom. Urbani et sanctissimi domini nostri dom. Bonifacii pape noni reputavimus et eciam reputamus et tenemus ac tenore presencium volumus ab aliis teneri et reputari, hortantes vos, reverendissimum in Chr. patrem dominum dei gracia . . archiepiscopum Pragensem ac venerabiles et discretos viros dominos prepositos, decanos, canonicos et capitulum Pragensis et s. Petri Wissegradensis Pragensis ecclesiarum ac omnes et singulos supradictos, quatenus prefatum dom. Martinum et procuratores suos pro eo in suis agendis penes vos nostro intuitu habeatis favorabiliter recommendatos . . . . Datum Rome ap. S. Petrum a. dom. M°CCC° nonagesimo primo, indiccione quarta decima, die tercia mensis Marcii, pont. . . . . a. secundo.

Armar. XXIX tom. 1 fol. 235[b].

***481**. Litterae testimoniales pro Martino de Sternberg.*

Romae, 1391 Martii 3.

Marinus [. . . . s. Marie Noue diaconus cardinalis, dom. pape camerarius] . . . . Universitati . . . . [notum facimus], quod attentis et consideratis multiplicibus et fidelibus serviciis, que discretus vir Martinus de Sternberg clericus Olomucensis diocesis in officiis panetarie [et buticularie dom. nostri pape quampluribus annis tempore . . . . Urbani pp. VI impendit et adhuc impendere non desistit, ipsum Martinum pro servitore et familiari palacii apostolici dicti dom. Urbani et . . . . dom. Bonifacii pp. noni reputavimus et eciam reputamus et tenemus ac tenore presencium volumus ab aliis teneri et reputari,] committentes vobis reverendo in Chr. patri domino episcopo Olomucensi, necnon venerabilibus viris dominis preposito, decano, canonicis et capitulo ecclesie Olomucensis ac omnibus et singulis supradictis, quatenus prefatum Martinum in suis [agendis penes vos . . . . habeatis . . . . recommendatum.] . . . . Datum Rome ap. S. Petrum sub a. dom. millesimo CCC nonagesimo primo, indiccione quarta decima, die vero tercia mensis Marcii, pont. . . . a. secundo.

Arm. XXIX tom. 1 fol. 236a; uncinis [ ] inclusa ex documento ibidem immediate praecedente (quod vide superius sub nr. 480) suppleta sunt, cum in copia istarum litterarum loco eorum legatur: ‚etc. ut proxime supra'.

***482**. Abbati monasterii s. Ambrosii Pragensis mandatur, quatenus sedi apostolicae de causa, inter fundatores capellae Corporis Christi in Nova civitate Pragensi et Johliconem rectorem ecclesiae Zderaziensis exorta, referat.*

Romae, 1391 Martii 4.

Bonifacius . . . . abbati monasterii s. Ambrosii Pragensis . . . . Iustis petencium desideriis libenter annuimus illaque favoribus prosequimur oportunis. Exhibita siquidem nobis pro parte dilectorum filiorum nobilium virorum Johannis dicti Czuch domicelli et nonnullorum sociorum dicti Johannis Pragensis diocesis, fundatorum capelle Corporis Christi in Noua ciuitate Pragensi, peticio continebat, quod, cum olim ipsi de licencia carissimi in Chr. filii nostri Wenceslai Romanorum et Boemie regis illustris dictam capellam opere non modicum sumptuoso pro ostensione reliquiarum dictarum ‚imperialium' et aliarum edificari incepissent et facerent [1]), dilectus filius Hostislaus dictus Hostislaw canonicus monasterii Sderaziensis Pragensis Sepulchri dominici Jerosolimitani ordinis s. Augustini, tunc rector parrochialis ecclesie dicti monasterii, asserens, quod fundus dicte capelle infra limites parrochie dicte ecclesie existebat, novum opus nuncians, impediebat, quominus opus huiusmodi consummaretur, ac Johannes et socii prefati cum predicto rectore tractaverunt, ut tres sexagenas grossorum Pragensium census annui perpetui dicte ecclesie applicandas reciperet et ipsos in prefato opere non impediret, de quo prefatus rector tunc contentabatur, ipsique Johannes et socii in edificacione predicti operis sub spe tractatus huiusmodi processerunt; sed antequam huiusmodi censum pro ecclesia predicta emissent, prefatus Hostislaus dictam

ecclesiam dimisit [2]), et dilectus filius Johlico nunc rector ecclesie predicte [3]) maiorem summam a prefatis Johanne et sociis postulavit et postulat, asserens tractatum premissum non fuisse consummatum nec per diocesanum loci confirmatum, et quod deinde ipse Johlico nec predicta nec per ipsum petita summa contentus prefatos Johannem et socios super hoc, petendo opus predictum demoliri vel sibi capellam predictam adiudicari, coram dilecto filio decano ecclesie Pragensis, cui venerabilis frater noster Johannes archiepiscopus Pragensis causam ipsam auctoritate ordinaria audiendam commiserat et fine debito terminandam, huiusmodi commissionis vigore non ex delegacione apostolica traxit in causam, idemque decanus in causa ipsa procedens, diffinitivam contra eosdem Johannem et socios sentenciam promulgavit, a qua licet fuisset pro parte eorundem Johannis et sociorum ad sedem apostolicam appellatum, tamen per procuratoris ipsorum Johannis et sociorum negligenciam eadem sentencia in rem transivit iudicatam. Cum autem, sicut eadem peticio subiungebat, in edificio huiusmodi multa centena marcharum argenti sint expensa, et maximum esset scandalum, si predictum opus ita cum magnis sumptibus satis alte edificatum incompletum remaneret et ad usus profanos transferretur, pro parte ipsorum Johannis et sociorum nobis fuit humiliter supplicatum, ut providere super hoc de oportuno remedio de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur de premissis certam noticiam non habentes, eorundem Johannis et sociorum in hac parte supplicacionibus inclinati, discrecioni tue per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus de premissis omnibus et eorum circumstanciis universis auctoritate nostra te diligenter informes, et quicquid per informacionem huiusmodi reppereris nobis per tuas patentes litteras, harum seriem continentes, manu publica confectas tuoque sigillo signatas, quantocius referre procures, ut huiusmodi tua relacione instructi in premissis consulcius agere valeamus. Datum Rome ap. S. Petrum quarto nonas Marcii a. secundo.

R. Lat. 12 fol. 41b — Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: JAC. XII DE TERAMO. — [1]) Vide in Monum. univers. Prag. II./1. p. 262 litteras societatis „cum signo circuli et malleo in medio pendente“ ddto. 1382 April. 1, quibus sacellum Corporis Christi aedificandum statuit [2]) Hostislaus 1383 Julii 14 ecclesiam s. Venceslai sub monasterio Zderaziensi resignavit et in eius locum Laurentius plebanus in Světec institutus est. (Libri confirm. III.-IV. p. 154.) [3]) Frater Johlicus (Johlinus) olim plebanus in Trutnovia Nova 1389 Maii 22 in rectorem ecclesiae Zderaziensis institutus est (ibid. p. 211).

---

483. *Mathaeo Laurentii, qui Pragae in iure canonico per triennium studuit,* [1]) *providetur de canonicatu sub exspectatione maioris praebendae ecclesiae Lundensis.* „*Vite ac morum*“ „*Rome ap. S. Petrum nonis Marcii a. secundo.*“ — *Simili modo Tudensi, Arusiensi et Ottoniensi episcopis.*

Romae, 1391 Martii 7.

R. Lat. 19 fol. 213b — Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: JAC. XIII. XV DE TERAMO — [1]) ‚Matthaeus Laurentii de Dacia‘ a. 1384 a rectore universitatis iuristarum studii Pragensis intitulatus est. (Monum. univ. Prag. II./1. p. 133).

---

484. *Petrus de Teplá ord. fratrum heremitarum s. Augustini professor in sedis apostolicae capellanum recipitur. „Virtutibus clarens“ „Rome ap. S. Petrum nonis Marcii a. secundo.“*

Romae, 1391 Marcii 7.

R. Vat. 313 fol. 20[b] cum his notis in fine: (ad sin.) X; (ad dext.)REGISTRATA GRATIS, P. DE INGELNHEIM — Altera copia in Armar. XXXI. tom. 36 fol. 30[a].

---

485. *Cum Laurentio de Březová dispensatur super defectu aetatis.*

Romae, 1391 Martii 12.

Bonifacius . . . . dilecto filio [Laurentio][a]) Wenceslai de Brziezowa clerico Pragensis diocesis . . . . Vite ac morum honestas aliaque laudabilia probitatis et virtutum merita, super quibus apud nos fidedigno commendaris testimonio, nos inducunt, ut personam tuam specialis prerogativa favoris et gracie prosequamur. Carissime itaque in Chr. filie nostre Soffie Romanorum et Boemie regine illustris, pro te, dilecto suo, nobis super hoc humiliter supplicantis, huiusmodi dicte regine ac tuis in hac parte supplicacionibus inclinati, tecum, qui, ut asseritur, bacallarius in artibus existis et defectum etatis pateris, cum in vicesimo etatis tue anno constitutus existis, [ut huiusmodi etatis defectu][b]) necnon generalis concilii et quibuscunque aliis constitucionibus apostolicis contrariis nequaquam obstantibus, beneficium ecclesiasticum cum cura, si illud alias tibi canonice conferatur, recipere et retinere libere et licite valeas, auctoritate apostolica de speciali gracia tenore presencium dispensamus; proviso, quod huiusmodi beneficium debitis non fraudetur obsequiis, et animarum cura in eo nullatenus negligatur, quodque tu, cum ad etatem ad id aptam perveneris, te facias ad omnes eciam sacros ordines statutis a iure temporibus promoveri. Nulli ergo . . . . Datum Rome ad. S. Petrum quarto idus Marcii a. secundo.

R. Lat. 12 fol. 240[a] — [a]) om. cod. [b]) suppletum ab editore — Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: JAC. XII DE TERAMO — Ed. Palacký, Über Formelbücher II. p. 192 nr. 230 e libro formularum Johannis Přimdae; illic autem Laurentius de Březová in vicesimo primo aetatis suae anno constitutus esse dicitur.

---

486. *Officiali Vratislaviensi mandatur, quatenus Nicolao de Borsnicz canonicatum et praebendam in ecclesia Pragensi vacantes conferat.*

Romae, 1391 Martii 14.

Bonifacius . . . . officiali Wratislauiensi . . . . Dignum arbitramur . . . . Dudum siquidem omnes canonicatus et prebendas ceteraque beneficia ecclesiastica, tunc apud sedem apostolicam vacancia et inantea vacatura, collacioni et disposicioni nostre reservantes, decrevimus extunc irritum . . . ., si secus . . . . contingeret attemptari. Cum itaque postmodum canonicatus et prebenda ecclesie Pragensis, quos . . . . Franciscus de Benischow cubicularius et subdiaconus ac referendarius

noster tunc temporis obtinebat, per liberam resignacionem ipsius Francisci, per ipsum de illis in manibus nostris sponte factam et per nos auctoritate apostolica admissam, apud sedem eandem vacaverint et vacent ad presens ...., nos volentes .... Nicolaum de Borsnicz canonicum Wratislauiensem, qui, ut asseritur, ex utroque parente de militari genere procreatus existit et in iure canonico per sex annos et ultra studuit, ... favore prosequi gracioso, discrecioni tue .... mandamus, quatenus, si .... ipsum Nicolaum ad hoc ydoneum esse reppereris ...., canonicatum et prebendam predictos, quorum fructus .... triginta marcharum argenti puri .... valorem annuum .... non excedunt, sive premisso sive alio quovis modo .... vacent, dummodo eorum collacio ad nos dumtaxat hac vice pertineat, prefato Nicolao auctoritate nostra conferas et assignes ....; non obstantibus constitucione fel. rec. Urbani pape V. ...., in qua continetur, quod nemo in duabus ecclesiis collegiatis civitatis Pragensis et eius suburbiis duos canonicatus et duas prebendas obtinere valeat,[1]) .... seu quod idem Nicolaus, ut asseritur, Wratislauiensis ac Poznaniensis necnon s. Crucis prope Wratislauiam ac s. Petri Wissegradensis prope Pragam canonicatus et prebendas, quorum omnium fructus .... centum marcharum argenti .... valorem annuum non excedunt, obtinet, et dudum sibi de Olomucensis ac Gneznensis necnon predicte Pragensis canonicatibus sub expectacionibus prebendarum ac dignitatis vel personatus seu officii eiusdem Pragensis ecclesiarum graciose concessimus prouideri. Volumus autem, quod, quamprimum ipse Nicolaus canonicatum et prebendam ecclesie Pragensis sic vacantes vigore presencium fuerit pacifice assecutus, predicta concessionis gracia sibi de canonicatu sub expectacione prebende eiusdem ecclesie Pragensis, ut premittitur, facta et quecunque inde secuta sint cassa et irrita .... Datum Rome ap. S. Petrum secundo idus Marcii a. secundo.

R. Lat. 20 fol. 55b — In fine: JAC. XXIII DE TERAMO — [1]) Cf. nri. 4 nt. 2.

***487**. Viccecancellario apostolico mandatur, quatenus Marino s. Mariae Novae cardinali et Johanni de Borsnicz certa beneficia ecclesiastica, quae invicem permutare desiderant, conferat.*

Romae, 1391 Martii 15.

Bonifacius .... Francisco [a]) episcopo Penestrino, s. Romane ecclesie vicecancellario .... Apostolice sedis circumspecta benignitas desideria iusta petencium congruo favore prosequitur, et votis eorum, que a racionis tramite non discordant, libenter se exhibet propiciam et benignam. Cum itaque .... Marinus s. Marie Noue diaconus cardinalis Wratislauiensis et .... Johannes de Borsnicz decretorum doctor s. Marie Glogouiensis Wratislauiensis diocesis ecclesiarum canonicatus et prebendas, quos obtinent,[1]) desiderent, sicut asserunt, ex certis racionabilibus causis invicem permutare, nos votis Marini cardinalis, qui eciam camerarius noster existit, et Johannis predictorum favorabiliter annuentes, fraternitati tue, de qua in his et aliis specialem in domino fiduciam obtinemus, per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus ab eisdem Marino cardinali et Johanne vel procuratoribus eorum, ad hoc ab eis specialiter constitutis, resignaciones

huiusmodi, si eas sponte et libere facere voluerint, auctoritate nostra hac vice dumtaxat recipias et admittas, et huiusmodi resignacionibus per te receptis et admissis, Marino cardinali s. Marie, quorum viginti, ac Johanni predictis Wratislauiensis ecclesiarum predictarum canonicatus et prebendas huiusmodi, quorum decem et octo marcharum argenti fructus .... valorem annuum ..... non excedunt, cum illos per huiusmodi resignaciones vacare contigerit, ... eadem auctoritate conferas et assignes ....; non obstantibus ...., quod memoratus Johannes, ut asseritur, in Gneznensi canonicatum et prebendam [2]) et in s. Elizabeth unum et in s. Marie Magdalene Wratislauiensibus aliud altaria sita, que sine cura sunt, obtinet, et quod causam, quam super prepositura in Pragensi contra quendam adversarium suum movere intendit, quorum omnium fructus .... trecentarum marcharum argenti .... valorem annuum non excedunt, in palacio apostolico per nos committi obtinuit, quodque super canonicatu et prebenda in Wratislauiensi predicta in eodem palacio litigat, et quod nos dudum sibi de in Pragensi et de in Olomucensi et de in Poznaniensi [3]) et de in Wladislauiensi canonicatibus sub prebendarum et in eisdem Pragensi et Wratislauiensi ecclesiis sub dignitatum vel personatuum seu officiorum expectacionibus per quasdam providimus, necnon de beneficio ecclesiastico sine cura ad collacionem .... episcopi Wratislauiensis pertinente, vacante vel vacaturo, per quasdam alias nostras litteras graciose mandavimus provideri. Volumus autem, quod dictus Johannes, quamprimum vigore presencium canonicatum et prebendam Wratislauiensis predictos fuerit pacifice assecutus, alios canonicatum et prebendam eiusdem Wratislauiensis ecclesie, super quibus litigat, ut prefertur, si illos interim evincat ...., omnino dimittere, alioquin omni iuri sibi in eis seu ad eos quomodolibet competenti cedere teneatur. Nostre tamen intencionis existit, quod Marino cardinali in s. Marie et Johanni prefatis in Wratislauiensis ecclesiarum predictarum canonicatibus et prebendis prenominatis ex collacionibus huiusmodi, per te ipsis de illis, ut premittitur, faciendis, nullum ius quomodolibet acquiratur, nisi Marinus cardinalis et Johannes prefati tempore resignacionum huiusmodi ius haberent in canonicatibus et prebendis per eos taliter resignandis. Et insuper irritum decernimus ...., si secus .... contigerit attemptari. Datum Rome ap. S. Petrum idibus Marcii a. secundo.

R. Lat. 17 fol. 149[a] — [a]) Supra lineam alia manu adscriptum adiuncto nomine registratoris: „Jac. [de Teramo]“. — Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: JAC. XXVIII DE TERAMO — [1]) Cf. nr. 382. [2]) Nr. 197. [3]) Nr. 240.

---

488. *Praeposito monasterii Mechoviensis mandatur, quatenus praebendam ecclesei Cracoviensis, super qua inter Derslaum Blisiborii et Paudum Nankeri in palatio apostolico causa vertitur, sequestret.*

Romae, 1391 Martii 17.

Bonifacius .... preposito monasterii Mechouiensis per prepositum soliti gubernari Cracouiensis diocesis[a]) .... Exhibita nobis pro parte .... Derslai Blisborii, asserentis se canonicum Cracouiensem, peticio continebat, quod olim ipse altare Annunciacionis b. Marie situm in ecclesia Cracouiensi et capellam s. Marie

Magdalene Cracouiensem et .... Johannes de Haynow canonicatum et prebendam dicte ecclesie, que tunc temporis obtinebant, desiderantes illa .... invicem permutare, in manibus tuis .... extra Romanam curiam sponte ac libere resignarunt, tuque resignacionibus huiusmodi auctoritate ordinaria extra dictam curiam admissis, Derslao canonicatum et prebendam ac Johanni prefatis altare et capellam predicta sic vacancia eadem auctoritate contulisti et de illis eciam providisti, eciam presente et non contradicente Paulo Nankeri, qui se gerit pro canonico Craconiensi, et quod, licet idem Derslaus predictos canonicatum et prebendam .... fuisset pacifice assecutus, tamen postmodum prefatus Paulus, asserens se vigore quarundam litterarum nostrarum sibi graciose concessarum canonicatum dicte ecclesie obtinere et prebendam in eadem ecclesia expectare, et falso pretendens dictam prebendam per liberam resignacionem predicti Johannis vacavisse et vacare, seque illam infra tempus legitimum acceptasse et de illa sibi provisum fuisse, predictum Derslaum eadem prebenda manu armata et violenter spoliavit, dictamque prebendam[b]) occupavit et nonnullas decimas et alios fructus ad eosdem canonicatum et prebendam pertinentes et per dictum Derslaum et eius nomine perceptos[c]) et collectos occupavit, propter que orta inter ipsos Derslaum et Paulum materia questionis, prefatus Derslaus eundem Paulum coram .... Bertoldo de Camen rectore parrochialis ecclesie in Wansow Wratislauiensis diocesis, tunc in civitate Craconiensi commorantem, cui tu huiusmodi causam auctoritate predicta audiendam commiseras et fine debito terminandam, petendo decerni et declarari dictum Paulum propter huiusmodi spoliacionem et occupacionem vigore statutorum provincialium provincie Gneznensis, de qua predicta civitas et Craconiensis diocesis existunt, excommunicacionis sentenciam incurrisse, ac predictos canonicatum et prebendam ad ipsum Derslaum pertinuisse et pertinere, dictoque Paulo super eis perpetuum silencium imponi, ipsumque Paulum condemnari et compelli ad restituendum sibi prebendam predictam ac decimas et fructus huiusmodi exinde perceptos et que[d]) percipi potuerat, fecit ad iudicium evocari, idemque Bertoldus in huiusmodi causa legitime procedens et iuris ordine observato, pro dicto Derslao et contra eundem Paulum diffinitivam sentenciam promulgavit, et quia idem Paulus huiusmodi sentencie contumaciter parere recusavit, ipse Bertoldus huiusmodi sentenciam exequendo dictum Paulum propter huiusmodi eius contumaciam manifestam mandavit et fecit excommunicatum publice nunciari; sed idem Paulus in reprobum sensum datus et huiusmodi sentenciam vilipendens detinuit tirannice et vi armorum, prout adhuc detinet, eandem prebendam ac fructus huiusmodi indebite occupatos et sic ligatus in contemptum clavium se divinis officiis sicut prius inmiscuit et inmiscet ...., et quamvis idem Paulus huiusmodi causam .... Bertrando episcopo Eugubino, in Romana curia commoranti et locum unius ex auditoribus causarum palacii apostolici de mandato nostro obtinenti, per nos committi obtinuerit, et ad ipsius Pauli instanciam inter dictas partes ad nonnullos actus processum extiterit, ipse tamen Paulus nichil contra dictam sentenciam vel contra eundem Derslaum proposuit et se a predicta curia absentavit. Quare pro parte dicti Derslai nobis fuit humiliter supplicatum, ut predictam prebendam sequestrari de benignitate apostolica mandaremus. Nos igitur .... discrecioni[e]) tue per apostolica scripta mandamus, quatenus, si est ita, predictam prebendam auctoritate nostra per te vel alium sequestrare pro-

cures, exhibiturus id, quod de ipsius prebende fructibus ipsorum debitis supportatis oneribus superesse contigerit, illi, qui finalem in causa huiusmodi victoriam obtinebit .... Datum Rome ap. S. Petrum sexto decimo kal. Aprilis pont. n. a. secundo.

R. Lat. 17 fol. 32b — a) ‚d. f. praeposito mon. Mechouien ....' adscriptum in margine loco cancellati ‚ven. fr. episcopo Cracouien.' adiuncta nota: „Correctum de mandato. N. de Benevento". b) ‚dictaque prebenda' cod. c) ‚preceptos' cod. d) ‚qui' cod. e) correctum ex ‚fraternitati'. — In fine: N. XXVI DE BENEVENTO.

---

489. *Georgio Cosso de Trebnicz clerico Vratislaviensis dioc. reservatur beneficium ecclesiasticum cum vel sine cura, cuius fructus 25 resp. 18 marcarum argenti valorem annuum non excedant, ad collationem episcopi Vratislaviensis et praepositi, decani, scholastici, thesaurarii, cantoris, archidiaconorum et capituli singulorumque canonicorum et personarum ecclesiae Vratislaviensis pertinens, etiam si in ipsa ecclesia fuerit, dummodo canonicatus et praebenda ecclesiae cathedralis non existat, si quod vacat, vel cum vacaverit. „Vite ac morum" „Rome ap. S. Petrum nono kal. Aprilis a. secundo." — Simili modo episcopo Tudensi et abbati monasterii s. Mariae extra muros Vratislavienses ac decano ecclesiae Vyšehradensis prope Pragam.*

Romae, 1391 Martii 24.

R. Lat. 18 fol. 100a — Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: PRO DEO, JAC. DE TERAMO.

---

490. *Johanni de Senging conceditur, ut certae litterae apostolicae ei concessae valeant, etiam si in ipsis de quibusdam aliis litteris apostolicis ei etiam concessis nulla mentio facta fuerit.*

Romae, 1391 Martii 29.

Bonifacius .... Johanni de Senging canonico Olomucensi, familiari nostro .... Grata tue devocionis .... Dudum siquidem tibi de Olomucensis et Wratislauiensis sub expectacionibus prebendarum sub data quinto idus Novembris pontificatus nostri anno primo,[1]) et successive de ipsius Wratislauiensis et Zwerinensis necnon Patauiensis[2]) cum prebendis ac decanatu eiusdem Patauiensis ecclesiarum canonicatibus, necnon de capella in Nyderburch Patauiensis ac de parrochiali ecclesia in Pels Salzeburgensis diocesis, tunc certis modis vacantibus et antea disposicioni apostolice reservatis, per diversas nostras litteras graciose duximus providendum .... Cum autem, sicut exhibita nobis nuper pro parte tua peticio continebat, in illis, per quas de Wratislauiensis, de aliis, per quas de Olomucensis ecclesiarum canonicatibus sub expectacione prebende tibi providimus, ut prefertur, et eciam in omnibus aliis litteris antedictis per errorem non fuerit mencio facta, et propterea dubites illas, per quas de canonicatu sub expectacione prebende ecclesie Wratislauiensis predicte tibi providimus, ut prefertur, et omnes

alias nostras litteras predictas posse surrepticias reputari, nos igitur .... volumus et apostolica auctoritate concedimus, quod ille, per quas tibi de canonicatu sub expectacione prebende eiusdem ecclesie Wratislauiensis providimus, ut prefertur, et eciam omnes alie littere predicte .... perinde a data presencium valeant ...., ac si in eis de predictis litteris, per quas tibi de canonicatu sub expectacione prebende eiusdem ecclesie Olomucensis providimus, ut prefertur, expressa mencio facta fuisset .... Datum Rome apud S. Petrum quarto kal. Aprilis a. secundo.

R. Lat. 17 fol. 12b — Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: N. XVI DE BENEVENTO — [1]) 1389 Nov. 9. [2]) Cf. nr. 450.

---

491. *Auditori apostolico mandatur, quatenus, si ei constiterit neque Johanni de Kbel neque Johanni de Ghulen in parrochiali ecclesia in Našimeřicz ius competere, eandem ecclesiam Johanni de Kbel conferat.*

Romae, 1391 Aprilis 1.

Bonifacius .... magistro Antonio de Ponto capellano nostro et causarum palacii apostolici auditori .... Nobilitas generis, vite ac morum honestas ...., super quibus .... Johannes de Kbel perpetuus vicarius in ecclesia Olomucensi .... commendatur ...., nos inducunt, ut sibi reddamur .... liberales. Exhibita siquidem nobis pro parte dicti Johannis peticio continebat, quod orta dudum inter .... Nicolaum rectorem parrochialis ecclesie in Superiori Holubrunna Pataviensis diocesis et quondam Carolum Witoslai de Zelicz [et] Henricum de Kawffung presbyteros super parrochiali ecclesia in Nassimericz Olomucensis [diocesis] .... materia questionis,[a]) et causa huiusmodi per appellacionem dicti Caroli ad sedem apostolicam legitime introducta, fel. rec. Urbanus pp. VI. predecessor noster causam appellacionis huiusmodi et negocii principalis quondam Petro de Coppa capellano dicte sedis et auditori causarum palacii apostolici .... commisit, [et postquam] idem Petrus auditor in causa huiusmodi inter partes ipsas ad nonnullos actus processerat, lite huiusmodi sic indecisa pendente, cum dictus Henricus eciam extra eandem curiam nature debitum persolvisset, et .... Johannes de Gulen, qui se gerit pro preposito ecclesie in Wolframkirchen predicte Olomucensis diocesis, per .... nobiles viros Benessium baronem baronie de Crawar et Stephanum dictum Sczepan armigerum dicte Olomucensis diocesis, asserentes se veros patronos dicte ecclesie in Nassimericz ...., se prefatis vicariis ad ipsam ecclesiam presentari similiter procurasset suaque assereret interesse, dictus predecessor eidem Petro auditori ad instanciam ipsius Johannis de Gulen commisit, ut ipsum Johannem de Gulen ad eiusdem cause prosecucionem .... pro suo admitteret interesse, et deinde eodem Johanne de Gulen per prefatum auditorem ad huiusmodi cause prosecucionem admisso ...., nos .... ad apicem summi apostolatus assumpti eidem Petro auditori nostris dedimus litteris in mandatis, ut, si per eventum litis huiusmodi sibi constaret neutrum ex Johanne de Gulen et Carolo predictis in dicta ecclesia in Nassimeriz ius habere, eandem ecclesiam in Nassimericz illi ex Johanne de Gulen et Carolo prefatis, quem per diligentem examinacionem ad hoc ydoneum

et sufficienciorem esse reperiret, auctoritate nostra conferret et assignaret. Postmodum vero, antequam prefatus Petrus auditor ad execucionem dictarum litterarum processisset, predictus Carolus lite huiusmodi sic indecisa pendente in Romana curia debitum nature persolvit, nosque tibi, cui causam ipsam, cum idem Petrus eciam vita functus extitisset, audiendam commiseramus et fine debito terminandam, per alias nostras litteras mandavimus, ut eundem Johannem de Kbel . . . . in omni iure, quod dicto Carolo tempore sui obitus in eadem parrochiali ecclesia quomodolibet competebat aut competere poterat, auctoritate nostra surrogares . . . . , prout in eisdem aliis nostris litteris plenius continetur;[1]) tuque subsequenter, eodem Johanne de Kbel per te in huiusmodi iure surrogato ipsoque ad huiusmodi ius et eius prosecucionem et defensionem admisso, inter eosdem Johannem de Kbel et Johannem de Gulen ad nonnullos alios actus citra tamen conclusionem diceris processisse. Cum autem, sicut eadem peticio subiungebat, a nonnullis asseratur neutri ex Johanne de Kbel et Johanne de Gulen prefatis in eadem parrochiali ecclesia ius competere, et . . . . dicta parrochialis ecclesia adhuc . . . . vacare noscatur, nos . . . . volentes prefato Johanni de Kbel, qui presbyter est et, ut asserit, ex utroque parente de militari genere procreatus existit, ... graciam facere specialem, discrecioni tue . . . . mandamus, quatenus, si per eventum litis huiusmodi tibi constiterit neutri Johannis de Kbel et Johannis de Gulen predictorum in ipsa parrochiali ecclesia ius competere, eandem parrochialem ecclesiam, que de iure patronatus laicorum existit, cuiusque fructus . . . . sexaginta marcharum argenti puri . . . . valorem annuum, ut idem Johannes de Kbel asserit, non excedunt . . . ., prefato Johanni de Kbel auctoritate nostra conferas et assignes . . . .; non obstantibus . . . . , quod idem Johannes de Kbel, ut asserit, parrochialem ecclesiam in Pomuk Pragensis diocesis et quandam perpetuam vicariam in dicta Olomucensi, quarum fructus . . . . triginta marcharum argenti puri . . . . valorem annuum non excedunt, et canonicatum sub expectacione prebende necnon dignitatis, personatus vel officii cum cura vel sine cura in Pragensi ecclesiis auctoritate litterarum nostrarum noscitur obtinere. Cui quidem Johanni de Kbel auctoritate apostolica concessimus, quod, eciam si ipsum in Nassimericz evincere contigerit, ipsam et in Pomuk ecclesias ac vicariam predictas ac eciam huiusmodi dignitatem vel personatum seu officium curatum, si quam vel si quem aut si quod . . . . assequetur, retinere ipsaque et eorum quodlibet pro alio vel aliis beneficio seu beneficiis ecclesiastico seu ecclesiasticis infra certum tempus permutare teneretur . . . . Datum Rome ap. S. Petrum kal. Aprilis a. secundo.

R. Lat. 12 fol. 86 [a] — [a]) ‚appellacionis' cod. — In fine: [DE MANDATO, N. DE BENEVENTO — [1]) Vide nr. 350.

---

492. *Abbati Sedlicensi mandatur, quatenus Venceslaum de Misa surroget ad omne ius, quod quondam Fridmanno presbytero tempore eius obitus in canonicatu et praebenda ecclesiae Pragensis competebat.*

Romae, 1391 Aprilis 8.

Bonifacius .... abbati monasterii in Czedlicz Pragensis diocesis .... Dignum arbitramur .... Exhibita siquidem nobis nuper pro parte .... Wenceslai de Misa canonici ecclesie s. Petri Wissegradensis Pragensis peticio continebat, quod orta dudum inter ipsum Wenceslaum et quondam Fridmannum presbyterum super canonicatu et prebenda ecclesie Pragensis, ad quos, tunc per obitum quondam Stephani de Ronouiez ipsius Pragensis ecclesie canonici extra Romanam curiam defuncti vacantes. Wenceslaus se a .... Wenceslao Romanorum et Boemie rege illustri, vero patrono ipsorum canonicatus et prebende, ... quondam Przibislao decano [2]) et .... capitulo dicte ecclesie Pragensis infra tempus legitimum presentatum et per ipsos, cum ad decanum ipsius ecclesie pro tempore existentem et dictos capitulum institucio huiusmodi persone ad eosdem canonicatum et prebendam eciam de antiqua .... consuetudine pertineat, in canonicum dicte Pragensis ecclesie auctoritate ordinaria receptum et ad dictam prebendam institutum et admissum fuisse canonice, ipsumque Fridmannum impedivisse, quominus ipse Wenceslaus dictos canonicatum et prebendam posset pacifice possidere, Fridmannus vero predicti eosdem canonicatum et prebendam iuxta consuetudinem ecclesie Pragensis predicte optasse, ipsos[que] canonicatum et prebendam ad se de iure spectare asserebant, prout dictus Wenceslaus de Misa asserit, materia questionis et causa huiusmodi ad sedem apostolicam legitime introducta et coram diversis auditoribus causarum palacii apostolici .... diucius ventilata, prefatus Fridmannus in dicto palacio tres pro se et contra dictum Wenceslaum de Misa .... diffinitivas sentencias reportavit. Et deinde prefatus rex asserens se verum patronum dictorum canonicatus et prebende existere seque ad causam huiusmodi vocatum non fuisse, eundem Fridmannum super hoc, petendo pronunciari, decerni et declarari ius patronatus dictorum canonicatus et prebende tantum ad se ut verum patronum racione regni sui Boemie spectare et pertinere, huiusmodique presentacionem, recepcionem et admissionem de predicto Wenceslao de Misa factas fuisse et esse validas, opcionemque huiusmodi per dictum Fridmannum fuisse et esse indebitam et in preiudicium iuris patronatus dicti regis factam, dictosque canonicatum et prebendam prefato Wenceslao de Misa adiudicari, dictoque Fridmanno nullum ius competere in eisdem, prefatoque Fridmanno super impedimentis ac canonicatu et prebenda predictis perpetuum silencium imponi, coram .... Vito preposito ecclesie s. Egidii Pragensis, cui .... Johannes archiepiscopus Pragensis huiusmodi causam auctoritate ordinaria audiendam commiserat et fine debito terminandam, traxit in causam, idemque prepositus cognitis ipsius cause meritis et iuris ordine observato diffinitivam pro dicto rege et contra prefatum Fridmannum sentenciam promulgavit; a qua pro parte dicti Fridmanni fuit ad sedem predictam appellatum, nosque causam appellacionis huiusmodi .... magistro Petro de Florencia predicti palacii causarum auditori primo, et deinde ad instanciam prefati regis causam huiusmodi, [cum] [a]), ut asserebatur, de ipsius cause meritis in partibus illius clarius constare posset, ad nos advocantes, ipsam tibi .... commisimus .... Cum autem, sicut eadem peticio subiungebat, lite huiusmodi sic indecisa pendente et re alias integra existente prefatus Fridmannus in possessione dictorum canonicatus et prebende existens, extra dictam curiam extiterit vita functus, nos .... ipsum Wenceslaum de Misa .... consideracione prefati regis, pro ipso Wenceslao, capellano suo, nobis .... supplicantis, favore

prosequi gracioso volentes, dicrecioni tue .... mandamus, quatenus .... eandem Wenceslaum, dummodo ipse in dictis canonicatu et prebenda intrusus non fuerit, in omni iure et ad omne ius, si quod prefato Fridmanno tempore sui obitus in eisdem canonicatu et prebenda, quorum fructus .... quadraginta marcharum argenti puri .... valorem annuum, ut asseritur, non excedunt, seu ad eos quomodolibet competebat seu competere poterat, ... auctoritate nostra surroges ...., necnon ad possessionem eorundem canonicatus et prebende, in qua dictus Fridmannus tempore sui obitus erat, ut prefertur, admittas et admitti facias, ut est moris ....; non obstantibus statuto et ordinacione fel. rec. Urbani pp. V. ...., quibus caveri dicitur, quod nullus in maiori et alia seu duabus ecclesiis civitatis Pragensis et suburbiorum eiusdem plures canonicatus et prebendas simul obtinere possit, et aliis contrariis quibuscunque ...., aut quod prefatus Wenceslaus de Misa canonicatum et prebendam in dicta ecclesia s. Petri ac parrochialem ecclesiam in Colonia Pragensis diocesis, quorum omnium fructus .... eciam quadraginta marcharum argenti puri .... valorem annuum, ut asseritur, non excedunt, et canonicatum sub expectacione prebende ac dignitatis, personatus vel officii ecclesie Wratislauiensis noscitur obtinere .... Datum Rome ap. S. Petrum sexto idus Aprilis a. secundo.

R. Lat. 17 fol. 30[1] — [a]) suppl. ab editore — In fine: N. XXVI DE BENEVENTO — [1]) Iste Stephanus de Ronovicz idem esse videtur, ac ille Stephanus de Tetín protonotarius tabularum terrae regni Bohemiae, qui ante a. 1382 mortuus est (Tomek, Déje Prahy V. p. 121, 125; Tadra, Kanceláře a písaři p. 99). [2]) Přibyslaus de Pořešín aa. 1380—1385 decanus fuit.

493. Petro de Luna providetur de parrochiali ecclesia in Radotín.

Romae, 1391 Aprilis 8.

Bonifacius .... Petro Mathie de Luna rectori parrochialis ecclesie in Radotin Pragensis diocesis .... Nobilitas generis .... Dudum siquidem omnes parrochiales ecclesias ceteraque beneficia ecclesiastica cum cura vel sine cura quorumcunque pro quibuscunque negociis ad Romanam curiam veniencium et recedencium ab ea, si in locis ab ipsa curia ultra duas dietas legales non remotis iam forse obierant, vel eas imposterum contingeret de medio summoveri, tunc vacancia et inantea vacatura, collacioni et disposicioni nostre duximus reservanda .... Et deinde parrochiali ecclesia in Radotin Pragensis diocesis, quam quondam Martinus dictus Martyn .... obtinebat, per ipsius Martini obitum, qui a dicta curia, ad quam pro quibusdam suis negociis promovendis accesserat, recedens, in civitate Reatina, que utique ab Urbe Romana, in qua tunc cum eadem curia residebamus, prout adhuc residemus, ultra duas dietas legales non distat, diem clausit extremum, vacante, nos .... Johanni Johannis de Muissek clerico dicte diocesis de prefata ecclesia .... graciose concessimus provideri. Cum itaque postmodum dictus Johannes huiusmodi graciam prosequi non curans, eidem gracie coram quibusdam notario publico et testibus in dicta curia sponte et libere renunciaverit ...., nos volentes tibi, qui, ut asseris, de militari genere procreatus existis, horum intuitu graciam facere specialem, dictam ecclesiam, cuius fructus ....

quatuordecim marcharum argenti puri .... valorem annuum .... non excedunt, ... apostolica tibi auctoritate conferimus ....; non obstantibus ...., quod beneficium ecclesiasticum cum cura vel sine cura ad collacionem .... archiepiscopi [Pragensis] et .... prepositi, decani, archidiaconorum, scolastici et capituli singulorumque canonicorum et personarum ecclesie Pragensis eciam racione dignitatum, personatuum vel officiorum aut obedienciarum, que in eadem Pragensi ecclesia obtinent, ... pertinens, eciam si canonicatus et prebenda Pragensis ecclesie fuerit, auctoritate litterarum nostrarum expectas, quodque tibi de canonicatu sub expectacione prebende ecclesie s. Petri Wissegradensis Pragensis duximus providendum. Volumus autem, quod, quamprimum .... dictam parrochialem ecclesiam fueris pacifice assecutus, prefate littere, per quas huiusmodi beneficium expectas, ... et quecunque inde secuta, quoad curatum beneficium dumtaxat, sint cassa et irrita .... Datum Rome ap. S. Petrum sexto idus Aprilis a. secundo.

Simili modo .... episcopo Tudensi et .... decano ecclesie Pragensis ac .... officiali Pragensi ....

R. Lat. 17 fol 298a — In fine: DE MANDATO, N. DE BENEVENTO.

---

494. *Officiali Pragensi mandatur, quatenus Drzkoni de Týn parrochialem ecclesiam in Třebnicz reservet.*

Romae, 1391 Aprilis 8.

Bonifacius .... officiali Pragensi .... Dignum arbitramur .... Nuper siquidem .... Blasio de Zalezl rectori parrochialis ecclesie in Trzebnicz Pragensis diocesis de curata ecclesia s. Petri in Tyn dicte diocesis tunc certo modo vacante per nostras litteras mandavimus provideri .... Cum itaque propterea dicta ecclesia in Trzebnicz, quam idem Blasius tunc temporis obtinebat, prout adhuc obtinet, quamprimum ipse dictam ecclesiam s. Petri fuerit pacifice assecutus, vacare speretur, nos volentes .... Drzkonem de Tyn presbyterum dicte diocesis ... favore prosequi gracioso, discrecioni tue .... mandamus, quatinus, si .... dictum Drzkonem .... ydoneum ad obtinendum dictam ecclesiam reppereris ...., ecclesiam predictam in Trzebnicz, cuius fructus .... octo marcharum argenti puri .... valorem annuum .... non excedunt, ... conferendam eidem Drzkoni .... donacioni tue auctoritate nostra reserves ....; non obstantibus ...., quod idem Drzko beneficium ecclesiasticum cum cura vel sine cura, ad collacionem .... archiepiscopi [Pragensis] et .... prepositi, decani, scolastici et capituli singulorumque canonicorum et personarum ecclesie Pragensis .... pertinens, auctoritate litterarum nostrarum se asserit expectare. Volumus autem, quod, quamprimum .... prefatus Drzko dictam ecclesiam in Trebinicz fuerit pacifice assecutus, prefate littere, per quas huiusmodi beneficium .... expectat, et .... quecunque inde secuta, quoad curatum beneficium dumtaxat, sint cassa et irrita .... Datum Rome ap. S. Petrum sexto idus Aprilis a. secundo.

R. Lat. 16 fol. 135b — Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: N. XXII DE BENEVENTO.

495. *Magistro Antonio de Ponto capellano apostolico et causarum palatii apostolici auditori mandatur, quatenus, si per eventum litis inter Abraham Abrahae et magistrum Petrum de Strelicz capellanum apostolicum super canonicatu et praebenda ac praepositura ecclesiae Cracoviensis exortae ei constiterit, neutri dictorum litigantium ius in eisdem competere, alteri ex ipsis, quem sufficientiorem invenerit, praefatos canonicatum et praebendam ac praeposituram conferat; non obstante, „quod Petrus in dicta Cracouiensi, quorum viginti, et in Olomucensi ecclesiis, quorum duodecim et quorum possessionem nondum est adeptus, canonicatus et prebendas ac parrochialem ecclesiam in Wrawrzniczicze*[1]) *Cracouiensis diocesis, quam per assecucionem dicte prepositure dimittere tenetur, obtinet, et super canonicatu et prebenda ecclesie Wratislauiensis, quorum quatuordecim marcharum argenti puri fructus . . . . valorem annuum . . . . non excedunt, in dicto palacio litigat,*[2]) *et, ut asserit, dudum sibi de canonicatu sub expectacione prebende ecclesie Gneznensis graciose concessimus prouideri, et quod Abraham predicti in Cracouiensi ac Plocensi et Poznaniensi ecclesiis canonicatus et prebendas, quorum fructus . . . . octuaginta marcharum argenti puri . . . . valorem annuum . . . . non excedunt, obtinet, et dudum sibi, ut asserit, de canonicatu sub expectacione prebende ecclesie Wratislauiensis graciose concessimus prouideri . . . .“ „Apostolice sedis circumspecta“ „Rome ap. S. Petrum sexto idus Aprilis a. secundo“.*

Romae. 1391 Aprilis 8.

R. Lat. 14 fol. 87b — In fine: N. XXXVI DE BENEVENTO — [1]) i. e. Wawrzinczicze, Laurinczicze [2]) Cf. nr. 196.

---

496. *Confirmatur antiqua consuetudo, secundum quam praeposituae alias ‚prioratus‘ nuncupatae in Rajhrad, Policz et Broumov ord. s. Benedicti Pragensis et Olomucensis dioc. monasterio Břevnoviensi prope Pragam dicti ordinis pleno iure subiectae sunt et per monachos eiusdem monasterii ad nutum abbatis instituendos et destituendos reguntur. „Honestis et humilibus“ „Rome ap. S. Petrum VI. idus Aprilis pont. n. a secundo“.*

Romae, 1391 Aprilis 8.

Editum apud Ziegelbauer, Hist. mon. Brewnov. p. 292, apud Dobner, Monum hist. Bohemiae VI p. 113 (Hist. diplom. Brewnov. nr 127), et in Cod. dipl. Moraviae XII. nr. 25. Copia ex originali archivii Břevnoviensis (B, IV. 120) in diplomatario manuscripto musei regni Bohemiae habetur, iuxta quam originali in filo serico bulla plumbea Bonifacii IX appendet, et hae notae in illo reperiuntur: (in plica) JO. DE MALESICZ; (a tergo) R[EGISTRATA].

---

497. *Blažkoni*[a]) *de Antiqua Sella rectori parrochialis ecclesiae in Světlá*[b]) *Pragensis dioc. indulgetur, ut confessor eius, quem ipse elegerit, semel tantum in mortis articulo plenam remissionem omnium peccatorum ei concedere possit. „Provenit“ „Rome ap. S. Petrum sexto idus Aprilis a. secundo.“*

Romae, 1391 Aprilis 8.

R. Lat. 10 fol. 324b — a) ‚Blasconi' b) ‚Swyetla' — In fine: DE MANDATO, N. DE BENEVENTO.

---

498. *Petro Mathiae de Luna clerico Pragensis dioc. indulgetur, ut confessor eius, quem ipse elegerit, semel tantum in mortis articulo plenam remissionem peccatorum ei concedere possit. „Provenit" „Rome ap. S. Petrum sexto idus Aprilis a. secundo".*

Romae, 1391 Aprilis 8.

R. Lat. 10 fol. 324b — In fine: DE MANDATO, N. DE BENEVENTO.

---

499. *Johanni dicto Widolt de Mackor* [a]) *armigero Pragensis dioc. indulgetur, ut confessor eius semel tantum in mortis articulo plenam remissionem peccatorum ei concedere possit. „Provenit" „Rome ap. S. Petrum sexto idus Aprilis a. secundo".*

Romae, 1391 Aprilis 8.

R. Lat. 10 fol. 324b — a) ‚Maczkow' — In fine: DE MANDATO, N. DE BENEVENTO.

---

500. *Paulo Galli de Cosla clerico Vratislariensis dioc. indulgetur, ut confessor eius semel tantum in mortis articulo plenam remissionem peccatorum ei concedere possit. „Provenit" „Rome ap. S. Petrum sexto idus Aprilis. a. secundo."*

Romae, 1391 Aprilis 8.

R. Lat. 10 fol. 324b — In fine: DE MANDATO, N. DE BENEVENTO.

---

501. *Kunoni* [a]) *de Reichenbach* [b]) *clerico Misnensis dioc. reservatur beneficium ecclesiasticum cum vel sine cura, consuetum clericis saecularibus assignari, cuius fructus 25 resp. 18 marcarum argenti valorem annuum non excedant, ad collationem abbatissae et conventus monasterii in Marienstern* [c]) *ord. cisterciensis Misnensis* [d]) *dioc. pertinens, si quod vacat, vel cum vacaverit. „Vite ac morum" „Rome ap. S. Petrum quarto idus Aprilis a. secundo". — Simili modo archiepiscopo Cusentino et abbati monasterii in Aula Regia Pragensis dioc. ac officiali Lubucensi.*

Romae, 1391 Aprilis 10.

R. Lat. 11 fol. 35a — a) ‚Kwnoni' b) ‚Rychenbach' c) ‚Merghensterne' d) ‚Misnen.' — In fine: PRO DEO, N. DE BENEVENTO.

---

502. *Episcopo Tudensi et abbati monasterii in Hradiště* [a]) *Olomucensis dioc. ac archidiacono Olomucensi mandatur, quatenus Gregorio Nicolai de Chvalkovicz* [b]) *nato, presbytero Olomucensis dioc., parrochialem ecclesiam s. Crucis in Radoschau* [c]) *Vratislaviensis dioc., cuius fructus 6 florenorum auri valorem annuum non excedunt, vacantem per obitum quondam Johannis dicti Jan ipsius ecclesiae rectoris, qui extra Romanam curiam decessit, auctoritate apostolica conferant. „Vite ac morum" „Rome ap. S. Petrum tercio idus Aprilis a. secundo.*

Romae, 1391 Aprilis 11.

R. Lat. 20 fol. 275b — a) ‚Radiss' b) ‚Chwalcowicz' c) ‚Radesow' — Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: PRO DEO, N. DE BENEVENTO.

---

503. *Archiepiscopo Pragensi mandatur, quatenus domui hospitalis s. Johannis Jerosolimitani in Strakonicz Pragensis dioc., cuius fructus valorem annuum 40 marcarum argenti non excedunt, parrochialem ecclesiam in Pěčín* [a]) *eiusdem dioc., quae de iure patronatus praeceptoris et fratrum dictae domus existit, cuiusque fructus 8 marcarum argenti annuum valorem non excedunt, uniat, reservata tamen congrua portione pro perpetuo vicario inibi instituendo. „Sincere devocionis affectus" „Rome ap. S. Petrum tercio idus Aprilis a. secundo."*

Romae, 1391 Aprilis 11.

R. Lat. 17 fol. 80b — a) ‚Pyeczin — Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: N. XX DE BENEVENTO — Ed. apud Borový, Libri erectionum IV p. 372 nr. 520 (insertum litteris Johannis archiepiscopi Pragensis ddto. 1392 April. 6).

---

504. *Capellam b. Mariae virginis et s. Johannis Evangelistae in castro Nikolsburg* [a]) *Olomucensis dioc. in festo dedicationis eiusdem capellae visitantibus annuatim et ad conservationem eius manus adiutrices porrigentibus duo anni et duae quadragenae de iniunctis eis poenitentiis relaxantur. „Licet is" „Rome ap. S. Petrum tercio idus Aprilis pont. n. a. secundo."*

Romae, 1391 Aprilis 11.

R. Lat. 14 fol. 119b — a) ‚Nicolspurg' — In fine: JAC. XVI DE TERAMO.

---

505. *Nicolaus monachus monasterii in Vilémov ord. s. Benedicti Pragensis dioc. ordinem ipsum expresse professus et in sacerdotio constitutus, qui per conventum dicti monasterii, quamquam provisio eiusdem vivente adhuc Petro abbate sedis apostolicae dispositioni erat reservata, in abbatem electus est,* [1]) *huiusmodi electione cassata, praefato monasterio auctoritate apostolica de novo in abbatem praeficitur. „Ex suscepte servitutis" „Rome ap. S. Petrum II. idus Aprilis pont. n. a. secundo."*

Romae, 1391 Aprilis 12.

Editum ap. Dobner, Monum. hist. Bohemiae VI. p. 433 (Diplomatarium Wilemowiense nr. 48). Copia ex originali archivii Břevnoviensis (B. X. 277) in diplomatario manuscripto musei regni Bohemiae habetur, iuxta quam originali in filo canapis bulla plumbea appendet, et hae notae in illo leguntur: (sub plica ad sin.) SEPTE. XVIII. B. DE FONTANELLIS COM[PUTAVI]; (in plica ad dext.) PRO B. FRANCISCI D. DE PISTORIO XII; (a tergo) R[EGISTRATA], (et subtus apud filum bullae) MARTINUS R. — [1]) Haec electio 1391 Febr. 15 auctoritate ordinaria confirmata est; cf. Tingl. Libr. confirmationum aa. 1391 et 1392 p. 60.

---

506. *Vicecancellario apostolico mandatur, quatenus Johanni de Borsnicz et Stanislao de ‚Yscibiczko' certa beneficia ecclesiastica, quae invicem permutare desiderant, conferat.*

Romae, 1391 Aprilis 13.

Bonifacius .... Francisco episcopo Penestrino, s. Romane ecclesie vicecancellario .... Apostolice sedis circumspecta .... Cum itaque .... Johannes de Borsnicz canonicus Wratislauiensis unum in s. Elizabeth et aliud in s. Marie Magdalene parrochialibus ecclesiis Wratislauiensibus altaria sita, que de iure patronatus laicorum sunt, ac Stanislaus de Yscibiczko canonicatum et prebendam s. Marie Glogouiensis Wratislauiensis diocesis, que obtinent, desiderent .... invicem permutare, nos .... fraternitati tue .... committimus et mandamus, quatenus ab eisdem Johanne et Stanislao vel procuratoribus eorum .... altarium ac canonicatus et prebende predictorum resignaciones huiusmodi .... auctoritate nostra .... recipias et admittas, et .... Stanislao altaria, quorum altarium duodecim, et Johanni predictis canonicatum et prebendam prefata, quorum fructus .... viginti marcharum argenti puri .... valorem annuum .... non excedunt...., eadem auctoritate conferas et assignes ....; non obstantibus ...., quod memoratus Johannes, ut asseritur, Gneznensis et Wratislauiensis canonicatus et prebendas obtinet et causam, quam super prepositura Pragensis, que curata et maior post archiepiscopalem in eadem ecclesia Pragensi existit, et ad quam quis per eleccionem assumi consuevit, contra quendam adversarium suum movere intendit, quorum omnium fructus .... trecentarum marcharum argenti .... valorem annuum non excedunt, in palacio apostolico per nos committi obtinuit, quodque nos dudum sibi de canonicatibus sub expectacionibus prebendarum Olomucensis ac Poznaniensis necnon Wladislauiensis ac Pragensis per quasdam providimus, ac de dignitate vel personatu seu officio Wratislauiensis ecclesiarum predictarum, necnon de beneficio ecclesiastico sine cura ad collacionem .... episcopi [Wratislauiensis] pertinente, vacante vel vacaturo, per alias nostras litteras mandavimus provideri .... Datum Rome ap. S. Petrum idibus Aprilis a. secundo.

R. Lat. 12 fol. 243b — In marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: N. LII DE BENEVENTO — Conf. supra nros. 197. 240. 382.

---

507. *Marinus s. Mariae Novae cardinalis, camerarius apostolicus, officiali Pragensi mandat, ut a Sifrido Andreae de Ejpovicz[a]) fratre domus hospitalis s. Maria e*

Theutonicorum Jerosolimitani in Pilzna Pragensis dioc., in sedis apostolicae capellanum recepto,[1]) *nomine camerae apostolicae solitum fidelitatis iuramentum recipiat. „Rome [ap. S. Petrum a. dom.] MCCCLXXXX primo, indiccione XIIII, die quinta decima mensis Aprilis pont. . . . . a. secundo.“*

Romae, 1391 Aprilis 15.

Armar. XXIX tom. 1 fol. 255b — [1]) Cf. nr. 333.

---

508. *Marinus s. Mariae Novae diaconus cardinalis, camerarius apostolicus, officiali Pragensi mandat, ut a Jacobo dicto Papa canonico monasterii in Rokyczan*[b]) *ord. s. Augustini Pragensis dioc., in sedis apostolicae capellanum recepto,*[1]) *nomine apostolicae camerae solitum fidelitatis iuramentum recipiat. „Rome [ap. S. Petrum] die quinta decima mensis Aprilis a. secundo.“*

Romae, 1391 Aprilis 15.

Armar. XXIX tom. 1 fol. 255a — [a]). Rokyczano' — [1]) Cf. nr. 466.

---

509. *Marinus s. Mariae Novae diaconus cardinalis, camerarius apostolicus, officiali Pragensi mandat, ut a fratre Persicone Tomiconis ord. fratrum minorum professore, in sedis apostolicae capellanum recepto, solitum fidelitatis iuramentum nomine camerae apostolicae recipiat. „Rome ap. S. Petrum die quinta decima mensis Aprilis pont. . . . . a. secundo.“*

Romae, 1391 Aprilis 15.

Armar. XXIX tom. 1 fol. 253b.

---

510. *Litterae testimoniales pro Gerhardo de Thoven.*

Romae, 1391 Aprilis 18.

Marinus [. . . . s. Marie Noue diaconus cardinalis, domini pape camerarius,] . . . universitati . . . . [notum facimus,] quod attentis et consideratis multiplicibus et fidelibus serviciis, que honorabilis vir magister Gerardus de Thouen litterarum apostolicarum scriptor et abbreviator, [qui] custos capelle secrete domini nostri pape quampluribus annis tempore sancte memorie dom. Urbani pp. VI. extitit, prout est de presenti, [impendit et adhuc impendere non desistit], ipsum magistrum Gerardum pro custode et familiari palacii apostolici atque capelle secrete predicte sanctissimi domini nostri dom. Bonifacii pape noni reputamus et inantea reputabimus et tenemus ac tenore presencium, volumus ab aliis teneri et reputari, committentes vobis reverendo in Chr. patri et domino domino . . episcopo Wratislauiensi ac venerabilibus et discretis viris dominis preposito, decano, canonicis et capitulo Wratislauiensis ecclesie ac omnibus et singulis supradictis

quatenus [prefatum magistrum Gerardum .... in suis agendis penes vos ... habeatis .... recommendatum] .... Datum Rome .... die decima octava mensis Aprilis pont..... a. secundo.

Armar. XXIX tom. 1 fol. 253b. Uncinis [ ] inclusa ex aliis similibus litteris suppleta sunt. In fine: (ad dext.]: GRATIS.

511. *Episcopo Olomucensi mandatur, ut quasdam moniales monasterii s. Georgii in castro Pragensi, quae occasione litis super abbatissatu dicti monasterii ad alia monasteria erant deportatae, in monasterium s. Georgii revocari faciat.*

Romae, 1391 Aprilis 19.

Bonifacius .... episcopo Olomucensi .... Iustis petencium desideriis .... Dudum siquidem inter .... Kunkam dictam Kolowratowna monialem monasterii s. Georgii in castro Pragensi ord. s. Benedicti et quondam Katherinam, asserentem se abbatissam dicti monasterii seque abbatissatu predicti monasterii per dictam Kunkam spoliatam fuisse, super eodem abbatissatu in palacio causarum apostolico orta materia questionis et causa huiusmodi ad sedem apostolicam legitime introducta, prefata Katherina pro se et contra dictam Kunkam tres diffinitivas sentencias in possessorio iudicio successive reportavit, et antequam ad possessionem dicti monasterii restituta fuisset, predicta Katherina apud dictam sedem decessit, nos .... Annam de Lipoltycz monialem dicti monasterii in omni iure, quod prefate Catherine in dicto abbatissatu competebat, concessimus surrogari; et deinde pro parte .... Wenceslai Romanorum et Boemie regis illustris nobis fuit expositum, quod monasterium ipsum propter lites huiusmodi erat multum in redditibus et bonis extenuatum et de ipsius totali destruccione formidabatur, si lites huiusmodi perdurarent, nos tibi per alias nostras litteras dedimus in mandatis, ut prefate Anne certam pensionem annuam, quamdiu ageret in humanis, faceres exhiberi, et monasterio prefato de persona dicte Kunke sub certis modis et condicionibus provideres, teque eciam prefate Anne conservatorem duximus deputandum, prout in eisdem litteris plenius continetur.[1]) Cum autem, sicut exhibita nobis pro parte dicte Anne peticio continebat, ... Margaretha de Wserob, Dorothea de Chrast et Przibka de Pabgenicz moniales dicti monasterii, que predicte Katherine adheserant et processibus super sentenciis huiusmodi pro dicta Katherina latis et per consequens mandatis apostolicis humiliter paruerant, de dicto monasterio, in quo per multos annos deo famulantes honeste steterunt, preter ipsarum voluntatem et absque aliquo iudicio ad alia monasteria quasi religate sunt deportate in religionis earum vituperium et scandalum plurimorum, quare pro parte dictarum Margarethe, Dorothee et Przibcze nobis fuit humiliter supplicatum, ut providere ipsis et earum statuti de benignitate apostolica dignaremur. Nos attendentes, quod non deceat, ut parentes mandatis apostolicis deterioris condicionis esse debeant, quam inobedientes, fraternitati tue .... mandamus, quatenus, si prefato monasterio s. Georgii de persona prefate Kunke provideri contigerit, vel eciam si eidem monasterio de ipsius Kunke persona eventu aliquo non provideris, predictas Margaretham, Do-

rotheam et Przibkam ad predictum monasterium s. Georgii cum honore debito ad loca ipsarum iuxta dicti monasterii s. Georgii consuetudinem revocari easque inibi sincera in domino caritate tractari et eis de porcionibus ut aliis dicti monasterii sororibus monialibus responderi et de aliis recentibus porcionibus, eisdem Margarethe, Dorothee et Przibke debitis, prout tibi visum fuerit, plenam facias et debitam satisfaccionem impendi .... Quidquid autem in premissis tam vigore presencium quam aliarum litterarum peregeris, nobis per tuas litteras quantocius rescribere non postponas. Nos eciam te prefatis Margarethe, Dorothee et Przibke contra inferentes eis iniurias et molestias conservatorem et defensorem tenore presencium deputamus .... Datum Rome ap. S. Petrum tercio decimo kal. Maii pont. n. a. secundo.

R. Lat. 17 fol. 6b — In fine: N. XIIII DE BENEVENTO — [1]) Vide supra nr. 462.

---

512. *Universis praelatis et clero, necnon dominis temporalibus mandatur, quatenus magistro Petro de Všerub*[a]) *archidiacono Horšoviensi in ecclesia Pragensi, litterarum apostolicarum correctori, secretario et familiari apostolico, apostolicae sedis nuntio ad Bohemiae et Ungariae regna et nonnullas alias partes pro certis arduis ecclesiae Romanae negotiis accedenti, de securo conductu usque ad unum annum provideant. „Cum dilectus“ „Rome ap. S. Petrum decimo tercio kal. Maii a. secundo.“*

Romae, 1391 Aprilis 19.

R. Lat. 13 fol. 277b — [a]) ‚Wserob' [b]) ‚Horsouien'. — In fine: DE CURIA, N. DE BENEVENTO — Ed. Fraknói, Monum. Hung. Vatic. ser. I tom. III p. 147 nr. 175.

---

513. *Episcopo Tudensi et s. Mariae in Arena ac s. Vincentii extra muros Vratislavienses monasteriorum abbatibus mandatur, quatenus Johanni Segehardi clerico Vratislaviensis dioc. parrochialem ecclesiam in Sohrau*[a]) *dictae dioc., cuius fructus 20 marcarum argenti puri valorem annuum non excedunt, per obitum Conradi Segehardi extra Romanam curiam defuncti vacantem, conferant. „Vite ac morum“ „Rome ap. S. Petrum decimo kal. Maii a. secundo“.*

Romae, 1391 Aprilis 22.

R. Lat. 20 fol. 178b — [a]) ‚Zar' — In marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: PRO DEO, N. DE BENEVENTO.

---

514. *Nicolao quondam Jacobi de Misa nato, presbytero Pragensis dioc., reservatur beneficium ecclesiasticum sine cura, cuius fructus 18 marcarum argenti valorem annuum non excedant, ad collationem praepositi, decani et capituli singulorumque canonicorum ecclesiae s. Aegidii Pragensis pertinens, si quod vacat,*

vel cum vacaverit; non obstante, „quod, ut asseris, super perpetuo officio sine cura ‚campanaria' nuncupato in dicta ecclesia in palacio apostilico litigas, et dudum tibi de beneficio ecclesiastico cum cura vel sine cura, vacante vel vacaturo, ad collacionem . . . . abbatis et conventus monasterii S. Corone cisterciensis ord. Pragensis dioc. . . . . pertinente, graciose concessimus provideri." „Vite ac morum" „Rome ap. S. Petrum decimo kal. Maii a. secundo". — Simili modo episcopo Perusino et abbati monasterii Slavorum[a]) Pragensis ac officiali Pragensi.

Romae, 1391 Aprilis 22.

R. Lat. 19 fol. 178[b] — [a]) ‚Sclauorum' — In fine: PRO DEO, N. DE BENEVENTO.

---

515. *Mathiae Veliconis de Pravèticz[a]) clerico Pragensis dioc., qui, ut asserit nullum beneficium ecclesiasticum assecutus existit, reservatur beneficium ecclesiasticum cum vel sine cura, consuetum clericis saecularibus assignari, cuius fructus 25 resp. 18 marcarum argenti valorem non excedant, ad collationem abbatis et conventus monasterii s. Procopii [in Sázava] ord. s. Benedicti Pragensis dioc. pertinens, si quod vacat, vel cum vacaverit. „Vite ac morum" „Rome ap. S. Petrum decimo kal. Maii a. secundo". — Simili modo episcopo Tudensi et decano ecclesiae s. Apollinaris Pragensis ac officiali Pragensi.*

Romae, 1391 Aprilis 22.

R. Lat. 18 fol. 119[a] — [a]) ‚Praueczicze' — In fine: PRO DEO, N. DE BENEVENTO.

---

516. *Magistro Johanni de Malesicz scholastico ecclesiae Pragensis, scriptori apostolico, indulgetur, ut confessor eius, quem ipse elegerit, semel tantum in mortis articulo plenam omnium peccatorum remissionem ei concedere possit. „Provenit" „Rome ap. S. Petrum decimo kal. Maii a. secundo."*

Romae, 1391 Aprilis 22.

R. Lat. 10 fol. 324[d] — In fine: PRO SOCIO, N. DE BENEVENTO.

---

517. *Venceslaus episcopus Vratislaviensis quitatur de solutione partis suorum servitiorum camerae sacri collegii.*

Romae, 1391 Aprilis 23.

Henricus [. . . . s. Anastasie presbyter cardinalis, sacri collegii . . . . cardinalium camerarius, ... notum facimus,] quod reverendus in Chr. pater dom. Wenceslaus dei gracia episcopus Wratislauiensis pro parte partis sui communis servicii . . . . viginti unum florenum auri de camera, solidos triginta quinque, denarios septem monete Romane, et pro parte partis sui unius minuti servicii . . . . unum similem florenum, solidos quindecim, denarios novem et obolum dicte mo-

nete nobis per manus venerabilis viri Nicolai Gliwitz litterarum apostolicarum scriptoris die date presencium solvi fecit .... Datum [Rome ap. S. Petrum a. 1391] indiccione XIIII, die vicesima tercia mensis Aprilis, pont. a. secundo.

Oblig. et sol. 59 fol. 18b — In fine: FL. III GR. III.

---

518. *Henrico de Mohrungen*[a]) *clerico Merseburgensis dioc., ex utroque parente de nobili genere procreato, reservantur unum, duo vel plura beneficia ecclesiastica cum vel sine cura ad collationem episcopi et capituli Merseburgensis pertinentia. „Nobilitas generis" „Rome ap. Sanctum Petrum quinto kal. Maii a. secundo". — Simili modo episcopo Tudensi et praeposito ecclesiae Budissinensis Misnensis dioc. ac officiali Naumburgensi.*[b])

Romae, 1391 Aprilis 27.

R. Lat. 19 fol. 164b — a) ‚Morung' b) ‚Nuemburgen'. — Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: PRO DEO, JAC. DE TERAMO.

---

519. *Officiali Pragensi mandatur, quatenus Nicolao de Radnicz parrochialem ecclesiam in Svémyslicz reservet.*

Romae, 1391 Maii 5.

Bonifacius .... officiali Pragensi .... Dignum arbitramur .... Dudum siquidem .... Welislao Wenceslai de Bor canonico Pragensi de canonicatu sub expectacione prebende ecclesie Pragensis necnon dignitatis vel personatus seu officii cum cura vel sine cura, eciam si dignitas ipsa principalis in collegiata ecclesia foret, dummodo maior post pontificalem in dicta Pragensi ecclesia non existeret, ad collacionem .... archiepiscopi Pragensis et .... prepositi, decani et capituli ecclesie Pragensis predicte .... pertinencium, per nostras litteras graciose duximus providendum .... Cum itaque propterea parrochialis ecclesia in Swemislycz Pragensis diocesis, quam idem Welislaus tunc temporis obtinebat, prout adhuc obtinet, quamprimum ipse dignitatem vel personatum seu curatum officium huiusmodi vigore dictarum litterarum fuerit pacifice assecutus, vacare speretur, nos volentes .... Nicolaum Przechonis de Radnicz rectorem parrochialis ecclesie in Przibenicz dicte diocesis .... favore prosequi gracioso, discrecioni tue .... mandamus, quatinus, si .... prefatum Nicolaum, qui presbyter est, ... ad obtinendum dictam ecclesiam in Swemislycz ydoneum reppereris ...., dictam ecclesiam in Swemislycz, cuius fructus .... decem et octo marcharum argenti puri .... valorem annuum .... non excedunt ...., conferendam eidem Nicolao .... auctoritate nostra donacioni tue reserves ....; non obstantibus ...., quod idem Nicolaus, ut asserit, prefatam ecclesiam in Przibenicz noscitur obtinere. Volumus autem, quod ipse Nicolaus, quamprimum .... predictam ecclesiam in Swemislycz fuerit pacifice assecutus, eandem ecclesiam in Przibenicz .... omnino, prout eciam ad

id se sponte obtulit, dimittere teneatur .... Datum Rome ap. S. Petrum tercio, nonas Maii a. secundo.

R. Lat. 16 fol. 138b — In marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: N. XXIII DE BENEVENTO.

---

520. *Episcopo Monopolitano et praeposito Soldinensi Caminensis dioc. ac officiali Vratislaviensi mandatur, quatenus Petro Rosenthal rectori parrochialis ecclesiae in Libbenichen*[a]*) Lubucensis dioc. conferant altare ss. Michaelis et Laurentii martiris situm in parrochiali ecclesia b. Mariae Frankenfurdensi dictae dioc., non obstante inter cetera, quod nuper ei de beneficio ecclesiastico cum vel sine cura, vacante vel vacaturo, ad collationem episcopi Vratislaviensis et praepositi decani, capituli singulorumque canonicorum et personarum ecclesia Vratislaviensis pertinente, a papa concessum est provideri.*[1]) „*Vite ac morum*“ „*Rome ap S. Petrum tercio nonas Maii a. secundo.*“

Romae, 1391 Maii 5.

R. Lat. 16 fol. 121a — a) ‚Libenedyn‘ — In fine: PRO DEO, N. DE BENEVENTO — 1) Cf. nr. 238.

---

521. *Iudicibus mandatur, quatenus sententias in palatio apostolico latas executioni demandantes, Vilhelmum Kortelangen in possessionem parrochialis ecclesiae s. Mauritii Olomucensis inducant.*

Romae, 1391 Maii 7.

Bonifacius .... episcopo Tudensi et .... abbati monasterii Gradicensis extra muros Olomucenses ac .... officiali Olomucensi .... Exhibita nobis pro parte .... Wilhelmi Kortelangen rectoris ‚plebani‘ nuncupati parrochialis ecclesie s. Mauricii Olomucensis peticio continebat, quod, licet olim dicta ecclesia canonicatui et prebende ecclesie Olomucensis, quos ipse Wilhelmus in eadem ecclesia obtinet, auctoritate ordinaria incorporata et unita ac annexa fuisset canonice, ita quod cedente vel decedente rectore eiusdem ecclesie, qui tunc erat, vel ecclesiam ipsam alias quomodolibet dimittente, liceret canonico ecclesie Olomucensis predictos canonicatum et prebendam pro tempore obtinenti dictam parrochialem ecclesiam et eius possessionem libere apprehendere ac licite retinere cuiuscunque licencia minime requisita, et subsequenter canonico eiusdem ecclesie Olomucensis dictos canonicatum et prebendam pro tempore obtinenti apostolica auctoritate graciose concessum extitisset, quod cedente vel decedente dicto rectore .... idem canonicus per se ipsum prefatam parrochialem ecclesiam gubernare et regere posset, ipseque Wilhelmus postmodum huiusmodi parrochialem ecclesiam, tunc per obitum quondam Alberti dicti Sclamenecz eiusdem parrochialis ecclesie rectoris vacantem, et eius possessionem reciperet ac iuxta graciam et concessionem huiusmodi ecclesiam ipsam per se regere et gu-

bernare vellet, tamen .... Crux Alberti de Czrnyn, qui se gerit pro canonico Olomucensi, falso asserens dictam parrochialem ecclesiam ad se spectare ac gracie et concessioni huiusmodi contra iusticiam se opponens, impedivit, prout impedit, ac fecit et facit, quominus gracia et concessio predicte debitum sortite fuerint et sorciantur effectum, ipseque Crux prefatam parrochialem ecclesiam occupavit et detinuit, prout detinet, indebite occupatam, fructus percipiendo ex ea, et alias eundem Wilhelmum super eadem parrochiali ecclesia et eius occasione multipliciter molestavit et eciam perturbavit, ortaque propterea inter Wilhelmum et Crucem predictos super predicta parrochiali ecclesia et eius occasione materia questionis, fel. rec. Urbanus pp. VI. predecessor noster causam huiusmodi ad instanciam dicti Crucis bone memorie Francisco s. Eustachii diacono cardinali audiendam commisit et fine debito terminandam, non obstante, quod causa ipsa de sui natura ad Romanam curiam legitime devoluta .... non esset, qui propterea in huiusmodi causa procedens, diffinitivam, per quam ipsum Crucem ab impeticione eiusdem Wilhelmi absolvit, sentenciam promulgavit iniquam; a qua pro parte dicti Wilhelmi fuit ad sedem apostolicam appellatum, predictusque predecessor in causa appellacionis huiusmodi bone memorie Lucam tituli s. Sixti presbyterum cardinalem predicto Francisco duxit adiungendum; cumque prefatus Franciscus cardinalis per eundem Lucam cardinalem requisitus esset, ut secum procedere vellet in causa appellacionis huiusmodi, ipse Franciscus cardinalis respondit, quod sibi placebat, ut idem Lucas cardinalis solus procederet in causa predicta; qui quidem Lucas cardinalis ad instanciam .... magistri Jacobi Stoube procuratoris dicti Wilhelmi, coram eo in iudicio comparentis, quondam Doynum de Remis procuratorem dicti Crucis, prout eidem Luce cardinali apud acta huiusmodi cause legitime constabat, ad dandum et recipiendum libellum necnon ad prestandum et per alteram partem prestari videndum iuramentum de calumnia et de veritate dicenda in causa huiusmodi per quendam porterium suum iuratum successive citari fecit ad certos peremptorios terminos competentes; in quibus idem Jacobus coram Luca cardinali prefato in iudicio comparens, predicti Doyni non comparentis contumaciam accusavit et in eius contumaciam quendam dedit libellum, et predictum in ipsius Luce cardinalis presencia prestitit iuramentum pro parte sua in causa huiusmodi in dictis terminis ad hec datis. Postmodum vero Wilhelmo et Doyno predictis coram eodem Luca cardinali in iudicio comparentibus ipsoque Wilhelmo protestante, quod per hunc vel alium sue compariciones actum, quem faceret in hac causa, procuratores suos minime revocare intendebat, ac per quemlibet eorum nonnullis posicionibus et articulis in huiusmodi causa traditis et contra eosdem posiciones et articulos quibusdam excepcionibus datis hinc inde in terminis eis ad hec prefixis, tandem predictus predecessor causum huiusmodi .... Angelo tituli b. Laurencii in Damaso presbytero cardinali ex certis causis .... commisit ....; coram quo .... magistris Nicolao Lubich Wilhelmi et Johanne Scriuani Crucis predictorum procuratoribus, per eosdem de novo constitutis, in iudicio comparentibus et per eorum quemlibet nonnullis litteris apostolicis, instrumentis publicis aliisque iuribus et munimentis, quibus partes ipse voluerunt in huiusmodi causa uti, productis et contra eadem producta quibusdam excepcionibus hinc inde datis in terminis eis ad hec per dictum Angelum cardinalem successive assignatis, tandem dicto predecessore .... sublato de medio, nos .... eidem

Angelo cardinali commisimus, ut omnes et singulas causas, quas ex commissionibus dicti predecessoris audiebat, in eo statu, in quo tempore obitus eiusdem predecessoris remanserant, coram eo resumeret ipsasque audiret et fine debito terminaret iuxta tenores commissionum factarum eidem, dictusque Angelus cardinalis ad predicti Nicolai instanciam prefatum Crucem ad concludendum et concludi videndum in causa huiusmodi vel dicendum causam racionabilem, quare in ea concludi non deberet, per quendam porterium suum iuratum citari fecit ad certum peremptorium competentem terminum; in quo dictis Nicolao et Cruce coram prefato Angelo cardinali in iudicio comparentibus ac Nicolao in huiusmodi causa concludi petente, Cruce vero predictis in ipsa causa concludere recusante nec aliquam causam racionabilem allegante, quare in ea concludi non deberet, memoratus Angelus cardinalis reputans eundem Crucem quoad hoc, prout erat, merito contumacem, in eius contumaciam cum ipso Nicolao in huiusmodi causa concludente conclusit et habuit pro concluso, ac eisdem Nicolao et Cruce coram eo in iudicio constitutis, prefatoque Nicolao diffinitivam sentenciam in huiusmodi causa ferri petente, sepedictus Angelus cardinalis, visis et diligenter inspectis omnibus et singulis actis et habitis in causa huiusmodi ac habito super hiis consilio cum peritis, per suam diffinitivam sentenciam pronuncciavit, decrevit et declaravit, prout hec omnia in dicto libello petita fuerant, per dictum Franciscum cardinalem in huiusmodi causa male fuisse et esse processum, sentenciatum et diffinitum, ipsiusque sentenciam revocandam fore et revocavit, et pro parte dicti Wilhelmi ab ipso Francisco cardinali et eius sentencia [bene] fuisse et esse appellatum, ac graciam et concessionem predictas ac omnia inde secuta fuisse et esse canonica summque debitum debuisse et debere sortiri effectum, prefatamque parrochialem ecclesiam ad dictum Wilhelmum spectasse et pertinuisse ac spectare et pertinere sibique cum omnibus iuribus et pertinenciis suis adiudicandam fore et adiudicavit, dictoque Cruci in eadem parrochiali ecclesia seu ad eam nullum ius competiisse seu competere, ac ipsum Crucem a detencione et occupacione parrochialis ecclesie predicte amovendum fore et, quantum potuit, amovit, prefatumque Wilhelmum in et ad corporalem possessionem parrochialis ecclesie iuriumque et [pertinenciarum] predictorum inducendum fore et, quantum potuit, induxit, molestacionesque, perturbaciones et impedimenta predicta fuisse et esse temeraria, illicita et iniusta et de facto presumpta, dictoque Cruci super molestacionibus, perturbacionibus, impedimentis et ecclesia parrochiali predictis perpetuum silencium imponendum fore et imposuit. A qua quidem sentencia ipsius Angeli cardinalis pro parte dicti Crucis fuit ad sedem appellatum predictam, nosque in causa appellacionis huiusmodi ab eadem sentencia dicti Angeli cardinalis interiecte . . . . . Bartholomeum tituli s. Martini in Montibus presbyterum cardinalem eidem Angelo cardinali duximus adiungendum, cumque dictus Bartholomeus cardinalis ipsum Angelum cardinalem requisivisset, ut cum eo procedere vellet in causa huiusmodi, ipse Angelus cardinalis respondit, quod sibi placebat, ut dictus Bartholomeus cardinalis solus procederet in causa predicta. Coram quo quidem Bartholomeo cardinali predictis Nicolao et Johanne in iudicio comparentibus, et per eorum quemlibet quodam pro parte sua dato libello . . . ., tandem, cum dictus Bartholomeus cardinalis se a Romana curia de mandato nostro absentasset, nos causam huiusmodi . . . . Bartholomeo tituli s. Potenciane presbytero

cardinali .... commisimus ...., qui ad dicti Nicolai instanciam prefatum Johannem ad concludendum et concludi videndum in causa huiusmodi .... citari fecit ad certum terminum peremptorium competentem; in quo dictis Nicolao et Johanne coram eodem Bartholomeo tituli s. Potenciane presbytero cardinali in iudicio comparentibus, ac Nicolao in huiusmodi causa concludi petente, Johanne vero predictis in ipsa causa concludere recusante ...., prefatus Bartholomeus tituli s. Potenciane cardinalis reputans eundem Johannem .... contumacem, in eius contumaciam cum dicto Nicolao in huiusmodi causa concludente conclusit et habuit pro concluso, ac eisdem Nicolao et Johanni .... ad suam in causa huiusmodi diffinitivam sentenciam audiendam assignavit certam diem peremptoriam competentem; in qua predictis Nicolao et Johanne .... in iudicio comparentibus ...., prefatus Bartholomeus tituli s. Potenciane cardinalis .... per suam diffinitivam sentenciam pronunciavit, decrevit et declaravit: per dictum Angelum cardinalem in huiusmodi causa bene et legitime fuisse et esse processum, sentenciatum et diffinitum, eiusque sentenciam confirmandam fore et confirmavit, et pro parte dicti Crucis ab eodem Angelo cardinali male fuisse et esse appellatum. Cumque pro parte dicti Crucis ab eadem sentencia ipsius Bartholomei tituli s. Potenciane presbyteri cardinalis fuisset ad sedem appellatum eandem, nos in causa ultime appellacionis huiusmodi .... Philippum episcopum Ostiensem prefato Bartholomeo .... duximus adiungendum, cumque idem episcopus prefatum Bartholomeum .... requisisset, ut cum eo procedere vellet in causa huiusmodi, dictus Bartholomeus .... respondit, quod sibi placebat, ut ipse episcopus solus procederet in causa supradicta; idemque episcopus ad predicti Nicolai instanciam prefatum Johannem .... citari fecit ad certos terminos peremptorios competentes, in quibus predictus Nicolaus .... comparens, predicti Johannis non comparentis contumaciam accusavit et in eius contumaciam quendam pro parte sua in huiusmodi causa dedit libellum ....; deinde vero prefato Wilhelmo ac .... magistro Andrea Cristani substituto per dictum Johannem, quociens ipsum abesse contingeret, prout idem Johannes ad hoc ab eodem Cruce sufficiens mandatum habebat et eidem episcopo legitime constabat, Johanne tunc absente ac Wilhelmo predictis protestante, quod per hunc vel alium sue compariciouis actum .... dictum Nicolaum procuratorem suum revocare minime intendebat ....., in iudicio comparentibus ...., prefatus episcopus ad predicti Nicolai instanciam prefatum Johannem ad concludendum et concludi videndum in causa huiusmodi .... citari fecit ad certum terminum peremptorium competentem; in quo dicto Nicolao .... in iudicio comparente et predicti Johannis non comparentis contumaciam accusante ...., memoratus episcopus reputans eundem Johannem .... contumacem, in eius contumaciam cum dicto Nicolao .... conclusit, et .... prefatum Johannem ad suam .... diffinitivam sentenciam audiendum .... citari fecit ad certam diem peremptoriam competentem. In qua dicto Wilhelmo .... in iudicio comparente ac dicti Johannis non comparentis contumaciam accusante ...., sepedictus episcopus reputans prefatum Johannem .... contumacem, in eius contumaciam .... per suam diffinitivam sentenciam pronunciavit, decrevit et declaravit: per dictum Bartholomeum tituli s. Potenciane cardinalem in huiusmodi causa bene et legitime fuisse et esse processum, sentenciatum et diffinitum, ipsiusque sentenciam .... confirmavit ...., ipsumque Crucem in fructibus ex dicta parrochiali ecclesia a tempore dicte late sentencie per dictum

Bartholomeum tituli s. Potenciane cardinalem citra perceptis et in expensis coram se in hac instancia legitime factis .... condempnavit, ipsarum expensarum taxacione sibi imposterum reservata. Et subsequenter prefatus episcopus .... predictum Andream eodem Johanne tunc absente ad videndum taxari dictas expensas .... citari fecit ad certum terminum peremptorium competentem, in quo dicto Wilhelmo .... comparente et dicti Andree non comparentis contumaciam accusante ...., prefatus episcopus reputans predictum Andream .... contumacem, in eius contumaciam prefatas expensas in triginta quinque florenis auri de camera boni et iusti ponderis provida moderacione taxavit, predicti Wilhelmi super eisdem expensis iuramento secuto. Nos itaque predicti Wilhelmi supplicacionibus inclinati, que super hiis ab eisdem Angelo et Bartholomeo tituli s. Potenciane cardinalibus ac episcopo sunt utpote provide acta, rata habentes et grata dictasque eorum sentencias auctoritate apostolica confirmantes, discrecioni vestre .... mandamus, quatinus .... non obstante, quod lis in predictis causis contestata non fuerit, premissa execucioni debite demandantes, dictasque sentencias ...., ubi et quando expedire videritis, auctoritate nostra solemniter publicantes, eundem Wilhelmum vel procuratorem suum eius nomine in corporalem possessionem parrochialis ecclesie iuriumque et pertinenciarum predictorum amoto exinde dicto Cruce inducatis auctoritate nostra ...., facientes eidem Wilhelmo .... de predictis perceptis fructibus ac florenorum summa pro dictis expensis .... plenam et debitam satisfaccionem impendi .... Datum Rome ap. S. Petrum nonis Maii pont. n. a. secundo.

R. Lat. 17 fol. 45ª — Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: JAC. LII DE TERAMO.

---

522. Auditori apostolico mandatur, quatenus Venceslaum de Želetav surroget ad omne ius, quod Cristano de Pouzdran tempore matrimonii per eum contracti et Francisco de Muglicz tempore eius obitus in parrochiali ecclesia in Pravlov competebat.

Romae, 1391 Maii 7.

Bonifacius .... magistro Thome de Walkyngton capellano nostro et auditori causarum palacii apostolici .... Vite ac morum honestas aliaque .... merita, super quibus .... Wenceslaus Nicolai de Zeltaw presbyter Olomucensis diocesis .... commendatur ...., nos inducunt, ut sibi reddamur .... liberales. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dicti Wenceslai peticio continebat, quod orta dudum inter .... Cristanum de Pauzrems clericum coniugatum eiusdem diocesis et quondam Franciscum de Muglicz presbyterum super parrochiali ecclesia in Prewlems predicte diocesis, quam, tunc vacantem per obitum quondam Pauli dicti Pawlik ultimi ipsius ecclesie rectoris extra Romanam curiam defuncti, Franciscus se vigore quarundam litterarum apostolicarum sibi graciose concessarum, prout ex earum forma poterat, infra tempus legitimum acceptasse et de illa sibi provisum, seque illam vigore gracie, acceptacionis et provisionis predictarum assecutum fuisse canonice ...., Cristanus vero predicti eandem ecclesiam ad se de

iure spectare asserebant, materia questionis et causa huiusmodi ad sedem apostolicam legitime introducta, fel. rec. Urbanus pp. VI. predecessor noster causam huiusmodi tibi ad instanciam dicti Francisci .... commisit ....; et deinde, postquam tu inter partes ipsas ad nonnullos actus in causa huiusmodi processeras, eodem predecessore .... vita functo, nos .... omnibus auditoribus causarum dicti palacii commisimus, ut omnes et singulas causas, quas ex commissionibus dicti predecessoris audiebant, et tempore obitus predecessoris eiusdem coram eis, indecise pendebant, ... coram eis resumerent easque ulterius audirent .... iuxta tenores commissionum factarum eisdem. Postmodum vero huiusmodi lite sic indecisa pendente, cum Cristanus cum quadam muliere extra predictam curiam matrimonium contraxisset per verba legitime de presenti, ac Franciscus predicti, in possessione eiusdem ecclesie adhuc existens, extra eandem curiam diem clausit extremum, idem Wenceslaus credens dictam ecclesiam per obitum ipsius Francisci vacare, vigore quarundam litterarum nostrarum, per quas beneficium ecclesiasticum cum cura vel sine cura, ad collacionem .... prepositi et .... priorisse et conventus monasterii Cunicensis per prepositum et priorissam soliti gubernari premonstratensis ord. dicte diocesis .... pertinens, expectabat, eandem ecclesiam, sic vacantem et ad collacionem dictorum prepositi, priorisse et conventus communiter pertinentem, infra tempus legitimum acceptavit et de illa sibi fecit provideri, ac vigore huiusmodi gracie, acceptacionis et provisionis possessionem dicte ecclesie fuit pacifice assecutus. Cum autem .... idem Wenceslaus dubitet predictas acceptacionem et provisionem suas propter litis pendenciam huiusmodi alias viribus non subsistere ...., discrecioni tue .... mandamus, quatenus eundem Wenceslaum .... in omni iure et ad omne ius, quod Francisco tempore obitus sui et Cristanno predictis tempore contracti per eum matrimonii huiusmodi in eadem ecclesia, cuius fructus .... viginti marcharum argenti .... valorem annum .... non excedunt, seu ad eam quomodolibet competebat aut competere poterat, auctoritate nostra surroges ...., et nichilominus eandem ecclesiam .... eidem Wenceslao auctoritate nostra conferre et assignare procures .... Volumus autem, quod, quamprimum ipse Wenceslaus .... dictam ecclesiam fuerit pacifice assecutus, predicte littere, per quas dictam ecclesiam acceptavit et de illa sibi provideri fecit, ut prefertur, et .... quecunque inde secuta sint cassa et irrita .... Datum Rome ap. S. Petrum nonis Maii a. secundo.

R. Lat. 14 fol. 78[a] — In fine: N. XXII DE BENEVENTO.

---

523. *Decano ecclesiae Pataviensis mandatur, quatenus Mathiae de Hainau*[a]) *clerico Vratislaviensis dioc. reservet beneficium ecclesiasticum cum vel sine cura, consuetum clericis saecularibus assignari, cuius fructus 25 resp. 18. marcarum argenti valorem annuum non excedant, ad collationem praepositi et conventus monasterii s. Nicolai extra muros Patavienses ord. s. Augustini per praepositum soliti gubernari pertinens, si quod vacat, vel cum vacaverit. „Dignum arbitramur“ „Rome ap. S. Petrum sexto idus Maii a. secundo.“*

Romae, 1391 Maii 10.

R. Lat. 11 fol. 73[b] — [a]) ‚Haynaw‘ — In fine: N. XXI DE BENEVENTO.

***524**. Nicolao de Glivicz providetur de archidiaconatu Bělinensi in ecclesia Pragensi vacante.*

Romae, 1391 Maii 10.

Bonifacius . . . . magistro Nicolao de Glywicz archidiacono Belinensi in ecclesia Pragensi, scriptori nostro . . . . Grata tue devocionis . . . . Dudum siquidem omnes dignitates, personatus et officia ceteraque beneficia ecclesiastica . . . . quorumcunque, per assecucionem pacificam dignitatum, personatuum et officiorum aliorumque beneficiorum ecclesiasticorum, quomodolibet per nos seu auctoritate nostra collatorum et inantea conferendorum eisdem, tunc vacancia et imposterum vacatura, collacioni et disposicioni nostre reservantes, decrevimus extunc irritum et inane, si secus . . . . contingeret attemptari; et deinde declaravimus huiusmodi dignitates, personatus et officia aliaque beneficia ecclesiastica supradicta, que per assecucionem pacificam dignitatum, personatum, officiorum aliorumque beneficiorum huiusmodi vacare sperabantur, per reservacionem et decretum predicta adeo fuisse et esse affecta, quod, eciam si ante assecucionem prefatam alias quam per assecucionem ipsam quovis modo dignitates, personatus et officia seu beneficia ipsa vacare contingeret, de ipsis nullus preter nos ea vice disponere potuisset sive posset quoquo modo, ac decrevimus eciam irritum et inane quidquid in contrarium . . . . contingeret attemptari. Postmodum vero nos quondam Fridmanno de Praga archidiacono Belinensi in ecclesia Pragensi de canonicatu sub expectacione prebende ac dignitatis vel personatus seu officii in ecclesia Wratislauiensi graciose concessimus provideri, volentes inter cetera, quod ipse Fridmannus, quamprimum huiusmodi dignitatem vel personatum . . . . foret pacifice assecutus, archidiaconatum Belinensem in dicta ecclesia Pragensi, qui dignitas est . . . ., omnino dimittere teneretur; et deinde archidiaconatu predicto per ipsius Fridmanni obitum, qui litteris super huiusmodi concessionis gracia non confectis extra Romanam curiam diem clausit extremum, vacante, sicut exhibita nobis pro parte tua peticio continebat, tu pretextu quarundam litterarum nostrarum, [per] quas tu canonicatum in dicta ecclesia Pragensi obtinens, prebendam, necnon dignitatem vel personatum seu officium cum cura vel sine cura, eciam si ad illam vel illum seu illud consuevisset [quis] per eleccionem assumi, et dignitas ipsa maior post pontificalem in dicta ecclesia Pragensi existeret, inibi expectabas, predictum archidiaconatum sic vacantem alias infra tempus legitimum acceptasti ac tibi de eo provideri fecisti licet de facto; ac nichilominus . . . . Smilonem Smilonis de Zielkewicz canonicum Pragensem, ipsius archidiaconatus detentorem, vigore dictarum litterarum et processuum inde secutorum in forma consueta, ut inter alia tibi archidiaconatum predictum dimitteret, moneri obtinuisti; a qua quidem monicione pro parte dicti Smilonis fuisse dicitur appellatum. Nos igitur attendentes, quod huiusmodi acceptacio et provisio viribus non subsistunt . . . ., ac volentes tibi, qui eciam abbreviator litterarum apostolicarum existis, ... graciam facere specialem . . . ., archidiaconatum predictum, cuius fructus . . . . viginti quinque marcharum argenti puri . . . . valorem annuum . . . . non excedunt, ... apostolica tibi auctoritate conferimus et de illo eciam providemus . . . .; non obstantibus . . . ., quod, ut asseris, dudum tibi in Olomucensi [1]) et in s. Marie Glogouiensi [2]) Wratislauiensis diocesis sub expectacionibus prebendarum et in

eadem Glogouiensi cum prebenda tunc certo modo vacantibus canonicatibus concessimus provideri, et quod in predicta Wratislauiensi canonicatum et prebendam et quandam capellam sine cura sitam in parochiali Nisensi dicte diocesis obtines, et quod eciam tu ante acceptacionem et provisionem predictas vigore dictarum litterarum, per quas, ut prefertur, canonicatum obtines et prebendam ac dignitatem, personatum seu officium in dicta Pragensi, ut premittitur, expectabas, preposituram dicte ecclesie Pragensis, que dignitas curata et maior post pontificalem in ipsa Pragensi ecclesiis existit, et ad quam quis per eleccionem assumitur, et cuius possessionem nondum habes, cuiusque trecentarum puri, et canonicatuum et prebendarum Wratislauiensis et Glogouiensis, de quibus certo modo vacantibus [tibi] concessimus provideri, ac capelle predictorum fructus .... septuaginta marcharum argenti .... valorem annuum non excedunt, tunc certo modo vacantem, acceptasti et tibi de ea fecisti nichilominus provideri. Nos enim tibi .... predicta auctoritate concedimus, quod, sive pretextu dictarum litterarum, per quas archidiaconatum ipsum acceptasti et de eo tibi provideri fecisti, ut prefertur, sive vigore presencium dictum archidiaconatum pacifi e fueris adeptus, ius, quod tibi in eadem prepositura seu ad eam quomodolibet competit, propterea non vacet, sed tu ius ipsum perinde libere [et] licite prosequi valeas nullumque per hoc eciam alias tibi preiudicium generetur, ac si archidiaconatum ipsum minime assequereris, Viennensis concilii et aliis constitucionibus apostolicis .... contrariis non obstantibus quibuscunque; sic tamen, quod, ubi dicta prepositura tibi minime debeatur, quamprimum presencium archidiaconatus[3]), predicte littere, per quas illum acceptasti et de [illo] tibi provideri fecisti, ut prefertur, et processus habiti per easdem et quecunque inde secuta quoad dignitatem, personatum vel officium sint cassa et irrita ...., ubi vero huiusmodi prepositura tibi debeatur, quamprimum earundem litterarum, per quas, ut prefertur, eam acceptasti et de illa tibi provideri fecisti, vigore prepositure huiusmodi possessionem fueris pacificam assecutus, eundem archidiaconatum .... et omne ius tibi in eo seu ad eum quo[modo]libet competens omnino, prout ad id eciam te sponte obtulisti, dimittere tenearis .... Datum Rome ap. S. Petrum sexto idus Maii a. secundo.

Simili modo .... episcopo Tudensi et .... custodi ecclesie Pragensis ac officiali Wratislauiensi ....

R. Lat. 15 fol. 6b — In fine: PRO SOCIO, N. DE BENEVENTO — [1]) Cf. nr. 223 [2]) Cf. nr. 222. [3]) Haec periodus ad instar periodi sequentis ita supplenda est: „quamprimum presencium [litterarum vigore] archidiaconatus [possessionem fueris pacificam assecutus]".

---

525. *Episcopo Tudensi, abbati monasterii s. Mariae de Toplicza Zagrabiensis dioc. ac Petro Gregorii canonico ecclesiae Zagrabiensis mandatur, quatenus processus per Nicolaum abbatem monasterii s. Mariae Zagrabiensis factos contra Henricum dictum Čech (Chech), pro presbytero Pragensis dioc. se gerentem, qui parrochialem ecclesiam s. Mariae de Csicser Zagrabiensis dioc. indebite occupatam detinebat, monitioni dicti abbatis, ut eandem ecclesiam dimitteret, non paruit et sententiam excommunicationis, quam propter hoc incurrit, diutius sustinuit, quotiens expedierit, aggravent. „Iustis et honestis" „Rome ap. S. Petrum quarto idus Maii a. secundo."*

Romae, 1391 Maii 12.

R. Lat. 17 fol. 105b — Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: PRO DEO, N. DE BENEVENTO — Ed. Fraknói, Monum. Hung. Vatic., ser. I. tom. III. p. 154 nr. 181.

---

526. *Nicolao dicto Šiška*[a]) *rectori parrochialis ecclesiae in Klokot Pragensis dioc. terminus solvendi annatam pro parrochiali ecclesia in Usk super Lužnicz*[b]) *dictae dioc. usque ad festum ascensionis domini proxime futurum prorogatur. „Rome ap. S. Petrum sub a. dom. millesimo trecentesimo nonagesimo primo, indiccione XIIII, die tercia decima mensis Maii pont. . . . . a. secundo."*

Romae, 1391 Maii 13.

Armar. XXIX tom. 1 fol. 270b — a) ‚Sysska, b) ‚Vsk super Luznicz'. — Cf. nr. 378.

---

527. *Henricus tituli s. Anastasie presbyter cardinalis, sacri collegii cardinalium camerarius, Henricum episcopum Vladislaviensem quitat de pecunia, quam pro parte partis suorum communis et minuti servitiorum per manus Nicolai de Glivicz*[a]) *litterarum apostolicarum scriptoris camerae sacri collegii solvi fecit. „[Rome ap. S. Petrum anno MCCCLXXXXI] indiccione XIIII, die decima octava mensis Maii, pont. . . . . a. secundo".*

Romae, 1391 Maii 18.

Oblig. et sol. 59 fol. 18b — a) ‚Nicolai Gliwicz' — In fine: FL. III GR. III.

---

528. *Johanni de Borsnicz conceditur, ut ad instar familiarium apostolicorum in assecutione beneficiorum ecclesiasticorum omnibus in data cum eo concurrentibus anteferatur.*

Romae, 1391 Maii 19.

Bonifacius . . . . Johanni de Borsnicz canonico Pragensi, decretorum doctori . . . . Nobilitas generis . . . . Dudum siquidem tibi de Pragensis et nonnullarum aliarum cathedralium et collegiatarum ecclesiarum canonicatibus sub expectacionibus prebendarum ac dignitatum, personatuum vel officiorum et aliorum beneficiorum ecclesiasticorum cum cura vel sine cura, eciam si dignitates huiusmodi in cathedralibus maiores post pontificales aut in collegiatis ecclesiis principales forent, et [ad] eas consuevissent qui per eleccionem assumi, si que vel si qui aut si qua tunc vacabant, vel cum vacarent, per diversas nostras litteras graciose duximus providendum . . . .[1]) Et deinde cum nonnullis familiaribus, cubiculariis et aliis nostris et apostolici palacii domesticis continuis commensalibus et servitoribus gracias de dignitatibus, personatibus, officiis, canonicatibus et prebendis ac aliis beneficiis ecclesiasticis . . . . vacantibus vel vacaturis, ad diversorum collaciones . . . . pertinentibus, in diversis provinciis et diocesibus, necnon metropolitanis et cathedralibus ac aliis ecclesiis atque locis, in diversis rotulis et peticionibus aliis,

per nos aut de mandato nostro signatis et concessis sub certa data fecissemus, et nichilominus diversis aliis personis ecclesiasticis in eisdem provinciis, diocesibus, ecclesiis atque locis huiusmodi gracias in eisdem vel aliis rotulis aut peticionibus per nos seu de mandato nostro signatis et concessis .... sub eadem data duxissemus concedendas, et propterea, qui ex predictis aliis preferri deberent, a plurimis dubitaretur, nos .... per nostras litteras declaravimus: nostre intencionis fuisse et esse, quod huiusmodi familiares, cubicularii et servitores nostri et dicti palacii, qualitercunque et quandocunque in huiusmodi graciis cum aliis concurrentes, in data concurrentibus cum eisdem, eciam si ipsi alii prius litteras super hiis graciis confici fecissent et executoribus vel subexecutoribus, in ipsis litteris per nos seu auctoritate nostra deputatis eisdem, aut locorum ordinariis vel capitulis aut collegiis seu aliis, quorum interesset, presentassent et ad dignitates, personatus, officia, canonicatus et prebendas ac alia beneficia huiusmodi recepti et admissi ac in eorum possessionem inducti fuissent, in .... beneficiorum huiusmodi .... assecucione preferri [deberent] .... Nos igitur, volentes te, qui, ut asseris, ex utroque parente de militari genere procreatus existis, ... favore prosequi gracioso ...., volumus et apostolica tibi auctoritate concedimus, quod declaracio huiusmodi ad personam tuam perinde se extendat, tuque vigore eiusdem declaracionis omnibus, qui familiares nostri commensales continui non existunt, tecum in huiusmodi graciis per nos tibi, ut prefertur, factis sub eadem data concurrentibus, preferri debeas, ac si familiaris domesticus et continuus commensalis tempore date dictarum graciarum .... et declaracionis huiusmodi extitisses; non obstantibus ordinacionibus seu revocacionibus per nos factis, videlicet quod gracie expectacionum, quibusvis personis per nos facte et imposterum faciende, per quas persone ipse preferri deberent aliis similes gracias a nobis obtinentibus et personas ipsas in data precedentibus, eciam si huiusmodi persone pretextu graciarum ipsarum aliqua beneficia essent assecute, quoad huiusmodi clausulam, per quam aliis similes gracias a nobis obtinentibus preferri deberent, dumtaxat, essent casse et irrite ...., et aliis contrariis quibuscunque .... Datum Rome ap. S. Petrum quarto decimo kal. Junii pont. n. a. secundo.

R. Lat. 17 fol. 243b — In marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: JAC. XX DE TERAMO — [1]) Cf. nros. 197. 240. 382.

---

529. *Johanni Brunynck de Sprottavia baccalario in artibus providetur de altari ss. Quinque fratrum sito in ecclesia Vratislaviensi, quod sine cura est, cuiusque fructus 6 marcarum argenti valorem annuum non excedunt, vacante per obitum Martini Sifridi de ‚Radichaw‘ [1]) apud sedem apostolicam defuncti; non obstante, quod dudum ei de uno ad episcopi Vratislaviensis et praeposiți, decani, archidiaconi, cantoris, scholastici, custodis et capituli Vratislaviensis per quasdam, necnon de alio beneficio ecclesiastico cum vel sine cura ad praepositi, decani cantoris, archidiaconi, scholastici, custodis et capituli s. Mariae Maioris-Glogoviensis Vratislaviensis dioc. ecclesiarum collationem pertinente, vacante vel vacaturo, per alias litteras apostolicas a papa mandatum est provideri. „Vite ac morum“ „Rome ap. S. Petrum septimo kal. Junii a. secundo“ — Simili modo*

episcopo Tudensi et abbati monasterii s. Mariae in Arena ac decano ecclesiae s. Crucis extra muros Vratislavienses.

Romae, 1391 Maii 26.

R. Lat. 20 fol. 160a — In fine: PRO DEO, N. DE BENEVENTO. — [1]) Radoschau (Radissau) in regione Opoliensi?

***530**. Auditori apostolico mandatur, quatenus Andream de Heinreichs surroget ad omne ius, quod Venceslao dicto Pivota tempore eius obitus in parrochiali ecclesia in Olší competebat.*

Romae, 1391 Maii 28.

Bonifacius .... magistro Nicolao de Borrellis capellano nostro et causarum palacii apostolici auditori .... Vite ac morum honestas aliaque .... merita, super quibus .... Andreas Cristiani de Heinreichs presbyter Olomucensis diocesis .... commendatur ...., nos inducunt, ut sibi reddamur .... liberales. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dicti Andree peticio continebat, quod orta dudum inter ipsum et quondam Wenceslaum dictum Piuotam presbyterum super parrochiali ecclesia in Olschie dicte diocesis, quam, tunc per obitum quondam Nicolai ultimi ipsius ecclesie rectoris extra Romanam curiam defuncti vacantem, Andreas se auctoritate quarundam litterarum fel. rec. Urbani pp. VI. .... sibi graciose concessarum, prout ex ipsarum forma poterat, infra tempus legitimum acceptasse, et de illa sibi provisum, seque illam vigore acceptacionis et provisionis huiusmodi assecutum fuisse canonice, ipsamque aliquamdiu tenuisse et possedisse et tunc eciam tenere et possidere pacifice et quiete, dictumque Wenceslaum se gracie, acceptacioni, provisioni et assecucioni huiusmodi contra iusticiam opposuisse et opponere, ac eundem Andream predicta ecclesia et eius possessione contra iusticiam spoliasse, seque in ea intrusisse illamque occupasse et detinuisse et detinere indebite occupatam. Wenceslaus vero predicti eandem ecclesiam ad se de iure spectare asserebant, prout idem Andreas asserit, materia questionis, et causa huiusmodi ad sedem apostolicam legitime introducta, nos causam ipsam ad instanciam dicti Andree tibi .... commisimus, tuque in causa huiusmodi ad nonnullos actus citra tamen conclusionem diceris processisse. Cum autem, sicut eadem peticio subiungebat, lite huiusmodi sic indecisa pendente prefatus Wenceslaus extra prefatam curiam extiterit vita functus, nos .... discrecioni tue .... mandamus, quatenus eundem Andream .... in omni iure et ad omne ius, si quod prefato Wenceslao tempore sui obitus in eadem ecclesia, cuius fructus .... duodecim marcharum argenti .... valorem annuum .... non excedunt, seu ad illam quomodolibet competebat aut competere poterat, auctoritate nostra surroges ....; non obstante, quod dudum eidem Andree de beneficio ecclesiastico cum cura vel sine cura ad collacionem .... abbatisse et conventus monasterii Tusnawicz cisterciensis ord. dicte diocesis .... pertinente, vacante vel vacaturo, graciose concessimus provideri. Volumus autem, quod, quamprimum dictus Andreas .... predictam ecclesiam fuerit pacifice assecutus, littere, per quas eam acceptavit et

de illa sibi provideri fecit, ... et quecunque inde secuta, quoad curatum beneficium dumtaxat, ... sint cassa et irrita . . . . Datum Rome ap. S. Petrum quinto kal. Junii a. secundo.

R. Lat. 15 fol. 227b — In fine: N. XX DE BENEVENTO — Cf. nr. 863.

---

531. *Archiepiscopus Pragensis et episcopus Bambergensis et decanus ecclesiae s. Mariae Erfordernsis Maguntinensis dioc. conservatores universorum perpetuorum vicariorum ecclesiae Citicensis*[a]) *Naumburgensis*[b]) *dioc. usque ad quinquennium instituuntur. „Militanti ecclesiae“ „Rome ap. S. Petrum quarto nonas Junii a. secundo“.*

Romae, 1391 Junii 2.

R. Lat. 13 fol. 308a — a) ‚Cicensis‘ b) ‚Nuemburgensis‘ — In fine: N. XXX DE BENEVENTO.

---

532. *Parrochialem ecclesiam s. Apollinaris in suburbio oppidi in Týn [Horšoviensi] Pragensis dioc., quae reparatione indigere noscitur, certis diebus anni (illis, qui in nro. 366 nominati sunt, et in festo s. Apollinaris) visitantibus annuatim et ad reparationem huiusmodi manus adiutrices porrigentibus, quinque anni et totidem quadragenae, resp. centum dies de iniunctis eis poenitentiis relaxantur; praesentibus post decennium minime valituris. „Licet is“ „Rome ap. S. Petrum tercio nonas Junii a. secundo.“*

Romae, 1391 Junii 3.

R. Lat. 14 fol. 131a — Supra in marg. sin : C[ANCELLARIA]; in fine: JAC. XVI DE TERAMO.

---

533. *Archidiacono Sacensi*[a]) *in ecclesia Pragensi mandatur, quatenus Johanni de Všeradicz*[b]) *clerico Pragensis dioc., de nobili genere procreato, canonicatum et praebendam ecclesiae Olomucensis, quorum fructus 22 marcarum argenti valorem annuum non excedunt, quosque Volframus Volframi apud sedem apostolicam in manibus papae libere resignavit, auctoritate apostolica conferat, non obstante, quod nuper eidem Johanni de canonicatu sub exspectatione praebendae ac dignitatis, personatus aut officii ecclesiae Bambergensis a papa concessum est provideri. „Dignum arbitramur“ „Rome ap. S. Petrum secundo nonas Junii a. secundo“.*

Romae, 1391 Junii 4.

R. Lat. 20 fol. 69a — a) ‚Zacensi‘ b) ‚Wssieradicz‘ — Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: JAC. DE TERAMO.

534. Cum Johanne [de Miličín] rectore parrochialis ecclesiae in Sudoměřicz dispensatur, ut unum aliud curatum beneficium recipere possit.

Romae, 1391 Junii 8.

Bonifacius .... Johanni rectori parrochialis ecclesie in Sudomyerzicz Pragensis diocesis .... Probitatis et virtutum merita .... Volentes itaque te .... favore prosequi gracie specialis, ... tecum, ut tu, qui parrochialem ecclesiam in Sudomyerzicz et in s. Petri Brunnensi ac in s. Mauricii Cremsirensi necnon in s. Martini Pozoniensi cum custodia, que simplex officium existit, Pragensis, Olomucensis et Strigoniensis diocesium ecclesiarum canonicatus et prebendas et capellam sine cura s. Ladislai sitam in domo archiepiscopali Strigoniensi, quorum omnium fructus .... triginta quinque marcharum argenti puri .... valorem annuum .... non excedunt, obtines, unum aliud curatum beneficium ecclesiasticum, eciam si dignitas vel personatus seu officium fuerit, et ad illud consueverit quis per eleccionem assumi, et eciam si dignitas ipsa in collegiata ecclesia principalis extiterit, si tibi alias canonice conferatur, recipere et una cum eadem parrochiali ecclesia ad biennium retinere libere et licite valeas — generalis concilii et quibuscunque aliis constitucionibus apostolicis .... contrariis .... nequaquam obstantibus — auctoritate apostolica de speciali gracia dispensamus. Volumus autem, quod parrochialem ecclesiam aut curatum beneficium pro aliquo alio beneficio ecclesiastico cum eorum altero compatibili infra idem biennium permutare, alioquin lapso huiusmodi biennio parrochialem ecclesiam, quam extunc vacare decernimus, omnino dimittere tenearis, proviso, quod parrochialis ecclesia et beneficium curatum huiusmodi debitis interim non fraudentur obsequiis, et animarum cura in eis nullatenus negligatur. Nulli ergo .... Datum Rome ap. S. Petrum sexto idus Junii a. secundo.

R. Lat. 17 fol. 192b — In fine: N. XX DE BENEVENTO.

---

535. Cum Andrea [Nicolai] decano Olomucensi dispensatur, ut unum aliud curatum beneficium recipere possit.

Romae, 1391 Junii 8.

Bonifacius .... Andree decano ecclesie Olomucensis .... Probitatis et virtutum merita .... Volentes itaque te .... favore prosequi gracie specialis ...., tecum, ut tu, qui decanatum Olomucensis ac canonicatum et prebendam s. Petri in Brunna Olomucensis diocesis obtines, et cui nuper de canonicatu et prebenda eiusdem Olomucensis, tunc certo modo vacantibus, ac de sub expectacione prebende Pragensis ecclesiarum canonicatibus (*sic*) graciose concessimus provideri, unum curatum beneficium ecclesiasticum, eciam si dignitas vel personatus seu officium fuerit, et eciam si ad illud quis consueverit per eleccionem assumi, ac dignitas ipsa principalis in collegiata ecclesia extiterit .... recipere et una cum dicto decanatu ad biennium retinere .... valeas, ... auctoritate apostolica .... dispensamus. Volumus autem, quod unum ex decanatu aut curato beneficio huiusmodi, quod te assequi continget, pro aliquo alio beneficio ecclesiastico cum eorum

altero compatibili infra idem biennium permutare, alioquin lapso huiusmodi biennio predictum decanatum .... omnino dimittere tenearis .... Datum Rome ap. S. Petrum sexto idus Junii a. secundo.

R. Lat. 17 fol. 221b — In fine: N. XX DE BENEVENTO.

---

536. *Magistro Alardo Johannis Alardi de Molendino scriptori apostolico et litterarum apostolicarum abbreviatori conceditur, ut litterae apostolicae, per quas ei quinto idus Novembris pont. a. primo (1389 Nov. 9) de dignitate, personatu vel officio ecclesiae cathedralis Traiectensis aut alicuius e collegiatis ecclesiis civitatis et diocesis Traiectensium ac de beneficio ecclesiastico cum vel sine cura ad collationem episcopi et capituli Leodiensium pertinente, vacantibus vel vacaturis, provisum fuit, perinde a praedicta data valeant, ac si in eis de aliis litteris apostolicis, per quas ei de canonicatibus sub exspectatione praebendarum Varmiensis et Vratislaviensis ecclesiarum fuit provisum,* [1]) *expressa mentio facta fuisset. „Grata tuae devocionis“ „Rome ap. S. Petrum sexto idus Junii pont. n. a. secundo“.*

Romae, 1391 Junii 8.

R. Lat. 14 fol. 150b — Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: PRO SOCIO, N. DE BENEVENTO — [1]) Cf. nros. 206. 207.

---

537. *Abbatibus Saganensis*[a]) *et Novae Cellae monasteriorum Vratislaviensis et Misnensis diocesium ac officiali Vratislaviensi mandatur, quatenus Petro Wendeleri diacono Vratislaviensis dioc., qui pluribus annis in iure canonico studuit,*[1]) *canonicatum et praebendam ecclesiae Poznaniensis vacantes, quorum fructus 12 marcarum argenti valorem annuum non excedunt, quosque ipse Petrus vigore gratiae de canonicatu sub exspectatione praebendae eiusdem ecclesiae ab Urbano pp. VI. ei factae acceptavit, conferant, non obstante, quod hodie ei de decanatu ecclesiae Lubucensis vacante, cuius fructus 30 marcarum argenti dictum valorem non excedunt, et quem obtinet, provideri concessum est. „Vite ac morum“ „Rome ap. S. Petrum sexto idus Junii a. secundo“.*

Romae, 1391 Junii 8.

R. Lat. 12 fol. 309b — a) ‚Zaganen‘ — In fine: N. XVIII DE BENEVENTO — [1]) ‚Petrus Wendeler‘ a. 1373 a rectore universitatis iuristarum studii Pragensis inscriptus est. (Mon. univ. Prag. II./I. p. 86.)

---

538. *Archiepiscopus Pragensis et Pataviensis episcopus ac abbas monasterii s. Emmerami Ratisponensis conservatores abbatis et conventus monasterii in Nieder-Altaich*[a]) *ord. s. Benedicti Pataviensis dioc. usque ad quinquennium instituuntur. „Militanti ecclesiae“ „Rome ap. S. Petrum quinto idus Junii pont. n. a. secundo“.*

Romae, 1391 Junii 9.

R. Lat. fol. 300a — a) ‚Inferiorisalthe‘ — In fine: N. XXX DE BENEVENTO.

539. *Episcopo Vratislaviensi mandatur, quatenus guardianum et fratres ordinis minorum in Gorlicz compellat, ut a quibusdam erroneis assertionibus, quas in causa cum plebano Gorlicensi fecerunt, desistant.*

Romae, 1391 Junii 10.

Bonifacius .... episcopo Wratislauiensi .... Regis pacifici, qui regnat in celis, licet immeriti vices gerentes in terris, solliciti corde reddimur et sollertes, ut persone ecclesiastice, presertim sub religionis habitu domino famulantes, sub moderamine iuris dirigantur, et ab eis, si quid a rectitudine deviat, penitus secludatur, ipseque in contemplacionis dulcedine animas suas deo lucrifaciant, ceterisque orthodoxe fidei professoribus bonis operibus ac piis doctrinis eorum sint virtutis et sanctitatis exemplar. Sane gravem querelam dilecti filii Johannis Luticz rectoris parrochialis ecclesie in Gorlicz Misnensis diocesis nuper accepimus continentem, quod licet olim ipse in causa per eum contra dilectos filios guardianum et fratres domus fratrum ord. minorum in Gorlicz dicte diocesis super quarundam pretensarum annunciacionibus indulgenciarum et predicacionibus inconsultis et eciam super eo, quod iidem guardianus et fratres asseruerant se absolvere posse dilectos filios parrochianos eiusdem ecclesie a quibuscunque peccatis per eos commissis, prout locorum ordinarii illos de iure absolvere possent, et nonnullos ex dictis parrochianis ad eligendum sepulturam apud ecclesiam domus predicte induxerant, et super nonnullis aliis articulis tunc expressis mota et in palacio apostolico coram certis auditoribus causarum palacii ex commissionibus apostolicis diucius ventilata, tres diffinitivas sentencias, per quas annunciaciones, predicaciones, asserciones et inducciones predicte pronunciate fuerant iniuste et illicite, et per quas ipsis guardiano et fratribus, ne de cetero consimiles annunciaciones, predicaciones, asserciones et inducciones facerent, prohibitum extiterat, pro se et contra eosdem guardianum et fratres reportasset et super execucione predictarum sentenciarum apostolicas ad certos iudices litteras impetrasset, tamen predicti guardianus et fratres eis indultis non contenti, sed in messem alienam mittentes perperam falcem suam, et quod sibi nollent fieri eidem rectori non verentes inferre, eciam lite huiusmodi tunc indecisa pendente, nonnulla corpora quorundam ex dictis parrochianis, qui tunc decesserant, quamvis eciam illi, qui sic decesserant, apud huiusmodi ecclesiam domus antedicte seu cimiterium eorundem fratrum non elegissent ecclesiasticam sepulturam, ipso rectore invito et reclamante ac quandoque per vim et violenciam rapuerunt et apud ecclesiam seu cimiterium eorum prefata corpora sepelierunt aut sepeliri fecerunt; preterea dicti guardianus et fratres ab huiusmodi indiscretis et vetitis predicacionibus minime resipiscentes, sed velud lupi sub specie ovium intrantes et bestiali sevicia causa questus pecuniarii fidelium animas decipientes, quibusdam in publicis sermonibus eorundem ad populum predicare presumpserunt et presumunt videlicet: quod universi et singuli ex fidelibus ipsis, qui in nonnullis festivitatibus sanctorum, quos in ipsis predicacionibus nominant, annuatim predictam ecclesiam eorum visitant elemosinas ibidem erogando, triginta annos et decem et octo quadragenas verarum indulgenciarum auctoritate sedis apostolice indultarum mereantur, quodque in diebus dominicis, in quibus huiusmodi festivitates occurrunt, eciam in assumpcionis b. Marie virginis ac beatorum Lodovici et

Francisci necnon in dedicacionis huiusmodi ecclesie domus prefate festivitatibus eedem indulgencie triplicentur, et illas visitantes ipsi huiusmodi elemosinas erogantes similiter tunc acquirant ibidem; quibus eciam excessibus predicti guardianus et fratres non contenti ore sacrilego sepius publicarunt et publicant manifeste: quod indifferenter quorumlibet defunctorum fidelium predictorum anime, quorum corpora apud huiusmodi ecclesiam aut cimiterium eorum ante festum dicti b. Francisci sepulta fuerint, in sequenti festo huiusmodi immediate predicti b. Francisci de mense Octobris, postquam huiusmodi corpora ibidem sepulta extiterunt, erunt indubitanter in patria sive, ut eorum verbis utamur, in regno celorum, quod tamen reproborum nullus ingreditur sacra scriptura docente, et alios diversos excessus perniciosos committere non verentur in grave dispendium animarum, sedis apostolice contemptum, predicti rectoris preiudicium et gravamen ac scandalum plurimorum. Quare pro parte dicti rectoris nobis fuit humiliter supplicatum, ut alicui probo viro in partibus illis, quod eisdem guardiano et fratribus certum terminum prefigat, infra quem de indulgenciis huiusmodi, quas taliter nunciant et predicant, legitime docere teneantur, ipsique rectori super subtraxionibus, violenciis et aliis premissis, in eius preiudicium lite predicta pendente et postea per eosdem guardianum et fratres attemptatis, iusticiam debite ministrari faciat, committere, necnon alias super premissis salubriter providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, qui salutem querimus singulorum, desiderantes, ut persone ecclesiastice tam exempte quam non exempte pace fruantur et alter in alterius non prosiliat iniuriam vel iacturam, huiusmodi supplicacionibus inclinati, fraternitati tue .... mandamus, quatenus vocatis eisdem guardiano et fratribus ac rectore et aliis, qui fuerint evocandi, eisdem guardiano et fratribus districte precipias, ne de cetero publice vel occulte dicere aut predicare presumant, quod eorundem defunctorum anime huiusmodi, quorum corpora, ut prefertur, apud ecclesiam seu cimiterium predicta domus prefate pro tempore sepelientur seu hactenus sepulta fuerunt in predicto festo b. Francisci, post sepulturam huiusmodi corporum fuerunt aut erunt in regno seu patria predictis propter sepulturam seu eleccionem huiusmodi ecclesiastice sepulture apud illa, seu ut huiusmodi asserciones et predicaciones, quatinus illas de facto fecerunt, cum eorundem guardiani et fratrum asserciones huiusmodi heresim sapiant, solemniter et debite, ubi talia commiserunt, revocare procurent, auctoritate nostra compellas; et eciam eisdem guardiano et fratribus peremptorium terminum trium mensium, infra quem de huiusmodi indulgenciis, quas lite huiusmodi pendente, ut prefertur, et postea annunciare et predicare presumpserunt sive presumunt, coram te legitime docere teneantur, eadem auctoritate prefigas, quodque, si de illis coram te interim legitime non docuerint, tu eisdem guardiano et fratribus super predicacionibus et annunciacionibus indulgenciarum predictarum perpetuum silencium imponas, et eos, quod a similibus predicacionibus et annunciacionibus deinceps omnino desistant, auctoritate predicta per censuram ecclesiasticam appellacione remota compellas, et nichilominus parrochianos et fideles ipsos, quod huiusmodi, per quas ipsi guardianus et fratres asserunt animas fidelium predictorum, quorum corpora predicta apud huiusmodi ecclesiam aut cimiterium eorundem sepelientur pro tempore aut sepulta fuerunt hactenus in dicto festo b. Francisci, esse in patria propter huiusmodi sepulturam ac eleccionem sepulture

predicte apud illa dumtaxat, tamquam erroneis et fidei obviis antedicte, ac eciam aliis predicacionibus et annunciacionibus huiusmodi indulgenciarum, de quibus idem guardianus et fratres coram te non docuerint, ut prefertur, fidem non adhibeant, auctoritate prefata exhortari procures, super aliis vero, auditis hinc inde propositis, quod iustum fuerit appellacione remota decernas, faciens quod decreveris per censuram ecclesiasticam firmiter observari. Testes autem, qui fuerint nominati, si se gracia, odio vel timore subtraxerint, censura simili appellacione cessante compellas veritati testimonium perhibere. Non obstantibus tam fel. rec. Bonifacii pp. VIII. predecessoris nostri, in quibus cavetur, ut, cum actor et reus civitatis et diocesis fuerint earundem, nullus eorum auctoritate litterarum sedis predicte extra illas ad iudicium evocetur, seu ne iudices a sede deputati predicta extra civitatem et diocesim, in quibus deputati fuerint, contra aliquos procedere sive alii vel aliis vices suas committere aut aliquos ultra unam dietam a fine diocesis earundem trahere presumant, et de duabus dietis in concilio generali, quam aliis constitucionibus apostolicis contrariis quibuscunque .... Datum Rome ap. S. Petrum quarto idus Junii a. secundo.

R. Lat. 17 fol. 247b — Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: JAC. XXV DE TERAMO.

---

540. *Jacobo de Sicca providetur de canonicatu et praebenda in Dietrichsdorf in ecclesia Olomucensi vacantibus.*

Romae, 1391 Junii 17.

Bonifacius .... Jacobo de Sicca canonico Olomucensi, decretorum doctori .... Litterarum sciencia, vite .... Dudum siquidem fel. rec. Urbanus pp. VI. .... omnes canonicatus et prebendas ceteraque beneficia ecclesiastica quorumcunque scriptorum litterarum apostolicarum, tunc vacancia et inantea vacatura, collacioni et disposicioni sue reservans, decrevit extunc irritum et inane, si secus .... contingeret attemptari. Et deinde pro parte quondam Johannis Plzak rectoris parrochialis ecclesie s. Stephani Pragensis eidem predecessori exposito, quod olim canonicatu ecclesie Olomucensis et prebenda in Slatyna in eadem ecclesia Olomucensi, quos quondam Wernerus phisicus .... obtinebat, per ipsius Werneri obitum, qui extra Romanam curiam decesserat, vacantibus, ... magister Petrus de Wserob eiusdem ecclesie Olomucensis canonicus, predictarum literarum scriptor et abbreviator existens et alios canonicatum et prebendam in Dyetrichsdorf in predicta ecclesia Olomucensi obtinens, ipsam prebendam in Slatyna per obitum dicti Werneri vacantem, prout iuxta ipsius Olomucensis ecclesie consuetudinem poterat, infra tempus legitimum optaverat, ipsamque vigore opcionis huiusmodi extiterat pacifice assecutus, et eandem prebendam in Dyetrichsdorf, quam tunc obtinebat, ut prefertur, libere dimiserat: idem predecessor de canonicatu dicte ecclesie ac prebenda in Dyetrichsdorf predicta sic vacante prefato Johanni graciose concessit provideri. Postmodum vero dicto predecessore, per eum de ipsa prebenda in Dyetrichsdorf alias non disposito, ... vita functo, nobisque .... ad apicem summi apostolatus assumptis, dictus Johannes, literis apostolicis super huiusmodi

concessionis gracia non confectis, apud sedem apostolicam extitit vita functus Cum autem a nonnullis revocaretur in dubium, an aliquis post predicti predecessoris obitum preter Romanum pontificem de canonicatibus et prebendis et aliis beneficiis ecclesiasticis, per ipsum predecessorem disposicioni sue reservatis et tempore obitus eiusdem predecessoris vacantibus, disponere potuisset sive posset, [nos] ad huiusmodi ambiguitatis tollendum dubium per nostras litteras declaravimus canonicatus et prebendas ac alia beneficia supradicte, que tempore dicti obitus predecessoris eiusdem sic reservata vacabant, remansisse et remanere per huiusmodi reservacionem et decretum affecta, nullumque de illis preter Romanum pontificem ea vice potuisse vel posse disponere quoquo modo, ac decrevimus irritum .... quidquid in contrarium .... attemptatum forsan erat tunc, vel imposterum contingeret attemptari, dictaque prebenda in Dyetrichsdorf adhuc .... vacare noscatur, ... nos volentes tibi, qui eciam, ut asseris, magister in artibus existis, ... graciam facere specialem, canonicatum eiusdem ecclesie .... ac eandem prebendam in Dyetrichsdorf, cuius et dicti canonicatus fructus .... decem et septem marcharum argenti puri .... valorem annuum .... non excedunt, ... apostolica tibi auctoritate conferimus et de illa eciam providemus; non obstantibus ...., quod, ut asseris, Wissegradensis prope Pragam et maioris canonicatibus et prebendis ac archidiaconatu Lithomericensi in eadem maiori ecclesia, quorum omnium quadraginta quinque, spoliatus existis, et nuper tibi de prepositura s. Egidii Pragensis, cuius quadraginta marcharum argenti puri fructus .... valorem annuum .... non excedunt, per nostras litteras mandavimus, ac de canonicatu sub expectacione prebende necnon dignitatis vel personatus seu officii cum cura vel sine cura dicte Olomucensis ecclesiarum graciose concessimus provideri. Volumus autem, quod, quamprimum .... dictos canonicatum et prebendam in Dyetrichsdorf .... fueris pacifice assecutus, prefata concessionis gracia et quecunque inde secuta, quoad canonicatum et prebendam dumtaxat, sint cassa et irrita .... Datum Rome ap. S. Petrum quinto decimo kal. Julii pont. n. a. secundo.

Simili modo .... episcopo Tudensi et .... abbati monasterii in Gradi (*sic*) prope Olomucz ac decano Cremsirensis ecclesie Olomucensis diocesis ....

R. Lat. 20 fol. 116ª — Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: JAC. XV. XVII DE TERAMO — Cf. nr. 663.

---

541. *Episcopo Tudensi, decano ecclesiae Poznaniensis ac officiali Vratislaviensi mandatur, quatenus Mathiae Trebnicz de Kališ rectori altaris s. Eberhardi siti in ecclesia Vratislaviensi parrochialem ecclesiam in Chelmcze Gneznensis dioc. conferant, non obstante, quod idem Mathias „super eodem altari, quod sine cura est, et cuius quatuor, cum quodam suo adversario litigando, unam pro se, per quam sibi altare predictum adiudicatum fuit, diffinitivam sentenciam reportavit, que nulla provocacione suspensa in rem transivit iudicatam, et super canonicatu et prebenda ecclesie Poznaniensis, quos nondum adeptus existit, et quorum quatuordecim marcharum argenti fructus .... valorem annuum non excedunt, noscitur n*

palacio apostolico litigare". „Vite ac morum." „Rome ap. S. Petrum quinto decimo kal. Julii pont. n. a. secundo."

Romae, 1391 Junii 17.

R. Lat. 15 fol. 73b — Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: N. XVIII DE BENEVENTO.

---

542. *Petro Polacher laico Pragensis dioc. reservatur unum ex perpetuis laicalibus officiis in ecclesia Bambergensi, ‚Stulbruderprunden' vulgariter nuncupatis, ad collationem episcopi Bambergensis et praepositi et cellerarii eiusdem ecclesiae pertinentibus, si quod vacat, vel cum vacaverit. „Laudabilia probitatis" „Rome ap S. Petrum decimo quinto kal. Julii a. secundo". — Simili modo episcopo Tudensi et abbati monasterii s. Michaelis Montismonachorum extra muros Bambergenses ac decano ecclesiae s. Stephani Bambergensis.*

Romae, 1391 Junii 17.

R. Lat. 10 fol. 83b — In fine: PRO DEO, N. DE BENEVENTO.

---

543. *Custodi ecclesiae Pragensis mandatur, quatenus causam inter Petrum de Antiqua Sella et monasterium Břevnoviense super parrochiali ecclesia in Chcebuz exortam examinet et de ea sedi apostolicae referat.*

Romae, 1391 Julii 3.

Bonifacius .... custodi ecclesie Pragensis .... Dudum causam apellacionis et negocii principalis, que vertitur inter .... Petrum Machonis de Antiqua Sella presbyterum Pragensis diocesis ex parte una et .. abbatem et conventum monasterii Brewnouiensis ordinis s. Benedicti dicte diocesis super parrochiali ecclesia in Czepus eiusdem diocesis, de qua, tunc per obitum quondam Johannis dicti Hukal ipsius ecclesie rectoris vacante, Petrus sibi per .... Philippum episcopum Ostiensem, tunc in illis partibus apostolice sedis legatum, provisum fuisse canonice, dictosque abbatem et conventum se provisioni huiusmodi contra iusticiam opposuisse et opponere ac fecisse et facere, quominus predicta provisio debitum sortita fuerit et sorciatur effectum, abbas vero et conventus predicti dictam ecclesiam eis et eorum monasterio predicto canonice incorporatam, unitam et annexam fore asserebant, prout asserunt, ex altera, et nonnullis aliis articulis, pro parte dictorum abbatis et conventus ad sedem apostolicam interiecte (*sic*), ... Bertrando episcopo Eugubino, tunc capellano nostro et auditori causarum palacii apostolici, ad instanciam dictorum abbatis et conventus .... commisimus ...., non obstante, quod causa ipsa de sui natura ad Romanam curiam legitime devoluta .... non esset. Qui ad instanciam magistri Johannis Scriuani, substituti per Johannem de Przedborzytz sacristam dicti monasterii, procuratorem predictorum abbatis et conventus, ... coram eo in iudicio comparentis, magistrum Nicolaum

Lubech procuratorem prefati Petri .... ad dandum et recipiendum libellum et ad prestandum et per alteram partem prestari videndum iuramentum de calumnia et de veritate dicenda in causa huiusmodi .... successive citari fecit ad certos terminos peremptorios competentes; in quibus dictus Johannes Scriuani .... in iudicio comparens, dicti Nicolai non comparentis contumaciam accusavit et in eius contumaciam quendam pro parte sua in huiusmodi causa dedit libellum, et predictum .... prestitit iuramentum ...., deinde vero predictis Nicolao et Johanne Scriuani .... in iudicio comparentibus ac traditis per eos nonnullis posicionibus et articulis in causa huiusmodi et contra eosdem posiciones et articulos quibusdam excepcionibus hinc inde datis in terminis eis ad hec per dictum episcopum tunc auditorem successive et peremptorie assignatis (*sic*). Verum quia per ea, que coram dicto episcopo tunc auditore apud eandem sedem in huiusmodi causa sunt habita, non potest de ipsius cause meritis plene liquere, discrecioni tue .... mandamus, quatinus testes, litteras, instrumenta, que pars predictorum abbatis et conventus super dictis suis articulis, quos idem episcopus tunc auditor sub sigillo suo tibi transmittit inclusos, coram te duxerit producenda, infra duos menses post recepcionem presencium, cum pars dicti Petri super dictis suis articulis remissionem ad te habere non curet, prudenter recipere ac testes ipsos secundum discrecionis tue arbitrium, cum dictus Nicolaus de mandato eiusdem episcopi tunc auditoris ad ipsius Johannis instanciam per quendam cursorem nostrum ad certum terminum peremptorium competentem ad dandum interrogatoria, si que dare vellet in causa huiusmodi, citatus, in eodem termino aliqua interrogatoria [dare non curaverit, examinare studeas, litteras][a]) et instrumenta predicta transcribi fideliter faciendo; si vero alterutra parcium predictarum testes alterius partis voluerit reprobare, tu testes super reprobacione huiusmodi coram te producendos infra unius mensis spacium predictos duos menses immediate sequentis sapienter recipias eosque secundum interrogatoria a partibus ipsis exhibenda, si ea exhibere voluerint, alioquin iuxta datam tibi a deo prudenciam examines diligenter, deposiciones omnium testium predictorum fideliter in scriptis redactas una cum articulis et interrogatoriis supradictis ac transumptis litterarum et instrumentorum predictorum sub sigillo tuo inclusos ad nostram presenciam quantocius transmissurus ac significaturus nobis, que et quanta sit fides eisdem instrumentis et litteris adhibenda, prefixo eisdem partibus termino peremptorio competenti, quo per se vel procuratores ydoneos cum omnibus actis, iuribus et munimentis suis causam huiusmodi contingentibus se apostolico conspectui representent iustam dante domino sentenciam recepture. Testes autem, qui fuerint nominati, si se gracia, odio vel timore subtraxerint, per censuram ecclesiasticam appellacione remota compellas, preterquam super criminibus, veritati testimonium perhibere. Diem vero prefixionis huiusmodi et formam et quitquid super hiis duxeris faciendum nobis per tuas patentes litteras harum seriem continentes fideliter intimare procures. Datum Rome ap. S. Petrum V. nonas Julii pont. n. a. secundo.

Copia (valde erronea, ut videtur) ex originali archivii Břevnoviensis (B, II. 53) in diplomatario manuscripto musei regni Bohemiae exstat, iuxta quam in plica ad dextram scriptum est: REGISTRATA, JO. JACOZI. — [a]) Uncini inclusa ab editore suppleta sunt, cum in copia loco eorum legatur: ‚a partibus ipsis exhibenda, si ea exhibere voluerint, testes'.

544. *Henrico Cruse clerico Halberstadensis dioc.*[1]) *reservatur beneficium ecclesiasticum cum vel sine cura, cuius fructus 25 resp. 18 marcarum argenti valorem annuum non excedant, ad collationem praepositi, decani, scholastici, thesaurarii et capituli ecclesiae s. Nicolai Stendaliensis Halberstadensis dioc. pertinens, si quod vacat, vel cum vacaverit. „Vite ac morum" „Rome ap. S. Petrum quarto nonas Julii a. secundo". — Simili modo episcopo Tudensi et decano Pragensis ac scholastico Halberstadensis ecclesiarum.*

Romae, 1391 Julii 4.

R. Lat. 10 fol. 53[a] — In fine: PRO DEO, N. DE BENEVENTO — [1]) Henricus Cruse a. 1383 in universitate Pragensi ad baccalariatum in artibus admissus est (Monum. univ. Prag. I/I. p. 213. 114).

---

545. *Magistro Nicolao do Glivicz*[a]) *canonico Vratislaviensi, scriptori apostolico et litterarum apostolicarum abbreviatori, conceditur, ut de bonis suis libere testari possit. „Quia presentis vite" „Rome ap. S. Petrum tercio idus Julii a. secundo."*

Romae, 1391 Julii 13.

R. Lat. 14 fol. 171[a], et iterum R. Lat. 17 fol. 257[a] — [a]) ‚Glywicz' — In marg. sin.: C[ANCELLARIA] (deest in Lat. 17); in fine: PRO SOCIO, N. DE BENEVENTO.

---

546. *Officiali Vratislaviensi mandatur, quatenus Vincentium Wilczkonis surroget ad omne ius, quod quondam Henrico Tabernatoris in altari Assumptionis b. Mariae sito in ecclesia Vratislaviensi competebat.*

Romae, 1391 Julii 15.

Bonifacius .... officiali Wratislauiensi .... Vite ac morum honestas aliaque .... merita, super quibus .... Vincencius Wilczkonis clericus Wratislauiensis diocesis .... commendatur ...., nos inducunt, ut sibi reddamur .... liberales. Sane peticio pro parte dicti Vincencii nobis nuper exhibita continebat, quod, cum olim quondam Henricus Tabernatoris clericus altare Assumpcionis b. Marie virginis situm in ecclesia Wratislauiensi, tunc per obitum quondam Johannis de Beyczano ipsius altaris rectoris extra Romanam curiam defuncti vacans, vigore quarumdam litterarum nostrarum ...., prout ex ipsarum forma poterat, infra tempus legitimum acceptasset et de illo sibi provisum fuisset canonice, ac .... Johannes Reichenbach, qui se gerit pro clerico Misnensis diocesis, gracie, acceptacioni et provisioni huiusmodi contra iusticiam se opponens, impedivisset et fecisset ac impediret ac faceret, quominus, gracia acceptacio et provisio huiusmodi debitum sortirentur effectum, ac eundem Henricum super dicto altari et eius occasione alias multipliciter molestasset et perturbasset, seque in dicto altari intrusisset ipsumque occupasset et detinuisset ac detineret indebite occupatum, predictus Henricus eundem Johannem super hoc, petendo altare predictum sibi adiudicari et super eo prefato Johanni perpetuum silencium imponi, coram te, qui executor dicte gracie vigore dictarum litterarum fueras per nos deputatus,[a]) traxit in

causam, tuque in causa huiusmodi ad nonnullos actus citra tamen conclusionem diceris processisse. Cum autem, sicut eadem peticio subiungebat, lite huiusmodi sic coram te indecisa pendente, dictus Henricus apud sedem apostolicam fuerit vita functus, nos .... discrecioni tue .... mandamus, quatinus eundem Vincencium ... in omni iure et ad omne ius, quod ipsi Henrico in eodem altari, cuius fructus .... novem marcharum argenti puri .... valorem annuum .... non excedunt, seu ad illud tempore sui obitus quomodolibet competebat aut competere poterat, auctoritate nostra surroges, ... et nichilominus altare predictum, quod sine cura est, ... eidem Vincencio auctoritate nostra conferre et assignare procures; non obstantibus ...., quod nuper dicto Vincencio, ut asserit, de parrochiali ecclesia in Brzibiscowo Poznaniensis diocesis, que tunc certo modo vacare sperabatur, et cuius fructus .... duodecim marcharum argenti puri .... valorem annuum non excedunt, concessimus, ac de beneficio ecclesiastico cum cura vel sine cura, vacante vel vacaturo, ad collacionem .... episcopi et capituli [Wratislauiensium] necnon .... prepositi, .. decani, .. archidiaconi, .. scolastici, .. cantoris, .. custodis, .. singulorumque canonicorum ecclesie [Wratislauiensis] .... pertinente, per nostras litteras provideri mandavimus graciose .... Datum Rome ap. S. Petrum idibus Julii pont. n. a. secundo.

R. Lat. 18 fol. 15^{b} — ^{a}) ‚qui .... deputatus' correctum in margine loco cancellati ‚non ex delegacione apostolica' cum hac nota: „Correctum de mandato, N. de Benevento" — In fine: PRO DEO, N. DE BENEVENTO.

---

547. *Bartholomaeo s. Pudentianae cardinali reservatur praepositatus in Komárov.*

Romae, 1391 Julii 17.

Bonifacius .... Bartholomeo tituli s. Potenciane presbytero cardinali .... Dum exquisitam .... Cum itaque prepositatus s. Benedicti in Komarow ordinis eiusdem sancti Olomucensis diocesis, quem .... Henricus abbas monasterii s. Marie in Trebicz ordinis et diocesis predictorum tempore promocionis per nos facte de ipso ad dictum monasterium tunc vacans obtinebat, prout obtinet, per huiusmodi promocionem, et quamprimum dictus Henricus abbas pacificam possessionem administracionis bonorum eiusdem monasterii fuerit adeptus, vacare speretur, nos .... tibi, qui eciam predicti ordinis professor es, specialem graciam facere volentes, prepositatum predictum, qui ab eodem monasterio dependet ac per monachos ipsius monasterii gubernari, et a quo illum pro tempore obtinens per abbatem eiusdem monasterii, qui est pro tempore, amoveri et ad claustrum dicti monasterii revocari consueverunt, cuiusque fructus .... octuaginta marcharum argenti .... valorem annuum .... non excedunt, eciam si prepositatus ipse curatus et conventualis ac dignitas est, et ad quem quis per eleccionem assumitur, cum illum ut prefertur vel alias quovis modo, preterquam per ipsius Henrici abbatis obitum, vacare contigerit, conferendum tibi .... motu proprio .... donacioni apostolice reservamus .... Nos enim tecum, ut prepositatum predictum recipere et una cum ecclesia s. Potenciane de Urbe, que titulus tui cardinalatus

existit, ac aliis .... beneficiis ecclesiasticis ...., quecunque, quotcunque et qualiacunque fuerint, recipere libere et licite valeas ...., motu simili tenore presencium dispensamus ....; tibi quoque eodem motu .... concedimus, quod a prepositatu predicto absque racionabili causa nequeas amoveri .... Datum Rome ap. S. Petrum sexto decimo kal. Augusti pont. n. a. secundo.

Simili modo .... patriarche Gradensi et archiepiscopo Pragensi ac episcopo Olomucensi ....

R. Lat. 13 fol. 239[a] — Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: PRO DOMINO CARDINALI, JAC. DE TERAMO.

---

548. *Nicolao quondam Johannis de Zlabings[a]) nato, clerico Olomucensis dioc., qui nullum beneficium ecclesiasticum assecutus existit, reservatur beneficium ecclesiasticum cum vel sine cura, consuetum clericis saecularibus assignari, cuius fructus 25 resp. 18 marcarum argenti valorem annuum non excedant, ad collationem abbatis et conventus monasterii s. Lamberti in S. Lamberto[b]) ord. s. Benedicti Salzburgensis[c]) dioc. pertinens, si quod vacat, vel cum vacaverit. „Vite ac morum" „Rome ap. S. Petrum decimo sexto kal. Augusti a. secundo." — Simili modo Tudensi et Gurcensi episcopis ac praeposito ecclesiae Salzburgensis.[c])*

Romae, 1391 Julii 17.

R. Lat. 10 fol. 105[a] — a) ‚Czlewings' b) ‚Lamperti, Lamperto' c) ‚Salczeburgen.' — In fine: PRO DEO, N. DE BENEVENTO.

---

549. *Abbati monasterii s. Mariae in Arena extra muros Vratislavienses mandatur, quatenus Nicolao Viti de Lancicia clerico Gneznensis dioc. reservet beneficium ecclesiasticum sine cura, cuius fructus 18 marcarum argenti valorem annuum non excedant, ad collationem archiepiscopi Gneznensis et praepositi, decani, archidiaconi, scholastici, cantoris, custodis et capituli ecclesiae Gneznensis pertinens, si quod vacat, vel cum vacaverit. „Dignum arbitramur" „Rome ap. S. Petrum sexto decimo kal. Augusti a. secundo".*

Romae, 1391 Julii 17.

R. Lat. 15 fol. 159[b] — In marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: N. XX DE BENEVENTO.

550. *Judicibus mandatur, ne testamentum Nicolai de Glivicz quomodolibet impediri permittant.*

Romae, 1391 Julii 20.

Bonifacius .... episcopo Tudensi et .... abbati s. Marie in Arena extra muros Wratislauienses ac preposito in Glocz per prepositum soliti gubernari

Pragensis diocesis monasteriorum . . . . Sincere devocionis affectus, quem . . . . magister Nicolaus de Glywicz canonicus Wratislauiensis, scriptor noster, ad nos. et Romanam gerit ecclesiam, promeretur, ut peticiones suas ad exaudicionis graciam admittamus. Nuper siquidem prefato Nicolao, qui eciam litterarum apostolicarum abbreviator existit, ut de bonis suis . . . . libere testari valeret . . . . per alias nostras litteras . . . . concessimus facultatem . . . . [1]) Cum autem, sicut exhibita nobis nuper pro parte ipsius Nicolai peticio continebat, ipse Nicolaus dubitet testamentum, quod ipsum condere contigerit, eiusque executores ac heredes et alios, quorum intererit, occasione huiusmodi bonorum per episcopos aliosque prelatos, collectores et succollectores fructuum et proventuum camere apostolice debitorum vel quasvis alias personas posse imposterum impediri vel eciam molestari, nos . . . . episcopis aliisque prelatis ac collectoribus et succollectoribus et aliis personis huiusmodi . . . . sub excommunicacionis pena . . . ., ne contra huiusmodi testamentum vel executores aut heredes seu quoscunque alios occasione bonorum huiusmodi aliquid attemptare presumant, actoritate apostolica districcius inhibemus. Quocirca discrecioni vestre . . . . mandamus, quatenus . . . . non permittatis huiusmodi testamentum, executores et heredes ac quoscunque alios, quorum intererit, ut prefertur, per episcopos, prelatos, collectores, succollectores et alios supradictos contra tenorem concessionis huiusmodi quomodolibet impediri seu eciam molestari . . . . Datum Rome ap. S. Petrum tercio decimo kal Augusti a. secundo.

R. Lat. 14 fol. 147[b] — In fine: PRO SOCIO, N. DE BENEVENTO — [1]) Cf. nr. 545.

---

551. *Jacobus de Benešov*[a]) *ord. fratrum minorum professor in sedis apostolicae capellanum recipitur.* „*Virtutibus clarens*“ „*Rome ap. S. Petrum septimo kal. Augusti a. secundo.*“

Romae, 1391 Julii 26.

R. Vat. 313 fol. 171 cum his notis in fine: (ad sin.) XX, AUG., THO. DE ZOHANNIS, A. DE BARONIBUS; (ad dext.) B. DE PISTORIO. Iterum registratum in R. Lat. 10 fol. 324[a] cum hac nota in fine: N. XX DE BENEVENTO. Item in Arm. XXXI tom. 36 fol. 34[b], ubi notae finales desunt. — [a]) ‚Benessaio‘ Vat. Lat. Arm.

---

552. *Auditori apostolico mandatur, quatenus Venceslaum de Lochynicz surroget ad omne ius, quod Andreae de Ohrozim in parrochiali ecclesia de Roštín tempore eius cessionis competebat.*

Romae, 1391 Julii 27.

Bonifacius . . . . magistro Nicolao de Viuianis capellano nostro et causarum palacii apostolici auditori . . . . Vite ac morum honestas aliaque . . . . merita, super quibus . . . . Wenceslaus Laurencii de Lochynycz clericus Pragensis diocesis . . . . commendatur . . . . , nos inducunt, ut sibi reddamur . . . . liberales.

Exhibita siquidem nobis nuper pro parte ipsius Wenceslai peticio continebat, quod orta dudum inter .... Zeydlinum de Sdonka et Andream de Ohrozymye presbyteros Olomucensis diocesis super parrochiali ecclesia de Rosszyn dicte Olomucensis diocesis, de qua, tunc per obitum quondam Johannis ipsius ecclesie ultimi rectoris vacante, Andreas sibi canonice provisum fuisse, dictumque Zeydlinum se provisioni huiusmodi contra iusticiam opposuisse ac impedivisse et fecisse, quominus provisio predicta debitum sortiretur effectum, dictumque Zeydlinum se in eadem ecclesia intrusisse illamque occupasse et detinuisse et detinere indebite occupatam. Zaydlinus vero predicti eandem ecclesiam ad se de iure pertinere asserebant, prout ipse Zeydlinus adhuc asserit, materia questionis et causa huiusmodi ad sedem apostolicam legitime introducta: nos causam ipsam tibi ad instanciam dicti Andree .... commisimus ...., tuque in causa ipsa inter partes predictas ad nonnullos actus diceris processisse. Cum autem, sicut eadem peticio subiungebat, lite huiusmodi sic indecisa pendente idem Andreas huiusmodi liti et cause huiusmodi ac omni iuri sibi in dicta ecclesia seu ad eam quomodolibet competenti in tuis manibus libere ac sponte cesserit, tuque cessionem huiusmodi admiseris, nos .... discrecioni tue .... mandamus, quatenus, si tibi constiterit, quod prefatus Zeydlinus in dicta ecclesia intrusus existat, eundem Wenceslaum in omni iure et ad omne ius, quod prefato Andree tempore cessionis huiusmodi in eadem ecclesia, cuius fructus .... decem marcharum argenti ...., valorem annuum .... non excedunt, seu ad eam tempore cessionis huiusmodi quomodolibet competebat aut competere poterat, auctoritate nostra surroges ...., et nichilominus, si per eventum litis huiusmodi tibi constiterit, neutrum dictorum litigancium in eadem ecclesia ius habere, eandem ecclesiam, si adhuc ut prefertur vacat, ... eidem Wenceslao auctoritate predicta conferas et assignes ....; non obstantibus ...., quod dudum eidem Wenceslao, ut asserit, de beneficio ecclesiastico cum cura vel sine cura, vacante vel vacaturo, ad collacionem .... abbatis et conventus monasterii in Podlazicz ord. s. Benedicti dicte Pragensis diocesis .... pertinente, graciose concessimus provideri. Volumus autem, quod, quamprimum idem Wenceslaus .... dictam parrochialem ecclesiam fuerit pacifice assecutus, huiusmodi concessionis gracia et quecunque inde secuta, quoad curatum beneficium dumtaxat, sint cassa et irrita .... Datum Rome ap. S. Petrum sexto kal. Augusti pont. n. a. secundo.

R. Lat. 10 fol. 166a — Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: PRO DEO, N. DE BENEVENTO.

---

553. *Zachariae de Premislavia magistro in medicina[1]) consideratione Venceslai Romanorum et Bohemiae regis, pro eo, medico suo, supplicantis, de canonicatu sub exspectatione praebendae, dignitatis, personatus seu officii ecclesiae Misnensis providetur, ita tamen, ut, quamprimum dignitatem huiusmodi fuerit assecutus, canonicatum et minorem praebendam ac cantoriam ecclesiae Magdeburgensis, quos obtinet, omnino, prout ad id se sponte obtulit, dimittere teneatur. „Litterarum sciencia" „Rome ap. S. Petrum nonis Augusti pont. n. a. secundo." — Simili modo episcopo Havelbergensi et Magdeburgensi ac Lubucensi officialibus.*

Romae, 1391 Augusti 5.

R. Lat. 15 fol 31[a] — Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: N. XII. XIIII DE BENEVENTO — [1]) Zacharias de ‚Przemslauia' a. 1376 in universitate Pragensi ad baccalariatum in artibus admissus est (Monum. univ. Prag. I./I. p. 167).

---

554. *Officiali Pragensi mandatur, ut compositionem in causa inter abbatem et conventum monasterii in Plas ac quosdam armigeros Pragensis diocesis et inter Nicolaum rectorem ecclesiae in Krašovicz factam, si eam iustam reppererit, observari faciat, alioquin causam eandem ipse decernat.*

Romae, 1391 Augusti 6.

Bonifacius .... officiali Pragensi .... Exhibita nobis nuper pro parte .... Jacobi abbatis et conventus necnon Tilemanni dicti Antiqui prepositi monasterii in Plas cisterciensis ord. ac nobilium virorum Mixiconis dicti Caluus vicepurgravii castri Wissegradi, Thome de Gebraco et Johannis ipsius Thome nati ac Otticonis de Lhota armigerorum Pragensis diocesis peticio continebat, quod alias pro parte .... Nicolai rectoris parrochialis ecclesie in Crasseuicz predicte diocesis fel. rec. Urbano pape VI. predecessori nostro exposito, quod, cum olim idem Nicolaus quedam bona sua patrimonialia, que habuit in villa ‚Rudna dicte diocesis, pro augmentacione divini cultus in predicta ecclesia per eum procuranda pro centum et viginti sexagenis grossorum Pragensium vendidisset, et dictas pecunias penes quondam[a]) Henricum abbatem et Jacobum tunc cellerarium dicti monasterii, necnon prefatos Tilemannum ac conventum tamquam ad manus fideles deposuisset, ac Henricus abbas et Jacobus predicti promisissent bona fide, quod eidem Nicolao ad eius voluntatem aut pecunias huiusmodi restituerent vel pro ipsis pecuniis sibi et ecclesie predicte certum censum annuum de aliquibus bonis eorum assignarent; quodque, cum postea dictus Henricus abbas fuisset vita functus, idemque Nicolaus Jacobum, qui dicto Henrico abbati in regimine dicti monasterii successit, ac Tilemannum necnon conventum predictos sepius caritative requisivisset, ut pecunias restituerent aut censum huiusmodi assignarent eidem, iidem Jacobus, Tilemannus et conventus, nedum pecunias, quas tunc per octo annos indebite detinuerant et tunc eciam detinebant, restituere seu censum huiusmodi assignare de facto recusarant, sed eciam, ut easdem pecunias sibi usurpare et detinere perpetuo illicite possent, induxerunt armigeros antedictos et quosdam ipsorum complices in hac parte, quod ipsi armigeri cum eisdem complicibus[b]) dictum Nicolaum temere captivarunt, et eciam ipso Tielemanno presente et ad hoc operante manus in eum iniecerant ausu sacrilego temere violentas, ipsumque taliter captivum secum ad dictum castrum adduxerant, ac diversa bona mobilia, pecunias et pecora et pecudes in curte dotis ecclesie predicte tunc reperta et ad ipsum Nicolaum spectancia violenter receperunt et secum in predam asportarunt, que quidem bona ducentas marchas grossorum predictorum communi extimacione valebant, ipsumque Nicolaum diris carceribus manciparant et nullo modo a dictis carceribus relaxare voluerant, nisi prius ipse prestaret eisdem fideiussoriam caucionem, quod Jacobum et conventum super huiusmodi centum et viginti marchis ac Tilemannum, armigeros et complices

antedictos super captivacione, detencione, inieccione manuum violentarum in eum et spoliacione bonorum predictorum per eosdem armigeros, ut premittitur, facta et eorum occasione non impeteret quovis modo; quam quidem promissionem idem Nicolaus, non valens alias ipsorum armigerorum manus evadere, fecerat cum adieccione, quod ipsi fideiussores eundem Nicolaum sub pena centum sexagenarum consimilium grossorum representare deberent coram armigeris predictis in certo termino ad id prefixo eciam tunc expresso; et deinde dicti armigeri pretendentes, quod predicti fideiussores in huiusmodi termino eundem Nicolaum coram eis contra fidem datam huiusmodi non presentarant, pretextu pene predicte ab ipsis fideiussoribus quedam bona mobilia tunc eciam expressa, usque ad valorem centum marcharum grossorum predictorum ascendencia extimacione consimili, receperant et secum abduxerant et apud Judeos obligaverant, ita quod dictum Nicolaum oportuerat solvere prefatis Judeis pro fideiussoribus ipsis centum marchas huiusmodi pro redempcione huiusmodi bonorum, ab ipsis fideiussoribus, ut prefertur, ablatorum, que omnia bona hinc inde ablata ascendebant ad valorem quadringentarum marcharum grossorum predictorum: idem predecessor ad suggestionem dicti Nicolai asserentis, quod propter potenciam ipsorum Jacobi, Tilemanni et conventus necnon armigerorum non sperabat se posse super hiis in partibus illis consequi iusticie complementum, nec Jacobum, conventum et armigeros predictos ad partes tute facere citari, quondam Petro de Coppa capellano sedis apostolice et auditori causarum palacii apostolici commisit, ut causas tam civiles quam criminales, quas dictus Nicolaus contra eosdem Jacobum, Tilemannum, conventum et armigeros super premissis et eorum occasione communiter vel divisim movere intendebat, audiret et fine debito terminaret, non obstante, quod cause ipse de sui natura ad Romanam curiam legitime devolute ... non essent, quodque de premissis se summarie informaret, et si per huiusmodi informacionem reperiret dictos Jacobum, Tilemannum, conventum et armigeros fore de premissis publice diffamatos et quod in partibus ipsis, ut premittitur, tute citari non possent, duos principaliores, ut personaliter, et alios ex eisdem Jacobo, Tilemanno, conventu et armigeris, ut legitime coram eo vel alio auditore, sibi in causa huiusmodi forsitan surrogando, in dicto palacio comparerent et omnes per edictum publicum, portis palacii apostolici et in vicinis partibus affigendum, citaret, quociens opus esset; ac voluit idem predecessor, quod huiusmodi citacio perinde artaret Jacobum, Tilemannum, conventum et armigeros antedictos, ac si personaliter apprehensi eisque dicta citacio legitime intimata fuissent; et successive predicto predecessore .... vita functo, nos .... causam huiusmodi .... Antonio electo Sibinicensi, tunc capellano nostro et auditori causarum dicti palacii, ex certis causis .... commisimus .... Cum autem, sicut eadem peticio subiungebat, licet postea huiusmodi causa[c] per amicabilem composicionem inter partes easdem terminata fuisset, tamen subsequenter idem electus, tunc auditor, ad instanciam eiusdem Nicolai, coram eo in iudicio comparentis, per eum super hiis informacione recepta, quia per informacionem huiusmodi, ut dicebat, repperit eosdem Jacobum, Tilemannum, conventum et armigeros fore de premissis publice diffamatos ac in partibus illis tute citari non posse, Thomam et Otticonem, ut personaliter, ac Mixiconem, Johannem, Jacobum ac Tilemannum et conventum predictos, ut legitime, et omnes per edictum publicum predictis

portis et in vicinis partibus affixum citari fecerit, [ut] coram eo in certo termino similiter tunc expresso cum omnibus actis, iuribus et munimentis suis causam huiusmodi contingentibus comparerent, processuri in causa ipsa ad singulos actus necessarios usque ad diffinitivam sentenciam inclusive, prout existeret racionis, in grave dampnum Jacobi, Tilemanni, conventus et armigerorum predictorum. [Quare dicti][d] Jacobus, Tilemannus, conventus et armigeri nobis humiliter supplicarunt, ut causas huiusmodi ad nos advocare et eas alicui probo viro in partibus illis, qui eundem Nicolaum ad observandum composicionem eandem compelleret, committere et alias eisdem Jacobo, Tilemanno, conventui et armigeris super premissis providere de oportuno remedio de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur consideracione .... Wenzeslai Romanorum et Boemie regis illustris, super hoc eciam nobis humiliter supplicantis, ... easdem causas ad nos auctoritate apostolica advocantes, discrecioni tue .... mandamus, quatenus composicionem eandem, sicut est iusta et ab utraque parte sponte suscepta, facias auctoritate nostra per censuram ecclesiasticam firmiter observari; et nichilominus, si eandem composicionem forsan inter easdem partes intervenisse aut interventam ab utraque parte sponte susceptam, ut prefertur, ac emologatam esse forsan non inveneris, tum vocatis eodem Nicolao et aliis, qui fuerint evocandi, et auditis hinc inde propositis, quod iustum fuerit summarie, simpliciter et de plano ac sine strepitu et figura [iudicii] appellacione remota decernas, faciens quod decreveris per censuram ecclesiasticam firmiter observari .... Datum Rome ap. S. Petrum octavo idus Augusti a. secundo.

R. Lat. 14 fol. 33b — [a]‚quendam' cod. [b]‚simplicibus' cod. [c]‚cause' cod. [d] cod. ‚observarunt' (sic) — Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: JAC. XXVI DE TERAMO.

---

555. Judicibus mandatur, quatenus Johanni de Budissin parrochialem ecclesiam in Protzan conferant.

Romae, 1391 Augusti 12.

Bonifacius.... patriarche Gradensi et.... abbati monasterii s. Marie extra muros Wratislauienses ac decano ecclesie s. Petri Budissinensis Misnensis diocesis.... Vite ac morum honestas aliaque.... merita, super quibus.... Johannes Stelczer de Budissin canonicus ecclesie Budissinensis Misnensis diocesis.... commendatur...., nos inducunt, ut sibi reddamur.... liberales. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dicti Johannis peticio continebat, quod olim parrochiali ecclesia in Proczano Wratislauiensis diocesis, quam quondam Franciscus de Nouo Foro.... obtinebat, per ipsius Francisci obitum, qui extra Romanam curiam diem clausit extremum, vacante, idem Johannes vigore quarundam litterarum nostrarum, per quas beneficium ecclesiasticum cum cura vel sine cura ad collacionem.... episcopi Wratislauiensis pertinens expectabat, eandem parrochialem ecclesiam, sic vacantem et ad collacionem dicti episcopi pertinentem, infra tempus legitimum acceptavit et de illa sibi obtinuit provideri, ipsamque vigore acceptacionis et provisionis huiusmodi fuit pacifice assecutus. Cum autem, sicut eadem peticio

subiungebat, idem Johannes dubitet, acceptacionem et provisionem huiusmodi ex certis causis viribus non subsistere . . . . , discrecioni vestre . . . . mandamus, quatenus . . . . predictam parrochialem ecclesiam, cuius fructus . . . . viginti quinque marcharum argenti puri . . . . valorem annuum . . . . non excedunt, sive ut prefertur, sive alias quovis modo . . . . vacet, eciam si . . . . ipsa parrochialis ecclesia ex eo disposicioni apostolice generaliter reservata fuerit, quod nos vel aliquis predecessorum nostrorum Romanorum pontificum dicto Francisco vel persone huiusmodi, eandem parrochialem ecclesiam tunc obtinenti, de aliquo beneficio ecclesiastico cum cura vel sine cura, vacante vel vacaturo, mandaverimus seu mandaverit provideri, ac voluerimus seu voluerit, quod ipse Franciscus vel persona huiusmodi per assecucionem huiusmodi beneficii dictam parrochialem ecclesiam dimittere teneretur, ipsaque ecclesia ante assecucionem eandem alias quam per assecucionem ipsam vacaverit, ... eidem Johanni auctoritate nostra conferre et assignare curetis . . . . : non obstantibus . . . ., quod idem Johannes in dicta Budissinensi, in qua maiores et minores prebende existunt, canonicatum et maiorem prebendam et in Wratislauiensi ecclesiis succustodiam, que simplex officium sine cura existit, quorumque omnium fructus . . . . viginti quatuor marcharum argenti . . . . valorem annuum . . . . non excedunt, noscitur obtinere. Volumus autem, quod, quamprimum dictus Johannes . . . . prefatam parrochialem ecclesiam fuerit pacifice assecutus, predicte littere, per quas eam acceptavit et de illa sibi provideri fecit, ... et quecunque inde secuta sint cassa et irrita . . . . Datum Rome ap. S. Petrum secundo idus Augusti a. secundo.

R. Lat. 12 fol. 270b — In fine: N. XVIIII DE BENEVENTO.

---

556. *Cum Cunato Petermanni de Týn clerico Pragensis dioc., de nobili genere procreato, ad supplicationem Venceslai Romanorum et Bohemiae regis dispensatur, ut non obstante defectu aetatis, quem patitur, cum in vicesimo primo aetatis suae anno constitutus existat, beneficium ecclesiasticum cum cura recipere et retinere possit.* „*Illos libenter*“ „*Rome ap. S. Petrum secundo idus Augusti a. secundo*“.

Romae, 1391 Augusti 12.

R. Lat. 14 fol. 150a — In marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: N. XII DE BENEVENTO.

---

557. *Monasterio in Kamenz cisterciensis ord. Vratislaviensis dioc. ad supplicationem Venceslai Romanorum et Bohemiae regis parrochialis ecclesia in Baitzen dictae dioc., iam olim a Preczlao episcopo Vratislaviensi auctoritate ordinaria ei unita,*[1]) *de novo auctoritate apostolica incorporatur.* „*Sacre vestre religionis*“ „*Rome ap. S. Petrum secundo idus Augusti pont. n. a. secundo.*“

Romae, 1391 Augusti 12.

R. Lat. 14 fol 51b — Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: JAC. XXIIII DE TERAMO — Ed. ex originali apud Pfotenhauer, Urkunden des Klosters Kamenz (Cod. diplom. Silesiae X) p. 229 nr. 279. — [1]) Litteras super huiusmodi incorporatione 1359 Aug. 30 a Preczlao episcopo et capitulo Vratislaviensi editas vide ap. Pfotenhauer l. c. p. 191 sq. sub nris. 244 et 245.

---

558. *Venceslaus episcopus Vratislaviensis quitatur de solutione partis suorum servitiorum camerae sacri collegii.*

Romae, 1391 Augusti 13.

Henricus [.... s. Anastasie presbyter cardinalis, sacri collegii .... cardinalium camerarius,.... notum facimus,] quod reverendus in Chr. pater dom. Wenceslaus dei gracia episcopus Wratislauiensis pro parte partis sui communis servicii .... sexaginta quinque florenos auri de camera, solidos decem, denarios sex monete Romane, et pro parte partis unius minuti servicii.... [a]) nobis per manus venerabilis viri Johannis de Medicis mercatoris solvi fecit....; terminum [faciende solucionis residui....] usque ad festum resurreccionis domini nostri Jesu Christi proxime futurum prorogamus.... Datum Rome [ap. S. Petrum] die XIII. mensis Augusti pont. .... a. secundo.

Oblig. et sol. 59 fol. 20a — [a]) Summa pro minuto servitio persoluta in reg. omnissa est — In fine: FL. II GR. II.

---

559. *Episcopus Lubucensis et abbas monasterii b. Mariae virginis in Arena extra muros Vratislavienses ac decanus ecclesiae Pragensis conservatores Martini de Jevíčko*[b]*) canonici Vratislaviensis usque ad quinquennium instituuntur. „Militantis ecclesie“ „Rome ap. S. Petrum decimo nono kal. Septembris a. secundo.“*

Romae, 1391 Augusti 14.

R. Lat. 13 fol. 300b — [a]) ‚Gewiczka‘ — In fine: N. XXX DE BENEVENTO.

---

560. *Jacobo abbati Plasensi ad tempus unius anni facultas conceditur monachos monasteriorum, quorum pater abbas existit, ab excommunicationum, suspensionum et interdicti sententiis absolvendi.*

Romae, 1391 Augusti 22.

Bonifacius .... Jacobo abbati monasterii in Plas cisterciensis ord. Pragensis diocesis .... Sincere devocionis affectus, quem ad nos et Romanam geris ecclesiam, promeretur, ut votis tuis illis presertim, que animarum salutem et tui ac aliorum monasteriorum tibi subiectorum utilitatem concernunt, quantum cum deo possumus, favorabiliter annuamus. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte tua peticio continebat, quod olim nonnulli tui in Plas et in Wilegrado prope Olomucz et in Gredismonachorum ac in S.Corone cisterciensis ord. Pragensis

diocesis, quorum pater abbas existis, monasteriorum monachi, quorum aliqui in sacris, quidam vero in minoribus ordinibus constituti et dictum ordinem professi existunt, ipsorum monasteria eciam animo apostatandi absque suorum superiorum licencia exeundo, et habitum suum temere demittendo ac eisdem ipsorum superioribus obedienciam denegando ac alias statuta et constituciones dictorum monasteriorum et generalis capituli dicti ordinis transgrediendo, diversas excommunicacionum, suspensionum et interdicti sentencias, in tales per statuta et constituciones huiusmodi et alias a iure generaliter promulgatas, incurrerunt. Quare pro parte tua nobis fuit humiliter supplicatum, ut tibi eosdem monachos hac vice absolvendi ab huiusmodi excommunicacionum, suspensionum et interdicti sentenciis et cum eis super irregularitatis macula, si quam sic ligati celebrando divina vel immiscendo se illis forsitan contraxissent, dispensandi facultatem concedere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur .... discrecioni tue, si est ita, absolvendi auctoritate nostra hac vice dumtaxat in forma ecclesie consueta illos ex monachis predictis, qui actu ad monasteria sua sunt reversi et suum regularem habitum dicti ordinis resumpserunt et in eisdem ipsorum monasteriis aliquamdiu laudabiliter fuerint conversati et qui hoc humiliter pecierint, de consilio tamen et assensu suorum abbatum ab huiusmodi sentenciis, quas propter premissa incurrerunt, ac dispensandi cum eis super huiusmodi irregularitate, si quam sic ligati tanquam simplices et iuris ignari celebrando divina vel immiscendo se illis, non tamen in contemptum clavium, contraxerunt, eis prius a suorum ordinum execucione suspensis ad tempus, de quo tibi videbitur, ac restituendi ipsos monachos plenarie ad statum, locum et honores pristinos, ac abolendi omnem inhabilitatis et infamie maculam, quam propter premissa incurrissent, dummodo monachis ipsis alias ad hec merita suffragentur aliudque canonicum non obsistat, ... concedimus .... facultatem; presentibus post unum annum a die, qua tibi presentate fuerint, computandum minime valituris; proviso, quod huiusmodi litterarum auctoritas ad futuros casus nullatenus se extendat. Datum Rome ap. S. Petrum undecimo kal. Septembris pont. n. a secundo.

R. Lat. 14 fol. 36ª — Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: JAC. XXX DE TERAMO.

---

561. *Henrico de Ruce conceditur, ut quicunque ordinarius beneficia, quae ipse cum quibuscunque personis permutare voluerit, ei et dictis personis conferre possit.*

Romae, 1391 Augusti 22.

Bonifacius .... magistro Hinrico Ruwe alias de Bentorpe canonico ecclesie s. Petri Wissegradensis Pragensis, scriptori nostro .... Grata tue devocionis .... Hinc est, quod nos tuis, qui eciam, ut asseris, ... Francisci episcopi Penestrini, s. Romane ecclesie vicecancellarii, familiaris continuus commensalis existis, in hac parte supplicacionibus inclinati, si forsan te beneficia ecclesiastica, que nunc obtines et in futurum obtinebis, simpliciter vel ex causa permutacionis .... in manibus cuiuscunque vel quorumcunque ordinarii seu ordinariorum simul vel successive ac tociens, quociens tibi placuerit, pro .... similibus vel dissimi-

libus .... beneficiis .... ecclesiasticis resignare .... contingat, ordinario seu ordinariis huiusmodi .... illa ...., que .... persone, cum .... quibus permutacionem facere volueris, ex causa predicta resignaverint, eciam si beneficia ipsa resignata disposicioni sedis predicte specialiter reservata, et una vel plures ex personis huiusmodi collectores vel sucollectores .... camere apostolice .... seu scriptores litterarum apostolicarum sive capellani aut alias eiusdem sedis officiales fuerint, tibi, et personis eisdem predicta beneficia, que .... resignaveritis, eciam si tam ea, que tu, quam illa beneficia, que dicte persone resignaveritis ex dicta causa, vel eorum aliqua canonicatus et prebende seu dignitates, personatus vel officia, et dignitates ipse curate vel elective [aut] in collegiatis ecclesiis principales existant, apostolica auctoritate conferendi et alia necessaria circa premissa faciendi .... licenciam elargimur. Volumus autem, quod ordinarius seu ordinarii huiusmodi de nominibus et cognominibus personarum ac beneficiorum et diebus collacionum huiusmodi cameram apostolicam et collectorem .... in illis partibus pro tempore existentem quantocius certificare procuret seu procurent. Nulli ergo .... Datum Rome ap. S. Petrum undecimo kal. Septembris a. secundo.

R. Lat. 14 fol. 195[a] — In fine: PRO SOCIO, JAC. DE TERAMO.

---

562. *Episcopo Perusino et abbati monasterii s. Mariae in Arena extra muros Vratislavienses ac officiali Vratislaviensi mandatur, quatenus Nicolao de Friedek*[a]) *clerico Vratislaviensis dioc. parrochialem ecclesiam in Kreuzdorf*[b]) *dictae dioc., cuius fructus 6 marcarum argenti valorem annuum non excedunt, vacantem per obitum ultimi rectoris Mathiae extra Romanam curiam defuncti, auctoritate apostolica conferant; non obstante, quod nuper eidem Nicolao de beneficio ecclesiastico cum vel sine cura, vacante vel vacaturo, ad collationem episcopi Vratislaviensis ac praepositi, decani, cantoris, scholastici, thesaurarii, archidiaconorum et capituli ecclesiae Vratislaviensis pertinente, per alias litteras a papa concessum est provideri, quae litterae, quoad curatum beneficium dumtaxat, cassae esse debent, quamprimum idem Nicolaus dictam parrochialem ecclesiam fuerit assecutus.* „*Vite ac morum*“ „*Rome ap. S. Petrum nono kal. Septembris pont. n. a. secundo*“.

Romae, 1391 Augusti 24.

R. Lat. 20 fol. 188[b] — [a]) ‚Fredek‘ [b]) ‚Creysdorff‘ — In fine: PRO DEO, N. DE BENEVENTO.

---

563. *Marinus s. Mariae Novae cardinalis, camerarius apostolicus, universis praelatis et officialibus inhibet, ne in fratrem Jacobum de Benešov*[a]) *ord. fratrum minorum professorem ullam iurisdictionem exerceant, cum ipse capellanus sedis apostolicae existat.*[1]) „*Rome ap. S. Petrum a. dom. MCCCLXXXXI, indiccione XIV, die quarta mensis Septembris, pont.... a. secundo.*“

Romae, 1391 Septembris 4.

Armar. XXXI tom. 36 fol. 67[a] — [a]) ‚Benessayo‘ — [1]) Cf. nr. 551.

564. *Venceslao de Ostojkovicz reservatur parrochialis ecclesie in Rousinov.*

Romae, 1391 Septembris 8.

Bonifacius .... Wenceslao Nicolai de Ostoycouicz clerico Olomucensis diocesis .... Vite ac morum .... Dudum siquidem .... Johanni Schephani de Manessowicz rectori parrochialis ecclesie in Luborzicza Cracouiensis diocesis de ecclesia predicta, tunc vacante et antea disposicioni apostolice reservata, per litteras nostras duximus providendum .... Cum itaque propterea ecclesia p rrochialis in Rausans Olomucensis diocesis, quam idem Johannes tunc temporis obtinebat, prout adhuc obtinet, quamprimum .... ipse Johannes eandem ecclesiam in Luborzicza fuerit pacifice assecutus, vacare speretur, nos .... predictam ecclesiam in Rausans, cuius fructus .... decem marcharum argenti puri .... valorem annuum .... non excedunt, ... conferendam tibi .... donacioni apostolice reservamus ....; non obstantibus ...., quod, ut asseris, dudum [tibi] de parrochiali ecclesia s. Wenceslai in Litomerzicz Pragensis diocesis, tunc certo modo vacante,[1]) necnon de beneficio ecclesiastico cum cura vel sine cura ad collacionem .... episcopi [Olomucensis] et .... prepositi, decani et capituli singulorumque canonicorum ecclesie Olomucensis .... pertinente, vacante vel vacaturo, graciose concessimus provideri. Volumus autem, quod, quamprimum .... eiusdem ecclesie in Rausans possessionem fueris pacificam assecutus, illa de ecclesia s. Wenceslai et eciam illa concessionum gracie de beneficio predictis tibi, ut premittitur, facte [et] quecunque inde secuta, quoad beneficium curatum dumtaxat, sint cassa et irrita .... Datum Rome ap. S. Petrum sexto idus Septembris a. secundo.

Simili modo .... patriarche Gradensi et .... abbati monasterii Lucensis Olomucensis diocesis ac officiali Olomucensi .....

R. Lat. 20 fol. 246[a] — In fine: PRO DEO, N. DE BENEVENTO — [1]) Cf. nr. 381.

---

565. *Johannes monachus monasterii in Kamenz eidem monasterio in abbatem praeficitur.*

Romae, 1391 Septembris 14.

Bonifacius .... Johanni abbati monasterii in Chamentz cisterciensis ord. Wratislauiensis diocesis .... Suscepti cura regiminis cor nostrum continua pulsat instancia, ut sollicitudinis debitum, ad quod universis orbis ecclesiis et monasteriis nos apostolice servitutis necessitas obligat, eorum singulis, prout nobis ex alto conceditur, exsolvamus in eo potissime, ut illorum regimina, que propriis sunt destituta pastoribus, personis talibus committantur, per quarum solerciam circumspectam ecclesie et monasteria ipsa in spiritualibus et temporalibus valeant adaugeri. Dudum siquidem quondam Petro abbate monasterii in Chamentz cisterciensis ord. Wratislauiensis diocesis regimini eiusdem monasterii presidente, fel. rec. Urbanus papa sextus, ... provisionem eiusdem monasterii ordinacioni et disposicioni sue et dicte sedis duxit ea vice specialiter reservandam, ac decrevit extunc irritum ...., si secus .... contingeret at-

temptari. Postmodum vero prefato monasterio per ipsius Petri abbatis obitum, qui dicto predecessore vivente extra Romanam curiam decessit, vacante, dilecti filii conventus dicti monasterii, reservacionis et decreti predictorum forsan ignari, te, monachum eiusdem monasterii ordinem ipsum expresse professum et in presbyteratus ordine constitutum, in eorum et dicti monasterii abbatem concorditer elegerunt licet de facto, tuque, reservacionis et decreti predictorum similiter inscius, eleccioni huiusmodi, illius tibi presentato decreto, eciam de facto consenciens, eam a .... Johanne abbate Lubensis ordinis et diocesis predictorum, patre abbate dicti in Chamentz monasteriorum, cum ad abbatem eiusdem Lubensis, qui est pro tempore, tam ex institutis dicti ordinis per sedem predictam ex certa sciencia approbatis, quam eciam de antiqua .... consuetudine confirmacio eleccionis [abbatis] eiusdem in Chamentz monasteriorum pertineat, reservacionem et decretum huiusmodi eciam ignorante, confirmari obtinuisti eciam de facto, teque administracioni bonorum dicti monasterii inmis[cuis]ti. Et demum dicto predecessore, per eum dicto monasterio in Chamentz non proviso ...., sublato de medio, nobisque .... ad apicem summi apostolatus assumptis, ac reservacione et decreto predictis ad tuam deductis noticiam, huiusmodi eleccionis et confirmacionis negocium proponi fecisti in consistorio coram nobis. Nos igitur huiusmodi eleccionem et confirmacionem et quecunque inde secuta .... irrita, prout erant, et inania reputantes ...., post deliberacionem, quam .... cum fratribus nostris habuimus diligentem, demum ad te .... direximus oculos nostre mentis, quibus omnibus necnon dictorum conventus te eligencium concordi voluntate attenta meditacione pensatis, de persona tua .... eidem monasterio in Chamentz auctoritate apostolica providemus teque illi preficimus in abbatem .... Datum Rome ap. S. Petrum tercio idus Septembris a. secundo.

Simili modo .... conventui monasterii in Chamentz cisterciensis ord. Wratislauiensis diocesis ....

Simili modo .... Johanni abbati monasterii Lubensis cisterciensis ord. Wratislauiensis diocesis ....

R. Lat. 13 fol. 114[a] — Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: JAC XVIII. IX. IX DE TERAMO.

---

566. *Clementi de Birkkretscham[a]) clerico Vratislaviensis dioc. reservatur beneficium ecclesiasticum cum vel sine cura, consuetum clericis saccularibus assignari, cuius fructus 25 resp. 18 marcarum argenti valorem annuum non excedant, ad collationem commendatoris et fratrum hospitalis s. Johannis Jerosolimitani in Olsna Vratislaviensis dioc. pertinens, si quod vacat, vel cum vacaverit. „Laudabilia probitatis“ „Rome ap. S. Petrum decimo octavo kal. Octobris a. secundo.“ — Simili modo episcopo Tudensi et cancellario ecclesiae Vratislaviensis ac officiali Vratislaviensi.*

Romae, 1391 Septembris 14.

R. Lat. 10 fol. 78[b] — [a]) ‚Birkenkreczin‘ — In fine: PRO DEO, N. DE BENEVENTO.

567. Johanni Schinhubener [de Parva Stinavia] clerico Vratislaviensis dioc. reservatur beneficium ecclesiasticum cum vel sine cura, cuius fructus 25 resp. 18 marcarum argenti valorem annuum non excedant, ad collationem praepositi, decani, archidiaconi, scholastici, cantoris, custodis et capituli ecclesiae s. Crucis extra muros Vratislavienses pertinens, si quod vacat, vel cum vacaverit. „Vite ac morum" „Rome ap. S. Petrum decimo septimo kal. Octobris a. secundo". — Simili modo episcopo Tudensi et abbati monasterii s. Mariae in Arena Vratislaviensis ac decano ecclesiae Vratislaviensis.

Romae, 1391 Septembris 15.

R. Lat. 10 fol. 113[a] — In fine: PRO DEO, N. DE BENEVENTO.

---

568. Iudicibus mandatur, quatenus Johanni de Borsnicz praeposituram Vratislaviensis necnon canonicatum et praebendam s. Aegidii prope Vratislaviam ecclesiarum conferant.

Romae, 1391 Septembris 16.

Bonifacius . . . episcopo Monopolitano et . . . Wratislauiensis ac s. Crucis prope Wratislauiam ecclesiarum decanis . . . . Nobilitas generis, litterarum sciencia, vite ac morum honestas . . . ., super quibus . . . . Johannes de Borsnicz canonicus Wratislauiensis, decretorum doctor, ... commendatur . . . ., nos inducunt, ut sibi reddamur . . . . liberales. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte ipsius Johannis peticio continebat, quod olim prepositura Wratislauiensis necnon canonicatu et prebenda s. Egidii prope Wratislauiam ecclesiarum, quos quondam Johannes Schiruffki . . . . obtinebat, per ipsius Johannis Schiruffki obitum, qui extra Romanam curiam diem clausit extremum, vacantibus, idem Johannes de Borsnicz vigore quarundam litterarum nostrarum, per quas dignitatem, personatum vel officium, eciam si dignitas ipsa in eadem ecclesia maior post pontificalem existeret, in eadem ecclesia expectabat, necnon cuiusdam concessionis gracie per nos eidem Johanni facte, litteris super ea non confectis, de beneficio ecclesiastico sine cura ad collacionem . . . . episcopi Wratislauiensis pertinente, praeposituram et canonicatum ac prebendam predictos, qui quidem canonicatus et prebenda ad collacionem predicti episcopi pertinebant, sic vacantes, infra tempus debitum acceptavit et de illis sibi obtinuit provideri. Cum autem, sicut eadem peticio subiungebat, idem Johannes de Borsnicz ex certis causis dubitet acceptacionem et provisionem huiusmodi viribus non subsistere, ... nos volentes prefato Johanni de Borsnicz, qui, ut asserit, ex utroque parente de militari genere procreatus existit, ... graciam facere specialem, discrecioni vestre . . . . mandamus, quatenus . . . . prepositurum, que in dicta ecclesia Wratislauiensi dignitas maior post pontificalem et curata est, et ad quam quis per eleccionem non assumitur, et canonicatum et prebendam predictos, quorum omnium fructus . . . . septuaginta marcharum argenti puri . . . . valorem annuum . . . . non excedunt, ... eidem Johanni de Borsnicz auctoritate nostra conferre et assignare curetis . . . .; non obstantibus . . . . , quod, ut dictus Johannes de Borsnicz asserit, ipse in Gneznensi [1])

et in Wratislauiensi ac in Olomucensi necnon in b. Marie Glogoniensi [2]) Wratislauiensis diocesis ecclesiis canonicatus et prebendas obtinet et super prepositura ecclesie Pragensis, in qua se ius habere credit, quorum omnium fructus .... quingentarum marcharum argenti puri .... valorem annuum non excedunt, contra quendam causam per nos in palacio apostolico committi obtinuit, quodque nos dudum sibi de dicte Pragensis ac Wladislauiensis necnon Poznaniensis [3]) ecclesiarum canonicatibus sub expectacionibus prebendarum per diversas nostras litteras duximus providendum. Volumus autem, quod, quamprimum dictus Johannes de Borsnicz .... prefatos prepositurum Wratislauiensis et canonicatum ac prebendam s. Egidii ecclesiarum predictarum fuerit pacifice assecutus, predicte [littere], per quas prepositurum ac canonicatum et prebendam predictos acceptavit et de eisdem fecit sibi provideri, et .... quecunque inde secuta sint cassa et irrita ...., quodque dictam prepositurum ecclesie Pragensis ac omne ius sibi in eadem seu ad eam quomodolibet competens .... omnino dimittere teneatur .... Datum Rome ap. S. Petrum sexto decimo kal. Octobris pont. n. a. secundo.

R. Lat. 12 fol. 283 — In fine: N. XXIII DE BENEVENTO — [1]) Cf. nr. 197 [2]) nr. 382 [3]) nr. 240.

---

569. *Iudicibus mandatur, quatenus Venceslao de Radeč canonicatum et praebendam de Hořan in maiori ecclesia Pragensi vacantes conferant.*

Romae, 1391 Septembris 18.

Bonifacius .... abbati monasterii s. Ambrosii Pragensis et preposito ecclesie Misnensis ac officiali Pragensi .... Litterarum sciencia, vite ac morum honestas ...., super quibus .... Wenceslaus de Radecz decanus ecclesie s. Apolinaris Pragensis, baccalarius in decretis, ... commendatur ...., nos inducunt, ut sibi reddamur .... liberales. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dicti Wenceslai peticio continebat, quod olim canonicatu ecclesie maioris Pragensis et prebenda de Horzan in dicta maiori ecclesia, quos quondam Sezema iunior de Vsk .... obtinebat, per ipsius Sezeme obitum, qui extra Romanam curiam diem clausit extremum, vacantibus, prefatus Wenceslaus vigore quarundam litterarum fel. rec. Urbani pape VI. predecessoris nostri, per quas idem predecessor ipsi Wenceslao de canonicatu sub expectacione prebende predicte maioris ecclesie graciose mandavit provideri,[1]) eosdem canonicatum et prebendam sic vacantes dicto predecessore vivente infra tempus legitimum acceptavit et de illis sibi provideri fecit, ipseque vigore gracie, acceptacionis et provisionis huiusmodi eorundem canonicatus et prebende possessionem assecutus, illos extunc per decem annos et ultra tenuit et possedit, prout tenet et possidet pacifice et quiete. Cum autem, sicut eadem peticio subiungebat, dictus Wenceslaus dubitet acceptacionem et provisionem predictas viribus non subsistere, ... nos volentes eidem Wenceslao, qui presbyter est, ... consideracione carissime in Chr. filie nostre Elizabeth Romanorum imperatricis semper auguste, pro ipso Wenceslao, devoto suo, nobis super hoc humiliter supplicantis, graciam facere specialem, discrecioni vestre .... mandamus, quatenus .... dictos canonicatum et prebendam, quorum fructus

. . . . triginta octo marcharum argenti puri . . . valorem annuum . . . . non excedunt . . . ., eidem Wenceslao auctoritate nostra conferre et assignare curetis . . . .; non obstantibus . . . ., quod idem Wenceslaus, ut asseritur, decanatum ecclesie s. Apolinaris predicte, cuius quadraginta, et quandam capellam s. Anne prope ecclesiam Olomucensem, que sine cura est, et cuius tredecim marcharum argenti puri fructus . . . . valorem annuum . . . . non excedunt, noscitur obtinere. Volumus autem, quod, quamprimum . . . . ipse Wenceslaus dictos canonicatum et prebendam fuerit pacifice assecutus, prefate littere, per quas eosdem canonicatum et prebendam acceptavit et de illis sibi obtinuit provideri, ut prefertur, et . . . . quecunque inde secuta sint cassa et irrita . . . . Datum Rome ap. S. Petrum quarto decimo kal. Octobris a. secundo.

R. Lat. 10 fol. 76[a] — In fine: N. XX DE BENEVENTO — [1]) Cf. nr. 13.

---

570. *Nicolao Johannis de Zlubings*[b]) *clerico Olomucensis dioc. reservatur beneficium ecclesiasticum cum vel sine cura, cuius fructus 25 resp. 18 marcarum argenti valorem annuum non excedant, ad collationem episcopi Olomucensis et praepositi, decani, archidiaconi, scholastici, custodis et capituli ecclesiae Olomucensis pertinens, si quod vacat, vel cum vacaverit, non obstante, quod nuper ei de beneficio ecclesiastico cum cura vel sine cura, vacante vel vacaturo, ad collationem abbatis et conventus monasterii s. Lamberti ord. s. Benedicti Salzburgensis dioc. pertinente, a papa concessum est provideri,*[1]) *quae quidem concessionis gratia, quoad curatum beneficium dumtaxat, cassatur. „Vite ac morum“ „Rome ap. S. Petrum decimo quarto kal. Octobris a. secundo“. — Simili modo Perusino ac Nazarotensi episcopis et abbati monasterii Gradicensis extra muros Olomucenses.*

Romae, 1391 Septembris 18.

R. Lat. 16 fol. 266[b] — [a]) ‚Czlewings‘ — In marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: PRO DEO, N. DE BENEVENTO — [1]) Cf. nr. 548

---

571. *Nicolao Palliatoris presbytero Vratislaviensi reservatur beneficium ecclesiasticum cum vel sine cura, cuius fructus 25 resp. 18 marcarum argenti valorem annuum non excedant, ad collationem episcopi Vratislaviensis et praepositi, decani, archidiaconi, scholastici, cantoris, custodis et capituli singulorumque canonicorum et personarum ecclesiae Vratislaviensis etiam ratione dignitatum, personatuum vel officiorum, que in dicta ecclesia obtinent, pertinens, dummodo canonicatus et praebenda ecclesiae cathedralis non existat, si quod vacat, vel cum vacaverit. „Vite ac morum“ „Rome ap. S. Petrum duodecimo kal. Octobris pont. n. a. secundo.“ — Simili modo episcopo Theanensi et praeposito et decano ecclesiae Vratislaviensis.*

Romae, 1391 Septembris 20.

R. Lat. 18 fol. 78[a] — In fine: PRO DEO, N. DE BENEVENTO.

---

572. Ludovico s. Adriani diacono cardinali providetur motu proprio de custodia ecclesiae Gneznensis, vacante per resignationem quondam Jarandi de Pommern[a]*) fructuum et proventuum camerae apostolicae in civitate et diocesi Gneznensibus succollectoris. „Dum exquisitam“ „Rome ap. S. Petrum duodecimo kal. Octobris a. secundo. — Simili modo episcopo Tudensi et abbati monasterii s. Mariae in Arena extra muros Vratislavienses ac decano ecclesiae Vladislaviensis.*

Romae, 1391 Septembris 20.

R. Lat. 13 fol. 244[a] — [a]) Poman' — In fine: PRO DOMINO CARDINALI, N. DE BENEVENTO.

573. Antonio electo Sebenicensi mandatur, quatenus, si ei constiterit neque Thomae de Telč [alias de Velebor] neque Alberto de Edmitz in parrochiali ecclesia in Hösting ius competere, eandem ecclesiam dicto Alberto conferat.

Romae, 1391 Septembris 21.

Bonifacius .... Antonio electo Sibinicensi in Romana curia commoranti .... Vite ac morum honestas aliaque .... merita, super quibus .... Albertus Nicolai de Etmicz presbyter Olomucensis diocesis .... commendatur ...., nos inducunt, ut sibi reddamur .... liberales. Dudum siquidem per nos accepto, quod parrochialis ecclesia in Hestinges predicte diocesis, quam quondam Joachim ultimus ipsius ecclesie rector .... obtinebat, per eiusdem Joachim obitum, qui extra Romanam curiam diem clausit extremum, vacabat tunc et tanto tempore vacavit, quod eius collacio iuxta Lateranensis statuta concilii erat ad sedem apostolicam legitime devoluta, nos videlicet VIII. kal. Novembris pont. n. anno primo [1]) certis iudicibus dedimus nostris litteris in mandatis, ut, si esset ita, predictam ecclesiam .... eidem Alberto auctoritate nostra conferre et assignare curarent, ... eandem ecclesiam disposicioni nostre ea vice specialiter reservando .... Postmodum vero, sicut exhibita nobis pro parte dicti Alberti peticio continebat, orta inter eum et .... Thomam de Telcz, qui se gerit pro presbytero predicte diocesis, super eo, quod Albertus se a nonnullis laicis, veris patronis ipsius ecclesie ...., Thomas vero predicti se a quibusdam aliis, quos ipse Thomas veros patronos ipsius ecclesie .... existere [credebat], ad ipsam ecclesiam sic vacantem .... Nicolao episcopo Olomucensi infra tempus legitimum[a]) presentatos fuisse canonice [asserebant], quolibet ipsorum presentacionem de se factam huiusmodi canonicam fore pronunciari seque in rectorem eiusdem ecclesie institui petente, coram .... officiali Olomucensi, non ex delegacione apostolica, materia questionis, predictus officialis in huiusmodi causa procedens, diffinitivam, per quam eundem Thomam in rectorem eiusdem ecclesie instituit et eidem Alberto super ea perpetuum silencium imposuit, sentenciam promulgavit; a qua quidem sentencia pro parte dicti Alberti fuit ad sedem apostolicam appellatum antedictam. Cum autem, sicut eadem peticio subiungebat, huiusmodi littere ex eo viribus non subsistant, quod in eis non fuit expressum, quod tempore date dicte dici,[b]) videlicet VIII. kal. Novembris, lis huiusmodi coram eodem officiali indecisa pendebat inter partes antedictas, et eciam a nonnullis asseratur neutri dictorum litigancium in

eadem ecclesia seu ad eam ius competere, nos .... volentes eidem Alberto, qui, ut asseritur, ... Johannis patriarche Aquilegensis capellanus existit, ... graciam facere specialem, discrecioni tue .... mandamus, quatenus huiusmodi appellacionis causam audias et fine debito decidas, ac partibus ipsis exhibeas iusticie complementum, non obstante, quod causa ipsa de sui natura ad dictam curiam legitime devoluta .... non existat; et nichilominus, si per eventum litis huiusmodi tibi constiterit neutri dictorum litigancium in predicta ecclesia seu ad eam ius competere, eandem ecclesiam, cuius fructus .... quatuordecim marcharum argenti puri .... valorem annuum .... non excedunt ...., eidem Alberto auctoritate nostra conferre et assignare procures .... Nos enim tibi citandi eundem Thomam extra dictam curiam et ad partes, quociens erit opus, ... concedimus facultatem .... Datum Rome ap S. Petrum undecimo kal. Octobris a. secundo.

R. Lat. 15 fol. 213 b — a) ‚legitime' cod. b) ‚dicta die' cod. — In fine: N. XVIII DE BENEVENTO — 1) 1390 Oct. 25.

---

574. *Episcopo Tudensi, praeposito s. Petri in Brunna Olomucensis dioc. ac archidiacono Olomucensis ecclesiarum mandatur, quatenus Johanni Nicolai de Schiltern*[a]*) presbytero Olomucensis dioc. conferant parrochialem ecclesiam in Gundrum*[b]*) dictae dioc., cuius fructus 6 marcarum argenti puri valorem annuum non excedunt, vacantem ex eo, quod olim Nicolaus eandem ecclesiam tunc obtinens parrochialem ecclesiam in Ludč*[c]*) eiusdem dioc. auctoritate ordinaria ei canonice collatam assecutus est. „Laudabilia probitatis" „Rome ap. S. Petrum decimo kal. Octobris a. secundo".*

Romae, 1391 Septembris 22.

R. Lat. 20 fol. 245 a — a) ‚Schiltem' b) ‚Gundranis' c) ‚Lilcz' — Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: N. XVIII DE BENEVENTO.

---

575. *Patriarchae Gradensi et decano ecclesiae Hildeshemensis* [a]*) ac officiali Pragensi mandatur, quatenus Johanni Wissels de Lesse clerico Hildesheimensis dioc., magistro in artibus,* [1]*) canonicatum et praebendam ecclesiae s. Crucis Hildesheimensis vacantes, quos ipse vigore gratiae apostolicae exspectativae acceptavit, conferant. „Litterarum sciencia" „Rome ap. S. Petrum octavo kal. Octobris a. secundo".*

Romae, 1391 Septembris 24.

R. Lat. 11 fol. 62 b — a) ‚Hildesemen.' — In fine: N. XX DE BENEVENTO — 1) ‚Johannes de Lesse' in universitate Pragensi a. 1383 ad baccalariatum, a. 1386 ad gradum magisterii admissus est et etiam posterioribus annis (usque 1393) ibidem saepius commemoratur. (Cf. Monum. univ. Prag. I./1. 213. 236 et al., necnon II. I. 140).

576. Archiepiscopus Pragensis, episcopus Vratislaviensis ac abbas monasterii in Clara Tumba Cracoviensis dioc. conservatores capituli ecclesiae Lubicensis usque ad quinquennium instituuntur. „Militanti ecclesie“ „Rome ap. S. Petrum kal. Octobris a. secundo“.

Romae, 1391 Octobris 1.

R. Lat. 13 fol. 306[a]) — In fine: N. XXX DE BENEVENTO.

---

577. Johanni Sebinhubener de Parva Stinavia[a]) clerico Vratislaviensis dioc reservatur beneficium ecclesiasticum cum vel sine cura, cuius fructus 25 resp. 18 marcarum argenti valorem annuum non excedant, ad collationem episcopi Vratislaviensis et praepositi, decani, archidiaconi, scholastici, cantoris, custodis et capituli singulorumque canonicorum et personarum ecclesiae Vratislaviensis pertinens, dummodo canonicatus et praebenda ecclesiae cathedralis non fuerit, si quod vacat, vel cum vacaverit; non obstante, quod nuper ei de simili beneficio ad collationem praepositi, decani, archidiaconi, scholastici, cantoris, custodis et capituli ecclesiae s. Crucis extra muros Vratislavienses pertinente, vacante vel vacaturo, per alias litteras a papa mandatum est provideri, quae quidem litterae, quoad curatum beneficium dumtaxat, exnunc cassantur. „Vite ac morum“ „Rome ap. S. Petrum quarto idus Octobris a. secundo“. — Simili modo episcopo Eugubino et abbati monasterii s. Mariae in Arena ac decano ecclesiae s. Crucis extra muros Vratislavienses.

Romae, 1391 Octobris 12.

R. Lat. 16 fol. 252[a] — [a]) ‚Parua Stinauia‘ — In marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: PRO DEO, N. DE BENEVENTO — [1]) Cf. nr. 567.

---

578. Jacobo Hodikonis de Sadská[a]) presbytero Pragensis dioc. reservatur beneficium ecclesiasticum cum vel sine cura, consuetum clericis saecularibus assignari, cuius fructus 25 resp. 18 marcarum argenti valorem annuum non excedant, ad collationem abbatis et conventus monasterii in Sedlecz cisterciensis ord. Pragensis dioc. pertinens, si quod vacat, vel cum vacaverit, non obstante, „quod nuper tibi de beneficio ecclesiastico cum cura vel sine cura, ad collacionem . . . abbatis et conventus predictorum . . . pertinente, per alias nostras litteras in ea forma, secundum quam pro pauperibus clericis beneficiandis tunc scripsimus, graciose mandavimus provideri, quas quidem litteras . . . extunc cassamus.“ „Vite ac morum“ „Rome ap. S. Petrum quarto idus Octobris pont. n. a secundo.“ — Simili modo episcopo Tudensi et decano ecclesiae Pragensis ac officiali Pragensi.

Romae, 1391 Octobris 12.

R. Lat. 16 fol. 243[a] — [a]) ‚Saczka‘ — In marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: PRO DEO, N. DE BENEVENTO.

---

579. *Officiali Vratislaviensi mandatur, quatenus Nicolao de Strelicz parrochialem ecclesiam in Thauer conferat.*

Romae, 1391 Octobris 19.

Bonifacius . . . officiali Wratislauiensi . . . . Dignum arbitramur . . . . Cum itaque, sicut accepimus, parrochialis ecclesia in Thorow Wratislauiensis diocesis, quam quondam Johannes Clobur . . . . obtinebat, per ipsius Johannis obitum, qui extra Romanam curiam diem clausit extremum, vacaverit et vacet ad presens, nos volentes . . . . Nicolaum de Strelicz perpetuum vicarium in ecclesia Wratislauiensi . . . favore prosequi gracioso, discrecioni tue . . . . mandamus, quatenus, si . . . . eundem Nicolaum . . . . ad obtinendum eandam parrochialem ecclesiam ydoneum esse reppereris . . . ., predictam ecclesiam parrochialem, cuius fructus . . . . quadraginta marcharum argenti puri . . . . valorem annuum . . . . non excedunt . . . ., apostolica eidem Nicolao auctoritate conferas et assignes . . . .; non obstantibus . . . ., quod idem Nicolaus, ut asserit, quedam perpetuam vicariam et altare sine cura in predicta ecclesia Wratislauiensi, cuius quidem altaris fructus . . . . quinque marcharum argenti puri . . . valorem annuum non excedunt, canonice obtinet, et dudum sibi de uno cum cura vel sine cura ad . . . . episcopi Wladislauiensis necnon . . . . prepositi, decani et capituli singulorumque canonicorum ecclesie Wladislauiensis [1]) . . . ., et de alio eciam cum cura vel sine cura ad . . . . abbatisse et conventus monasterii in Trebnicz ord. s. Benedicti predicte diocesis collacionem . . . . pertinentibus beneficiis ecclesiasticis, vacantibus vel vacaturis, graciose concessimus provideri. Volumus autem, quod idem Nicolaus, quamprimum . . . . dicte parrochialis ecclesie possessionem fuerit pacificam assecutus, predictam vicariam . . . . omnino dimittere teneatur, quodque illa de uno ad . . episcopi Wladislauiensis et prepositi, decani et capituli et canonicorum, quoad curatum beneficium dumtaxat, necnon illa de alio ad abbatisse et conventus predictorum collacionem . . . . pertinentibus beneficiis huiusmodi sibi, ut premittitur, facte concessionum gracie antedicte et quecunque inde secuta, prout eciam idem Nicolaus ad dimittendum vicariam se sponte obtulit, necnon, quod dicta concessionis gracia de huiusmodi beneficio, ad earundem abbatisse et conventus collacionem . . . . pertinente, sibi facta . . . . esset nulla, voluit, sint cassa et irrita . . . . Datum Rome ap. S. Petrum decimo quarto kal. Novembris a. secundo.

R. Lat. 16 fol 131ª — In fine: N. XXIII DE BENEVENTO — [1]) Cf. nr. 253.

---

580. *Judicibus mandatur motu proprio, quatenus Bartholomaeo de Barbato parrochialem ecclesiam in Thauer conferant.*

Romae, 1391 Octobris 22.

Bonifacius . . . . archiepiscopo Barensi et . . . . scolastico ac cantori ecclesie Wratislauiensis . . . . Grata familiaritatis et devotionis obsequia, que . . . . magister Bartholomeus de Barbato archidiaconus Beneventanus, scriptor et familiaris noster, nobis et apostolice sedi impendit . . . ., nos inducunt, ut sibi red-

damur . . . . liberales. Cum itaque . . . . parrochialis ecclesia in Thurow Wratislauiensis diocesis, quam quondam Johannes Clolinck[1]) . . . . obtinebat, per ipsius Johannis obitum, qui extra Romanam curiam diem clausit extremum, vacaverit et vacet ad presens, nos volentes eidem Bartholomeo, qui eciam acolitus et cubicularius noster ac litterarum apostolicarum abbreviator existit, ... graciam facere specialem, motu proprio . . . . discrecioni vestre . . . . mandamus, quatenus . . . . ecclesiam predictam, cuius fructus . . . quinquaginta marcharum argenti puri . . . . valorem [annuum] . . . . non excedunt, sive premisso sive alio quovis modo vel ex alterius cuiuscunque persona vacet, eciam si ecclesia ipsa disposicioni apostolice specialiter reservata existat . . . ., dictaque sedes de eadem ecclesia alicui minus utiliter providerit aut mandaverit vel concesserit provideri[2]), et super ea inter aliquos in palacio apostolico lis pendeat indecisa . . . ., eidem Bartholomeo auctoritate nostra conferre et assignare curetis . . . . Nos enim cum prefato Bartholomeo, ut ecclesiam predictam . . . . recipere et una cum dignitatibus, personatibus, officiis, canonicatibus et prebendis, ecclesiis ac aliis beneficiis ecclesiasticis . . . ., quecunque, quotcunque et qualiacunque fuerint, retinere . . . . valeat . . . ., dispensamus . . . Datum Rome ap. S. Petrum undecimo kal. Novembris a. secundo.

R. Lat. 20 fol. 261[a] — In fine: PRO SOCIO, N. DE BENEVENTO — [1]) In nro. praecedente eadem persona „Johannes Clobur' vocatur [2]) Cf. nrm. immediate praecedentem.

---

581. *Universis praelatis et clero mandatur, ut Johanni abbati monasterii s. Stephani de Carraria ord. s. Benedicti Paduanae dioc. et Baylardino de Verona canonico Vicentino, apostolicae sedis nuntiis, pro quibusdam arduis Romanae ecclesiae negotiis ad Ungariae, Bohemiae, Poloniae et nonnullas alias partes accessuris, de securo conductu provideant. „Rome ap. S. Petrum VIIII. kal. Novembris pont. n. a. secundo".*

Romae, 1391 Octobris 24.

R. Vat. 313 fol. 194[r] — In fine: (ad sin.) F. DE LANZ[ANICO]; (med.) DUPLICATA; (ad dext.) DE CURIA, PARIDANUS — In aliis litteris, quae eodem tempore supranominatis Stephano et Baylardino sunt concessae, iidem nuntii „ad regni Polonie ac provincie Gneznensis necnon Lithuanie et Russie ac nonnullas alias partes" destinari dicuntur, et regni Bohemiae nulla fit mentio.

---

582. *Judicibus mandatur, quatenus Philippo de Guillaco canonicatum et praebendam in ecclesia Vratislaviensi vacantes conferant.*

Romae, 1391 Octobris 25.

Bonifacius . . . . Lubicensi ac Tudensi episcopis ac . . . . abbati monasterii s. Marie in Arena Wratislauiensis . . . . Vite ac morum honestas aliaque . . . merita, super quibus . . . . Philippus de Vyaco canonicus Leodiensis . . . . commendatur . . . ., nos inducunt, ut sibi reddamur . . . . liberales. Cum itaque . . . . canoni-

catus et prebenda ecclesie Wratislauiensis, quos .... Guyotus de Ceranciis ... tunc temporis obtinebat, ex eo vacaverint et vacent ad presens, quod idem Guyotus, familiaris noster ac domesticus continuus commensalis eciam et .... Philippi episcopi Ostiensis existens et ad laicalia vota aspirans, matrimonium cum quadam mulieri per verba legitima de presenti extra Romanam curiam contraxit, nos volentes dicto Philippo .... consideracione predicti episcopi, pro ipso Philippo de Vyaco, dilecto suo capellano et thesaurario suo, nobis .... supplicantis, graciam facere specialem, discrecioni vestre .... mandamus, quatenus .... predictos canonicatum et prebendam, quorum fructus .... triginta marcharum argenti puri .... valorem annuum .... non excedunt ...., prefato Philippo de Vyaco auctoritate nostra conferre et assignare curetis ....; non obstantibus ...., quod dictus Philippus de Vyaco in maiori cum archidiaconatu de Ardenna in eadem et in s. Crucis Leodiensibus ac in s. Victoris extra muros Maguntinenses ecclesiis canonicatus et prebendas, quorum omnium fructus .... centum et viginti marcharum argenti .... valorem annuum ... non excedunt, noscitur obtinere .... Datum Rome ap. S. Petrum octavo kal. Novembris a. secundo.

R. Lat. 20 fol. 90[a] — Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: JAC. XVIII DE TERAMO.

---

583. *Archiepiscopus Gneznensis et episcopus Vratislaviensis ac abbas monasterii Brevnoviensis[a]) extra muros Pragenses conservatores praepositi, priorissae et conventus monasterii Czarnowanz[b]) alias Domus Dei prope Opol[c]) per praepositum et priorissam soliti gubernari praemonstratensis ord. Vratislaviensis dioc. usque ad quinquennium instituuntur. „Militanti ecclesie“ „Rome ap. S. Petrum quarto kal. Novembris a secundo“.*

Romae, 1391 Octobris 29.

R. Lat. 13 fol. 307[b] — [a]) ‚Brewnoniensis‘ [b]) ‚Czarnawans‘ [c]) ‚Opul‘ — In marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: JAC. XXX DE TERAMO — Ed. ex originali in Cod. dipl. Silesiae I. (Wattenbach, Urkk. des Kl. Czarnowanz) p. 57 nr. 57.

---

584. *Episcopo Vratislaviensi mandatur, ut, si ei constiterit Mathiam canonicum monasterii Strahoviensis a Conrado abbate Strahoviensi, vices abbatis Praemonstratensis scismatici gerente, in praepositum monasterii Czarnowanz illegitime deputatum fuisse, ipsum Mathiam in eodem praepositatu nullum ius habuisse declaret, si vero eundem Mathiam ius in dicto praepositatu habuisse, sed crimina quaedam commisisse invenerit, ipso praepositatu sententialiter eum privet; et ut abbatem monasterii s. Vincentii Vratislaviensis dicto monasterio Czarnowanz ad tempus praesentis scismatis patrem abbatem instituat.*

Romae, 1391 Novembris 4.

Bonifacius .... episcopo Wratislauiensi .... Suscepti cura regiminis cor nostrum continua pulsat instancia, ut gregem dominicum nobis ex alto commissum

non solum a noxiis et adversis preservare solita diligencia studeamus et oves nobis creditas, ne luporum paciantur incursus et eorum morsibus lanientur, satagamus nostre proteccionis munimine confovere, verum eciam cura vigili procuremus, quod protervi et indisciplinati ministri, ne illorum condicio reproba, si forsan evaderet impunita, aliis incentivum prebeat delinquendi, luant pro demeritis dignas penas. Dudum siquidem per fel. rec. Urbanum papam VI. predecessorem nostrum accepto, quod Petrus, qui se gerebat pro abbate monasterii Premonstratensis Laudunensis diocesis, in reprobum sensum datus, iniquitatis alumno Roberto olim basilice XII Apostolorum presbytero cardinali, tunc et nunc antipape, qui se Clementem VII. ausu sacrilego nominabat, prout nominat, ... publice adherere et favere presumpserat et presumebat, et propterea dilecti filii abbates, priores, prepositi et alii religiosi dicti ordinis, in Boemie, Ungarie et Polonie regnis, necnon Bauarie et Austrie ducatibus, marchionatu Brandeburgensi, Alamanie et aliis vicinis partibus et regnis constituti, tamquam devoti et fideles ecclesie Romane filii, consorcia dicti Petri olim abbatis et aliorum eiusdem ordinis professorum, prefato Roberto favencium et adherencium, evitare studebant: dictus predecessor dilecto filio abbati monasterii Strahouiensis alias Montis Syon Pragensis dicti ordinis, eius proprio nomine non expresso, suis dedit litteris in mandatis, ut omnes et singulos abbates, priores, prepositos et alios prelatos et religiosos dicti ordinis in regnis, ducatibus, marchionatu et aliis partibus supradictis constitutos, qui secundum statuta et consuetudines eiusdem ordinis consueverant et tenebantur ad generale capitulum dicti ordinis convenire, ad aliquem locum ydoneum, de quo sibi videretur, pro huiusmodi generali capitulo celebrando auctoritate apostolica convocaret et ibidem huiusmodi generale capitulum dicti ordinis teneret et celebraret ac celebrari faceret iuxta ordinis ipsius instituta et observancias regulares; dictus quoque predecessor eidem abbati monasterii Strahouiensis una cum predictis capitulo generali eligendi duos visitatores secundum morem dicti ordinis, qui monasteria, prioratus et alia loca eiusdem ordinis, in regnis, ducatibus, marchionatu et aliis partibus huiusmodi consistencia, visitare et ibidem corrigenda corrigere et reformanda reformare et supplendo vices patrum abbatum scismaticorum dictorum monasteriorum, prioratuum et locorum, in regnis, ducatibus, marchionatu et aliis partibus predictis consistencium, in eleccionibus propterea faciendis preesse et auctoritatem prestare et alia circa huiusmodi reformacionem necessaria facere secundum statuta et consuetudines eiusdem ordinis possent et deberent, et omnia et singula faciendi, statuendi et ordinandi, que per abbatem dicti monasterii Premonstratensis pro tempore existentem et generale capitulum dicti ordinis fieri possent et deberent secundum morem predicti ordinis, ac durante huiusmodi scismate generale capitulum in illis partibus celebrandi et visitatores cum huiusmodi potestate eligendi et assumendi, necnon contradictores quoslibet et rebelles per censuram ecclesiasticam appellacione postposita compescendi plenam et liberam concessit per easdem litteras facultatem, volens et eadem auctoritate decernens, quod predictus monasterii Strahouiensis et abbates alii ac priores, prepositi et prelati predicti et alii quicunque religiosi ordinis antedicti, in eisdem partibus constituti, durante huiusmodi scismate in nullo tenerentur seu deberent obedire prefato Petro olim abbati seu eius sequacibus vel adherentibus quoquo modo;

quinymo prefatus predecessor abbatem monasterii Strahouiensis et alios supradictos ab eorundem scismaticorum iurisdiccione, dominio et potestate huiusmodi scismate durante prorsus exemit et eciam liberavit, subiiciens tam monasterii Strahouiensis quam eciam ipsos abbates alios, priores, prepositos et religiosos illi vel illis, de quo vel de quibus in dicto capitulo, per eundem abbatem monasterii Stragouiensis, ut premittitur, congregando, ordinatum foret et eciam approbatum, prout in eisdem litteris plenius continetur.

Postmodum vero, sicut exhibita nobis nuper pro parte dilectarum in Chr. filiarum priorisse et conventus monasterii Domus Dei alias Czarnewans per priorissam soliti gubernari dicti ord. Wratislauiensis diocesis peticio continebat, dilectus filius Conradus abbas predicti monasterii Strahouiensis predictis litteris, quas receperat, irreverenter abutens, congregato generali capitulo dicti ordinis, non visitatores eligere nec alia iuxta formam earundem litterarum facere procuravit, sed se generalem vicarium et conservatorem dicti ordinis fecit et extunc potestatem dicti abbatis monasterii Premonstratensis non scismatici se asseruit habere, et cum prepositatus dicti monasterii Domus Dei, quod eidem Premonstratensi monasterio immediate subesse dinoscitur et eciam per prepositum simul cum priorissa gubernari consuevit, certo modo vacaret, dictus Conradus abbas Mathiam, nacione Boemum, canonicum dicti monasterii Strahouiensis, in prepositum eiusdem monasterii Domus Dei ea auctoritate, qua potuit, deputavit, ipseque Mathias, pro preposito dicti monasterii Domus Dei se gerens, ex quadam canonica, professa dicti monasterii Domus Dei et de nobilibus parentibus orta, unum filium procreavit, et huiusmodi puero nato, ipsam canonicam cum dicto puero de eodem monasterio fecit exire, et eodem monasterio Domus Dei equis et aliis diversis bonis mobilibus et iocalibus ad valorem trecentarum marcharum argenti ascendentibus et certis litteris magni preiudicii per eum nequiter spoliato, se cum dicta canonica ad loca alia transferre curavit, et nichilominus, premissis non contentus et adhuc ad ipsum monasterium Domus Dei tamquam prepositus revenire satagens, dicto Conrado abbate sibi in hoc multum favente, easdem priorissam et conventum tam coram loci diocesano quam eciam coram diversis iudicibus a sede apostolica delegatis aut subdelegatis eorum super premissis et aliis variis causis multipliciter molestavit et molestare non cessat in gravem divine maiestatis offensam ac magnum earundem priorisse et conventus dampnum et iacturam et scandalum plurimorum. Cum autem, sicut eadem peticio subiungebat, predictum monasterium Domus Dei sub regimine prelatorum et canonicorum nacione Boemorum multa incommoda sustinuerit, et a predicto monasterio Strahouiensi per sex dietas distet, et personarum de dicta diocesi Wratislauiensi ac Boemorum ydiomata sint diversa, ipseque priorissa et conventus, quantum in eis fuit, ne sine superiore et capite remanerent, dilectum filium abbatem monasterii s. Vincencii prope Wratislauiam dicti ordinis, quod ab ipso monasterio Domus Dei ultra dietam non distat, cum eciam utrobique sit illud idem ydioma, sibi in patrem abbatem usque ad finem dicti scismatis duxerint eligendum: pro parte dictarum priorisse et conventus nobis fuit humiliter supplicatum, ut alicui probo in illis partibus committere, quod se de premissis informaret, et si per informacionem huiusmodi reperiret, quod prefatus Conradus abbas huiusmodi litteris dicti predecessoris maxime in dicta deputacione ipsius Mathie fuerit abusus, eundem

Mathiam declararet in huiusmodi prepositatu nullum ius habuisse vel habere, et si forsan per informacionem eandem reperiret dicto Mathie ius competiise seu competere in prepositatu predicto ipsumque Mathiam de huiusmodi canonica filium procreasse vel eam cum dicto filio de ipso monasterio Domus Dei exire fecisse aut monasterium ipsum equis, bonis et iocalibus ac litteris huiusmodi spoliasse, eum dicto prepositatu privaret et ad ablatorum restitucionem compelleret, et eundem abbatem monasterii s. Vincencii, qui tam ista vice quam successivis temporibus, quociens dictum prepositatum vacare contingeret, de preposito ydoneo dicto monasterio Domus Dei provideret eodem scismate durante, in patrem abbatem eiusdem monasterii Domus Dei deputare et alias ipsis priorisse et conventui in premissis providere de oportuno remedio dignaremur.

Nos igitur huiusmodi supplicacionibus inclinati fraternitati tue, de qua in hiis et aliis specialem in domino fiduciam obtinemus, per apostolica scripta committimus et mandamus, quatinus vocatis dicto Mathia et aliis, qui fuerint evocandi, summarie de premissis auctoritate nostra te diligenter informes, et si per informacionem huiusmodi reppereris, quod prefatus Conradus abbas in ipsius Mathie deputacione huiusmodi predictis litteris eiusdem predecessoris fuerit abusus, ipsum Mathiam in eodem prepositatu nullum ius habuisse eadem auctoritate declares; si vero per informacionem eandem dictum Mathiam in huiusmodi prepositatu ius habuisse inveneris et eundem Mathiam de predicta canonica filium procreasse vel eam cum dicto filio de huiusmodi monasterio Domus Dei exire fecisse aut ipsum monasterium equis, bonis, iocalibus et litteris supradictis spoliasse reppereris, dictum Mathiam eodem prepositatu sentencialiter prives ac amoveas realiter ab eodem, prout de iure fuerit faciendum, eumque ad restituendum ablata huiusmodi racione previa et remota appellacione compellas, contradictores per censuram ecclesiasticam appellacione postposita compescendo; et nichilominus prefatum abbatem monasterii s. Vincencii cum illis potestate et iurisdiccione, quas dictus abbas monasterii Premonstratensis non scismaticus haberet, eidem monasterio Domus Dei in patrem abbatem auctoritate predicta studeas deputare, ita quod tam ista vice quam temporibus successivis, quociens huiusmodi prepositatum vacare contigerit, durante dicto scismate de preposito ydoneo provideat Domus Dei monasterio sepedicto; non obstantibus, si forsan inter priorissam et conventum ac Mathiam prefatos super premissis vel aliquo premissorum coram aliquibus ordinariis vel a sede apostolica delegatis aut subdelegatis iudicibus vel aliquo eorum lis pendeat indecisa, et pie memorie Bonifacii pape VIII. predecessoris nostri ac de una et de duabus dietis in concilio generali vel aliis constitucionibus apostolicis, necnon statutis et consuetudinibus monasteriorum et ordinis predictorum contrariis quibuscunque, seu si eidem ordini a dicta sede sit indultum, quod persone ipsius ordinis ad iudicium trahi aut suspendi vel excommunicari aut ipse vel dicti ordinis loca interdici non possint . . . ., et quibuslibet privilegiis, indulgenciis et litteris apostolicis . . . . Datum Rome ap. S. Petrum secundo nonas Novembris a. secundo.

R. Lat. 10 fol. 153^{b} — In fine N. LXXX DE BENEVENTO — Ed. e quadam vetere copia sub data 1390 Nov. 4. ap. Wattenbach, Urkk des kl. Czarnowanz (Cod. dipl. Silesiae I.) p. 52 nr. 55.

585. Episcopo Theanensi et Lubucensis et s. Sepulcri dominici in Legnicz Vratislaviensis dioc. ecclesiarum decanis mandatur, quatenus Nicolao Palliatoris presbytero Vratislaviensi parrochialem ecclesiam in Hermannsdorf[a]) *Vratislaviensis dioc., cuius fructus 7 marcarum argenti valorem annuum non excedunt, vacantem per obitum Nicolai Owras extra Romanam curiam defuncti, conferant, non obstante, quod nuper dicto Nicolao Palliatoris de beneficio ecclesiastico cum vel sine cura, vacante vel vacaturo, ad collationem episcopi Vratislaviensis et praepositi, decani, archidiaconi, scholastici, cantoris, custodis et capituli ecclesiae Vratislaviensis per alias litteras a papa mandatum est provideri,*[1]) *quae litterae, quoad curatum beneficium dumtaxat, cassae esse debent, quamprimum idem Nicolaus parrochialem ecclesiam praefatam fuerit pacifice assecutus. „Vite ac morum" „Rome ap. S. Petrum secundo nonas Novembris pont. n. a. secundo."*

Romae, 1391 Novembris 4.

R. Lat. 20 fol. 272[a] — a) ‚Hermansdorf' — In fine: PRO DEO, N. DE BENEVENTO — 1) Cf. nr. 571.

---

586. Visitantibus capellam sanctorum Innocentium in civitate Pragensi indulgentiae conceduntur.

Romae, 1391 Novembris 9.

Bonifacius .... universis .... Licet is .... Cum itaque, sicut accepimus, in civitate Pragensi quedam capella sub vocabulo sanctorum Innocencium, Beethlem nuncupata, de novo canonice sit fundata eciam et dotata, nos cupientes, quod capella ipsa congruis honoribus frequentetur et eciam conservetur ...., omnibus vere penitentibus et confessis, qui in nativitatis, circumcisionis, ephyphanie, resurreccionis, ascensionis et corporis domini nostri Jesu Christi ac penthecostes, necnon in nativitatis, annunciacionis, purificacionis et assumpcionis b. Marie virginis et nativitatis b. Johannis Baptiste ac dictorum apostolorum Petri et Pauli et sanctorum Innocencium ac ipsius capelle dedicacionis festivitatibus et celebritate omnium sanctorum, necnon per ipsarum nativitatis, epyphanie, resurreccionis, ascensionis et corporis domini ac nativitatis et assumpcionis b. Marie et nativitatis b. Johannis et apostolorum Petri et Pauli ac Innocencium predictorum festivitatum octavas et per sex dies dictam festivitatem penthecostes immediate sequentes prefatam capellam devote visitaverint annuatim et ad conservacionem uiusmodi manus porrexerint adiutrices, singulis videlicet festivitatum et celebritatis duos annos et totidem quadragenas, octavarum vero et sex dierum predictorum diebus .... centum dies de iniunctis eis penitenciis misericorditer relaxamus, presentibus post decennium minime valituris. Volumus autem .... Datum Rome ap. S. Petrum quinto idus Novembris pont. n. a. tercio.

R. Lat. 25 fol. 200[a] — In fine: N. XVI DE BENEVENTO.

587. *) *Patriarchae Gradensi, decano ecclesiae Vratislaviensis ac officiali Varmiensi mandatur, quatenus Johanni Namslaw canonico Vratislaviensi maiorem praebendam in ecclesia Varmiensi vacantem, quam ipse vigore gratiae apostolicae de canonicatu sub exspectatione praebendae ei alias factae acceptavit, et cuius ac canonicatus ipsius ecclesiae fructus valorem annuum 30 marcarum argenti non excedunt, conferant, non obstante, quod in Vratislaviensi et in Poznaniensi canonicatus cum praebendis,*[1]) *quorum fructus valorem annuum 50 marcarum argenti non excedunt, et canonicatum sub expectatione praebendae, dignitatis, personatus vel officii in Pragensi ecclesiis auctoritate litterarum papae Bonifacii noscitur obtinere. „Vite ac morum“ „Rome ap. S. Petrum secundo idus Novembris a. secundo.“*

Romae, 1390 Novembris 12.

R. Lat. 12 fol. 287b — In fine: N. XX DE BENEVENTO — [1]) Cf. nros. 307 et 340 — *) Haec bulla iuxta datam suam post nr. 372 erat ponenda, sed per errorem editoris sero animadversum istuc pervenit.

---

588. *Venceslao de Svojetín providetur de parrochiali ecclesia s. Stephani Pragensi.*

Romae, 1391 Novembris 23.

Bonifacius .... Wenceslao Wenceslai de Swogytin rectori parrochialis ecclesie s. Stephani Pragensis .... Vite ac morum .... Dudum siquidem omnes parrochiales ecclesias ceteraque beneficia ecclesiastica cum cura et sine cura quorumcunque, per assecucionem pacificam aliorum beneficiorum ecclesiasticorum quorumlibet, per nos seu auctoritate litterarum nostrarum tunc collatorum et inantea conferendorum eisdem, tunc vacancia et imposterum vacatura, collacioni et disposicioni nostre reservantes, decrevimus extunc irritum et inane, si secus .... contingeret attemptari. Et deinde parrochiali ecclesia s. Stephani Pragensi, quam quondam Johannes Plzak .... obtinebat, per eiusdem Johannis obitum, qui apud sedem apostolicam diem clausit extremum, apud sedem ipsam vacante, nos de ecclesia ipsa, sic vacante et antea disposicioni apostolice reservata, ... Paulo Petri de Cremsir perpetuo vicario parrochialis ecclesie in Cremsir Olomucensis diocesis per nostras litteras graciose duximus providendum ....[1]) Cum itaque postmodum dicta ecclesia s. Stephani ex eo vacaverit et vacet ad presens, quod dictus Paulus, antequam ipse illam vigore predictarum litterarum assequeretur, perpetuam vicariam prefate ecclesie in Cremsir, tunc vacantem, auctoritate apostolica sibi collatam, fuerat pacifice assecutus ...., nos .... dictam ecclesiam s. Stephani, cuius fructus .... sex marcharum argenti .... valorem annuum .... non excedunt, ... apostolica tibi auctoritate conferimus et de illa eciam providemus ....; non obstantibus ...., quod, ut asseris, super parrochiali ecclesia in Horzielicz Pragensis diocesis in palacio apostolico ligitas.[2]) Volumus autem quod, quamprimum .... dictam ecclesiam s. Stephani fueris pacifice assecutus, eandem ecclesiam in Horzielicz ...., si illam interim evincas, ..., omnino, prout ad id eciam te sponte obtulisti, dimittere, alioquin omni iuri tibi in ea seu ad

eam quomodolibet competenti cedere tenearis .... Datum Rome apud S. Petrum nono kal. Decembris pont. n. a. tercio.

Simili modo.... episcopo Tudensi et.... decano Wissegradensis ac archidiacono Boleslauiensi maioris Pragensis ecclesiarum ....

R. Lat. 22 fol. 193a — In fine: PRO DEO, N. DE BENEVENTO — [1]) Vide autem Libros confirm. ad 1390 Nov. 14. ubi sic legitur: „ad presentacionem et peticionem .... Wenceslai ... regis ... ad ecclesiam s Stephani in muro Maioris civitatis Pragensis per mortem dom. Johannis Plzak ... vacantem ... dom. Wenceslaum de Strass capellanum et elemosinarium prefati domini regis ... [instituimus]". [2]) Cf. infra nr. 616.

---

589. *Iudicibus mandatur, quatenus Petro de Royn perpetuam vicariam in ecclesia s. Sepulcri dominici in Legnicz vacantem conferant.*

Romae, 1391 Novembris 28.

Bonifacius .... episcopo Tudensi et .... Lubucensis ac s. Crucis Wratislauiensis ecclesiarum decanis .... Laudabilia probitatis et virtutum merita, super quibus .... Petrus de Royn perpetuus vicarius in ecclesia s. Sepulcri dominici in Legnicz Wratislauiensis diocesis .... commendatur ...., nos inducunt, ut sibi reddamur .... liberales. Cum itaque .... in statutis dicte ecclesie canonice factis caveatur expresse, quod, si aliquis obtinens pro tempore in dicta ecclesia perpetuam vicariam, que ‚plebania' alias ‚cura' eiusdem ecclesie nuncupatur, canonicatum ipsius ecclesie assequatur, eo ipso eadem vicaria vacare censeatur, idque eciam de antiqua .... consuetudine in eadem ecclesia sit obtentum, ac .... Johannes Torculatoris eiusdem ecclesie canonicus, olim dictam vicariam obtinens, certos canonicatum et prebendam eiusdem ecclesie tunc vacantes, auctoritate ordinaria sibi collatos, extitit pacifice assecutus, et propterea dicta vicaria vacaverit et vacet ad presens, nos volentes dictum Petrum .... favore prosequi gracie specialis, discrecioni vestre .... mandamus, quatenus .... predictam vicariam, cui cura imminet animarum, et cuius fructus .... duodecim marcharum argenti puri .... valorem annuum .... non excedunt, ... prefato Petro auctoritate nostra conferre et assignare curetis ....; non obstantibus ...., quod idem Petrus, ut asserit, in dicta ecclesia quandam aliam vicariam perpetuam sine cura, cuius fructus .... septem marcharum argenti puri .... valorem annuum non excedunt, noscitur obtinere, et nos olim sibi de canonicatu sub expectacione prebende ecclesie Olomucensis graciose concessimus provideri .... Datum Rome ap. S. Petrum quarto kal. Decembris pont n. a. tercio.

R. Lat. 22 fol. 233a — Supra in marg. sin: C[ANCELLARIA]; in fine: JAC. XVII DE TERAMO.

---

590. *Officiali Vratislaviensi mandatur motu proprio, quatenus Laurentio Petri do Volavia[a]) clerico Vratislaviensis dioc. reservet altare sine cura s. Leonardi situm in ecclesia Cracoviensi, cuius fructus valorem annuum 12 marcarum argenti*

non excedunt, quodque vacare speratur in brevi. „Dignum arbitramur“ „Rome ap. S. Petrum quarto idus Decembris a. tercio“.

Romae, 1391 Decembris 10.

R. Lat. 21 fol. 38b — a) ‚Wolauia‘ — Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: DE MANDATO, JAC. DE TERAMO.

---

591. *Abbati monasterii in Tyncia mandatur, quatenus permutationes de capella s. Mariae Magdalenae Cracoviensi inter diversos factas revocet.*

Romae, 1391 Decembris 15.

Bonifacius . . . . . abbati monasterii in Tincia Cracouiensis diocesis . . . . Exhibita nobis pro parte . . . . Symonis Nicolai de Wrienstat rectoris capelle s. Marie Magdelene Cracouiensis peticio continebat, quod, cum olim ipse dictam capellam, tunc per obitum quondam Wenczeslai phisici, ipsius capelle ultimi rectoris extra Romanam curiam defuncti, vacantem, vigore quarundam litterarum apostolicarum graciose sibi concessarum, prout ex ipsarum forma poterat, infra tempus legitimum acceptasset et de illa sibi obtinuisset canonice prouideri, ac Derslaus Blisiborii de Baudissen, qui se gerit pro clerico Cracouiensis diocesis, se in dicta capella procurasset intrudi illamque occupasset et detinuisset ac detineret indebite occupatam, fructus percipiendo ex eadem, ... executores predictarum litterarum nonnullos processus fecerunt in talibus fieri consuetos, per quos inter cetera eundem Derszlaum monuerunt et mandaverunt eidem, ut infra certum peremptorium competentem terminum tunc expressum ab occupacione et detencione huiusmodi desisteret dictoque Symoni possessionem prefate capelle iuriumque et pertinenciarum ipsius libere dimitteret, alioquin in eum excommunicacionis sentenciam promulgabant ipsumque mandabant et faciebant excommunicatum publice nunciari; et licet processus, monicio et mandatum huiusmodi ad indubitatam noticiam prefati Derszlai pervenissent, idem tamen Derszlaus ipsis processibus monicione et mandato vilipensis eis infra dictum terminum vel post eciam parere contumaciter recusavit, huiusmodi excommunicacionis sentenciam damnabiliter incurrendo, eam eciam post dictorum processuum aggravacionem per huiusmodi executores legitime factam sustinendo, prout sustinet, animo indurato . . . .; et nichilominus dictus Derszlaus considerans, quod dictam capellam de iure obtinere non posset, ut huiusmodi processibus illuderet, capellam ipsam . . . . Johanni de Haynow clerico pro quodam alio beneficio ecclesiastico, et deinde idem Johannes eandem capellam . . . . Petro Trachinburg presbytero Wratislauiensis diocesis pro parrochiali ecclesia in Stobna eiusdem Wratislauiensis diocesis ex pretensis permutacionum causis in manibus ordinariorum suorum, ut dicebant, factis diniserunt, dictusque Petrus pretextu permutacionis huiusmodi per eum inite . . . . predictam capellam fere per tres annos vel quasi occupavit, prout occupat, fructus eciam percipiens ex eadem . . . . Cum autem, sicut eadem peticio subiungebat, Derszlaus et Johannes ac Petrus predicti vel aliquis eorum de dicta capella absque consensu prefati Symonis aliquam permutacionem facere

non potuerint, scientes, quod capella ipsa eidem Symoni et nulli alteri de iure competebat, pro parte ipsius Symonis nobis fuit humiliter supplicatum, ut alicui probo in partibus illis, qui huiusmodi permutaciones, quatenus de facto processerunt, irritet, revocet et annullet, committere et mandare et alias sibi in premissis de oportuno remedio providere dignaremur. Nos igitur . . . . discrecioni tue . . . . mandamus, quatenus vocatis eisdem Derszlao, Johanne et Petro et aliis, qui fuerint evocandi, permutaciones predictas, quatenus ad illas de facto processum extitit, auctoritate nostra, prout iustum fuerit, irrites, revoces et annulles, ac legitimis per predictos executores super premissis habitis servatis processibus, [eos] tam contra Derszlaum quam eciam contra Johannem et Petrum prefatos publicare, et quociens opus fuerit, eadem auctoritate aggravare procures . . . . Datum Rome ap. S. Petrum decimo octavo kal. Januarii a. tercio.

R. Lat. 25 fol. 107[a] — Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: JAC. XVIII DE TERAMO.

---

592. *Magistro Paulo de Dugnano capellano apostolico et palatii apostolici causarum auditori mandatur, quatenus, si Dirslaum Blisiborii*[a]*) [de Baudiss], pro clerico Gneznensis (!) dioc. se gerentem, propter adulterium per eum commissum omni iure, ei in canonicatu et praebenda ecclesiae Cracoviensis, super quibus, per resignationem Johannis Petri de Hainau*[b]*) vacantibus, cum Paulo Nankeri canonico Gneznensi coram Bertoldo rectore parrochialis ecclesie in Vansov*[c]*) Vratislaviensis dioc. auditore generali causarum episcopalis curiae Cracoviensis et post dicti Pauli apellationem in palatio apostolico litigabat,*[1]*) competente, sententialiter privaverit, praefatum Paulum in omne ius huiusmodi surroget. „Romani pontificis“ „Rome ap. S. Petrum decimo octavo kal. Januarii pont. n. a. tercio.“*

Romae, 1391 Decembris 15.

R. Lat. 25 fol. 181[b] — [a]) ‚Blisibo‘ (sic) [b]) ‚Haynow‘ [c]) ‚Wansow‘ — In fine: N. XXIIII DE BENE VENTO. — [1]) Cf. nr. 488.

---

593. *Nicolaus de Jaroměř*[a]*) canonicus monasterii Strahoviensis alias Montis Sion Pragensis praemonstratensis ord. in sedis apostolicae capellanum recipitur. „Virtutibus clarens“ „Rome ap. S. Petrum XV. kal. Januarii a. tercio.“*

Romae, 1391 Decembris 18.

R. Vat. 313 fol. 246[a] cum his notis in fine: (ad sin.) XX, N. DE PIPERNO. JO. DE MALESICZ; (ad dext.) PRO P. DE ESCULO A. DE RIGHA. Iterum registratum in Arm. XXXI tom. 36 fol. 36[b] sine dictis notis. — [a]) ‚Jaromir‘ [b]) ‚Strahowien‘.

---

594. *Nicolao de Jaroměř*[a]) *canonico monasterii Strahoviensis praemonstratensis ord., capellano apostolico, reservatur una ex praeposituris in civitate et diocesi Pragensibus existentibus, quae per canonicos praemonstratensis ord. gubernari consueverunt, si qua vacat, vel cum vacaverit, etiam si praepositura ipsa dignitas principalis aut administratio seu officium cum vel sine cura fuerit, et ad eam consueverit quis per electionem assumi. „Grata tue devocionis" „Rome ap. S. Petrum quarto kal. Januarii pont. n. a tercio." — Simili modo episcopo Tudensi et abbati Sacri Campi ac praeposito Chotěšoviensis*[b]) *monasteriorum Pragensis diocesis.*

Romae, 1391 Decembris 29.

R. Lat. 23 fol. 170[a] — [a]) ‚Jaromir' [b]) ‚Chotiessowien'. — Nota registratoris in fine deest.

595. *Litterae testimoniales pro Petro de Ziegenhals.*

Romae, 1391 [. . . .]

Marinus [. . . . s. Marie Noue diaconus cardinalis, dom. pape camerarius,] universis . . . . Universitati vestre notum facimus per presentes, quod attentis et consideratis multiplicibus et fidelibus serviciis, que honorabilis vir Petrus Henrici de Czeginhals clericus Wratislauiensis diocesis in palacio apostolico in servicio comparatoris domini nostri pape dudum impendit et adhuc impendere non desistit, ipsum Petrum pro familiari et servitore palacii apostolici sanctissimi in Chr. patris ac domini nostri dom. Bonifacii pape noni reputavimus et inantea reputamus et tenemus ac tenore presencium volumus ab aliis teneri et reputari, committentes vobis, reverendis in Chr. patribus et dominis dei gracia archiepiscopo Gneznensi ac episcopo Wratislauiensi necnon venerabilibus et discretis viris dominis prepositis, decanis, canonicis et capitulis ecclesie Wratislauiensis ac s. Marie Glogouiensis et s. Crucis Opuliensis necnon s. Sepulchri Legnicensis ecclesiarum Wratislauiensis diocesis ac omnibus aliis et singulis, ad quos nostre littere presentes pervenerint, quatenus prefatum Petrum et procuratores suos pro eo in suis agendis penes vos nostri intuitu habeatis favorabiliter recommendatum . . . . Datum Rome ap. S. Petrum sub a. a nativitate domini M°CCC° nonagesimo primo, indiccione quarta decima, die vero . . . .[a])

Armar. XXIX tom. 1 fol. 280[b] — [a]) Finis deest in registro. — Litterae, quae istis in registro praecedunt, datam 1391 Jun. 2 habent, illae autem, quae sequuntur, 1391 Nov. 20.

596. *Theodorico [de] Perleberg*[1]) *conceditur, ut possit acceptare curatum beneficium ad collationem abbatis et conventus monasterii in Třebič pertinens, quamvis idioma illarum partium ignoret.*

Romae, 1392 Januarii 6.

Bonifacius . . . . Theodorico Pelberg presbytero Hauelbergensis diocesis . . . . Vite ac morum . . . . Dudum siquidem tibi de beneficio ecclesiastico cum cura

vel sine cura, vacante vel vacaturo, ad collacionem .... abbatis et conventus monasterii Trebicensis ord. s. Benedicti Olomucensis diocesis .... spectante, per nostras litteras graciose mandavimus provideri, certis tibi super hoc executoribus deputatis .... Cum autem, sicut exhibita nobis nuper pro parte tua peticio continebat, tu ydioma, quod homines illarum parcium communiter loquuntur, ignores timeasque propterea et vigore dictarum litterarum curatum beneficium ordinacionibus apostolicis obstantibus acceptare non posse, pro parte tua nobis fuit humiliter supplicatum, ut providere tibi super hoc .... dignaremur. Nos igitur volentes te, qui, ut asseris, per viginti annos et amplius in eisdem partibus moram traxisti, ... favore prosequi gracioso ...., volumus et apostolica tibi auctoritate concedimus, quod huiusmodi beneficium curatum, ad collacionem .... dictorum abbatis et conventus, ut premittitur, pertinens, vigore predictarum litterarum acceptare et de illo tibi provideri facere valeas, dictique executores ad ipsarum litterarum execucionem procedere possint et debeant, predictis et aliis ordinacionibus et constitucionibus apostolicis contrariis non obstantibus quibuscunque. Volumus insuper, quod huiusmodi curatum beneficum, si quod vigore dictarum litterarum assecutus fueris, infra annum a tempore assecucionis huiusmodi computandum pro alio beneficio non curato permutare, alioquin lapso predicto anno ipsum beneficium curatum .... omnino dimittere tenearis .... Datum Rome ap. S. Petrum octavo idus Januarii a. tercio.

R. Lat. 24 fol. 39[a] — In fine: N. XVIII DE BENEVENTO — [1]) Cf. Tadra, Acta indic. consist. Prag. III. 41. 79. 92.

***597**. Magistro Alardo Johannis Alardi de Molendino canonico Traiectensi, scriptori apostolico et litterarum apostolicarum abbreviatori, praepositura ecclesiae Elstensis Traiectensis dioc. in brevi vacatura reservatur, non obstante, quod idem Alardus praeter plura alia beneficia canonicatum sub exspectatione praebendae ecclesiae Vratislaviensis obtinet*[1]). *„Grata tue devocionis“ „Rome ap. S. Petrum octavo idus Januarii a. tercio“. — Simili modo episcopo Segobiensi et s. Johannis Traiectensis ac s. Foillani Fossensis Leodiensis dioc. ecclesiarum praepositis.*

Romae, 1392 Januarii 6.

R. Lat. 23. fol. 220[b] — Supra in marg. sin C[ANCELLARIA]; in fine: PRO SOCIO N. DE BENEVENTO — [1]) Cf. nr. 206. 207. 536.

***598**. Episcopo Olomucensi mandatur, quatenus, si Drslaum parrochiali ecclesia in Račicz sententialiter privaverit, eandem ecclesiam Philippo de Vysočan conferat.*

Romae, 1392 Januarii 12.

Bonifacius .... episcopo Olomucensi .... Vite ac morum honestas aliaque .... merita, super quibus .... Philippus Stephani de Wissoczan presbyter

Olomucensis diocesis . . . . commendatur . . ., nos inducunt, ut sibi reddamur . . . liberales. Dudum siquidem per fel. rec Urbanum papam VI. predecessorem nostrum accepto, quod parrochialis ecclesia s. Wenceslai in Raczicz dicte diocesis, quam quondam Johannes dictus Hensl . . . . obtinebat, per ipsius Johannis obitum, qui extra Romanam curiam decessit, vacaverat et vacabat tunc, idem predecessor . . . magistro Petro de Gasconis capellano sedis apostolice et auditori causarum palacii apostolici suis dedit litteris in mandatis, ut[a]) dictam ecclesiam, que de iure patronatus laicorum existebat, prout existit, sive ut prefertur, sive per . . . . Drslay parrochialis in Slatina predicte diocesis, sive per quondam Petri dicti Czyessyk tunc predicte in Raczicz ecclesiarum rectorum liberam resignacionem . . . . vel alias quovis modo vacaret, dummodo tunc non esset in eadem ecclesia in Raczicz alicui specialiter ius quesitum, et ad id eorundem patronorum accederet assensus, prefato Philippo auctoritate apostolica conferret et eciam assignaret. Et deinde pro parte dicti Philippi nobis . . . . exposito, quod de huiusmodi consensu et aliis premissis apcius in partibus illis quam in eadem curia constare poterat, et quod ipse Philippus, si oporteret eum super eadem ecclesia s. Wenceslai in dicta curia litigare, litem ipsam propter paupertatem, quam laborabat, in eadem curia nequaquam prosequi poterat: nos . . . . Johanni episcopo Nazarotensi, tunc in eadem diocesi commoranti, et . . . . abbati monasterii de Luca dicte diocesis ac . . officiali Olomucensi, eorundem abbatis et officialis nominibus propriis non expressis, nostris dedimus litteris in mandatis, ut . . . . ad execucionem dictarum litterarum, ad quam processum nondum fuerat, perinde auctoritate apostolica procederent, ac si eis dumtaxat dicte littere per eundem predecessorem et non eidem auditori directe fuissent . . . . Postmodum vero, sicut exhibita nobis pro parte dicti Philippi peticio continebat,[b]) predictus Philippus eundem Drslaum, qui tunc in dicta ecclesia s. Wenceslai symoniace et de facto se intrusit illamque occupavit et detinuit, prout detinet, indebite occupatam, super hoc, petendo dictam ecclesiam s. Wenceslai sibi adiudicari et super ea eidem Drslao perpetuum silencium imponi ipsumque ab illa amoveri seque in possessionem eiusdem ecclesie induci, coram eodem officiali dictarum litterarum vigore fecit ad iudicium evocari, idemque officialis in causa huiusmodi inter partes ipsas usque ad conclusionem inclusive dicitur processisse, et sicut eadem peticio subiungebat, prefatus Drslaus alias per te auctoritate ordinaria propter notoriam offensam maioris excommunicacionis sentencia innodatus et excommunicatus publice denunciatus, eandem sentenciam per triennium et ultra sustinuit, prout adhuc sustinet, animo indurato, divina eciam publice celebrando, immo verius profanando, redire non curans ad ecclesie unitatem: nos attendentes, quod, si dictus Drslaus in eadem ecclesia symoniacum habuit ingressum, dicta ecclesia adhuc, ut prefertur, vacat, et si forte canonice eam adeptus fuerit et huiusmodi sentenciam excommunicacionis per triennium et ultra sustinuerit et sustineat, divina huiusmodi celebrando, immo verius profanando, ut prefertur, dicta ecclesia s. Wenceslai reddidit se indignum . . . ., fraternitati tue . . . . mandamus, quatinus, si dictus Philippus prefatum Drslaum de symoniaco ingressu et aliis premissis accusare et se in forma iuris inscribere voluerit, postquam se inscripserit taliter, ut prefertur, et accusaverit, vocatis dicto Drslao et aliis, qui fuerint evocandi, quod iustum fuerit appellacione remota decernas, et sive

per tuam sentenciam dictum Drslaum pro eo, quod in predicta ecclesia s. Wenceslai habuit viciosum ingressum, declaraveris in eadem ecclesia nullum ius habuisse, seu eum dicta ecclesia suis demeritis huiusmodi exigentibus privaveris, eandem ecclesiam s. Wenceslai, cuius fructus .... quatuordecim marcharum argenti puri .... valorem annuum .... non excedunt, sive ut prefertur sive per Johannis predicti aut per quondam Nicolai dicti Mikes ipsius ecclesie s. Wenceslai rectoris extra eandem curiam defuncti obitum vacaverit aut vacet .... , cum eciam dictorum patronorum ad hoc, ut ipse Philippus asserit, accedat assensus .... , eidem Philippo auctoritate nostra conferre et assignare procures .... Datum Rome ap. S. Petrum secundo idus Januarii a. tercio.

R. Lat. 22 fol. 242[a] — a) ‚ac' cod. b) in cod. sequitur ‚quod' — Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA; in fine: PRO DEO, N. DE BENEVENTO.

599. *Episcopo Vratislaviensi mandatur, ut cum Johanne Zidenberg et Clara de Gubin super matrimonio contrahendo dispenset.*

Romae, 1392 Januarii 13.

Bonifacius .... episcopo Wratislauiensi .... Oblate nobis pro parte .... Johannis Zidenberg civis et .... Clare nate .... Richardi de Gobin mulieris Wratislauiensium peticionis series continebat, quod ipsi desiderant invicem matrimonialiter copulari, sed quia iidem Johannes et Clara tercio affinitatis gradu invicem sunt coniuncti, huiusmodi eorum desiderium adimplere nequeunt, dispensacione super hoc apostolica non obtenta. Cum autem, sicut eadem peticio subiungebat, inter cives et populares dicte civitatis gravis sit exorta discordia, que speratur verisimiliter per contractum huiusmodi, si fiat, sedari, pro parte ipsorum Johannis et Clare nobis fuit humiliter supplicatum, ut de oportune dispensacionis gracia super premissis providere .... dignaremur. Nos igitur .... fraternitati tue .... committimus et mandamus, quatenus, si est ita et dicta Clara propter hoc rapta non fuerit, cum eisdem Johanne et Clara, ut impedimento, quod ex affinitate huiusmodi provenit, non obstante, matrimonium invicem libere contrahere et in eo, postquam contractum fuerit, remanere licite valeant, auctoritate apostolica dispenses, prolem suscipiendam ex huiusmodi matrimonio legitimam nunciando. Datum Rome ap. S. Petrum idibus Januarii a. tercio.

R. Lat. 25 fol. 252[b] — In marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: JAC. XII DE TERAMO.

---

600. *Ludolpho de Huxaria providetur de canonicatu sub exspectatione maioris praebendae ecclesiae Huxariensis Padeburnensis diocesis. „Vite ac morum" „Rome ap. S. Petrum idibus Januarii a. tercio." — Simili modo episcopo Segobiensi et decano Pragensis ac scholastico Halberstadensis ecclesiarum.*

Romae, 1392 Januarii 13.

R. Lat. 23 fol. 20b — Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: PRO DEO, N. DE BENEVENTO.

---

601. *Johannes abbas Strahoviensis quitatur de solutione partis suorum servitiorum camerae sacri collegii.*

Romae, 1392 Januarii 16.

Henricus [. . . . s. Anastasie presbyter cardinalis, sacri collegii . . . . cardinalium camerarius, ... notum facimus,] quod venerabilis pater frater Johannes abbas monasterii Strahouensis alias Montis Syon ord. premonstratensis Pragensis[a]) diocesis pro parte partis sui communis servicii . . . . viginti quinque florenos auri de camera . . . ., et pro parte partis unius minuti servicii unum similem florenum, solidos decem et novem, denarios decem monete Romane per manus [. . . .][b]) solvi fecit . . . .; . . . . terminum [faciende solucionis residui . . . .] usque ad festum s. Michaelis archangeli de mense Septembris proxime futurum prorogamus . . . . Datum [Rome ap. S. Petrum] sub a. dom. millesimo CCC° nonagesimo secundo, indiccione quinta decima, die decima sexta mensis Januarii pont. . . . . anno tercio.

Oblig. et sol. 58 fol. 23b. — a) ‚Plagen' cod. b) Spatium in cod. — In fine: FL. IIII GR. IIII.

---

602. *Officiali Pragensi mandatur, quatenus electionem Blasii Lupi in decanum regiae capellae in castro Pragensi confirmet.*

Romae, 1392 Januarii 19.

Bonifacius . . . . officiali Pragensi . . . . Dignum arbitramur . . . . Exhibita siquidem nobis nuper pro parte . . . . Blasii dicti Lupi canonici regie capelle site in castro Pragensi, magistri in artibus, peticio continebat, quod olim decanatu dicte capelle per obitum quondam Vlrici eiusdem capelle ultimi decani, qui extra Romanam curiam decessit, vacante, dilecti filii . . capitulum eiusdem capelle, ad quos eciam de antiqua . . . . consuetudine eleccio decani eiusdem capelle pertinet, prefatum Blasium in eorum et dicte capelle decanum concorditer elegerunt, ipseque Blasius eleccioni huiusmodi, illius sibi presentato decreto, consensit. Quare pro parte dicti Blasii nobis fuit humiliter supplicatum, ut eleccionem huiusmodi confirmare . . . . dignaremur. Nos igitur de premissis certam noticiam non habentes ac volentes ipsum Blasium, pro quo eciam predictum capitulum nobis super hoc humiliter supplicavit, ... favore prosequi gracioso, ... discrecioni tue . . . . mandamus, quatenus, si vocatis qui fuerint evocandi huiusmodi eleccionem canonicam et de persona ydonea esse celebratam inveneris et . . . . dictum Blasium . . . . ydoneum ad obtinendum dictum decanatum, qui dignitas curata et principalis in eadem capella existit, cuiusque fructus . . . . triginta marcharum argenti puri . . . . valorem annuum . . . . non excedunt, ... eleccionem eandem auctoritate apostolica confirmare procures . . . .; non obstantibus . . . ., quod, ut asseritur, idem Blasius in capella predicta et in ecclesia Pragensi canonicatus et prebendas,

quorum omnium fructus .... triginta quinque marcharum argenti .... valorem annuum non excedunt, ac parrochialem ecclesiam in Wolina Pragensis diocesis noscitur obtinere, et quod dudum sibi de canonicatu sub expectacione prebende ecclesie Wissegradensis Pragensis graciose concessimus provideri. Volumus autem, quod idem Blasius, quamprimum vigore presencium dictum decanatum fuerit pacifice assecutus, prefatam parrochialem ecclesiam .... omnino, prout eciam ad id se sponte obtulit, dimittere teneatur .... Datum Rome ap. S. Petrum decimo quarto kal Februarii a. tercio.

R. Lat. 25 fol. 123[a] — Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: N. XVI DE BENEVENTO.

---

603. *Venceslao de Brunna providetur de altari s. Margarethae in ecclesia Pragensi.*

Romae, 1392 Januarii 19.

Bonifacius .... Wenceslao de Pruna rectori altaris s. Margarite siti in ecclesia Pragensi .... Vite ac morum .... Dudum siquidem omnia beneficia ecclesiastica .... quorumcumque pro quibuscumque negociis ad Romanam curiam veniencium et recedencium ab eadem, si ipsi in locis ultra duas dietas legales ab eadem curia non remotis forsan tunc obierint vel eos imposterum summoveri contingeret ab hac luce, tunc vacancia et inantea vacatura, collacioni et disposicioni nostre reservantes decrevimus irritum ...., si secus .... contingeret attemptari. Cum itaque postmodum altare s. Margarete situm in ecclesia Pragensi, quod quondam Stephanus de Dubrawnik .... obtinebat, per ipsius Stephani obitum, qui nuper ad dictam curiam pro quibusdam suis negociis in eadem curia expediendis veniendo in villa S. Antiini Sabinensis diocesis, loco utique ultra unam dietam legalem ab Urbe, in qua tunc cum dicta curia residebamus, prout residemus, remoto, diem clausit extremum, vacaverit et vacare noscatur ad presens ...., nos .... altare predictum, quod sine cura est, et cuius fructus .... decem et octo marcharum argenti puri .... valorem annuum .... non excedunt, ... apostolica tibi auctoritate conferimus et de illo eciam providemus .... Datum Rome ap. S. Petrum quarto decimo kal. Februarii a. tercio.

Simili modo .... Beneventane et Pragensis archidiaconis et Conrado Carazolo canonico Neapolitane ecclesiarum ....

R. Lat. 22 fol. 272[a] — Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: N. XI. XIII DE BENEVENTO.

---

604. *Episcopo Tudensi et praeposito ecclesiae de Budissin Misnensis dioc. ac officiali Misnensi mandatur, quatenus Johanni Beugehut parrochialem ecclesiam in Kamenz[a]) dictae dioc., cuius fructus valorem annuum 16 marcarum argenti non excedunt, per obitum Johannis Dypultswalde, qui extra Romanam curiam decessit, vacantem, conferant, non obstante, quod dictus Johannes Beugehut parrochialem*

ecclesiam in Ottendorf eiusdem dioc. obtinet, quam autem dimittere tenetur, quam primum praedictam ecclesiam in Kamenz assecutus fuerit. „ Vite ac morum“ „Rome ap. S. Petrum septimo kal. Februarii a tercio.“

Romae, 1392 Januarii 26.

R. Lat. 22 fol. 191a — a) ‚Camencz‘. — In fine: PRO DEO, N. DE BENEVENTO.

605. *Thesaurario ecclesiae Gneznensis mandatur, quatenus Nicolaum Penaskonis cancellarium ecclesiae Cracoviensis surroget ad omne ius, quod quondam Nicolao Martini de ‚Zneow‘ in canonicatu et praebenda ecclesiae Gneznensis tempore eius obitus competebat, super quibus quidem canonicatu et praebenda, per promotionem Dobrogostii in episcopum Poznaniensen vacantibus, idem Nicolaus cum Mathia Czeslai presbytero Vratislariensis dioc. in palatio apostolico litigabat. „Dignum arbitramur“ „Rome ap. S. Petrum septimo kal. Februarii a. tercio.“*

Romae, 1392 Januarii 26.

R. Lat. 21 fol. 113a - Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: N. XX DE BENEVENTO.

606. *Vikerius abbas Gradicensis quitatur de solutione complementi servitiorum Petri antepraedecessoris sui camerae sacri collegii.*

Romae, 1392 Januarii 27.

Henricus [. . . . s. Anastasie presbyter cardinalis, sacri collegii . . . . cardinalium camerarius, ... notum facimus], quod venerabilis pater frater Vinkerus abbas monasterii s. Stephani Gradicensis premonstratensiis [ord.] pro complemento communis servicii fratris Petri antepredecessoris sui . . . . viginti unum florenum auri de camera, solidos viginti novem et denarios duos monete Romane . . . ., et pro complemento unius sui minuti servicii . . . . florenum unum, solidos duodecim, denarios septem et obolum dicte monete [solvi fecit] . . . . Datum [Rome ap. S. Petrum a. 1392, ind. XV,] die vicesima septima mensis Januarii pont . . . . anno tercio.

Oblig. et sol. 59 fol. 24a — In fine. FL. III GR. III.

---

607. *Obligatio Materni episcopi Vesprimiensis.*

Romae, 1392 Januarii 30.

Indiccione XV, [anno pont. III.], die martis, penultima die mensis Januarii reverendus pater dom. Jacobus prepositus s. Georgii Strigoniensis et domini nostri pape referendarius, dom. Adam de Neseticz decretorum doctor, ca-

nonicus Olomucensis, dom. Martinus archidiaconus Sathmariensis et canonicus Transiluanus, dom. Johannes rector parrochialis ecclesie in Nepomuk, vicarius ecclesie Olomucensis, dom. Gregorius archidiaconus Cracouiensis, dom. Thomas Cacz canonicus prebendatus ecclesie s. Marie Albe Regalis Vesprimiensis diocesis tamquam principales et private persone promiserunt camere et collegio pro communi servicio reverendi in Chr. patris dom. Materni episcopi seu electi Vesprimiensis noningentos florenos auri de camera et quinque servicia consueta; item recognovit camere et collegio pro communi servicio dom. Benedicti antipredecessoris sui alios noningentos florenos similes et quinque servicia consueta, solvendo medietatem promissi in festo asumpcionis b. Marie virginis proxime futuro, aliam medietatem in festo nativitatis domini nostri Jesu Chr. extunc proxime secuturo et recognitum in similibus terminis anno revoluto . . . .

Oblig. et sol. 52 fol. 28^{b}, et iterum Oblig. et sol. 48 fol. 130^{a} — Ed. Fraknói, Monumenta Romana episcopatus Vesprimiensis, tom. II. p. 282.

---

608. *Abbati monasterii in Velehrad mandatur, quatenus Martinum de Bisenz monachum sui monasterii habilitet.*

Romae, 1392 Januarii 31.

Bonifacius . . . . abbati monasterii in Wellegrado cisterciensis ord. Olomucensis diocesis . . . . Sedes apostolica pia mater . . . . Sane peticio pro parte . . . . Martini de Bysencz monachi tui monasterii nobis nuper exhibita continebat, quod olim ipse ex quadam animi levitate de monasterio predicto, in quo regularem professionem emiserat, habitu dicti ordinis derelicto apostatando exivit et aliquamdiu fuit per seculum evagatus, vestes deferens clerici secularis, et deinde ad cor reversus ad monasterium ipsum redivit et ab excessu propterea commisso et excommunicacionis sentencia, quam incurrerat, fuit debite absolutus et pro commissis debitam et condignam sibi propterea iniunctam penitenciam peregit; quare pro parte ipsius Martini nobis fuit humiliter supplicatum, ut sibi suoque statui super hoc providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur volentes eundem Martinum, qui presbyter est, ... favoribus prosequi graciosis . . . . , discrecioni tue . . . . committimus et mandamus, quatenus, si est ita, prefato Martino, ut, premissis et quibuscumque constitucionibus apostolicis necnon statutis et consuetudinibus dicti monasterii et cisterciensis ordinis contrariis . . . . nequaquam obstantibus, ad stallum in choro et locum ac vocem in capitulo predicti monasterii recipi et admitti debeat et ad quecumque officia et administraciones ac dignitates, eciam abbaciales, monasterii et ordinis predictorum eligi, prefici et assumi valeat, apostolica auctoritate concedas et alias aboleas omnem inhabilitatis et infamie maculam sive notam per eum premissorum occasione contractam. Datum Rome ap. S. Petrum secundo kal. Februarii a. tercio.

R. Lat. 15 fol. 200^{b} — Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: PRO DEO, N. DE BENEVENTO.

---

609. *Vojtěchio de Otaslavicz conceditur, ut litterae apostolicae super licentia testandi alias ei concessae perinde valeant, ac si ipse in eis collector apostolicus fuisse expresse diceretur.*

Romae, 1392 Januarii 31.

Bonifacius . . . . Woytyechio de Ottaslawicz canonico Pragensi . . . . Sincere devocionis affectus, quem ad nos et Romanam geris ecclesiam, promeretur, ut peticiones tuas ad exaudicionis graciam admittamus. Dudum siquidem tibi, ut de bonis tuis undecunque alias licite acquisitis, que ad te commode pertinere dinoscebantur, libere testari valeres, per alias nostras litteras concessimus facultatem. Cum autem, sicut exhibita nobis nuper pro parte tua peticio continebat, tu dudum ante concessionem huiusmodi cuiusdam decime seu subsidii pro apostolica camera auctoritate apostolica impositi collector fuisti, et de hoc in concessione huiusmodi nulla mencio facta fuit, et propterea dubites concessionem huiusmodi non valere executoresque testamenti tui, si quod te condere contigerit, ac heredes tuos et alios, quorum interfuerit, occasione huiusmodi testamenti per collectores ac succollectores fructuum et proventuum dicte camere debitorum et alios bona, credita et debita prelatorum seu personarum ecclesiasticarum exigentes posse imposterum molestari, quare pro parte tua nobis fuit humiliter supplicatum, ut providere super hoc tibi de benignitate apostolica dignaremur: nos volentes circa hoc oportunum remedium adhibere, tuis in hac parte supplicacionibus inclinati, volumus et apostolica auctoritate concedimus, quod executores predicti ad execucionem huiusmodi testamenti procedere libere valeant, ac si in predicta concessione, quod huiusmodi decime seu subsidii collector fueris, expressa mencio habita extitiset. Nulli ergo . . . . Datum Rome ap. S. Petrum secundo kal. Februarii a. tercio.

R. Lat. 24 fol. 26ª — In marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: N. X DE BENEVENTO.

---

610. *Andreae de Broda Theutonicali conceditur, ut parrochialem ecclesiam in Popovicz et perpetuam vicariam in ecclesia Olomucensi usque ad biennium insimul retinere valeat.*

Romae, 1392 Februarii 10.

Bonifacius . . . . Andree de Broda Theutonicali rectori parrochialis ecclesie in Popowicz Pragensis diocesis . . . . Vite ac morum . . . . Sane peticio pro parte tua nobis nuper exhibita continebat, quod olim parrochiali ecclesia in Popowicz Pragensis diocesis, quam quondam Jacobus ultimus ipsius ecclesie rector . . . . obtinebat, per ipsius Jacobi obitum, qui extra Romanam curiam decessit, vacante, tu vigore quarundam litterarum nostrarum, per quas beneficium ecclesiasticum cum cura vel sine cura ad collacionem . . . . archidiaconi ecclesie Pragensis pertinens expectabas, predictam ecclesiam, sic vacantem et ad collacionem dicti archidiaconi pertinentem tibique ex ordine debitam, infra tempus legitimum acceptasti ac de illa tibi provideri fecisti; quodque postmodum perpetua vicaria in ecclesia Olomucensi, quam quondam Henricus de Ozebin[1]) . . . . obtinebat, per ipsius Henrici obitum, qui extra dictam curiam decesserat, vacante, quidam

tui procuratores ad hoc a te specialiter constituti, vigore quarumdam aliarum litterarum nostrarum, per quas beneficium ecclesiasticum sine cura, ad collacionem .... episcopi Olomucensis et .... prepositi, decani et capituli ecclesie Olomucensis predicte .... pertinens, expectabas, dictam vicariam, que sine cura est, sic vacantem et ad collacionem dictorum episcopi et capituli communiter pertinentem, te tunc in dicta curia residente, prout resides, et id ignorante, nomine tuo acceptarunt et de illa tibi provideri obtinuerunt et in eius possessionem nomine tuo inducti extiterunt, quam eciam eodem tuo nomine possident pacifice et quiete. Cum autem, sicut eadem peticio subiungebat, secundum statuta eiusdem Olomucensis ecclesie eandem vicariam pro tempore obtinens teneatur in eadem ecclesia Olomucensi facere continuam residenciam personalem, tuque propterea timeas te posse super parrochiali ecclesia et vicaria predictis impositarum molestari, nos volentes te, qui, ut asseris, in artibus bacallarius existis, ... favore prosequi gracioso, ... volumus et apostolica tibi, beneficium ecclesiasticum sine cura ad collacionem .... archiepiscopi Pragensis et .... prepositi, decani et capituli ecclesie Pragensis predicte .... pertinens auctoritate quarumdam litterarum nostrarum, ut asseris, expectanti, auctoritate concedimus, quod parrochialem ecclesiam et vicariam predictas, quarum fructus .... quindecim marcharum argenti .... valorem annuum, ut asseris, non excedunt, usque ad biennium dumtaxat a data presencium computandum, insimul licite retinere valeas, ita tamen, quod infra dictum biennium parrochialem ecclesiam seu vicariam huiusmodi pro aliquo alio beneficio ecclesiastico cum earum altera compatibili permutare, alioquin illam ex eis, quam prius assequeris .... , omnino dimittere tenearis .... Datum Rome ap. S. Petrum quarto idus Februarii a. tercio.

R. Lat. 25 fol. 206b — In marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: N. XX DE BENEVENTO. — [1]) i. e. Czebin, Čebín prope Tišnovicz.

---

611. *Episcopo Tudensi et abbati monasterii de Hradiště*[a]) *prope Olomucz et archidiacono ecclesiae Olomucensis mandatur, quatenus Johanni Adae de Předmost*[b]) *presbytero Olomucensis dioc. nullum beneficium ecclesiasticum assecuto parrochialem ecclesiam in Přikluky*[c]) *dictae dioc., cuius fructus valorem annuum decem marcarum argenti non excedunt, vacantem per obitum ultimi rectoris Nicolai extra Romanam curiam defuncti, conferant, non obstante, „quod nuper dicto Johanni super beneficio ecclesiastico cum cura vel sine cura, vacante vel vacaturo, spectante ad collacionem vel presentacionem .... prepositi ecclesie Olomucensis, in ea forma, secundum quam pro pauperibus clericis beneficiandis dudum scripsimus, per certos examinatores super hoc deputatos a nobis assignacio facta fuit, quam quidem assignacionem .... exnunc cassamus ....“ „Vite ac morum“ „Rome ap. S. Petrum quarto idus Februarii pont. n. a. tercio.“*

Romae, 1392 Februarii 10.

R. Lat. 22 fol. 211a — a) ‚Hradist‘ b) ‚Przyedmost‘ c) ‚Przyekluk‘ — In fine: RRO DEO, N. DE BENEVENTO.

---

612. *Episcopo Tudensi et [decanis]*[a]) *s. Petri Budissinensis ac. s. Mariae Wurczinensis*[b]) *Misnensis dioc. ecclesiarum mandatur, quatenus Nicolao de Göbeln*[c]) *de Dresden alias magistri Henrici clerico Misnensis dioc. parrochialem ecclesiam in Kirchhain*[d]) *dictae dioc., cuius fructus valorem annuum 10 marcarum argenti non excedunt, vacantem per mortem Andreae Sartoris extra Romanam curiam defuncti, conferant, non obstante, quod nuper eidem Nicolao de beneficio ecclesiastico cum vel sine cura, vacante vel vacaturo, ad collationem episcopi et capituli Misnensium pertinente, ac de alio sine cura, spectante ad collationem abbatissae et conventus monasterii in Marienstern*[e]) *cisterciensis ord., ac de parrochiali ecclesia de Belgern dictae dioc., quae tunc vacare sperabatur, per diversas litteras apostolicas a papa mandatum est provideri; quam ecclesiam in Belgern dimittere tenetur, quamprimum dictam ecclesiam in Kirchhain fuerit assecutus.* „*Vite ac morum*“ „*Rome ap. S. Petrum quarto idus Februarii a. tercio.*“

Romae, 1392 Februarii 10.

R. Lat. 22 fol. 204[a] — a) om. cod. b) ‚Worczynen‘ c) ‚Gobillnus, d) ‚Kirchhayn‘ e) ‚Merginstern‘ — In fine: PRO DEO, N. DE BENEVENTO.

---

613. *Archiepiscopo Pragensi mandatur, quatenus parrochialem ecclesiam in Našiměřicz, super qua Johannes de Kbel et Johannes de Ghulen in curia Romana litigant, sequestret, exhibiturus eiusdem fructus illi, qui finalem in causa victoriam obtinebit.*

Romae, 1392 Februarii 11.

Bonifacius .... archiepiscopo Pragensi .... Justis et honestis supplicum votis .... Dudum siquidem pro parte .... Johannis de Kbel perpetui vicarii in ecclesia Olomucensi nobis exposito, quod orta dudum inter .... Nicolaum rectorem parrochialis ecclesie in Superiori Holumbrunna Patauiensis diocesis et quondam Carolum Vitoslai de Zelicz ac quondam Henricum de Kawfunge presbyteros super parrochiali ecclesia in Nassmerzicz Olomucensis diocesis, ad quam .... Carolus se a vero patrono dicte ecclesie .... Jaroslao de Petrovicz et Hermanno de Naklis canonicis dicte ecclesie Olomucensis, vicariis in spiritualibus eiusdem Olomucensis ecclesie, ... presentatum fuisse, et quilibet ipsorum Nicolai, Caroli et Henrici eandem ecclesiam in Nassmericz ad se de iure spectare .... asserebant, materia questionis et causa huiusmodi per appellacionem dicti Caroli ad sedem apostolicam legittime introducta, fel. rec. Urbanus pp. VI. predecessor noster causam appellacionis huiusmodi et negocii principalis quondam Petro de Coppa capellano dicte sedis et auditori causarum palacii apostolici ad instanciam dicti Caroli .... commisit .... quodque idem Nicolaus liti et cause huiusmodi .... sponte cesserat, et tandem ...., cum dictus Henricus eciam extra eandem curiam decessisset, et .... Johannes de Ghulen, qui se gerit pro preposito ecclesie in Wolframskirchen predicte Olomucensis diocesis, per .... nobiles viros Benessium baronem baronie de Crawar et Stephanum dictum Sczepan armigerum dicte Olomucensis diocesis, asserentes se veros patronos dicte ecclesie in Nass-

merzicz . . . ., se prefatis vicariis ad ipsam ecclesiam presentari similiter procurasset suaque assereret interesse, dictus predecessor prefato Petro auditori ad instanciam dicti Johannis de Ghulen commiserat, ut ipsum Johannem de Ghulen ad eiusdem cause prosecucionem in eo statu, in quo ipsam causam inveniret, pro suo admitteret interesse; et deinde eodem Johanne de Ghulen per prefatum auditorem ad huiusmodi cause prosecucionem admissso . . . ., nos . . . . eidem Petro auditori nostris dederamus litteris in mandatis, ut, si per eventum litis huiusmodi sibi constaret neutrum ex Johanne de Ghulen et Carolo predictis in dicta ecclesia in Nassmerzicz ius habere, eandem ecclesiam in Nassmerzicz illi ex Johanne de Ghulen et Carolo prefatis, quem . . . . ad hoc ydoneum et sufficienciorem reperiret, auctoritate nostra conferret et assignaret; et postmodum, [cum], antequam prefatus Petrus auditor ad execucionem dictarum litterarum processisset, predictus Carolus . . . . eciam . . . . in predicta curia decessisset, nos . . . . Antonio electo Sybinicensi, tunc capellano nostro et auditori causarum dicti palacii, ... per alias nostras litteras mandavimus, ut eundem Johannem de Kbel . . . . in omni iure et ad omne ius, quod dicto Carolo tempore sui obitus in eadem parrochiali ecclesia seu ad eam quomodolibet competebat aut competere poterat, auctoritate nostra surrogaret . . . .;[1]) et cum dictus electus, tunc auditor, eundem Johannem de Kbel in huiusmodi iure surrogasset . . . . et inter eosdem Johannem de Kbel et Johannem de Ghulen ad nonnullos actus processisset, et similiter a quibusdam assereretur neutri ex Johanne de Kbel et Johanne de Ghulen prefatis in eadem parrochiali ecclesia ius competere: nos eidem electo, tunc auditori, per alias nostras litteras mandavimus, ut, si per eventum litis huiusmodi ei constaret neutri Johannis de Kbel et Johannis de Ghulen predictorum ius competere, eandem parrochialem ecclesiam . . . . prefato Johanni de Kbel auctoritate apostolica conferret et assignaret, prout in ipsis litteris plenius continetur.[2]) Postmodum vero, sicut exhibita nobis nuper pro parte dicti Johannis de Kbel peticio continebat, idem electus, tunc auditor, in huiusmodi causa procedens, diffinitivam, per quam eandem ecclesiam Johanni Kbel adiudicavit sibique de eadem providit et super ea Johanni de Ghulen prefatis perpetuum silencium imposuit, sentenciam promulgavit; a qua quidem sentencia pro parte dicti Johannis de Ghulen fuit ad sedem appellatum antedictam, nosque causam appellacionis huiusmodi ab eadem sentencia, ut prefertur, interposite . . . . magistro Andree Baret capellano nostro et auditori causarum palacii predicti . . . . commisimus . . . ., qui in causa huiusmodi inter partes ipsas ad nonnullos actus dicitur processisse. Cum autem, sicut eadem peticio subiungebat, predicti canonici, tunc vicarii, ut prefertur, apud se primo, et successive . . . . Nicolaus episcopus Olomucensis, de cuius persona eidem ecclesie Olomucensi postea provisum fuit,[3]) auctoritate ordinaria apud eundem Johannem de Ghulem (*sic*), tunc et nunc officialem curie Olomucensis, fructus eiusdem parrochialis ecclesie, antequam causa huiusmodi ad eandem curiam, ut premittitur, introducta existeret, ex certis causis duxerint sequestrandos, necnon apud eundem Johannem de Gulen presertim ex eo, quod res eius agitur in causa huiusmodi, ac predicta sentencia contra eum lata fuerit, ut prefertur, huiusmodi sequestrum congrue non remaneat, ymo idem Johannes de Kbel eum habeat quoad hoc merito in hac parte suspectum, pro parte dicti Johannis de Kbel fuit nobis humiliter

supplicatum, ut eandem parrochialem ecclesiam sequestrari iuxta constitucionem fel. rec. Clementis pp. V. . . . . super hoc editam in Viennensi concilio mandaremus. Nos itaque . . . . fraternitati tue . . . . mandamus, quatenus per te vel alium omnibus huiusmodi fructibus, qui durante dicto sequestro auctoritate ordinaria, ut premittitur, facto recollecti fuerint ab eisdem canonicis ac Johanne de Ghulen et ab aliis, penes quos prius existeret, efficaciter repetitis et recollectis, eandem ecclesiam iuxta constitucionem eandem auctoritate nostra sequestrare procures, exhibituras id, quod de ipsius parrochialis ecclesie fructibus debitis eius supportatis oneribus superesse contigerit, illi, qui finalem in causa victoriam obtinebit, et eciam recollectos fructus huiusmodi pretextu sequestri predicti, eadem auctoritate ordinaria, ut premittitur, facti, illi, cui de iure fuerint exhibendi . . . . Datum Rome ap. S. Petrum tercio idus Februarii a. tercio.

R. Lat. 25 fol. 147[a] — In fine: N. XX DE BENEVENTO — [1]) Vide nr. 350. [2]) Nr. 491. [3]) Nicolaus de Riesenburg post mortem Petri Jelito († 1387 Febr. 12) ab ecclesia Constantiensi ad Olomucensem translatus est (ante 1388 Maii 4).

---

614. *Nicolao de Volavia*[a]) *canonico Vratislaviensi [per litteras postea cassatas] conceditur, ut in assecutione praebendae, dignitatis, personatus seu officii ecclesiae Vratislaviensis, quae vigore aliarum litterarum apostolicarum exspectat,* [1]) *etiam omnibus illis anteferatur, quibus praeferri deberet, si tempore datae dictarum litterarum familiaris apostolicus fuisset. „Vite ac morum“ „Rome ap. S. Petrum idibus Februarii pont. a. n. tercio.“*

Romae, 1392 Februarii 13.

R. Lat. 25 fol. 208[b] — [a]) ‚Wolania‘ — In marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine N. XVI DE BENEVENTO. In registro copia huius bullae est cancellata, hac nota in margine adiuncta: CASSATA ET CANCELLATA' DE MANDATO DOMINI NOSTRI. JAC. DE TERAMO. — [1]) Cf. nros. 204. 205.

---

615. *Iudicibus mandatur, quatenus ad executionem sententiae, per quas Nicolao Gladiatoris parrochialis ecclesia in Sommerfeld adiudicata est, contra omnes in ea intrusos vel intrudendos procedant.*

Romae, 1392 Februarii 18.

Bonifacius . . . . episcopo Tornacensi et . . . . preposito ecclesie Luthomericensis Pragensis diocesis ac officiali Wratislauiensi . . . . Exhibita nobis pro parte . . . . Nicolai Gladiatoris rectoris parrochialis ecclesie in Sonnerfelt Misnensis diocesis peticio continebat, quod ipse in causa, per eum contra . . . . Sanderum Yesche, qui se gerit pro presbytero dicte diocesis, super dicta ecclesia, de qua tunc certo modo vacante eidem Nicolao auctoritate apostolica graciose provisum fuerat, et quam dictus Sanderus occupaverat et detinuerat ac detinebat indebite occupatam, fructus ex ea percipiens, mota et in palacio apostolico coram diversis auditoribus causarum dicti palacii ex commissionibus apostolicis diucius ventilata, tandem idem Nicolaus tres pro se et contra dictum Sanderum,

per quas ecclesia predicta Nicolao adiudicata et super ea Sandero prefatis perpetuum silencium impositum fuit, diffinitivas sentencias reportavit et super execucione huiusmodi sentenciarum apostolicas ad vos sub certa forma litteras impetravit. Cum autem, sicut eadem peticio subiungebat, ... Petrus Bollenfros, qui se gerit pro presbytero dicte diocesis, post et contra dictas sentencias in dicta ecclesia se intruserit, ipseque Nicolaus dubitet, quod eciam aliquis alius imposterum in eadem ecclesia se intrudat, pro parte dicti Nicolai nobis fuit humiliter supplicatum, ut providere sibi super hoc de oportuno remedio dignaremur. Nos igitur .... discrecioni vestre .... mandamus, quatenus .... tam contra dictum Petrum quam contra quemcunque alium in dicta ecclesia iam forsan intrusum seu imposterum intrudendum, quoad possessionem dicte ecclesie ipsi Nicolao dumtaxat tradendum, perinde auctoritate nostra procedatis, ac si dicte sentencie contra eos late forent .... Datum Rome ap. S. Petrum tercio decimo kal. Marcii a. tercio.

R. Lat. 25 fol. 153b — In fine: PRO DEO, N. DE BENEVENTO.

---

616. *Auditori apostolico mandatur, quatenus Petrum de Konĕprus surroget ad omne ius, quod Venceslao de Svojetín in parrochiali ecclesia in Hořelicz tempore eius cessionis competebat.*

Romae, 1392 Martii 1.

Bonifacius .... magistro Johanni de Dulmen capellano nostro et auditori causarum palacii apostolici .... Litterarum sciencia, vite ac morum honestas ...., super quibus .... Petrus de Konyeprass presbyter Pragensis diocesis, magister in artibus, ... commendatur ...., nos inducunt, ut sibi reddamur .... liberales. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dicti Petri peticio continebat, quod orta dudum inter ipsum et .... Wenceslaum de Swagyetin dictum Kleczka clericum dicte diocesis super parrochiali ecclesia in Horzielicz eiusdem diocesis, quam, tunc per obitum quondam Mathie ultimi rectoris eiusdem ecclesie extra Romanam curiam defuncti vacantem, Petrus auctoritate quarundam litterarum graciose sibi concessarum, prout ex ipsarum forma poterat, se infra tempus legitimum acceptasse et de illa sibi provisum seque ipsam asseccutum fuise canonice, dictumque Wenceslaum se gracie, provisioni et assecucioni huiusmodi contra iusticiam opposuisse ac fecisse, quominus ipse Petrus eandem ecclesiam pacifice possidere posset; Wenceslaus vero predicti ecclesiam ipsam ad se de iure spectare asserebant, prout adhuc idem Petrus asserit, materia questionis et causa huiusmodi ad sedem apostolicam legitime introducta: nos causam ipsam tibi ad instanciam dicti Wenceslai .... commisimus ...., tuque in causa huiusmodi inter easdem partes ad nonnullos actus citra tamen conclusionem diceris processisse. Cum autem, sicut eadem peticio subiungebat, lite huiusmodi sic indecisa pendente, prefatus Wenceslaus liti et cause huiusmodi ac omni iuri, si quod ei in dicta ecclesia seu ad eam quomodolibet competeit aut competere potuit, in manibus tuis apud sedem predictam libere et sponte cesserit, nos .... discrecioni tue .... mandamus, quatenus eundem Petrum .... in omni iure et ad omne

ius huiusmodi, si quod predicto Wenceslao tempore cessionis huiusmodi in ipsa ecclesia, cuius fructus .... quindecim marcharum argenti puri .... valorem annuum .... non excedunt, seu ad eam quomodolibet competebat aut competere poterat, ut prefertur, auctoritate nostra surroges ...., et nichilominus, si per eventum litis huiusmodi tibi constiterit, Wenceslao tempore cessionis predicte non competiise aut Petro prefatis non competere ius in ecclesia predicta, eandem ecclesiam .... dicto Petro auctoritate predicta conferas et assignes ...; non obstantibus ...., quod dudum eidem Petro, ut asserit, de beneficio ecclesiastico cum cura vel sine cura, vacante vel vacaturo, ad collacionem .... prepositi, decani, scolastici, capituli singulorumque canonicorum et personarum ecclesie ss. Cosme et Damiani alias s. Wenceslai in Antiqua Boleslauia dicte diocesis .... pertinente, graciose concessimus provideri. Volumus autem, quod, quamprimum ipse Petrus dictam ecclesiam .... fuerit pacifice assecutus, prefata concessionis gracia, quoad curatum beneficium dumtaxat, ac predicte littere, per quas eandem ecclesiam acceptavit et de illa sibi provideri fecit, ut prefertur, et quecunque inde secuta sint cassa .... Datum Rome ap. S. Petrum kal. Marcii a. tercio.

R. Lat. 24 fol. 55ª — Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: N. XXII DE BENEVENTO.

---

617. *Johanni Koselicz providetur de praepositura hospitalis s. Spiritus extra muros Saganenses.*

Romae, 1392 Martii 25.

Bonifacius .... Johanni Koselicz preposito hospitalis s. Spiritus extra muros Saganenses ord. s. Augustini Wratislauiensis diocesis .... Religionis zelus, vite ac morum .... Dudum siquidem omnes dignitates, personatus et officia ceteraque beneficia ecclesiastica, que promovendi per nos ad quoruncunque monasteriorum regimina tempore promocionum huiusmodi obtinerent, cum illa extunc vacare contingeret, collacioni et disposicioni nostre reservantes, decrevimus extunc irritum ...., si secus .... contingeret attemptari. Cum itaque postmodum prepositura hospitalis s. Spiritus extra muros Saganenses ord. s. Augustini Wratislauiensis diocesis, quam .... Mathias abbas monasterii s. Marie Saganensis ordinis et diocesis predictorum tempore promocionis facte per nos de ipso ad dictum monasterium tunc vacans obtinebat, per huiusmodi promocionem et ex eo, quod idem abbas possessionem administracionis bonorum dicti monasterii fuit pacificam assecutus, vacaverit et vacare noscatur ad presens ..... nos .... dictam preposituram, cui cura animarum imminet, et que dignitas vel personatus non existit, et ad quam quis per eleccionem non assumitur, a dicto monasterio dependentem et per canonicos ipsius monasterii, cuius canonicus expresse professus existis, solitam gubernari, cuius fructus .... decem marcharum argenti puri .... valorem annuum .... non excedunt ...., apostolica tibi auctoritate conferimus et de illa eciam providemus .... Datum Rome ap. S. Petrum octavo kal. Aprilis a. tercio.

Simili modo .... episcopo Tornacensi et .... preposito ac decano ecclesie b. Marie virginis Maioris Glogowie Wratislauiensis diocesis ....

R. Lat. 24 fol. 270b — Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: N. XIII. XV DE BENEVENTO.

---

618. *Andreae Nicolai reservatur unum beneficium ecclesiasticum cum cura et aliud sine cura in civitate et diocesi Olomucensibus.*

Romae, 1392 Aprilis 1.

Bonifacius .... Andree Nicolai decano Olomucensi .... Vite ac morum .... Volentes itaque tibi .... graciam facere specialem, unum cum cura, eciam si dignitas, personatus vel officium cum cura vel sine cura et dignitas ipsa principalis in collegiata et ad quam consueverit quis per eleccionem assumi, cuius viginti quinque, et aliud sine cura beneficia ecclesiastica, eciam si canonicatus et prebenda in cathedrali ecclesiis fuerint, cuius decem et octo marcharum argenti fructus .... valorem annuum non excedant, ad quorumcunque collacionem .... pertinencia, si qua in civitate et diocesi Olomucensibus vacant ad presens, vel cum simul aut successive vacaverint ...., conferenda tibi ...., eciam si beneficia huiusmodi aut eorum alterum fuerint seu fuerit disposicioni apostolice quomodocunque generaliter reservata aut reservatum, dummodo ipsa beneficia seu eorum alterum ex alicuius seu aliquorum ex .... cardinalibus aut .... sedis apostolice familiarium continuorum et commensalium personis non vacaverint seu vacaverit, donacioni apostolice reservamus ....; non obstantibus ...., si aliqui super provisionibus sibi faciendis .... dicte sedis vel legatorum eius litteras impetrarint ...., quibus omnibus, eciam auctoritate nostra beneficia huiusmodi expectantibus, preterquam cardinalibus et familiaribus predictis, te .... volumus anteferri ...., seu quod in Olomucensi cum decanatu, qui dignitas curata et maior post pontificalem in eadem existit, et ad quam quis consuevit per eleccionem assumi, et in s. Petri in Brunna dicte diocesis ecclesiis canonicatus et prebendas nosceris obtinere, ac nos dudum tibi, ut asseritur, de canonicatu sub expectacione prebende ecclesie Pragensis per alias nostras litteras duximus providendum. Nos enim tecum, ut dignitatem seu personatum vel officium aut beneficium curatum huiusmodi seu aliam quamcunque dignitatem vel personatum aut officium vel beneficium curatum, si illam aut illum vel illud vigore presencium aut alias tibi canonice conferri contingat, recipere et usque ad triennium cum dicto decanatu retinere libere et licite valeas ...., dispensamus ...., ita eciam, quod alterum vel alteram ex decanatu ac dignitate vel personatu seu officio aut beneficio curato huiusmodi infra triennium huiusmodi pro alio beneficio ecclesiastico cum eorum reliquo compatibili permutare, alioquin decanatum predictum ...., ac eciam quamprimum vigore presencium alios canonicatum et prebendam ecclesie Olomucensis fueris pacifice assecutus, predictos canonicatum et prebendam, quos in dicta Olomucensi ecclesia, ut prefertur, obtines, ... omnino dimittere tenearis .... Datum Rome ap. S. Petrum kal. Aprilis a. tercio.

Simili modo .... episcopo Tudensi et .... abbati monasterii Lucensis Olomucensis diocesis ac .... officiali Luthomuslensi ....

R. Lat. 23 fol. 180b — In fine: N. XXVIIII. XXXI DE BENEVENTO.

---

619. *Henricus tit. s. Anastasiae presbyter cardinalis, sacri collegii cardinalium camerarius, Henricum episcopum Vladislaviensem*[a]) *quitat de pecunia, quam pro parte partis suorum communis et minuti servitiorum per manus Petri Adolphi*[b]) *rectoris parrochialis ecclesiae s. Catherinae prope Vratislaviam camerae sacri collegii solvi fecit. „[Rome ap. S. Petrum a. 1392] die XIII. Aprilis pont. a. tercio."*

Romae, 1392 Aprilis 13.

Oblig. et sol. 59 fol. 26a — a) ‚Wlatislauien'. b) ‚Delfi' — In fine: FL. II GR. II.

---

620. *Ecclesiam monasterii Břevnoviensis prope Pragam ord. s. Benedicti certis diebus anni visitantibus et ad eius conservationem manus adiutrices porrigentibus septem anni et novem quadragenae resp. centum dies de iniunctis eis poenitentiis relaxantur. „Licet is" „Rome ap. S. Petrum XII. kal. Maii pont. n. a. tertio".*

Romae, 1392 Aprilis 20.

Editum ap. Dobner, Monum. hist. Bohemiae VI p. 114 (Hist. diplom. Brewnov. nr. 129.) — Copia ex originali archivii Břevnoviensis B IV. 121. in diplomatario manuscripto musei regni Bohemiae habetur, iuxta quam originale, cui bulla plumbea Bonifacii IX. appendet, has notas habet: (sub plica ad sin.) XXX, COM[PUTAVI]; (in plica ad dext.) REGISTRATA GRATIS, FRANCISCUS; (a tergo) R[EGISTRATA].

---

621. *Nicolaus Gyzeleri canonicus monasterii in Sagano ord. s. Augustini Vratislaviensis dioc. in sedis apostolicae capellanum recipitur. „Virtutibus clarens" „Rome ap. S. Petrum XII. kal. Maii pont. n. a. tercio."*

Romae, 1392 Aprilis 20.

R. Vat. 313 fol. 312b cum his notis in fine: (ad sin.) X, N. DE PIPERNO, JO. DE MALESICZ; (ad dext.) JO. DE LYNS — Altera copia in Arm. XXXI tom. 36 fol. 39b.

---

622. *Judicibus mandatur, quatenus Smiloni de Vicov archidiaconatum Litoměřicensem necnon canonicatum et praebendam Vyšehradensis ecclesiae conferant.*

Romae, 1392 Aprilis 29.

Bonifacius .... episcopo Tornacensi et .... Olomucensi ac Wratislauiensi officialibus .... Nobilitas generis, litterarum sciencia, vite ac morum honestas ...., super quibus .... Smylo de Wyczow canonicus Olomucensis, bacallarius in decretis, ... commendatur ...., nos inducunt, ut sibi reddamur .... liberales. Cum itaque ... archidiaconatus Litomeriensis in maiori necnon canonicatus et prebenda in s. Petri Wissegradensi Pragensibus Romane ecclesie immediate subiecta ecclesiis, quos quondam Jacobus de Sicca archidiaconus Litomeriensis in maiori et canonicus in s. Petri ecclesiis eisdem .... obtinebat, per obitum ipsius Jacobi, qui extra Romanam curiam diem clausit extremum, vacaverint et vacare noscantur ad presens, nos volentes prefato Smyloni, qui, ut asserit, ex utroque parente de nobili genere procreatus existit, ... graciam facere specialem, discrecioni vestre .... mandamus, quatenus .... archidiaconatum, qui curatus seu dignitas vel personatus non est, et ad quem quis per eleccionem non assumitur, necnon canonicatum et prebendam predictos, quorum omnium fructus .... triginta marcharum argenti puri .... valorem annuum .... non excedunt ...., eciam si .... prefatus Jacobus fructuum et proventuum camere apostolice in provincia Pragensi debitorum collector fuerit, ... prefato Smyloni auctoritate nostra conferre et assignare curetis ....; non obstantibus ...., quod idem Smylo, ut asserit, canonicatum et prebendam ecclesie Olomucensis et parrochialem ecclesiam in Ratay, quorum quindecim puri, obtinet, et super parrochiali ecclesia in Donka Olomucensis diocesis, cuius duodecim marcharum argenti fructus .... valorem annuum non excedunt, in partibus noscitur litigare. Volumus autem, quod ipse Smylo, quamprimum .... dicti archidiaconatus possessionem fuerit pacificam assecutus, parrochiales ecclesias predictas, si ecclesiam ipsam in Donka interim evincat, ... ac omne ius sibi in dicta ecclesia in Donka seu ad eam quomodolibet competens omnino, prout ad id eciam se sponte obtulit, dimittere teneatur .... Datum Rome ap. S. Petrum tercio kal. Maii a. tercio.

R. Lat. 21 fol. 187a — In fine: N. XX DE BENEVENTO.

---

623. Johanni de Třemošnicz providetur de canonicatu et praebenda ecclesiae Vyšehradensis.

Romae, 1392 Maii 1.

Bonifacius .... Johanni Petri de Trzemosnicz canonico ecclesie s. Petri Wissegradensis prope Pragam ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinentis .... Vite ac morum .... Dudum siquidem omnes canonicatus et prebendas ceteraque beneficia ecclesiastica quorumcunque collectorum et succollectorum fructuum et proventuum camere apostolice debitorum, tunc vacancia et inantea vacatura, collacioni et disposicioni nostre reservantes, decrevimus extunc irritum, si secus .... contingeret attemptari. Cum itaque postmodum canonicatus et prebenda ecclesie s. Petri Wissegradensis prope Pragam ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinentis, quos quondam Jacobus de Sicca .... obtinebat, per ipsius Jacobi obitum, qui, dum dictos canonicatum et prebendam obtineret, huiusmodi

fructuum et proventuum in civitate et diocesi Pragensibus succollector existens, extra Romanam curiam diem clausit extremum, vacaverint et vacent ad presens [1]) ...., nos volentes tibi, qui, ut asseris, pluribus annis in registris thesaurarie camere nostre apostolice scribendo fideliter servivisti, prout servis de presenti, ... graciam facere specialem, canonicatum et prebendam predictos, quorum fructus .... sexdecim marcharum argenti puri .... valorem annuum .... non excedunt, ... apostolica tibi auctoritate conferimus et de illis eciam providemus ....; non obstantibus ...., quod, ut asseris, super plebania alias rectoria nuncupata s. Egidii Pragensi, cuius viginti quatuor marcharum argenti fructus .... valorem annuum non excedunt, in palacio apostolico litigas,[2]) et nos dudum tibi de canonicatu sub expectacione prebende Olomucensis ac de beneficio ecclesiastiaco cum cura vel sine cura vacante vel vacaturo, ad collacionem .... archiepiscopi Pragensis et .... prepositi, decani, scholastici, archidiaconi et capituli singulorumque canonicorum et personarum Pragensis ecclesiarum .... pertinente, graciose concessimus provideri .... Datum Rome ap. S. Petrum kal. Maii a. tercio.

Simili modo .... episcopo Perusino et .... decano s. Apolinaris Pragensis et archidiacono Boleslauiensi maioris Pragensis ecclesiarum ....

R. Lat. 23 fol. 271[a] — Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: N. XIII. XV DE BENEVENTO. — [1]) De eisdem canonicatu et praebenda 1392 April. 29 Smiloni de Vicov provisum est; cf nr. 622. [2]) Cf. nr. 438.

---

624. *Johanni Czewiin clerico Vratislaviensis dioc. reservatur beneficium ecclesiasticum cum vel sine cura, consuetum clericis saecularibus assignari, cuius fructus 25 resp. 18 marcarum argenti valorem annuum non excedant, ad collationem abbatissae et conventus monasterii in Liebenthal*[a]) *cisterciensis ord. Vratislaviensis dioc. pertinens, si quod vacat, vel cum vacaverit. „Vite ac morum“ „Rome ap. S. Petrum secundo nonas Maii a. tercio.“ — Simili modo episcopo Tudensi et abbati monasterii s. Mariae in Arena extra muros Vratislavienses ac scholastico ecclesiae Vratislaviensis.*

Romae, 1392 Maii 6.

R. Lat. 22 fol. 145[a] — [a]) ‚Libental‘ — In fine: PRO DEO, N. DE BENEVENTO.

---

625. *Nicolao dicto Papa canonico Zderaziensi indulgetur, ut per praepositum ad alienas provincias transmitti non possit.*

Romae, 1392 Maii 30.

Bonifacius .... Nicolao dicto Papa canonico domus s. Sepulchri dominici Jerosolymitani Sderasiensis Pragensis ord. s. Augustini .... Religionis zelus .... Exhibita siquidem nobis nuper pro parte tua peticio continebat, quod prepositus domus s. Sepulchri dominici Jerosolymitani Sderasiensis Pragensis ord.

s. Augustini pro tempore existens canonicos eiusdem domus, cuius canonicus eciam expresse professus existis, eciam pro levibus causis ex quadam pretensa consuetudine de dicta domo licenciat et ad alienas et longinquas provincias pro penitentia, ut dicit, peragenda transmittit, propter quod nonnulli canonici dicte domus effecti sunt vagabundi et ipsi domui multa incomoda pervenerunt. Nos igitur volentes te, qui presbyter es et, ut asseris, in domo predicta perpetuum desideras domino reddere famulatum, ... favoribus prosequi graciosis ...., tibi, ut per dictum prepositum seu quosvis alios a dicta domo licenciari seu ad quevis alia loca transmitti non possis, dummodo, si forte delinquere te contingat, in domo predicta per eos, ad quos pertinuerit, iuxta iuris exigenciam puniaris, auctoritate apostolica de speciali gracia tenore presencium indulgemus, statutis et consuetudinibus domus et ordinis predictorum .... et aliis contrariis non obstantibus quibuscunque .... Datum Rome ap. S. Petrum tercio kal. Junii a. tercio.

R. Lat. 24 fol. 303b — In fine: N. XX DE BENEVENTO.

---

626. Praeposito ecclesiae Budissinensis Misnensis dioc. mandatur, quatenus Johannem de Pötzscha[a]) decanum Misnensem, quamprimum magister Theodericus de Nyem canonicus Leodiensis, litterarum apostolicarum scriptor et abbreviator, aliquam dignitatem, personatum vel officium in civitate et diocesi Leodiensibus assecutus fuerit, ad omne ius surroget, quod eidem Theoderico in canonicatu et praebenda ecclesiae Misnensis competit, quodque ipse per assecutionem huiusmodi dimittere tenetur. „Dignum arbitramur" „Rome ap. S. Petrum nonis Junii a. tercio."

Romae, 1392 Juni 5.

R. Lat. 21 fol. 97b — [a]) ‚Potzte' — Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: N. XXIII DE BENEVENTO. — Ed. Erler, Dietrich von Nieheim, Leipzig 1887, p. X.

---

627. Officiali Pragensi mandatur, quatenus, si Bolechomem in parrochiali ecclesia in Usk nullum ius habere reppererit, eandem ecclesiam Sigismundo de Usk conferat.

Romae, 1392 Junii 23.

Bonifacius .... officiali Pragensi .... Dignum arbitramur .... Exhibita siquidem nobis nuper pro parte .... Sigismundi de Vsk monachi monasterii Brewnoviensis prope Pragam ord. s. Benedicti peticio continebat, quod, cum olim Nicolaus dictus Siska presbyter Pragensis diocesis super parrochiali ecclesia in Vsk dicte diocesis in palacio apostolico coram certo auditore causarum eiusdem palacii ex commissione apostolica litigando, diffinitivam, per quam ecclesia ipsa sibi adiudicata et super ea cuidam adversario suo perpetuum silencium impositum fuerat, sentenciam reportasset, et super execucione huiusmodi sentencie, que nulla provocacione suspensa in rem transivit iudicatam, apostolicas ad certos

iudices sub certa forma litteras impetrasset, dictusque Nicolaus, antequam sentencia ipsa execucioni debite demandaretur, super prefata ecclesia de alto et basso in nobilem virum Henricum dominum loci de Rosinberg predicte diocesis de facto compromisisset, prefatisque ac omnibus aliis apostolicis litteris et processibus super dicta ecclesia pro parte sua habitis et habendis renunciasset, predictusque Henricus huiusmodi litteras et processus per easdem habitos dicto Nicolao consenciente eciam de facto laniasset, ac Bolecho parrochialem ecclesiam in Klokot dicte diocesis, quam tunc temporis obtinebat, et cuius ius patronatus ad dictum Henricum pertinebat, in manibus ipsius Henrici extra Romanam curiam resignasset, idem Henricus Nicolaum ad in Klokot presentavit necnon Bolechonem predictos ad in Vsk ecclesias prefatas sic vacantes, que eciam de iure patronatus quorundam laicorum existebat, presentandum decrevit et presentari loci ordinario et per eundem loci ordinarium Nicolaum in Klokot ac Bolechonem in Vsk ecclesiarum predictarum rectores symoniaca pravitate interveniente institui prefatoque Nicolao, cum in Klokot minus quam in Vsk ecclesie predicte valerent, annuatim triginta sexagenas grossorum monete Pragensis per dictum Bolechonem cum effectu persolvi fecit similiter de facto. Nos igitur attendentes, quod, si est ita, dicto Bolechoni in prefata ecclesia in Vsk ex presentacione et institucione huiusmodi, sibi de illa factis, ut prefertur, nullum ius competit, ac volentes prefatum Sigismundum, qui, ut asserit, de nobili baronum et nobilium regni Boëmie prosapia ex utroque parente traxit originem, ... favore prosequi gracioso, discrecioni tue . . . . mandamus, quatinus vocatis dictis Bolechone et Nicolao et aliis, qui fuerint evocandi, super premissis summarie, simpliciter et de plano ac sine strepitu et figura iudicii auctoritate nostra te diligenter informes, et si per informacionem huiusmodi premissa reppereris fore vera, eadem auctoritate declares prefatum Bolechonem in ecclesia in Vsk ex presentacione et institucione predictis . . . . nullum ius habuisse vel habere, ac nichilominus, si declaracionem huiusmodi, ut prefertur, facere te contingat, et per diligentem examinacionem dictum Sigismundum . . . . ad obtinendum prefatam ecclesiam in Vsk ydoneum esse reppereris . . . ., eandem ecclesiam in Vsk, cuius fructus . . . . triginta marcharum argenti puri . . . . valorem annuum . . . . non excedunt . . . ., prefato Sigismundo, cum ad id eciam, ut asserit, dictorum patronorum ecclesie in Vsk accedat assensus, auctoritate nostra conferas et assignes . . . .; non obstantibus, quod dicta ecclesia in Vsk per seculares clericos dumtaxat consueverit gubernari, et apostolicis constitucionibus contrariis non obstantibus quibuscunque . . . . Datum Rome ap. S. Petrum nono kal. Julii a. tercio.

R. Lat. 24 fol. 305ª — Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: N. XXVI DE BENEVENTO.

---

628. *Iudicibus mandatur, quatenus in executione sententiae, per quam Johanni Hersevelt parrochialis ecclesia in Hrušovan (Grussbach) adiudicata est, contra omnes in ea intrusos et intrudendos procedant.*

Romae, 1392 Junii 25.

Bonifacius .... patriarche Constantinopolitano et .... archidiacono ecclesie Olomucensis ac officiali Olomucensi.... Exhibita nobis pro parte .... Johannis Herseuelt rectoris parrochialis ecclesie in Grunspan Olomucensis diocesis peticio continebat, quod olim ipse in causa, per eum contra .... Jacobum archiepiscopum Cesariensem super dicta parrochiali ecclesia, de qua tunc certo modo vacante eidem Johanni auctoritate apostolica graciose et canonice mandatum erat provideri [1]), et que sibi vigore gracie et mandati huiusmodi debebatur, et quam idem Jacobus archiepiscopus indebite occupaverat et fecerat, quominus eidem Johanni de dicta ecclesia provideretur, mota et in palacio apostolico coram certis auditoribus causarum palacii predicti ex commissionibus apostolicis diucius ventilata, duas pro se et contra dictum Jacobum, per quarum primam Johanni de dicta ecclesia provisum illaque sibi adindicata et super ea archiepiscopo prefato perpetuum silencium impositum extitit, diffinitivas sentencias reportavit, super execucione huiusmodi sentenciarum, quarum ultima nulla provocacione suspensa in rem transivit indicatam, nostras ad vos sub certa forma litteras impetravit. Cum autem .... dictus Johannes dubitet, ne aliqui alii in eadem ecclesia iam forsan se intruserint vel imposterum intrudant, pro parte ipsius Johannis nobis fuit humiliter supplicatum, ut providere sibi super hoc de oportuno remedio dignaremur. Nos igitur .... discrecioni tue .... mandamus, quatenus .... contra huiusmodi intrusos et intrudendos perinde, quoad possessionem dicte ecclesie eidem Johanni dumtaxat tradendam, procedatis, ac si dicte sentencie contra ipsos late fuissent .... Datum Rome ap. S. Petrum septimo kal. Julii a. tercio.

R. Lat. 24 fol. 125a — Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: PRO DEO. N. DE BENEVENTO — [1]) Vide nr. 453.

---

629. *Johannes Habardi de Vellin*[a]) *canonicus monasterii b. Mariae in Arena extra muros Vratislavienses ord. s. Augustini in sedis apostolicae capellanum recipitur.* „*Virtutibus clarens*“ „*Rome ap. S. Petrum IV. kal. Julii a. tercio.*“

Romae, 1392 Junii 28.

R. Vat. 313 fol. 332b cum hac nota in fine (ad dext.): REGISTRATA GRATIS, H. BERNHUS — Altera copia in Arm. XXXI tom. 36 fol. 41a — a) ‚Welyn‘.

---

630. *Officiali Strigoniensi mandatur, quatenus Johanni de Usk*[a]) *clerico Pragensis dioc. consideratione Sigismundi regis Ungariae pro eo, notario et familiari suo, supplicantis canonicatum et praebendam in ecclesia Transsilvana vacantes, quorum fructus valorem annuum 80 florenorum auri non excedunt, conferat.* „*Dignum arbitramur*“ „*Rome ap. S. Petrum nonis Julii a. tercio.*

Romae, 1392 Julii 7.

R. Lat. 13 fol. 37a — a) ‚Vsk‘ — Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: N. XXI DE BENEVENTO — Ed. Fraknói, Monum. Vatic. Hungariae, Ser. I. tom. III p. 199 nr. 225.

---

631. *Collectoribus et sucollectoribus fructuum et proventuum camerae apostolicae debitorum in Pragensibus et Salzburgensibus ac Vratislaviensibus provinciis, civitatibus et diocesibus mandatur, ut Johanni Griff de Greifenberg*[a]) *militi et Alberto de Tannheim*[b]) *domicello Augustensis et Constantiensis dioc. 2300 florenos auri (videlicet Pragenses 700, Salzburgenses 800 et Vratislavienses alios 800 florenos) de pecuniis camerae apostolicae assignent, cum dicti Johannes et Albertus de summa 3300 florenorum, in qua eis quondam Urbanus papa VI. tenebatur, et quam ex eius mandato Salzburgensis et Coloniensis collectores solvere debebant, ab eisdem collectoribus nonnisi 1000 florenos habuerint. „Alias tibi" „Rome ap. S. Petrum VI. idus Julii pont n. a. tercio."*

Romae, 1392 Julii 10.

R. Vat. 313 fol. 335[a] — [a]) ‚Griffenberg' [b]) ‚Tanhaim' — In fine: (ad sin.) P. DE BOSCO; (ad dext.) DE CURIA, H. BERNGHOS. — His litteris aliae Bonifacii IX. litterae ad Salzburgensem et Coloniensem collectores ddto. 1390 Nov. 2 insertae sunt, eaeque tenorem litterarum Urbani VI. dictis collectoribus sub datis 1388 Aug. 13 et 1388 Oct. 5. directarum continent

---

632. *Venceslaus episcopus Vratislaviensis quitatur de solutione partis suorum servitiorum camerae sacri collegii.*

Romae, 1392 Julii 11.

Henricus [. . . . s. Anastasie presbyter cardinalis, sacri collegii . . . . cardinalium camerarius, ... notum facimus,] quod reverendus pater dom. Vinceslaus episcopus Wratislauiensis pro parte partis sui communis servicii . . . . septuaginta novem florenos auri de camera, solidos quadraginta sex, denarios VI et obolum monete Romane . . . . , et pro parte partis unius eciam sui minuti servicii . . . . quinque similes florenos, solidos sex, denarios septem dicte monete die date presencium per manus domini Petri Adulfi rectoris parrochialis ecclesie s. Katherine prope Wratislauiam solvi fecit . . . . ; . . . . terminum [faciende solucionis residui . . . .] usque ad festum resurreccionis domini nostri Jesu Chr. proxime futurum prorogamus . . . . Datum [Rome ap. S. Petrum a. 1392, ind. XV], die XI. mensis Julii. pont. anno tercio.

Oblig. et sol. 59 fol. 28[b] — In fine: FL. II GR. II.

---

633. *Henricus s. Anastasiae presbyter cardinalis, sacri collegii cardinalium camerarius, Henricum episcopum Vladislaviensem*[a]) *quitat de pecunia, quam pro parte partis suorum communis et minuti servitiorum per manus Petri Adolphi*[b]) *rectoris parrochialis ecclesiae s. Catherinae prope Vratislaviam camerae sacri collegii solvi fecit. „[Rome ap. S. Petrum a. 1392] die XI. mensis Julii."*

Romae, 1392 Julii 11.

Oblig. et sol. 59 fol. 28[b] — [a]) ‚Wlatislauien'.

634. *Archiepiscopo Pragensi et episcopo Litomyšlensi mandatur, ut ab Henrico abbate Trebecensi fidelitatis iuramentum recipiant.*

Romae, 1392 Julii 15.

Bonifacius .... archiepiscopo Pragensi et .... episcopo Luthomuslensi .... Cum nuper monasterio Trebecensi ord. s. Benedicti Olomucensis diocesis tunc vacanti de persona dilecti filii Henrici abbatis dicti monasterii duxerimus providendum, preficientes eum dicto monasterio in abbatem, nos volentes eiusdem abbatis in illis partibus commorantis parcere laboribus ac expensis, ne propter hoc cogatur ad Romanam curiam personaliter laborare, fraternitati vestre auctoritate presencium committimus et mandamus, quatenus vos vel alter vestrum ab eodem abbate nostro nomine et Romane ecclesie fidelitatis solite recipiatis seu recipiat iuramentum iuxta formam, quam sub bulla nostra mittimus interclusam; formam autem iuramenti, quod dictus abbas prestabit, nobis de verbo ad verbum per suas patentes litteras ipsius sigillo sigillatas per proprium nuncium quantocius destinare curetis. Datum Rome ap. S. Petrum idibus Julii a. secundo.

R. Lat. 25 fol. 213b — In fine: N. XVI. DE BENEVENTO.

---

635. *Georgio Bemechin [de Budissin] rectori parrochialis ecclesiae in Kamenz*[a]) *Misnensis dioc. reservatur beneficium ecclesiasticum cum vel sine cura, cuius fructus 25 resp. 18 marcarum argenti valorem annuum non excedant, ad collationem rectorum ecclesiarum parrochialium s. Mariae in Freiberg*[b]) *et s. Nicolai in Kottbus*[c]) *Misnensis dioc. pertinens, si quod vacat, vel cum vacarerit; non obstante, quod dictam ecclesiam in Kamenz noscitur obtinere, quam dimittere tenetur, quamprimum aliquod curatum beneficium fuerit assecutus. „Vite ac morum" „Rome ap. S. Petrum idibus Julii a. tercio". — Simili modo episcopo Tudensi et cantori ecclesiae Budissinensis Misnensis dioc. ac officiali Pragensi.*

Romae, 1392 Julii 15.

R. Lat. 21 fol. 73[1] — a) ‚Camencz' b) ‚Fryberg' c) ‚Cotthebus' — In fine: N. XI. XIII DE BENEVENTO.

---

636. *Vicecancellario apostolico mandatur, quatenus resignatione canonicatus et praebendae ecclesiae Vyšehradensis a Francisco de Benešov recepta, dictos canonicatum et praebendam Nicolao de Borsnicz conferat.*

Romae, 1392 Julii 28.

Bonifacius .... Francisco episcopo Penestrino, s. Romane ecclesie vicecancellario .... Nobilitas generis, vite ac morum honestas aliaque .... merita, super quibus .... Nicolaus de Borsnicz canonicus Pragensis .... commendatur, ... nos inducunt, ut sibi reddamur .... liberales. Cum itaque .... Franciscus de Beniscow canonicus ecclesie s. Petri Wissegradensis Pragensis Romane ecclesie

immediate subiecte, cubicularius et subdiaconus ac referendarius noster, canonicatum et prebendam ipsius ecclesie s. Petri .... sponte resignare proponat, nos volentes prefato Nicolao, qui, ut asserit, ex utroque parente de militari genere procreatus existit et per quinquennium in iure canonico studuit, ... graciam facere specialem, fraternitati tue .... committimus et mandamus, quatenus ab eodem Francisco vel procuratore suo, super hoc ab eo speciale mandatum habente, resignacionem huiusmodi, si eam libere et sponte facere voluerit, auctoritate nostra hac vice recipias et admittas, et resignacione huiusmodi per te sic recepta et admissa, canonicatum et prebendam predictos, quorum fructus .... triginta marcharum argenti puri .... valorem annuum .... non excedunt, ... eidem Nicolao auctoritate predicta conferas et assignes ....; non obstantibus ordinacione fel. rec. Urbani pp. V. ...., qua cavetur, quod nullus in cathedrali et una seu duabus ecclesiis collegiatis civitatis Pragensis et eius suburbiis duos canonicatus et duas prebendas obtinere valeat ...., aut quod idem Nicolaus, ut asserit, Pragensis [1]) et Wratislauiensis ac Poznaniensis ac s. Crucis Wratislauiensis canonicatus et prebendas, quorum omnium fructus .... centum et decem marcharum argenti .... valorem annuum non excedunt, obtinet, quod[que] dudum sibi de Gneznensis et Olomucensis canonicatibus sub expectacionibus prebendarum necnon dignitatis, personatus vel officii eiusdem Pragensis ecclesiarum graciose concessimus provideri. Ceterum cum non sit verisimile, quod quis beneficia sua magnis forte laboribus acquisita, de quibus vite subsidium percipit, absque magna causa sponte resignet, attente provideas, quod ex parte Nicolai et Francisci predictorum in resignacione huiusmodi nulla pravitas interveniat seu eciam corruptela .... Datum Rome ap. S. Petrum quinto kal. Augusti a. tercio.

R. Lat. 23 fol. 282[a] — Supra in marg. sin: C[ANCELLARIA]; in fine: N. XXI DE BENEVENTO — [1]) Cf. nr. 486.

---

637. *Johannes episcopus Lubicensis [per litteras postea cancellatas] fructuum et proventuum camerae apostolicae in provincia Pragensi debitorum generalis collector et receptor instituitur. „Ex fideli et solicita“ „Rome ap. S. Petrum VIII. idus Augusti pont. n. a. tercio.*

Romae, 1392 Augusti 6.

Armar. XXXIII tom. 12 fol. 132[a] — In fine: (ad sin.) P. DE BOSCO; (ad dext.) DE CURIA, A. DE TERAMO — Copia huius bullae in registro cancellata est et in margine haec nota alia manu adscripta legitur: NON TRANSIVIT.

---

638. *Henricus abbas monasterii s. Mariae de Arena ord. s. Augustini Vratislaviensis dioc. [per litteras postea cancellatas] fructuum et proventuum camerae apostolicae in civitate et diocesi Vratislaviensibus generalis collector et receptor instituitur. „Ex fideli et solicita“ „Rome ap. S. Petrum VIII. idus Augusti pont. n. a. tercio.“*

Romae, 1392 Augusti 6.

Armar. XXXIII tom. 12 fol. 131[b] — In fine: (ad sin.) P. DE BOSCO; (ad dext.) DE CURIA, JO. DE LYNS — Copia huius bullae in registro cancellata est et in margine alia manu est adscriptum: NON TRANSIVIT.

---

639. *Patriarchae Gradensi et praeposito ac decano ecclesiae s. Petri Vyšehradensis*[a]) *extra muros Pragenses mandatur, quatenus Vito Sebastiani de Velvar*[b]) *presbytero Pragensis dioc. conferant parrochialem ecclesiam in Vleň*[c]) *dictae dioc., cuius fructus valorem annuum 10 marcarum argenti non excedunt, vacantem per mortem Johannis dicti Dumka extra Romanam curiam defuncti.* „*Vite ac morum*“ „*Rome ap. S. Petrum septimo kal. Septembris a. tercio.*“

Romae, 1392 Augusti 26.

R. Lat. 21 fol. 31[a] — a) ‚Wissegraden‘ b) ‚Welwar‘ c) ‚Welen‘ – Supra in marg. sin. C[ANCELLARIA]; in fine: PRO DEO, N. DE BENEVENTO.

---

640. *Obligatio Johannis episcopi Misnensis.*

Romae, 1392 Septembris 2.

Anno [nativ. 1392, pont. III°], die vero lune, secunda mensis Septembris, reverendus pater dom. Johannes episcopus Misinensis per dom. Nicolaum de Volania canonicum Wratislaniensem, procuratorem suum ad hoc legitime constitutum, promisit camere et collegio pro suo communi servicio id, in quo taxabitur iuxta informacionem mittendam de partibus, solvendo medietatem in festo resurreccionis domini nostri Jesu Chr. proxime futuro, aliam medietatem in festo nativitatis domini nostri Jesu Chr. tunc proxime secuturo . . . .

Oblig. et sol. 48 fol. 139[b]; et iterum verbis partim mutatis in Oblig. et sol. 52 fol. 30[a].

---

641. *Henricus s. Anastasiae presbyter cardinalis, sacri collegii cardinalium camerarius, Johannem episcopum Misnensem quitat de pecunia, quam pro parte partis suorum communis et minuti servitiorum per manus Nicolai de Volavia*[a]) *canonici Vratislaviensis camerae sacri collegii solvi fecit.* „*[Rome ap. S. Petrum a. 1392], die tercia mensis Septembris, pont. a. tercio.*“

Romae, 1392 Septembris 3.

Oblig. et sol. 59 fol. 29[b] — a) ‚Vulcouia‘ — In fine: FL. I GR. II.

---

642. *Johanni Ulman*[a]) *clerico Spirensi reservatur beneficium ecclesiasticum cum vel sine cura, cuius fructus 25 resp. 18 marcarum argenti valorem annuum non excedant, ad collationem praepositi, decani, capituli, ebdomadariorum, singulorumque*

canonicorum et personarum ecclesiae Spirensis pertinens, si quod vacat, vel cum vacaverit. „Vite ac morum“ „Rome ap. S. Petrum septimo idus Septembris a. tercio.“ — Simili modo s. Crucis Opoliensis Vratislaviensis dioc. et s. Germani extra muros Spirenses praepositis ac decano Vormatiensis ecclesiarum.

Romae, 1392 Septembris 7.

R. Lat. 26 fol. 41b — a) ‚Vlman‘— In marg. sin : C[ANCELLARIA]; in fine: PRO DEO, N. DE BENEVENTO.

---

643. *Divissio Clementis providetur de praepositura ecclesiae s. Johannis Baptistae in Scarbimiria Cracoviensis dioc., quam cum Stephano s. Marcelli presbytero cardinali pro canonicatibus et praebendis ecclesiarum s. Mariae in Sandomiria et S. Mariae in Kielce[a]) permutavit, „eciam si super eadem prepositura inter . . . . Nauogium Andree decanum Cracouiensis ex una et Nicolaum Tizonis prepositum s. Bartholomei in Glogouia Superiori Wratislauiensis dioc. ecclesiarum et ipsius occasione ex parte altera lis . . . . in palacio causarum apostolico remanserit indecisa, qui quidem Nauogius decanatum Cracouiensis et Nicolaus prepositurarn s. Bartholomei ecclesiarum earundem, qui dignitates sunt, ... huiusmodi lite pendente fuerint pacifice assecuti.“ „Apostolice sedis“ „Rome ap. S. Petrum tercio idus Septembris a. tercio.“ — Simili modo episcopo Premisliensi et decano ecclesiae Gneznensis ac officiali Cracoviensi.*

Romae, 1392 Septembris 11.

R. Lat. 23 fol. 202a — a) ‚Kelce“ — Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: N. XIII. XV DE BENEVENTO.

---

644. *Abbati monasterii s. Mariae in Arena extra muros Vratislavienses mandatur, quatenus causam inter Marcum Marci de Pilchowicz presbyterum Cracoviensis dioc. et Johannem Thomconis rectorem medietatis parrochialis ecclesiae s. Jacobi in Kazimiria eiusdem dioc. super canonicatu et praebenda ecclesiae Cracoviensis exorta auctoritate apostolica decidat. „Romani pontificis“ „Rome ap. S. Petrum tercio decimo kal. Novembris a. tercio.“*

Romae, 1392 Octobris 20.

R. Lat. 24 fol. 112b — Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: N. XXX DE BENEVENTO.

---

645. *Procopius Hostislai [de Václavicz] canonicus ecclesiae s. Petri Vyšehradensis[a]) prope Pragam in sedis apostolicae capellanum recipitur. „Virtutibus clarens“ „Perusii II. kal. Novembris pont. n. a. tercio.“*

Perusii, 1392 Octobris 31.

R. Vat. 314 fol. 10b cum his notis in fine: (ad sin.) X, G. WEERT; (ad dext.) PRO ERASMO, A. DE RIGHA. — Altera copia in Armar. XXXI tom. 36 fol. 42b — a) ‚Wissegraden'.

---

646. *Cum Mathia de Lhota dispensatur super irregularitate.*

Perusii, 1392 Novembris 11.

Bonifacius .... Mathie dicto Burda de Lhota presbytero Pragensis diocesis .... Sedes apostolica pia mater .... Exhibita siquidem nobis nuper pro parte tua peticio continebat, quod olim tu per quondam Zdatham rectorem parrochialis ecclesie in Wilharticz Pragensis diocesis, qui capellam sanctarum Marie Magdalene et Dorothee prope oppidum Wilharticz dicte diocesis canonice de novo fundaverat et sufficienter dotaverat et patronus eiusdem capelle .... existebat, in ipsius capelle rectorem, que quidem capella, postquam fundata et dotata fuerat, rectore caruerat, infra tempus legitimum .... Johanni archiepiscopo Pragensi presentatus et absque institucione capellam ipsam assecutus fuisti quamvis de facto et illam detinuisti per annum vel circiter, fructus percipiens ex eadem similiter de facto. Quare pro parte tua nobis fuit humiliter supplicatum, ut tibi tuoque statui super hoc providere .... dignaremur. Nos igitur .... omnem inhabilitatis et infamie maculam sive notam, per te premissorum occasione contractam, auctoritate apostolica .... penitus abolemus. Volumus autem, quod exnunc capellam ipsam realiter et omnino dimittas .... Datum Perusii tercio idus Novembris a. quarto.

R. Lat. 30 fol. 90b — In marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: PRO DEO, N. DE BENEVENTO.

---

647. *Electo Potentino mandatur, quatenus, si ei constiterit neque Mathiae de Lhota neque Jacobo dicto Mráz in quadam capella prope Vilharticz ius competere, eandem capellam dicto Mathiae conferat.*

Perusii, 1392 Novembris 11.

Bonifacius .... Nicolao electo Potentino in Romana curia commoranti .... Vite ac morum honestas aliaque .... merita, super quibus .... Mathias dictus Burda de Lhota presbyter Pragensis diocesis .... commendatur ...., nos .... inducunt, ut sibi reddamur .... liberales. Hodie siquidem pro parte dicti Mathie nobis exposito, quod olim ipse per quondam Zdatham rectorem parrochialis ecclesie in Wilharticz predicte diocesis, qui capellam sanctarum Marie Magdalene et Dorothee prope oppidum Wilharticz dicte diocesis canonice de novo fundaverat .... ac patronus eiusdem capelle .... existebat, in ipsius capelle rectorem ... Johanni archiepiscopo Pragensi presentatus fuerat, ac absque institucione aliqua capellam ipsum assecutus quamvis de facto, illam detinuerat per annum vel circa ...., nos omnem inhabilitatis et infamie maculam sive notam per ipsum Mathiam premissorum occasione contractam per alias nostras litteras auctoritate

apostolica penitus abolevimus [volentes], quod idem Mathias capellam ipsam extunc realiter et omnino dimitteret, prout in dictis litteris plenius continetur.[1]) Verum, sicut exhibita nobis nuper pro parte ipsius Mathie peticio continebat, orta dudum inter ipsum et .... Jacobum dictum Mrasz, qui se gerit pro presbytero dicte diocesis, super prefata capella, quam Mathias vigore presentacionis huiusmodi sibi deberi ...., Jacobus vero predicti capellam ipsam ad se de iure spectare asserebant, prout asserunt, materia questionis, et causa huiusmodi per apellacionem dicti Jacobi ad sedem apostolicam legitime introducta, nos causam huiusmodi tibi, tunc capellano nostro et causarum palacii apostolici auditori, ad instanciam prefati Mathie .... commisimus ...., tuque in causa ipsa ad nonnullos actus inter partes easdem diceris processisse. Cum autem, sicut eadem peticio subiungebat, a nonnullis asseratur, neutrum ipsorum Mathie et Jacobi in prefata capella ius habere, nos .... discrecioni tue, qui adhuc locum unius ex auditoribus causarum dicti palacii de mandato nostro tenes ...., mandamus, quatenus, si per eventum litis huiusmodi tibi constiterit neutri dictorum Mathie et Jacobi in prefata capella seu ad eam ius competere, capellam predictam, que sine cura est, cuiusque fructus .... quadraginta florenorum auri .... valorem annuum .... non excedunt, ... eidem Mathie, postquam illam realiter et omnino dimiserit, ut prefertur, auctoritate nostra conferas et assignes .... Datum Perusii tercio idus Novembris a. quarto.

R. Lat. 30 fol. 89a — Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA]: in fine: PRO DEO, N. DE BENEVENTO — [1]) Cf. nr. 646.

---

648. *Anno 1392 die XIV. mensis Novembris Johannes episcopus Lubucensis per Nicolaum de Volavia*[a]) *procuratorem suum promisit camerae apostolicae et sacro collegio pro suo communi servitio 300 florenos auri de camera et quinque servitia consueta, item recognovit camerae tantummodo pro communi servitio Venceslai antepraedecessoris sui 79 similes florenos, solidos 42 monetae Romanae et quinque servitia consueta.*

Romae, 1392 Novembris 14.

Oblig. et sol. 48 fol 142b, et iterum Oblig. et sol. 52 fol. 32a — a) ‚Olauia'.

---

649. *Svatoslaus*[a]) *Jaroslai fratrum ord. b. Mariae de Monte Carmelo professor in sedis apostolicae capellanum recipitur. „Virtutibus clarens" „Perusii XVII. kal. Decembris pont. n. a. quarto."*

Perusii, 1392 Novembris 15.

Armar. XXXI tom. 36 fol. 43b — a) ‚Svatislao'

650. *Andreas Parvus monachus monasterii in Třebíč*[b]) *ord. s. Benedicti Olomucensis dioc. in sedis apostolicae capellanum recipitur. „Virtutibus clarens“ „Perusii IV. kal. Decembris pont. n. a. quarto.“*

Perusii, 1392 Novembris 28.

R. Vat. 314 fol. 83[a] cum his notis in fine: (ad sin.) X, COM[PUTAVI]; (ad dext.) REGISTRATA GRATIS, A. DE PERUSIO — Altera copia in Arm. XXXI tom. 36 fol. 45[b] — [a]) ‚Trebicz‘.

---

651. *Ad reparationem monasterii [Siloensis?]*[1]) *manus adiutrices porrigentibus indulgentiae conceduntur.*

Perusii, 1392 Decembris 3.

Bonifacius .... universis .... Ecclesiarum fabricis .... Cum itaque, sicut accepimus, monasterium s. Jacobi premonstratensis ord. Olomucensis diocesis cum oratorio ac domibus et edificiis suis casualiter ignis incendio totaliter sit combustum seu destructum, et ad reparacionem predicti monasterii cum huiusmodi oratorio, domibus et edificiis fidelium elemosine sint plurimum oportune, nos cupientes, ut ipsum monasterium cum oratorio, domibus et edificiis huiusmodi reparetur, universitatem vestram rogamus ...., quatenus de bonis vobis a deo collatis grata caritativa subsidia pro reparacione huiusmodi erogetis .... Nos enim .... omnibus vere penitentibus et confessis, qui ad huiusmodi reparacionem manus porrexerint adiutrices, duos annos et totidem quadragenas de iniunctis eis penitenciis misericorditer relaxamus, presentibus post decennium minime valituris; quas mitti per questuarios districcius inhibemus, eas, si secus actum fuerit, carere viribus decernentes. Volumus autem .... Datum Perusii tercio nonas Decembris a. quarto.

R. Lat. 28 fol. 60[b] — In fine: X. XII DE BENEVENTO. — [1]) Incertum est, an ista concessio monasterium Siloense tangat. Bulla quidem ipsa nonnisi de monasterio ‚s. Jacobi premonstratensis ord. Olomucensis dioc.‘ loquitur, sed in Olomucensi diocesi nullum monasterium dicti ord. vocabulo s Jacobi praeditum scimus. Quamquam monasterium Siloense, quod in diocesi quidem Pragensi exstabat, sed in confinio Pragensis et Olomucensis diocesium situm et in diocesi Olomucensi diversa bona obtinens, aliquando etiam iniuste diocesi Olomucensi adnumerabatur (cf. supra nr. 363), s. Jacobi vocabulo usum fuisse non commemoratur, tamen ad illud praesens concessio pertinere videtur. Siloense enim monasterium a. 1375 igne plane combustum fuisse constat. Notandum etiam est, monasterium ipsum ius patronatus parrochialis ecclesiae s. Jacobi in Iglavia obtinuisse. Cf. Čermák, Premonstráti v Čechách a na Moravě p. 217.

---

652. *Iudicibus mandatur, quatenus Johanni Namslaw praebendam de Hořan in ecclesia Pragensi vacantem conferant.*

Perusii, 1392 Decembris 8.

Bonifacius .... patriarche Gradensi et .... decano ecclesie Pragensis ac .... officiali Pragensi .... Vite ac morum honestas aliaque .... merita, super quibus

. . . . Johannes Namslaw canonicus Pragensis . . . . commendatur . . . ., nos inducunt, ut sibi reddamur . . . . liberales. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dicti Johannis peticio continebat, quod olim canonicatu ecclesie Pragensis et prebenda de Holubicz in eadem ecclesia, quos quondam Mathias de Mutina . . . . obtinebat, per ipsius Mathie obitum, qui extra Romanam curiam decessit, vacantibus, ... Wenceslaus Radicz dicte ecclesie canonicus, alios canonicatum ipsius ecclesie et prebendam de Horzam in eadem ecclesia obtinens, dictam prebendam de Holubicz sic vacantem, prout secundum consuetudinem dicte ecclesie poterat, infra tempus legitimum optavit eamque huiusmodi opcionis vigore fuit pacifice assecutus, dicta prebenda de Horzam . . . . per eum libere et omnino dimissa, prefatusque Johannes auctoritate quarundam litterarum nostrarum, per quas canonicatum ipsius ecclesie obtinens, prebendam inibi expectabat, dictam prebendam de Horzam per huiusmodi opcionem et dimissionem vacantem eciam infra tempus legitimum acceptavit et de illa sibi provideri fecit. Cum autem . . . . idem Johannes dubitet acceptacionem et provisionem predictas . . . . viribus non subsistere, et . . . . huiusmodi prebenda de Horzam adhuc . . . . vacare noscatur, nos . . . . discrecioni vestre . . . . mandamus, quatenus . . . . prebendam de Horzam predictam, cuius et canonicatus ipsius ecclesie fructus . . . . quadraginta marcharum argenti puri . . . . valorem annuum . . . . non excedunt . . . ., eidem Johanni auctoritate nostra conferre et assignare curetis . . . .; non obstantibus . . . ., quod prefatus Johannes Wratislauiensis et Warmiensis ac Poznaniensis ecclesiarum canonicatus et prebendas obtinet,[1]) quorum omnium fructus . . . . septuaginta marcharum argenti puri . . . . valorem annuum . . . . non excedunt. Volumus autem, quod, quamprimum idem Johannes vigore presencium eorundem canonicatus et prebende de Horzam possessionem fuerit pacifice assecutus, predicte littere, per quas, canonicatum ipsius Pragensis ecclesie obtinens, dictam prebendam de Horzam acceptavit . . . ., et quecunque inde secuta . . . . sint cassa et irrita . . . . Datum Perusii sexto idus Decembris a. quarto.

R. Lat. 30 fol. 51[a] — Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: N. XVII DE BENEVENTO. — [1]) Cf. nros. 307, 340, 587.

---

653. Venceslao dicto Dux de Moravia providetur de parrochiali ecclesia s. Bartholomaei in Mureck[a]*) Salzburgensis dioc, cuius fructus valorem annuum 10 marcarum argenti non excedunt, vacantem per obitum Rudolfi Wintennawer, qui fructuum et proventuum camerae apostolicae in civitate et diocesi Salzburgensibus succollector existens, extra Romanam curiam decessit; non obstante, quod nuper eidem Venceslao de beneficio ecclesiastico cum vel sine cura, vacante vel vacaturo, ad collationem abbatis et conventus monasterii S. Lamperti ord. s. Benedicti dictae dioc. pertinente, gratiose provideri a papa concessum est, quae gratia, quoad curatum beneficium dumtaxat, cassa esse debet, quamprimum ipse Venceslaus parrochialem ecclesiam praedictam fuerit assecutus. „Vite ac morum" „Perusii quarto idus Decembris a. quarto". — Simili modo episcopo Tudensi et praepositis Seccoviensis et Laventinensis ecclesiarum.*

Perusii, 1392 Decembris 10.

R. Lat. 29 fol. 62[b] — [a]) ‚Murek' — In fine: JAC. XII. XIIII DE TERAMO.

654. *Magistro Brandae de Castelliono capellano apostolico et causarum palatii apostolici auditori mandatur, quatenus Sanderum de Rambow archidiaconum Přeroviensem in ecclesia Olomucensi ad omne ius surroget, quod magistro Johanni de Malesicz scholastico ecclesiae Pragensis, scriptori apostolico et litterarum apostolicarum abbreviatori, in certis canonicatu et praebenda ecclesiae Olomucensis competebat; de his enim canonicatu et praebenda, quorum fructus 30 marcarum argenti puri valorem annuum non excedunt, per obitum quondam Frederici de Wolframskirchen vacantibus, dicti Johannes et Sanderus in palatio apostolici litigabant, sed dictus Johannes hac lite indecisa pendente omni iuri, quod in eisdem canonicatu et praebenda ei competebat, extra Romanam curiam sponte cessit „Vite ac morum" „Perusii IV. idus Decembris pont. n. a quarto."*

Perusii, 1392 Decembris 10.

Ed. in Cod. dipl. Moraviae XII nr. 113.

---

655. *Nicolao Petri [Parlerii] indulgetur, ut in quocunque studio gradus in medicinae facultate recipere valeat.*

Perusii, 1392 Decembris 10.

Bonifacius .... Nicolao Petri canonico Pragensi .... Vite ac morum .... Volentes itaque te, qui presbyter es, et, ut asseris, antequam ordinem presbyteratus susceppisses, per multos annos in medicina studuisti et in illa satis provectus existis, ... favore prosequi gracioso ...., tibi, ut in quocunque generali studio, cuius universitas in nostra et Romane ecclesie devocione persistat, gradus in eiusdem medicine facultate licite recipere valeas, fel. rec. Honorii pp. III. predecessoris nostri et aliis constitucionibus apostolicis ac statutis et consuetudinibus dicte universitatis contrariis non obstantibus quibuscunque, auctoritate presencium .... indulgemus. Nulli ergo .... Datum Perusii quarto idus Decembris a. quarto.

R. Lat. 28 fol. 67[b] — Supra in margine: C[ANCELLARIA]; in fine: N. XVI DE BENEVENTO.

---

656. *Archiepiscopo Pragensi mandatur, quatenus cum nobili viro Lvíkone de Týnec[a]) domicello et nobili muliere Běta[b]) de Otín[c]) domicella Pragensis dioc. auctoritate apostolica dispenset, ut in matrimonio contracto, ex quo plures pueros procrearunt, remanere valeant, non obstante, quod quarto et tertio consanguinitatis gradibus invicem sunt coniuncti.*[1]) *„Oblate nobis" „Perusii quarto idus Decembris a. quarto."*

Perusii, 1392 Decembris 10.

R. Lat. 28 fol. 63[b] — [a]) ‚Tynecz' [b]) ‚Bietta' [c]) ‚Otyn' — In fine: N. XII DE BENEVENTO. — [1]) Cf. Borový, Libri erectionum IV p. 401 nr. 557.

657. *Johannes Gerhardi de Nova Pilzna ord. fratrum minorum professor in sedis apostolicae capellanum recipitur.* „*Virtutibus clarens*“ „*Perusii IV. idus Decembris pont. n. a. quarto.*“

Perusii, 1392 Decembris 10.

R. Vat. 314 fol. 123[b] cum his notis in fine: (ad sin.) X, L. DE FORLIVIO, T. FABRI; (med.) A. DE PORTUGRUARIO; (ad dext.) PRO B. DE TERMULIS, JO. DE PEMPLUOIR DE. Altera copia in Arm. XXXI tom. 36 fol. 48[b].

---

658. *Parrochialem ecclesiam s. Jacobi in Svídnicz* [a]) *Litomyšlensis* [b]) *dioc., quae reparatione indigere noscitur, certis diebus anni (illis, qui in nro. 366 nominantur, et in festo s. Jacobi) visitantibus et ad eius reparationem manus adiutrices porrigentibus tres anni et tres quadragenae resp. centum dies de iniunctis eis poenitentiis relaxantur, praesentibus post decennium minime valituris.* „*Licet is*“ „*Perusii quarto idus Decembris a. quarto.*“

Perusii, 1392 Decembris 10.

R. Lat. 28 fol. 103[b] — [a]) ‚Swidnicz‘ [b]) ‚Luthomuslen‘ — Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: N. XVI DE BENEVENTO.

---

659. *Capellam Annuntiationis s. Mariae prope Podlažicz* [a]) *Litomyšlensis dioc., quae reparatione indigere noscitur, certis diebus anni (in nro. 366 nominatis) visitantibus annuatim et ad eius reparationem manus adiutrices porrigentibus tres anni et tres quadragenae resp. centum dies de iniunctis eis poenitentiis relaxantur, praesentibus post decennium minime valituris.* „*Licet is*“ „*Perusii quarto idus Decembris a. quarto.*“

Perusii, 1392 Decembris 10.

R. Lat. 28 fol. 103[b] — [a]) ‚Podlasicz‘ — Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: N. XVI DE BENEVENTO.

---

660. *Ecclesiam s. Georgii in Opatovicz* [a]) *Olomucensis dioc., quae reparatione indigere noscitur, certis diebus anni (illis, qui in nro. 366 sunt nominati, ac in festo s. Georgii) visitantibus et ad eius reparationem manus adiutrices porrigentibus tres anni et tres quadragenae resp. centum dies de iniunctis eis poenitentiis relaxantur, praesentibus post decennium minime valituris.* „*Licet is*“ „*Perusii quarto idus Decembris a quarto.*“

Perusii, 1392 Decembris 10.

R. Lat. 28 fol. 64[b] — [a]) ‚Opatowicz‘ — In fine: N. XVI DE BENEVENTO.

---

661. *Ecclesiam s. Johannis sitam in castro Lukov*[a]) *Olomucensis dioc., „in qua, ut asseritur, de ligno vivifice crucis quedam particula solemniter reservatur“, certis diebus anni (illis, qui in nro. 366 sunt nominati, ac in festo s. Johannis) visitantibus et ad eius reparationem manus adiutrices porrigentibus unus annus et quadraginta dies resp. centum dies de iniunctis eis poenitentiis relaxantur, praesentibus post decennium minime valituris. „Splendor paterne glorie“ „Perusii quarto idus Decembris a. quarto“.*

Perusii, 1392 Decembris 10.

R. Lat. 28 fol. 64[a] — [a]) ‚Lucaw‘ — In fine: N. XX DE BENEVENTO.

---

662. *Capellam s. Mariae in Libochovicz Pragensis dioc. certis diebus anni (illis videlicet, qui in nro. 366 sunt nominati) visitantibus tres anni et tres quadragenae resp. centum dies de iniunctis eis poenitentiis relaxantur „Dum precelsa“ „Perusii septimo idus Januarii a. quarto“.*

Perusii, 1393 Januarii 7.

R. Lat. 30 fol. 218[b] — In fine: N. XII DE BENEVENTO.

---

663. *Iudicibus mandatur, quatenus Andreae de Vittingavia praebendam in Dietrichsdorf in ecclesia Olomucensi vacantem conferant.*

Perusii, 1393 Januarii 7.

Bonifacius . . . . archidiacono Prerouiensi in ecclesia Olomucensi et . . Pragensi ac . . Olomucensi officialibus . . . . Vite ac morum honestas aliaque . . . . merita, super quibus . . . . Andreas de Witignaw canonicus Olomucensis . . . . commendatur . . . ., nos inducunt, ut sibi reddamur . . . . liberales. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dicti Andree peticio continebat, quod olim canonicatu ecclesie Olomucensis et prebenda in Dytrichsdorf in eadem ecclesia, quos quondam Wenceslaus de Praga . . . . obtinebat, per ipsius Wenceslai obitum, qui extra Romanam curiam decessit, vacantibus, prefatus Andreas vigore quarundam litterarum nostrarum, per quas canonicatum eiusdem ecclesie obtinens, prebendam inibi expectabat, prebendam predictam sic vacantem infra tempus legitimum acceptavit et de ea sibi fecit provideri, ipseque Andreas prefatam prebendam huiusmodi acceptacionis et provisionis vigore extitit assecutus. Cum autem . . . . idem Andreas dubitet acceptacionem et provisionem prefatas . . . . viribus non subsistere . . . ., nos . . . . discrecioni vestre . . . . mandamus, quatenus . . . . canonicatum et prebendam predictos, quorum fructus . . . . sex marcharum argenti puri . . . . valorem annuum . . . . non excedunt, sive ut premittitur sive alias quovis modo aut ex alterius cuiuscunque persona seu per obitum Jacobi de Sicca, cui, ut asseritur, de dictis canonicatu et prebenda tunc certo modo vacantibus et antea dispoicioni apostolice reservatis apostolica fuit auctoritate provisum, [1]) qui posses-

sione eorundem non habita extra dictam curiam diem clausit extremum, vacent, ... eidem Andree auctoritate nostra conferre et assignare curetis . . . .; non obstantibus . . . ., quod prefatus Andreas, ut asseritur, in dicta Olomucensi decanatum, qui dignitas curata et maior post pontificalem in ipsa ecclesia existit, et in Montis sancti Petri Brunnensi canonicatum et prebendam ac parrochialem ecclesiam in Henrichs Olomucensis diocesis, quorum omnium fructus . . . . sexaginta marcharum argenti puri . . . . valorem annuum non excedunt, canonice obtinet, et nos dudum sibi de canonicatu sub expectacione prebende in Pragensi necnon de beneficio ecclesiastico sine cura, eciam si canonicatus et prebenda in cathedrali ecclesiis foret, ad quorumcunque collacionem . . . . pertinente, in civitate vel diocesi Olomucensi predicta vacante vel vacaturo, per cuius quidem beneficii assecucionem, si beneficium ipsum canonicatus et prebenda dicte ecclesie Olomucensis fuerit prefatus Andreas eosdem alios canonicatum et prebendam in Dytrichsdorf . . . . omnino, prout eciam ad id se sponte obtulit, dimittere teneatur, per diversas nostras litteras graciose mandavimus provideri. Volumus autem, quod, quamprimum idem Andreas predictos canonicatum et prebendam in Dytrichsdorf presencium vigore fuerit pacifice assecutus, prefate littere, per quas illos acceptavit, ... et quecunque inde secuta sint cassa . . . . Datum Perusii septimo idus Januarii a. quarto.

R. Lat. 30 fol. 179b — Supra in margine: C[ANCELLARIA]; in fine: N. XXII DE BENEVENTO. — [1]) Cf. nr. 540.

---

664. *Hermanno de Naklis canonico Vratislaviensi, qui etiam fructuum et proventuum camerae apostolicae debitorum in civitate et diocesi Olomucensibus olim succollector exstitit, facultas de bonis suis libere testandi conceditur.* „*Quia presentis vite*“ „*Perusii septimo idus Januarii a. quarto*“.

Perusii, 1393 Januarii 7.

R. Lat. 27 fol. 186a — In fine: N. X DE BENEVENTO.

---

665. *Cum Purcardo nobilis viri Purcardi de Janovicz*[a]*) domicelli nato, clerico Pragensis dioc. in sexto decimo aetatis suae anno constituto, ad supplicationem Venceslai Romanorum et Bohemiae regis dispensatur, ut aetatis defectu non obstante, dignitatem sine cura recipere possit.* „*Nobilitas generis*“ „*Perusii septimo idus Januarii a. quarto*“.

Perusii, 1393 Januarii 7.

R. Lat. 30 fol. 215a — In fine: N. XX DE BENEVENTO.

---

666. *Cum Carolo rectore parrochialis ecclesiae in Libeznicz Pragensis dicc. dispensatur, ut unum aliud curatum beneficium ecclesiasticum, etiam si dignitas vel officium cum cura fuerit et ad illud consueverit quis per electionem assumi,*

recipere et una cum dicta ecclesia usque ad sex menses retinere possit, infra quos sex menses parrochialem ecclesiam aut beneficium huiusmodi pro alio beneficio ecclesiastico cum eorum reliquo compatibili permutare, alioquin parrochialem ecclesiam praedictam dimittere tenetur. „Vite ac morum“ „Perusii septimo idus Januarii a quarto“.

Perusii, 1393 Januarii 7.

R. Lat. 27 fol. 200ᵃ — In fine: N. XVI DE BENEVENTO.

---

667. *Donationes iuris patronatus parrochialium ecclesiarum in Žiželicz, Sačan et Solnicz monasterio fratrum de poenitentia beatorum martyrum Pragensi necnon incorporationes dictarum ecclesiarum in Žiželicz et Sačan olim praefato monasterio auctoritate ordinaria factae una cum confirmatione litterarum super huiusmodi donationibus et incorporationibus 1307 Aprilis 28, 1326 Martii 18, 1359 Junii 20 datarum et praesentibus insertarum confirmantur, atque tres ecclesiae praedictae eidem monasterio auctoritate apostolica uniuntur.*

Perusii, 1393 Januarii 12.

Bonifacius . . . . ad futuram rei memoriam. Ea, que pro monasteriis et piis locis ac personis in eis domino famulantibus provide facta sunt, ut illibata persistant, libenter apostolice confirmacionis munimine roboramus, et eciam personis ipsis, ne rerum pregraventur inopia, pro divini cultus augmento, prout nobis ex alto permittitur, liberaliter subvenimus. Sane, sicut nuper accepimus, quod olim quidam s. Procopii in Zyzelicz et quidam alii s. Johannis Baptiste in Saczan et certi alii proceres sive layci tunc expressi s. Joannis Baptiste in Solnicz parrochialium ecclesiarum Pragensis diocesis ius patronatus, quod ad eos tunc spectabat, dilectis filiis priori generali et conventui ac canonicis ‚fratribus de penitencia beatorum martirum‘ nuncupatis monasterii s. Crucis Pragensis per priorem soliti gubernari ord. s. Augustini pie donarunt, et successive s. Procopii et s. Johannis in Saczan ecclesie predicte eidem monasterio auctoritate ordinaria incorporate fuerunt, quamvis ecclesia prefata in Solnicz non fuerit incorporata, necnon quod ipsas s. Procopii et s. Johannis in Saczan per canonicos eiusdem monasterii et in Solnicz ecclesias predictas per personam, de qua eis videretur, ydoneos, loci ordinario pro tempore presentandos et per eum instituendos in eisdem ecclesiis, ipsi prior et conventus regi facere possent, concessum extitit auctoritate predicta, prout in diversis litteris inde confectis, ipsorum procerum sive laycorum et ordinariorum sigillis munitis, quarum tenores ex certa nostra sciencia de verbo ad verbum describuntur, plenius vidimus contineri; quodque dubitatur donaciones, incorporaciones et concessiones predictas ex certis causis viribus non subsistere, et ipsos priorem ac conventum premissorum occasione super eisdem ecclesiis posse vexari, quodque eciam facultates ipsius monasterii adeo sint exiles, quod predicti prior et conventus sive canonici exinde sustentari et incumbencia eis onera supportare congrue vix possint, nos eisdem priori et conventui, ne rerum inopia pregraventur ac eciam circa divinum cultum

peragendum bonis temporalibus competenter fulti fervencius sint attenti, motu proprio . . . . donaciones, incorporaciones et concessiones predictas necnon omnia contenta in eisdem litteris et quecunque inde secuta, salva infrascripta incorporacione nostra, rata habentes et grata, ipsa auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus, supplentes omnes defectus, si qui intervenerunt in eisdem. Et insuper in relevamen supportacionis onerum predictorum s. Procopii et s. Johannis in Saczan ad cautelam de novo et in Solnicz ecclesias predictas, quarum quadraginta, cum omnibus iuribus et pertinenciis suis eidem monasterio, cuius octuaginta marcharum argenti puri fructus . . . . valorem annuum, ut asseritur, non excedunt, eadem auctoritate apostolica perpetuo incorporamus, annectimus et unimus, ita quod cedentibus vel decedentibus ipsarum ecclesiarum rectoribus, qui nunc sunt, vel ipsas ecclesias alias quomodolibet dimittentibus, liceat eisdem priori et conventui corporalem possessionem ipsarum ecclesiarum auctoritate propria apprehendere ipsasque in usus proprios earundem perpetuo retinere necnon earum fructus . . . . in ipsarum et dicti monasterii utilitatem ac in supportacionem onerum predictorum convertere ac predictas necnon parrochialem s. Crucis Pragensem, in qua dictum monasterium est fundatum, ecclesias, que quidem parrochialis ecclesia s. Crucis eciam per canonicos dicti monasterii loci ordinario pro tempore presentatos et per eum institutos in eadem pro tempore gubernari consuevit et gubernatur, et curam animarum parrochianorum huiusmodi quatuor ecclesiarum eciam per ydoneos canonicos dicti monasterii ad nutum prioris et conventus predictorum ponendos et removendos regi et exerceri facere libere et licite valeant, super hoc diocesani loci vel alterius cuiuscunque licencia seu consensu minime requisitis ; ita tamen, quod predicte ecclesie debitis non fraudentur obsequiis et in eis huiusmodi animarum cura nullatenus negligatur, quodque ipsi prior et conventus episcopalia iura solvere et alia onera consueta occasione ipsarum ecclesiarum pro tempore supportare integre teneantur ; non obstantibus omnibus premissis et constitucionibus apostolicis regulares personas ad ecclesiarum parrochialium regimen assumi et eis prefici prohibentibus necnon statutis et consuetudinibus monasterii et ordinis predictorum quibuscunque contrariis . . . . Tenor vero premissarum litterarum per omnia sequitur et est talis :

Nos Hinko divina miseracione prepositus necnon magister Vlricus scolasticus Pragensis ecclesie, administratores episcopatus eiusdem auctoritate sedis apostolice deputati, notum facimus universis presentes litteras inspecturis, quod nobilis vir dominus Dyetoch dictus de Zuzelicz in nostra constitutus presencia, ius patronatus ibidem ecclesie in Zuzelicz honestis et religiosis viris fratri Cruci seniori provinciali totique conventui domus s. Crucis in Praga ordinis s. Augustini de penitencia beatorum martirum dedit et donavit propter deum ac pro suorum parentum eiusque remedio peccatorum, per seniorem ipsum et successores suos, qui pro tempore fuerint, et conventum prefatum de s. Cruce perpetuo possidendum, petens a nobis humiliter, ut donacionem ipsam eisdem fratribus factam confirmare ex officii nostri debito dignaremur. Nos ipsius Dyetheconis precibus inclinati prefatam donacionem iuris patronatus predicte ecclesie in Zuzelicz, memoratis fratribus seniori et conventui de s. Cruce per ipsum Dyethochonem factam, ut ipsi senior et conventus predicti ecclesiam ipsam in Zuzelicz per

fratres domus sue officiare et in sacramentis ecclesiasticis procurare valeant, ita tamen, quod episcopo Pragensi unum ydoneum presbyterum ex fratribus suis senior et conventus predicti, cui cura animarum committatur, presentare, quocienscunque oportunum fuerit, tenebuntur, ratam et gratam habentes, auctoritate, qua fungimur, confirmamus. In cuius rei testimonium presentes litteras fieri et sigillo administracionis iussimus communiri. Datum Prage anno M°CCC°XXVI, XV. kal. Aprilis. — Nos quoque Arnestus dei et apostolice sedis gracia sancte Pragensis ecclesie archiepiscopus donacionem iuris patronatus ecclesie in Zuzelicz, factam per nobilem virum Dyetochonem ibidem de Zuzelicz religioso viro Cruci seniori provinciali totique conventui de domo s. Crucis in Praga ordinis s. Augustini de penitencia beatorum martirum, confirmacione honorabilium virorum Hinkonis prepositi et magistri Vlrici scolastici ecclesie nostre Pragensis, administratorum pro eo tempore episcopatus Pragensis, subsecuta, ad peticionem honorabilis ac religiosi viri fratris Alberti de Boemia generalis fratrum ordinis s. Augustini de penitencia beatorum martirum, ipsam ratam et gratam habentes, presentibus ratificamus, approbamus et ex certa nostra sciencia confirmamus, in testimonium eorum nostra presentibus appendentes sigilla. Datum Prage anno domini millesimo CCCXLV, XXIII. die mensis Julii, archiepiscopatus nostri anno primo.

Nos Johannes dei gracia Pragensis episcopus notum facimus universis presentes litteras inspecturis, quod nobilis vir dominus Sbraslaus dictus de Saczan [in] nostra constitutus presencia ius patronatus ecclesie in ipso Saczan honestis et religiosis viris Jacobo seniori provinciali totique conventui de domo s. Crucis in Praga ordinis s. Augustini de penitencia beatorum martirum dedit et donavit propter deum ac pro suorum parentumque eius remedio peccatorum, per ipsum seniorem iam dictum et ipsius successores, qui pro tempore fuerint, et conventum prefatum de s. Cruce perpetuo possidendum, petens a nobis, ut donacionem eandem eisdem fratribus factam confirmare ex officii nostri debito dignaremur. Nos ipsius Sbraslai devotis precibus inclinati prefatam donacionem iuris patronatus predicte ecclesie in Saczan, memoratis fratribus seniori et conventui domus de s. Cruce factam per ipsum Sbraslaum, ut ipsi senior et conventus predicti ipsam ecclesiam in Saczan per fratres suos officiare et in sacramentis ecclesiasticis procurare valeant, ita tamen, quod nobis et successoribus nostris unum ydoneum presbyterum ex fratribus suis ipsi senior et conventus, cui cura animarum committatur, presentare, quociens oportunum fuerit, tenebuntur, ratam et gratam habentes, auctoritate, qua fungimur, confirmamus. In cuius rei testimonium presens scriptum fieri et sigilli nostri munimine fecimus roborari. Datum Prage anno domini MCCCVII, IIII. kal. Mai, pontificatus nostri anno VI, indiccione quinta. — Item tenor littere ratificacionis affixe ad litteram presentem talis est: Nos quoque Arnestus dei et apostolice sedis gracia s. Pragensis ecclesie archiepiscopus donacionem iuris patronatus ecclesie in Saczan, factam per nobilem virum dominum Sbraslaum dictum de Saczan religiosis viris Jacobo seniori provinciali totique conventui de domo s. Crucis in Praga ordinis s. Augustini de penitencia beatorum martirum, confirmacione domini Johannis felicis memorie nostri predecessoris immediati subsecuta, ad peticionem honorabilis ac religiosi viri fratris Alberti de Boemia generalis fra-

trum ordinis s. Augustini de penitencia beatorum martirum ipsam ratam et gratam habentes, presentibus ratificamus, approbamus et ex certa sciencia confirmamus, in testimonium eorum nostra presentibus appendentes sigilla Datum Prage anno domini M°CCC°XL° quinto, XXIII die mensis Julii, archiepiscopatus nostri anno primo.

Noverint universi presentes et posteri presentem paginam inspecturi, quod nos Johannes et Wznata fratres germani, nobiles de terra Boemie dicti de Skuraw, sani et compotes corpore pariter et mente, bona deliberacione et maturo heredum ceterorumque amicorum nostrorum prehabito consilio pariter et assensu, sponte et libere, non coacti nec compulsi, sed bona voluntate, propria devocione moti, ius patronatus seu presentacionem ecclesie parrochialis in Solnicz Pragensis diocesis per progenitores, patres ac predecessores nostros certis redditibus, agris, pratis, silvis, pascuis, aquis, molendinis, carnium macellis, ceterisque bonis universis mobilibus et immobilibus necnon per nos dotate, nunc per mortem Francisci quondam ultimi et immediati plebani et rectoris eiusdem de iure et de facto vacantis, cuius ecclesie ius patronatus ad nos duntaxat dinoscitur pertinere, cultum divinum ab hoc sperantes et cupientes in ecclesia dei augmentare, pro remedio animarum dictorum patrum, progenitorum et predecessorum nostrorum ac nostrarum prefatum ius patronatus seu presentacionem necnon omne ius, quod nobis seu successoribus vel heredibus nostris ex aliquo iure seu aliqua consuetudine ut veris et legitimis patronis dicte ecclesie competit ac competere possit et poterit quomodolibet in futurum, honorabili ac religioso viro domino ac domino Alberto dicto seniori magistro generali ordinis fratrum de penitencia beatorum martirum domus s. Crucis in Maiori ciuitate Pragensi suoque ordini antedicto, qui nunc existunt fratribus vel qui imposterum existere videbuntur, perpetuo et inantea sine aliqua condicione, pacto, modo turpibus, sed simpliciter pure propter deum tenore presencium cum effectu omni iure, via, modo, forma vel consuetudine, quibus melius et efficacius fieri potest, damus, donamus, concedimus, contulimus (*sic*), tradimus, cedimus et resignamus ac totaliter plene et integre transtulimus, transferimus in eosdem, dantes et concedentes ipsis similiter, resignantes effectualiter et expresse omnimodam potestatem, quatenus ad presens, eadem ecclesia, sicud dictum est, de iure et de facto vacante, possint et sic perpetuo inantea personam, quam maluerint, venerabili in Chr. patri et domino archiepiscopo diocesano Pragensi ad eandem presentare. Et ex eo exnunc protestamur expresse, quod dictum ius patronatus seu presentacionem ad ecclesiam supradictam ab hac hora perpetuo et inantea ad dictos dominos et fratres totaliter, plene et integre, ut superius dictum est, spectare et pertinere et hoc pariter et ambo, palam et publice profitemur. Promittimus insuper bona fide ipsos fratres et ordinem in eodem iure patronatus seu presentacione vel quocunque alio iure ipsis quesito circa predicta nec per nos nec per heredes nostros aut quascunque alias personas quocunque modo ipsis et cuilibet ipsorum dare auxilium, consilium vel favorem publice vel occulte aut quomodolibet totaliter nostram donacionem impedire vel temere eidem contraire (*sic*). In cuius rei testimonium sigilla nostra propria ex certa nostra sciencia et sigilla nobilium virorum et dominorum Czenkonis dicti de Potenstein, Mutine dicti de Dobrusca, Hermanni dicti de Richnow, Johannis et Wenczeslai fratrum de Potenstein ad

preces nostras sunt appressa. Datum Prage in curia archiepiscopi in sala anno domini M°CCCLIX°, in die corporis Christi, que est XX. mensis Junii. — Arnestus dei et apostolice sedis gracia s. Pragensis ecclesie archiepiscopus universis, ad quos presentes pervenerint, in omnium salvatore salutem. Noveritis, quod constitutus in nostra presencia honorabilis et religiosus vir Albertus senior ordinis fratrum de penitencia beatorum martirum domus s. Crucis Maioris ciuitatis Pragensis nobis exposuit, quod nobiles viri Johannes et Wznata de Sluhrow (*sic*) nostre diocesis ius patronatus ecclesie in Solnicz dicte nostre diocesis, quod ad eos pertinuit et pertinebat omni iure, modo, forma meliore, quibus potuerit, in dictum Albertum fratrem seniorem et suos successores et conventum domus s. Crucis supradicte totaliter, plene et integre transtulerunt ac dictum ius patronatus eis donaverunt, per dictum seniorem, qui est et qui fuerit pro tempore, et conventum predictum habendum ac tenendum perpetuo cum potestate personam ydoneam nobis et successoribus nostris presentandi et instituendi ad ecclesiam memoratam, petens, quatinus huiusmodi donacionem auctoritate ordinaria nostra approbare, ratificare et confirmare dignaremur. Nos igitur prefatum ordinem benigno prosequentes affectu, peticionibus dicti fratis senioris inclinati, donacionem iuris patronatus predictam, sicut provide facta est, auctoritate nostra ordinaria ratam confirmamus. In cuius rei testimonium presentes litteras fieri et sigillorum nostrorum appensione iussimus communiri. Datum Prage anno domini M°CCC°LIX, die XX. mensis Junii.

Nulli ergo . . . . Datum Perusii secundo idus Januarii a. quarto.

R. Lat. 27 fol. 206ª — In fine: DE MAN ATO, N. DE BENEVENTO. — Cf. nr. 668.

---

668. *Applicationes parrochialium ecclesiarum in Antiqua Benátek, Juveni Benátek, Žiželicz, Solnicz, Sačan domui fratrum de poenitentia beatorum martyrum Pragensi olim auctoritate ordinaria factae confirmantur.*

Perusii, 1393 Januarii 12.

Bonifacius . . . . ad perpetuam rei memoriam. Sedis apostolice providencia circumspecta personas sub religionis observancia vacantes assidue studio pie vite benigno favore prosequitur, et que pro divini cultus augmento ac personarum ipsarum oneribus et necessitatibus supportandis provida deliberacione facta sunt, ut illibata persistant, apostolico consuevit munimine roborare. Sane peticio pro parte . . . . prioris et conventus domus s. Crucis Pragensis ord. s. Augustini fratrum ‚de penitencia beatorum martirum' nuncupatorum nobis nuper exhibita continebat, quod olim quidam proceres et alii nobiles regni Boemie precipua devocione, quam gesserunt ad domum predictam eiusque personas, moti pro huiusmodi cultus augmento ac suarum et progenitorum suorum animarum salute ius patronatus, quod in b. Marie in Antiqua Benatek et in s. Marie in Juueni Benatek ac in s. Procopii in Zyzelicz necnon in s Johannis Baptiste in Solnicz et in Saczan Pragensis diocesis parrochialibus ecclesiis tunc obtinebant, predicte domui pia largicione perpetuo donaverunt ad finem, ut ecclesie

ipse dicte domui pro usu et sustentacione personarum in ea pro tempore degencium applicarentur et per fratres eiusdem domus perpetuis temporibus gubernarentur; et successive nonnulli archiepiscopi Pragenses, qui tunc erant, domum et ordinem predictos singulari affeccione prosequentes, donaciones prefatas de consilio et assensu capituli ecclesie Pragensis auctoritate ordinaria confirmarunt ipsasque parrochiales ecclesias, quarum omnium triginta, cum omnibus iuribus et pertinenciis suis perpetuo usui prefate domus, cuius quadraginta marcharum argenti puri fructus . . . . valorem annuum . . . . non excedunt, eadem auctoritate ea condicione deputarunt, quod singule parrochiales ecclesie predicte per ydoneos fratres dicte domus per magistrum generalem ordinis predicti et priorem pro tempore existentes et conventum ipsius domus loci ordinario presentandos et per eundem ordinarium in ipsis parrochialibus ecclesiis instituendos, qui parrochianorum earundem parrochialium ecclesiarum animarum curam gererent, perpetuis temporibus gubernarentur, prout in diversis auttenticis litteris inde confectis archiepiscoporum et capituli ac procerum et aliorum nobilium predictorum sigillis munitis, quarum tenores presentibus haberi volumus pro expressis, dicitur plenius contineri. Cum autem, sicut eadem peticio subiungebat, tam ipsi prior et conventus quam predecessores eorum in predicta domo aliquas ex parrochialibus ecclesiis predictis a tanto tempore, cuius contrarii memoria non existit, aliquas vero per plures annos in usus proprios tenuerint et possederint, prout ipsi prior et conventus ad presens tenent et possident pacifice et quiete, eedemque ecclesie ex post per ydoneos fratres prefate domus gubernate fuerint, prout gubernantur de presenti, pro parte eorundem prioris et conventus nobis fuit humiliter supplicatum, ut donacionibus, confirmacionibus et deputacionibus predictis ac omnibus et singulis in prefatis litteris contentis robur apostolice confirmacionis adiicere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur . . . . donaciones, confirmaciones et deputaciones predictas et quecunque inde secuta ac omnia et singula in prefatis litteris contenta rata habentes et grata, illa auctoritate apostolica ex certa sciencia confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus, supplentes eadem auctoritate omnes defectus, si qui forsan intervenerint in premissis. Nulli ergo . . . . Datum Perusii secundo idus Januarii a. quarto.

R. Lat. 29 fol. 232ª — In marg. sin.: A. DE PORTUGRUARIO; in fine: DE MANDATO, N. DE BENEVENTO — Cf. nr. 667.

---

669. *Incolis regni Bohemiae et terrarum regi Venceslao subditarum indulgetur, ut infrascriptas ecclesias Pragenses visitando plenarias indulgentias anni iubilei assequantur.*

Perusii, 1393 Januarii 15.

Bonifacius . . . . ad futuram[a]) rei memoriam. Sedes apostolica, benigna mater et salutis animarum Christi fidelium sedula procuratrix, ad ea libenter intendit, per que pia fidelium vota impleri valeant, ipsique fideles veniam et misericordiam consequantur. Sane dudum fel. rec. Urbanus pp. VI. predecessor

noster ex certis racionabilibus causis ad id suum inducentibus animum de fratrum suorum s. Romane ecclesie cardinalium, de quorum numero tunc eramus, consilio et apostolice potestatis plenitudine statuit, ut universi Christi fideles vere penitentes et confessi, qui in anno a nativitate domini nostri Jesu Christi millesimo trecentesimo nonagesimo proxime preterito, tunc futuro, et deinceps perpetuis futuris temporibus de triginta tribus annis in triginta tres annos beatorum Petri et Pauli apostolorum basilicas et Lateranensem et s. Marie Maioris de Urbe ecclesias causa devocionis personaliter visitarent, plenissimam omnium peccatorum suorum veniam consequerentur, ita videlicet, ut quicunque vellet huiusmodi indulgenciam assequi, si Romanus, adminus triginta continuis vel interpolatis semel saltem in die, si vero peregrinus aut forensis existeret, modo simili quindecim[b]) diebus ad easdem basilicas et ecclesias accedere teneretur, prout in dicti predecessoris inde confectis litteris plenius continetur. Cum itaque, sicut accepimus, nonnulle persone sexus utriusque regni Boemie, terrarum et locorum carissimi in Chr. filii nostri Wenceslai Romanorum et Boemie regis illustris racione dicti regni Boemie dicioni subiectorum, feudalium et homagialium, et parcium circumstancium variis causis impedite infra eundem annum basilicas et ecclesias predictas causa assequendi indulgenciam huiusmodi nequiverint visitare, nos more pii patris saluti animarum personarum huiusmodi fructuose providere volentes, predicti regis in hac parte supplicacionibus inclinati, auctoritate apostolica tenore presencium indulgemus, ut confessor, quem ex viginti vel pluribus, si necesse fuerit, presbyteris [c]) ydoneis, secularibus vel regularibus, quos venerabilis frater noster Johannes archiepiscopus Pragensis et dilecti filii Vbaldinus electus Turritanus, apostolice sedis nuncius, vel eorum in spiritualibus generales vicarii et fructuum et proventuum camere apostolice in illis partibus debitorum collector seu succollector ad hoc duxerint deputandos, quelibet tam impeditarum huiusmodi quam aliarum personarum quarumlibet regni, terrarum et locorum predictorum et circumstancium parcium per tres dietas vulgares seu usuales, eciam forensium, nobilium, mercatorum et aliarum ibidem casualiter veniencium, eciam illarum, que dictas basilicas visitassent aut alias huiusmodi indulgenciam auctoritate apostolica obtinuissent, elegerit, personis eisdem, que hoc humiliter voluerint seu voverint, vere penitentibus et confessis eadem auctoritate apostolica concedere valeat, quod ipse persone vere penitentes et confesse, ut prefertur, quae s. Petri Wissegradensem nobis et Romane ecclesie immediate subiectam et maiorem ecclesias Pragenses ac capellam novam Corporis Christi et ss. Felicis et Adaucti Noue ciuitatis Pragensis necnon ecclesiam monasterii Brewnouiensis prope Pragam ord. s. Benedicti, si Pragenses, adminus quindecim, si vero forenses vel peregrini fuerint, adminus septem diebus continuis vel interpolatis semel saltem in die a dominica quarta quadragesime proxime future usque ad festum s. Crucis de mense Septembris extunc proxime secuturum inclusive visitando, ille videlicet ex dictis personis, que commode poterunt, que vero propter senectutem vel adversam valetudinem seu religionis honestatem aut aliud impedimentum legitimum visitacionem huiusmodi decenter et commode facere nequiverint, loco visitacionis ipsius alia pietatis opera faciendo aut oraciones dicendo seu aliam personam loco sui, que dictam visitacionem pro ipsis faciat, destinando, prout dictus confessor, qui eciam ad ipsas personas taliter impeditas causa earum

confessionem audiendi et huiusmodi indulgenciam eis concedendi ac premissa omnia et singula faciendi accedere possit, eis taliter impeditis duxerit iniungendum, perinde huiusmodi indulgenciam plenissimam consequantur et earum quelibet consequatur, ac si infra annum huiusmodi per dictum predecessorem deputatum, ut prefertur, ad ipsam Urbem propterea personaliter venissent seu venisset et basilicas ac ecclesias Urbis predictas visitassent seu visitasset, sic tamen, quod labore personali, quem persone huiusmodi passe fuissent, si ad ipsam Urbem dicto anno personaliter venissent et basilicas ac ecclesias Urbis predictas propterea visitassent, ut prefertur, iuxta arbitrium confessoris eiusdem in alia pietatis opera commutando, expensas vero, quas huiusmodi persone in itinere ad ipsam Urbem veniendi et in ea morandi ac de ea ad propria redeundi secundum sui decenciam facture, et oblaciones, quas basilicis et ecclesiis Urbis predictis, si ad illas dicta de causa personaliter venissent, donature fuissent, super uno vel pluribus ex altaribus predicte s. Petri ecclesie, quod seu que archiepiscopus, electus, vicarii, collector seu succollector predicti ad id deputaverint, alicui ydonee et fideli persone, per ipsos archiepiscopum, electum, vicarios, collectorem seu succollectorem ad hoc deputande, que huiusmodi expensas arbitrio suo, prout sibi secundum condecenciam personarum huiusmodi videbitur faciendum, moderate taxare et cum ipsis personis super eis componere et ordinare ac pauperibus et religiosis personis huiusmodi expensas solvere non valentibus in totum vel in parte remittere valeat, super quibus ipsarum personarum et persone deputande huiusmodi consciencias oneramus, assignare fideliter teneantur. Volumus autem, quod medietas omnium et singulorum, que propterea fuerint assignata, in fabrica, paramentis, libris et aliis ornamentis dicte ecclesie s. Petri Wissegradensis integre et fideliter convertatur, reliqua vero medietas per dictum archiepiscopum, electum, vicarios, collectorem seu succollectorem ad dictam Urbem in fabricas ecclesiarum et basilicarum Urbis predictarum convertenda quantocius fideliter transmittatur, et quod eciam ipsi archiepiscopus, electus, vicarii, collector seu succollector in ecclesiis et capella predictis in singulis videlicet singulos altaristas ad colligendum alias oblaciones, quas preter dictas oblaciones basilicarum et ecclesiarum Urbis predictarum in eisdem ecclesiis et capella per personas predictas fieri contigerit, possint et debeant deputare, et quod illa, que sic oblata fuerint, non in usum aliquarum personarum, sed in augmentum et reparacionem fabrice, paramentorum et aliorum ornamentorum ecclesiarum et capelle predictorum ad arbitrium dictorum archiepiscopi, electi vel vicariorum et dilectorum filiorum abbatis monasterii,[d] decanorum maioris et s. Petri ecclesiarum ac rectoris seu magistri fabrice persone ecclesiastice capelle predictorum debeant dispensari, super quibus omnibus et singulis ipsorum archiepiscopi, electi, vicariorum, collectoris, succollectoris et confessorum ac abbatis, decanorum, magistri fabrice eciam consciencias oneramus. Nulli ergo . . . . Datum Perusii decimo octavo kal. Februarii anno quarto.

R. Lat. 1 fol 154a — Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: N.-M-DE BENEVENTO, SUB OBLIGACIONE — Ed. Hammerschmid, Gloria et maiestas ecclesiae Wissehradensis 1700, p. 429. — a) ‚perpetuam' Ham. b) ‚undecim' Ham. c) ‚probis' Ham. d) om. Ham.

670. *Ubaldino electo Turritano mandatur, ut a Nicolao Calvo [de Bavorov] collectore Pragensi certam pecuniarum summam nomine camerae apostolicae exigat.*

Perusii, 1393 Januarii 16.

Bonifacius . . . . Vbaldino electo Turritano, referendario nostro et apostolice sedis nuncio . . . . Ad nostri apostolatus relacio fidedigna perduxit auditum, quod . . . . Nicolaus de Caluis canonicus Pragensis, in provincia ac civitate et diocesi Pragensibus tunc fructuum et proventuum camere apostolice debitorum collector, ... Reynhardo et Rudolfo de Mulhausen ac Nicolao Ortlini civibus Maioris ciuitatis Pragensis et ibidem mercatoribus duorum milium et ducentorum florenorum auri summam de fructibus dicte camere debitis per eum tunc in partibus illis collectis in numerata pecunia realiter assignavit, per eos seu eorum alterum ad dictam cameram transmittendam, ad quod faciendum et eciam adimplendum prefati mercatores se efficaciter obligarunt, prout in litteris autenticis et publicis instrumentis plenius continetur. Cum itaque huiusmodi duorum milium et ducentorum florenorum summam eidem camere hactenus non assignaverint, ut debuerunt, nos . . . . discrecioni tue . . . committimus et mandamus, quatenus . . . . ab eisdem mercatoribus ac heredibus et eorum societate seu a Nicolao collectore predicto, qui tales pecunias ad dictam cameram debuit salvo modo trasmittere et non aliter, cum sibi, non dicte camere, quicunque casus fortuitus debeat imputari, prefatam duorum milium et ducentorum florenorum auri summam petere, exigere et recipere nostro et dicte camere nomine non postponas, ipsos et eorum quemlibet ad eam tibi dicto nomine persolvendam et integraliter assignandam per censuram ecclesiasticam et alia iuris remedia appellacione postposita compescendo . . . . Volumus autem, quod eos, a quibus dictam duorum milium et ducentorum florenorum summam receperis, absolvere valeas plenius et quitare de hiis, que inde tibi duxerint persolvenda vel eciam assignanda, faciendo exinde confici duo publica consimilia instrumenta, quorum uno penes assignantes seu solventes dimisso, reliquum ad eandem cameram studeas quantocius fideliter destinare. Datum Perusii XVII. kal. Februarii pont. n. a. quarto.

R. Vat. 314 fol. 59^{b} — In fine: (ad sin.) COM[PUTAVI]; (ad dext.) DE CURIA, JO. DE PEMPELUOIRDE.

---

671. *Ubaldino electo Turritano mandatur, ut occupatores bonorum quondam episcopi Olomucensis ad illa tradendum moneat.*

Perusii, 1393 Januarii 16.

Bonifacius . . . Vbaldino electo Turritano, referendario nostro et apostolice sedis nuncio . . . . Fidedigna dudum relacione percepto, bone memorie Petrum episcopum Olomucensem viam fore universe carnis ingressum,[1]) nos de bonis ipsius mobilibus, que habebat tempore mortis sue, quorum disposicionem nobis, dum adhuc idem episcopus ageret in humanis, ...reservavimus, cupientes cerciorari et ea fideliter conservari, ut inde fieret, quod ordinaremus, et sicut nuper

accepimus, nonnulli eius familiares et alii ipsius episcopi bona ad summam quinque milium florenorum auri et ultra asportaverint et ipsam distraxerint propria auctoritate, ne ipsorum presumptuositate glorientur, et ut de bonis predictis fiat, quod duxerimus ordinandum, discrecioni tue . . . . committimus et mandamus, quatenus . . . . prefatos occupatores seu detentores, cuiuscunque dignitatis, status, gradus, ordinis vel condicionis existant, eciam si pontificali vel alia quavis dignitate eciam mundana prefulgeant, certo per te eis termino assignato peremptorio, moneas et requiras, quod huiusmodi bona, quecunque sint et in quibuscunque rebus consistant, super quibus simpliciter et de plano sine strepitu et figura iudicii auctoritate nostra te informes, tibi studeant effectualiter assignare . . . . Volumus autem, quod eos, a quibus huiusmodi bona receperis, valeas de receptis absolvere plenius et quitare, faciendo exinde duo confici publica consimilia instrumenta, quorum uno penes assignantes seu solventes dimisso, reliquum ad nostram cameram studeas quantocius fideliter destinare. Datum Perusii XVII. kal. Februarii pont n. a. quarto.

R. Vat. 314 fol. 60[a] — In fine: (ad sin.) COM[PUTAVI]; (ad dext.) DE CURIA, JO. DE PEMPELUOIRDE — [1]) Petrus Jelito episcopus Olomucensis 1387 Febr 12 obiit.

---

672. *Ubaldino electo Turritano datur potestas petendi a Johanne episcopo Lubicensi omnes pecuniarum summas per eum nomine decimae illegitime exactas.*

Perusii, 1393 Januarii 16.

Bonifacius . . . . Vbaldino electo Turritano, referendario nostro et apostolice sedis nuncio . . . .Dudum accepto, quod carissimus in Chr. filius noster Wenceslaus Romanorum et Boemie rex illustris ad Italie partes pro imperiali diademate suscipiendo habebat personaliter se conferre, prout id suis eciam diversarum litterarum tenoribus et nunciis significavit, tibi, ut expensarum onera, que propterea habebat subire, facilius supportare valeret, in regni Boemie et Alamanie ac patriarchatus[a]) Aquilegensis partes imponendi decimas unius anni casu quo veniret, alias secus, tibi dedimus potestatem, quarum medietatem in recessu ipsius regis, reliquam vero partem in introitu Italie per te eidem mandavimus assignari, prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur.[1]) Cum autem, sicut accepimus, ... Johannes episcopus Lubicensis huiusmodi litteris tibi directis et ad manus eius deductis prefatas decimas imposuerit propria auctoritate, nullum ad hoc a nobis habens mandatum legitimum, cui in hac parte non poteras vices tuas subdelegare, ipsasque[b]) exegerit et tibi aut camere nostre, ut debuit, non assignaverit,[c]) quas nobis et dicte camere ex iustis et racionalibus causis duximus reservandas, prout eciam presencium tenore reservamus, nos cupientes eiusdem[d]) camere indempnitatibus providere, et ut de dictis decimis sicut premittitur exactis fiat, quod decrevimus ordinandum, discrecioni tue . . . . a prefato Johanne episcopo petendi nostro et dicte camere nomine quascunque pecuniarum summas sicut premittitur per eum exactas ac ipsas recipiendi et retinendi ac ad dictam cameram transmittendi necnon de receptis habitis et recu-

peratis dumtaxat quitandi eundem episcopum et plenius absolvendi plenam et liberam tenore presencium concedimus potestatem;[2]) volumus autem, quod de hiis, que receperis, duo facias confici consimilia publica instrumenta, quorum uno penes episcopum retento, aliud dicte camere studeas quantocius destinare. Datum Perusii XVII. kal. Februarii pont. n. a. quarto.

R. Vat. 314 fol. 59[b] — [a]) ‚patriarchatu' cod. [b]) ‚ipsamque' cod. [c]) ‚assignavit' cod. [d]) ‚eidem' cod. — In fine ad dext.: DE CURIA, D. DE NEAPOLI — Ed. Pelzel, Wenzel IV. Th. I. Urkundenb. nr. 74 („ex originali archivi ecclesiae Romanae") — [1]) Vide nr. 458. [2]) Cf. nr. 673.

---

673. Johanni episcopo Lubicensi mandatur, ut omnes pecuniarum summas, quas nomine decimae illegitime exegit, Ubaldino electo Turritano assignet.

Perussii, 1393 Januarii 16.

Bonifacius . . . . Johanni episcopo Lubicensi . . . . Dudum accepto, quod carissimus in Chr. filius noster Wenceslaus Romanorum et Boemie rex illustris volebat pro suscipienda imperiali corona ad Italie partes personaliter se conferre, prout id nobis suis litterarum diversarum tenoribus et nunciis significavit, ... Vbaldino tunc Cortonensi, nunc vero Turritano electo, referendario nostro et apostolice sedis nuncio, decimas unius anni in regno Boemie ac per Alemaniam et patriarchatum Aquilegensem imponendi, ipsasque, si prefatus rex descenderet, et aliter non, exigendi, et ipsi regi assignandi, ut expensarum onera, que propterea habebat subire, facilius supportaret, certis nostris litteris dedimus in mandatis, prout in huiusmodi litteris plenius continetur.[1]) Cum autem, sicut accepimus, prefatis litteris ad manus tuas deductis, et nullo tibi legitimo facto mandato, cum idem Vbaldinus subdelegare nequiverit quod sue industrie specialiter erat commissum, quinimo propria auctoritate prefatas decimas imposueris et eciam exegeris, et camere nostre non assignaveris, ut debebas, quas eidem camere reservavimus applicandas et presencium tenore eciam reservamus, ut de ipsis fiat, quod duxerimus ordinandum, fraternitati tue . . . . committimus et mandamus, quatenus omnes et singulas pecuniarum quantitates, quas, ut premittitur, ad tuas deduxisti manus, seu alienas, eidem Vbaldino studeas semota difficultate quacunque integre assignare, necnon litteras commissionis per nos sibi facte in premissis, quas hactenus, sicut accepimus, occupasti, in predictis taliter te gerendo, quod de prompta obediencia apud nos et sedem apostolicam valeas merito commendari. Nos enim te quitandi et plenius absolvendi de hiis, que eidem Vbaldino assignaveris, plenam et liberam per alias nostras litteras concedimus potestatem.[2]) Datum Perusii XVII. kal. Februarii pont. n. a. quarto.

R. Vat. 314 fol. 60[b] — In fine: (ad sin.) COM[PUTAVI]; (ad dext.) DE CURIA, A. DE CUMIS — [1]) Vide nr. 458. [2]) Vide nr. 672.

---

674. Cum Henrico de Chuden scholastico ecclesiae Vratislaviensis dispensatur, ut beneficium curatum recipere possit.

Perusii, 1393 Januarii 19.

Bonifacius . . . . Hinrico de Chuden scolastico ecclesie Wratislauiensis, bacallario in legibus, [1]) . . . . Litterarum sciencia . . . . Volentes igitur te . . . . consideracione . . . . Philippi episcopi Ostiensis, pro te, dilecto capellano et familiari suo, nobis super hoc humiliter supplicantis, favore prosequi gracie specialis . . . ., tecum, ut una cum scolastria ecclesie Wratislauiensis, quam obtines, et que dignitas sine cura est, vel cum alio beneficio ecclesiastico, quod loco eiusdem scolastrie forsan te habere continget, unum aliud beneficium ecclesiasticum cum scolastria vel beneficio huiusmodi incompatibile, eciam si aliud beneficium huiusmodi dignitas, personatus vel officium cum cura aut de iure patronatus laicorum, et eciam si dignitas huiusmodi maior post pontificalem in cathedrali vel principalis in collegiata ecclesiis existant, eciam si ad dignitatem personatum vel officium huiusmodi consueverit quis per eleccionem assumi, eciam si huiusmodi aliud beneficium apostolica vel alia quavis auctoritate tibi alias canonice conferatur vel assumaris ad illud, recipere et retinere, et quod huiusmodi aliud beneficium ex causa permutacionis dimittere et loco ipsius aliud simile vel dissimile beneficium huiusmodi eciam recipere et una cum scolastria vel alio beneficio, quod loco dicte scolastrie forsan te habere continget, retinere . . . . valeas . . . ., auctoritate apostolica . . . . dispensamus . . . . Datum Perusii quarto decimo kal. Februari a. quarto.

R. Lat. 28 fol. 30[b] – In marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: N. XX DE BENEVENTO — [1]) Videtur esse idem ac ille ‚dominus Henricus Chûden de Soltwedel' de natione Saxonum, qui a. 1373 a rectore universitatis iuristarum studii Pragensis inscriptus est. (Monum. univ. Prag. II./I. p. 120).

675. *Cum Nicolao Pauli Stengil civis Vratislaviensis nato, clerico Vratislaviensi in vicesimo aetatis suae anno constituto, dispensatur, ut, aetatis defectu non obstante, beneficium ecclesiasticum curatum, etiam si in cathedrali vel collegiata ecclesiis dignitas vel personatus seu officium cum cura fuerit, dummodo dignitas ipsa in cathedrali maior post pontificalem et in collegiata ecclesiis principalis non existat, recipere et retinere valeat.* „*Vite ac morum*" „*Perusii nono kal. Februarii a. quarto*".

Perusii, 1393 Januarii 24.

R. Lat. 28 fol. 33[a] — In marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: N. XX DE BENEVENTO.

676. *Johanni de Miličín conceditur, ut in assecutione praebendae, dignitatis, personatus seu officii ecclesiae Pragensis omnibus praeter cardinales et familiares apostolicos anteferatur.*

Perusii, 1393 Februarii 1.

Bonifacius . . . . Jesconi de Miliczin rectori parrochialis ecclesie in Inferiori Dyax Olomucensis diocesis . . . . Vite ac morum . . . . Dudum, videlicet V. idus Novembris pont. n. anno primo, [1]) nos . . . . de canonicatu sub expec-

tacione prebende necnon dignitatis vel personatus seu officii ecclesie Pragensis, eciam si dignitas ipsa curata, non tamen maior post pontificalem in ecclesia ipsa fuerit, et ad eam consueverit quis per eleccionem assumi, per alias nostras litteras tibi mandavimus provideri . . . . Nos igitur . . . . tuis in hac parte supplicacionibus inclinati, te in assecucione prebende ac dignitatis vel personatus seu officii huiusmodi omnibus prebendas ac dignitates vel personatus seu officia in eadem ecclesia auctoritate nostra expectantibus preterquam . . . . s. Romane ecclesie cardinalibus et . . . . familiaribus nostris domesticis et continuis commensalibus volumus anteferri, sed nullum per hoc eis quoad assecucionem prebendarum ac dignitatum, personatuum vel officiorum aut beneficiorum aliorum preiudicium generari; non obstantibus quibuscunque constitucionibus, declaracionibus ordinacionibus et revocacionibus .... per nos super hoc factis .... contrariis ...., seu quod parrochialem ecclesiam in Inferiori Dyax et in s. Petri in Brunna et in s. Mauricii Cremsirensi ac in s. Martini in Posonio ecclesiis cum custodia, que simplex officium existit, Olomucensis et Strigoniensis diocesium canonicatus et prebendas necnon capellam sine cura s. Ladislai in domo archiepiscopali Strigoniensi nosceris obtinere, et quod dudum tibi de canonicatu et prebenda Olomucensis ecclesie .... [2]) ac de uno cum cura et alio sine cura beneficiis ecclesiasticis, eciam si aliquod ipsorum dignitas personatus vel officium cum cura vel sine cura et dignitas ipsa in collegiata ecclesia principalis fuerit, et ad eam consueverit quis per eleccionem assumi, ad collacionem .... quorumcunque in civitate vel diocesi Pragensibus [pertinentibus], sub certis formis et prerogativis .... per alias nostras diversas litteras graciose mandavimus provideri, ac omnibus aliis, que in predictis litteris voluimus non obstare . . . . Datum Perusii kal. Februarii pont. n. a. quarto.

R. Lat. 28 fol. 156[b] — In marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: N. XXX DE BENEVENTO. — [1]) 1389 Nov. 9. [2]) Vide nr. 300.

---

677. Vratislaviensis et Pomezaniensis episcopi ac praepositus ecclesiae b. Mariae in Maiore Glogovia[a]*) Vratislaviensis dioc. conservatores abbatis et conventus monasterii s. Vincentii extra muros Vratislavienses praemonstratensis ord. usque ad quinquennium instituuntur. „Militanti ecclesie" „Perusii sexto decimo kal. Marcii pont. n. a. quarto".*

Perusii, 1393 Februarii 14.

R. Lat. 27 fol. 213[b] — [a]) ‚beate Maioris glogouien' (sic) — In fine: N. XXX DE BENEVENTO.

---

678. Johanni Manco collectori Lombardiae mandatur, ut Ubaldino archiepiscopo Turritano certam pecuniarum summam assignet.

Perusii, 1393 Februarii 20.

Bonifacius . . . . Johanni Manco canonico Neapolitano, in partibus Lombardie fructuum et proventuum camere apostolice debitorum collectori . . . . Cum pro certis nostris et Romane ecclesie arduis negociis ad regni Boemie et carissimum in Chr. filium nostrum Wenceslaum Romanorum et Boemie regem illustrem . . . . Vbaldinum archiepiscopum Turritanum, referendarium nostrum et apostolice sedis nuncium, et nonnullas alias mundi partes duxerimus transmittendum, firma spe fiduciaque conceptis, quod dirigente domino actus suos que sibi iniunximus promptis studiis et exacta diligencia exequetur, et cupiamus eidem Vbaldino de alicuius subvencionis auxilio propterea providere, discrecioni tue . . . . committimus et mandamus, quatenus prefato Vbaldino . . . . de pecuniis camere nostre debitis, per te hactenus collectis et imposterum colligendis, summam ducentorum ducatorum auri . . . . studeas effectualiter assignare . . . . inde per patentes litteras tuas seu publicum instrumentum redditurus prefatam cameram cerciorem . . . . Datum Perusii X. kal. Marcii pont. n. a. quarto.

R. Vat 314 fol. 71[b] — In fine: (ad sin) COM[PUTAVI]; (ad dext.): DE CURIA, NATALIS.

---

679. *Archiepiscopus Pragensis et Vratislaviensis ac Olomucensis episcopi clerj civitatis et diocesis Litomyšlensis conservatores contra eius spoliatores et oppressores instituuntur. „Ad reprimendas“ „Perusii decimo kal. Maii pont. n. a. quarto“.*

Perusii, 1393 Aprilis 22.

R. Lat. 27 fol. 214[b] — Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: N.-L-DE BENEVENTO. — Registratum in Cod. dipl. Moraviae XII. p. 128 nr. 139.

---

680. *Magister Raczko de Rymnicz*[a]) *canonicus ecclesiae s. Mauritii in Cremsir*[b]) *Olomucensis dioc. in sedis apostolicae capellanum recipitur. „Virtutibus clarens“ „Perusii II. nonas Maii pont. n. a. quarto“.*

Perusii, 1393 Maii 6.

R. Vat. 314. fol. 97[a] cum his notis in fine: (sin.) XX, IA. DE PAPIA, P. PETRA; (med.) P. DE BOSCO; (dext.) PRO JA. DE PAPIA JO. JACOZI; iterum registratum (sine notis) in Arm. XXXI tom. 36 fol. 46[a] — a) ‚Rymycz‘ b) ‚Gremsyr‘.

---

681. *Magister Hermannus de Tlustomost (Stolzmütz)*[a]) *rector parrochialis ecclesiae in Nezamyslicz*[b]) *Olomucensis dioc. in sedis apostolicae capellanum recipitur. „Virtutibus clarens“ „Perusii II. nonas Maii pont. n. a. quarto“.*

Perusii, 1393 Maii 6.

R. Vat. 314 fol. 97[a] cum his notis in fine: (sin.) XX, JA. DE PAPIA, P. PETRA (med.) P. DE BOSCO; (dext.) JO. JACOZI; iterum registratum (sine notis) in Arm. XXXI tom. 36 fol. 46[a] — a) ‚Tlustomasl‘ Vat. Arm. b) ‚Nezamyslycz‘ Vat., ‚Nezamislycz‘ Arm.

682. *Marinus s. Mariae Novae cardinalis, camerarius apostolicus, universis praelatis et officialibus prohibet, ne contra magistrum Raczkonem de Rymnicz*[a]) *canonicum ecclesiae s. Mauritii in Cremsir*[b]) *Olomucensis dioc. ullam iurisdictionem exerceant, cum ipse capellanus apostolicus sit. „Perusii a. dom. millesimo trecentesimo nonagesimo tercio, indiccione prima, die nona mensis Maii pont. . . . a. quarto".*

Perusii, 1393 Maii 9.

Arm. XXXI tom. 36 fol. 70[a] — [a]) ‚Rymycz' [b]) ‚Gremsyr' — Cf. nr. 297 et nr. 680.

---

683. *Tudensi et Olomucensi episcopis ac abbati monasterii Gradicensis extra muros Olomucenses mandatur, quatenus Thomae Mauritii de Praga rectori parrochialis ecclesiae in Vistonicz*[a]) *Olomucensis dioc., baccalario in decretis et in artibus magistro, canonicatum et praebendam ecclesiae Montis s. Petri in Brunna dictae dioc., quorum fructus 10 marcarum argenti valorem annuum non excedunt, per obitum Henrici ‚Coptiez' extra Romanam curiam defuncti vacantes,*[1]) *conferant, non obstante, quod „idem Thomas . . . . dictam parrochialem ecclesiam, cuius viginti quatuor, obtinet, et nos hodie sibi de eum prebenda Olomucensis tunc vacantibus, quorum quatuordecim marcharum argenti . . . . valorem annuum non excedunt, ac dudum de sub expectacione prebende ac dignitatis, personatus vel officii Pragensis ecclesiarum canonicatibus graciose concessimus provideri." „Litterarum sciencia" „Perusii quarto idus Maii a. quarto".*

Perusii, 1393 Maii 12.

R. Lat. 30 fol. 326[b] — [a]) ‚Wistonicz' — In fine: N. XX DE BENEVENTO. — [1]) Cf. nr. 371.

---

684. *Pragensis et s. Andreae Frisingensis ecclesiarum decanis ac officiali Salzburgensi mandatur, quatenus Petro Waltheri de Lubavia canonico Vratislaviensi, magistro in medicina et in artibus, canonicatum et praebendam ecclesiae Frisingensis, per obitum Thomae Grunhartzhover vacantes et auctoritate ordinaria ei collatos, auctoritate apostolica conferant, non obstante, quod nuper praefato Petro de canonicatu sub exspectatione praebendae Vratislaviensis*[1]) *et de beneficio ecclesiastico cum vel sine cura, ad collationem episcopi Pataviensis et praepositi, decani et capituli Pataviensis ecclesiarum pertinente, vacante vel vacaturo, a papa provisum est. „Litterarum sciencia" „Perusii quarto idus Maii a. quarto".*

Perusii, 1393 Maii 12.

R. Lat. 27 fol. 106[a] — Supra in marg. sin.: A. DE PORTUGRUARIO; in fine: DE MANDATO, N. DE BENEVENTO — [1]) Cf. nr. 243.

685. *Episcopo Tudensi et abbati monasterii b. Mariae virginis in Arena extra muros Vratislavienses ac officiali Vratislaviensi mandatur, quatenus Nicolao Adalberti de Superiore Glogovia subdiacono Vratislaviensis dioc. conferant parrochialem ecclesiam in Niehmen[a]) dictae dioc., cuius fructus 10 marcarum argenti valorem annuum non excedunt, vacantem per liberam resignationem rectoris Nicolai Phefeheyn per eum in manibus Semoriti prioris hospitalis s. Johannis Jerosolimitani in regno Poloniae extra Romanam curiam sponte factam et per eundem priorem auctoritate ordinaria, cum ad priorem dicti hospitalis in eodem regno pro tempore existentem eiusdem ecclesiae resignationis receptio de antiqua consuetudine pertineat, extra eandem curiam admissam. „Vite ac morum" „Perusii quarto idus Maii a. quarto."*

Perusii, 1393 Maii 12.

R. Lat. 29 fol. 79[a] — [a]) ‚Neman' — Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine N. XVIIII DE BENEVENTO.

---

686. *Henrico Temericz de Budissin clerico Misnensis dioc. reservatur beneficium ecclesiasticum cum vel sine cura, cuius fructus 25 resp. 18 marcarum argenti valorem annuum non excedant, ad collationem praepositi, decani et capituli singularumque personarum ecclesiae s. Petri Budissinensis Misnensis dioc. pertinens, etiam si canonicatus et maior praebenda eiusdem ecclesiae fuerit, si quod vacat, vel cum vacaverit. „Vite ac morum" „Perusii quarto idus Maii a. quarto". — Simili modo episcopo Adriensi et praeposito monasterii s. Affrae per praepositum soliti gubernari Misnensis dioc. ac archidiacono Misnensi.*

Perusii, 1393 Maii 12.

R. Lat. 29 fol. 134[b] — In fine: N. XII. XIIII DE BENEVENTO.

---

687. *Omnibus in ecclesia s. Sepulcri dominici Legnicensi certo modo et tempore angelicam salutationem dicentibus indulgentiae conceduntur.*

Perusii, 1393 Maii 12.

Bonifacius . . . . universis . . . . Dum precelsa . . . . Hinc est, quod nos . . . . nobilis viri Ruperti ducis Slezie supplicacionibus inclinati . . . . omnibus vere penitentibus et confessis, qui, dum in ecclesia s. Sepulcri dominici Legnicensi Wratislauiensis diocesis, cuius, ut ipse dux asserit, dicti ducis progenitores fundatores extiterunt, singulis diebus in aurora vel circa solis ortum campanam pro ‚ave Maria' pulsari contigerit, ad laudem et honorem ipsius b. Marie virginis devote trina saltem vice flexis genibus angelicam salutacionem dixerint, tres annos et totidem quadragenas de iniunctis eis penitenciis misericorditer relaxamus. Volumus autem, quod, si super simili concessione littere apostolice sub presentis dici data confecte appareant, presentes littere nullius existant roboris vel momenti. Datum Perusii quarto idus Maii a. quarto.

R. Lat. 28 fol. 127b — In marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: N. XXX DE BENEVENTO.

---

688. Abbati monasterii in Aula Regia mandatur, quatenus, si Hrzkonem rectorem parrochialis ecclesia in Řevnicz homicidium perpetrasse reppererit, eadem ecclesia eum privet.

Perusii, 1393 Maii 27.

Bonifacius . . . . abbati monasterii in Aula Regia Pragensis diocesis.... Ad audienciam nostram pervenit, quod Hrzko rector parrochialis ecclesie in Rzewnicz Pragensis diocesis diabolico spiritu instigatus in personam quondam Johannis dicti Zak clerici homicidium nequiter perpetravit. Nos attendentes, quod veris existentibus supradictis prefatus Hrzko dicta parrochiali ecclesia, quam obtinet, reddidit se indignum, discrecioni tue . . . . mandamus, quatinus vocatis dicto Hrzkone et aliis, qui fuerint evocandi, super premissis inquiras auctoritate nostra diligencius veritatem, et si per inquisicionem huiusmodi ita esse reppereris, prefatum Hrzkonem ecclesia predicta eadem auctoritate sentencialiter prives eumque amoveas realiter ab eadem, prout de iure fuerit faciendum . . . . Datum Perusii sexto kal. Junii a. quarto.

R. Lat. 27 fol. 173b — Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: PRO DEO, N. DE BENEVENTO.

---

689. Abbati monasterii in Aula Regia mandatur, quatenus, si Hrzkonem parrochiali ecclesia in Řevnicz sententialiter privaverit, eandem ecclesiam Venceslao de Hořovicz conferat.

Perusii, 1393 Maii 27.

Bonifacius . . . . abbati monasterii in Aula Regia Pragensis diocesis . . . Vite ac morum honestas aliaque . . . . merita, super quibus . . . . Wenceslaus de Horzowicz clericus Pragensis diocesis . . . . commendatur . . . ., nos inducunt, ut sibi reddamur . . . . liberales. Hodie siquidem ad audienciam nostram deducto, quod Hrzko rector parrochialis ecclesie in Rzewnicz dicte diocesis . . . . in personam quondam Johannis dicti Zak clerici dicte diocesis homicidum nequiter perpetraverat, nos . . . . tibi per alias nostras litteras dedimus in mandatis, ut . . . ., si . . . . ita esse reppereris, prefatum Hrzkonem ecclesia predicta . . . . sentencialiter privares[1]) . . . . Nos . . . . discrecioni tue . . . . mandamus, quatenus, si per te dictum Hrzkonem eadem ecclesia privari et amoveri ab ea sentencialiter contigerit . . . ., ecclesiam ipsam, cuius fructus.... viginti florenorum auri . . . . valorem annuum . . . . non excedunt, ... eidem Wenceslao auctoritate nostra conferre et assignare procures . . . .; non obstantibus . . . ., quod dudum eidem Wenceslao, ut asserit, super provisione sibi facienda de beneficio ecclesiastico cum cura vel sine cura, vacante vel vacaturo, ad collacionem vel provisionem archiepiscopi [Pragensis] pertinente, in ea forma, secundum quam

pro pauperibus clericis beneficiandis tunc scripsimus, per certos examinatores super hoc deputatos a nobis assignacio facta fuit. Volumus autem, quod, quamprimum . . . . idem Wenceslaus eandem ecclesiam fuerit pacifice assecutus, predicta assignacio et quecunque inde secuta sint cassa . . . . Datum Perusii sexto kal. Junii a. quarto.

R. Lat. 27 fol. 174ᵃ — Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: PRO DEO, N. DE BENEVENTO — [1]) Illas litteras vide sub nro. praecedente.

---

690. *Francisco episcopo Penestrino, s. Romanae ecclesiae vicecancellario, mandatur, quatenus magistro Gerardo de Thoven scriptori et familiari apostolico ac litterarum apostolicarum abbreviatori canonicatum et praebendam cum ferculo ecclesiae s. Victoris Xanctensis Coloniensis dioc. et Frederico de Damme canonicatum et praebendam ecclesiae ss. Apostolorum Coloniensis, quos invicem permutare desiderant, conferat, non obstante, quod praefatus Gerardus s. Cassii Bunnensis dictae dioc. ac Traiectensis et s. Caeciliae Coloniensis canonicatus et praebendas obtinet, et dudum super canonicatu et praebenda Vratislaviensis, quorum omnium fructus 60 marcarum argenti puri valorem annuum non excedunt, cum quodam adversario suo in palatio apostolico litigando, diffinitivam sententiam, quae nulla provocatione suspensa in rem transivit iudicatam, pro se reportavit, et quod dudum ei de supplemento Traiectensis necnon dignitate, personatu vel officio Vratislaviensis ac de canonicatu sub exspectatione praebendae s. Andreae Coloniensis ecclesiarum a papa provideri concessum est. „Apostolice sedis“ „Perusii quinto kal. Junii a. quarto“.*

Perusii, 1393 Maii 28.

R. Lat. 28 fol. 79ᵇ — Supra in margine: C[ANCELLARIA]; in fine: PRO SOCIO ET NEPOTE, JAC. DE TERAMO.

---

691. *Judicibus mandatur, quatenus Venceslao de Radeč praebendam in Holubicz in ecclesia Pragensi vacantem, quam ipse loco suae prioris praebendae optavit, conferant.*

Perusii, 1393 Maii 29.

Bonifacius . . . . Misnensis et s. Apolinaris Pragensis ecclesiarum prepositis ac officiali Pragensi . . . . Vite ac morum honestas aliaque . . . . merita, super quibus . . . . Wenceslaus de Radecz canonicus maioris ecclesie Pragensis . . . . commendatur . . . ., nos inducunt, ut sibi reddamur . . . . liberales. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dicti Wenceslai peticio continebat, quod olim canonicatus eiusdem ecclesie et prebenda in Holubicz in eadem ecclesia, quos quondam Mathias de Mutina . . . . obtinebat, per ipsius Mathie obitum, qui extra Romanam curiam diem clausit extremum vacantibus, prefatus Wenceslaus alios canonicatum et prebendam in Horzan in ipsa ecclesia obtinens,[1]) ipsam preben-

dam in Holubicz per obitum dicti Mathie vacantem, prout iuxta ipsius ecclesie consuetudinem poterat, infra tempus legitimum optavit ipsamque vigore opcionis huiusmodi extitit pacifice assecutus, et eandem prebendam in Horzan . . . . libere dimisit. Cum autem . . . . prebenda in Holubicz predicta adhuc ut prefertur vacare noscatur, nos . . . . discrecioni vestre . . . . mandamus, quatenus . . . . prebendam ipsam in Holubicz, cuius fructus . . . . quadraginta marcharum argenti . . . . valorem annuum . . . . non excedunt, ... eidem Wenceslao auctoritate nostra conferre et assignare curetis . . . .; non obstantibus . . . ., quod prefatus Wenceslaus, ut asseritur, decanatum ecclesie s. Apolinaris Pragensis, cuius quadraginta, et capellam sine cura s. Anne sitam prope ecclesiam Olomucensem, cuius tredecim marcharum argenti fructus . . . . valorem annuum non excedunt, obtinet, et auctoritate ordinaria in canonicum ipsius ecclesie Olomucensis est receptus . . . . Datum Perusii quarto kal. Junii a. quarto.

R. Lat. 27 fol. 67 b — Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: N. XVIII DE BENEVENTO. — [1]) Cf. nr. 569.

---

692. *Officiali Vratislaviensi mandatur, quatenus Nicolao de Zellin(?) parrochialem ecclesiam in Nissa, quam ipse pro aliis beneficiis ecclesiasticis permutavit, conferat.*

Perusii, 1393 Maii 30.

Bonifacius . . . officiali Wratislauiensi . . . . Dignum arbitramur . . . . Exhibita siquidem nobis nuper pro parte . . . . Nicolai de Selyn canonici ecclesie Wratislauiensis peticio continebat, quod olim ipse canonicatum et prebendam ecclesie s. Marie Maioris Glagouie ac in Bunczlow ac . . . Nicolaus Bornerii in Nysa Wratislauiensis diocesis parrochiales ecclesias, quos tunc temporis obtinebant, desiderantes illos . . . . invicem permutare, in manibus . . . . Wenczeslai episcopi Wratislauiensis extra Romanam curiam ex causa permutacionis huiusmodi libere resignarunt, idemque episcopus resignacionibus huiusmodi per eum auctoritate ordinaria extra eandem curiam admissis, in Nyssa Nicolao de Selyn et in Bunczlow parrochiales ecclesias ac canonicatum et prebendam predictos . . . . Nicolao Bornerii prefatis eadem auctoritate contulit at de illis eciam providit, ipseque Nicolaus de Selyn dictam parrochialem ecclesiam in Nysa pretextu collacionis et provisionis huiusmodi assecutus, illam extunc per octo annos et amplius tenuit et possedit, prout tenet et possidet pacifice et quiete. Cum autem . . . . ipse Nicolaus de Selyn dubitet collacionem et provisionem predictas sibi de ipsa ecclesia in Nysa factas . . . . viribus non subsistere . . . ., nos volentes dictum Nicolaum de Selyn, qui presbyter est, ... favore prosequi gracioso, discrecioni tue . . . . mandamus, quatenus, si per diligentem examinacionem dictum Nicolaum de Selyn . . . . ad obtinendum eandem ecclesiam in Nysa ydoneum esse reppereris . . . ., ecclesiam in Nysa predictam, cuius fructus . . . . viginti quinque marcharum argenti puri . . . . valorem annuum . . . . non excedunt, ... eidem Nicolao de Selyn auctoritate nostra conferre et assignare procures . . . .; non obstantibus . . . ., quod ipse Nicolaus de Selyn canonicatum et prebendam ecclesie

Wratislauiensis predicte, quorum fructus .... viginti marcharum argenti puri .... valorem annuum non excedunt, noscitur obtinere .... Datum Perusii tercio kal. Junii anno quarto.

R. Lat. 30 fol. 42b — Supra in marg sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: N. XXII DE BENEVENTO.

---

693. *Judicibus mandatur, quatenus Johanni Namslaw archidiaconatum Sacensem in ecclesia Pragensi vacantem conferant.*

Perusii, 1393 Junii 14.

Bonifacius .... patriarche Gradensi et .... decano ecclesie Pragensis ac .. officiali Pragensi .... Vite ac morum honestas aliaque .... merita, super quibus .... Johannes Namslaw canonicus Pragensis .... commendatur ...., nos inducunt, ut sibi reddamur .... liberales. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dicti Johannis peticio continebat, quod olim archidiaconatu Zacensi in ecclesia Pragensi, quem quondam Johannes de Pomug .... obtinebat, per ipsius Johannis obitum, qui extra Romanam curiam diem clausit extremum, vacante, idem Johannes Namslaw auctoritate quarundam litterarum nostrarum, per quas canonicatum ipsius ecclesie obtinens, prebendam necnon dignitatem vel personatum seu officium inibi expectabat, eundem archidiaconatum sic vacantem infra tempus legitimum acceptavit et de illo sibi provideri fecit illumque vigore acceptacionis et provisionis predictarum extitit pacifice assecutus. Cum autem .... idem Johannes Namslaw dubitet acceptacionem et provisionem predictas ex certis causis viribus non subsistere ...., nos .... discrecioni vestre .... mandamus, quatenus .... archidiaconatum predictum, cuius fructus .... triginta marcharum argenti puri .... valorem annuum .... non excedunt ...., eidem Johanni Namslaw auctoritate nostra conferre et assignare curetis ....; non obstantibus ...., quod idem Johannes Namslaw in Pragensi predicta et in Wratislauiensi ac in Poznaniensi necnon in Warmiensi ecclesiis canonicatus et prebendas, quorum omnium fructus .... nonaginta marcharum argenti puri .... valorem annuum .... non excedunt, noscitur obtinere.[1]) Volumus autem, quod, quamprimum dictus Johannes Namslaw archidiaconatum predictum .... fuerit pacifice assecutus, prefate littere, per quas illum acceptavit .... et quecunque inde secuta, quoad dignitatem vel personatum seu officium dumtaxat, sint cassa .... Datum Perusii decimo octavo kal. Julii a. quarto.

R. Lat. 30 fol. 52a — Supra in marg sin.: C[ANCELLARIA]; In fine: N. XXIII DE BENEVENTO — [1]) Cf. nros. 307. 340. 587. 652.

---

694. *Episcopus Vratislaviensis et Scotorum in Vienna ac in Hradiště[a]) Pataviensis et Olomucensis dioc. monasteriorum abbates conservatores prioris et capituli ecclesiae Litomyšlensis[b]) praemonstratensis ord. usque ad quinquennium instituuntur. „Militanti ecclesie“ „Perusii decimo septimo kal. Julii a. quarto“.*

Perusii, 1393 Junii 15.

R. Lat. 27. fol. 218a — [a]) ‚Rodis‘ [b]) ‚Luthomusleu‘. — In fine: N. XXX DE BENEVENTO

695. Franciscus s. Susannae cardinalis domuum et ecclesiarum a monasterio s. Antonii Viennensi o d. s. Augustini dependentium in nonullis diocesibus administrator deputatur.

Romae, 1393 Junii 17.

Bonifacius .... Francisco tituli s. Susanne presbytero cardinali .... Experte tue circumspeccionis industria, quam in magnis et arduis Romane ecclesie negociis iugiter experimur, firmam nobis fiduciam exhibet, ut ea, que tibi committimus, prudenter et laudabiliter exequeris. Sane cum, sicut nuper accepimus, in Maguntinensibus, Olomucensibus, Eystetensibus, Merseburgensibus, Bambergensibus, Herbipolensibus, Padeburnensibus, Verdensibus, Hildesemensibus, Halberstadensibus, Salczeburgensibus, Patauiensibus, Ratisponensibus, Gurcensibus, Constanciensibus, Argentinensibus, Augustensibus, Curiensibus, Brixinensibus, Spirensibus, Frixingensibus et Wormaciensibus civitatibus et diocesibus nonnulle domus, preceptorie et parrochiales ecclesie ‚bayolie' nuncupate, a monasterio s. Antonii Viennensi ord. s. Augustini dependentes, consistant, et abbas monasterii et preceptores domorum et preceptoriarum necnon rectores ecclesiarum predictarum pro tempore existentes per specialia privilegia eidem monasterio a sede apostolica concessa, quibus non est adhuc in aliquo derogatum, per questuarios ipsorum communiter vel divisim verbum dei in dictis civitatibus et diocesibus Christi fidelibus proponere et elemosinas a fidelibus ipsis petere, que quidem elemosine seu pars[a]) earundem abbati pro tempore existenti ac canonicis et personis degentibus in ipso monasterio ac hospitali circa proventus et emolumenta provenire consueverant, quodque ipsi canonici et persone .... iniquitatis alumpno Roberto olim basilice XII Apostolorum presbytero cardinali, nunc antipape, qui se Clementem VII. ausu sacrilego nominat, notorie adherere presumant, nos igitur .... te rectorem gubernatorem et administratorem domorum, preceptoriarum, ecclesiarum, bayolivarum predictarum et personarum in eisdem degencium ac huiusmodi proventuum et emolumentorum, quoad vixeris, ... deputamus, tibi huiusmodi domos, preceptorias, ecclesias, baiolivas et personas per te vel alium seu alios regendi .... ac omnes et singulos questuarios .... in eisdem civitatibus et diocesibus per huiusmodi canonicos et personas seu illum, qui dictum monasterium ut abbas eiusdem occupat, eidem Roberto adherentes, ..., hactenus quomodolibet .... deputatos ab huiusmodi officio predicandi et elemosinas petendi ... removendi .... et questuarios loco ipsorum amotorum ponendi. prout et quociens tibi videbitur faciendum, et eciam ab huiusmodi questuariis, quos per te deputari continget, racionem de proventibus et emolumentis huiusmodi .... petendi, recipiendi et eciam ipsos proventus et emolumenta percipiendi et de ipsis disponendi et ordinandi, prout verus abbas et canonici dicti monasterii pro tempore existentes disponere et ordinare potuerunt et debuerunt, ipsosque questuarios de receptis ab eis proventibus et emolumentis huiusmodi quitandi et absolvendi .... necnon alia in premissis et circa ea .... faciendi ...., prout et quemadmodum verus abbas et conventus ipsi .... facere possent, si ipsi canonici et persone prefato Roberto non adhererent, ... concedimus facultatem. Datum Rome ap. S. Petrum decimo quinto kal. Julii a. quarto.

R. Lat. 29 fol. 290b — a) ‚quas quidem elemosinas seu partem' cod. — In marg. sin.: P. DE BOSCO; in fine: PRO DOMINO CARDINALI, N. DE BENEVENTO.

---

696. Marinus s. Mariae Novae cardinalis, camerarius apostolicus, universis praelatis et officialibus prohibet, ne in magistrum Johannem de Luticz plebanum plebis s. Nicolai in Gorlicz Misnensis dioc. ullam iurisdictionem exerceant, cum ipse capellanus sedis apostolicae sit. „Perusii a dom. MCCCLXXXX tercio, indicione prima, die vicesima quarta mensis Junii, pont. . . . . a. quarto".

Perusii, 1393 Junii 24.

Arm. XXXI tom. 36 fol. 71a — Cf. nr. 297.

---

697. Officiali Olomucensi mandatur, quatenus causam appellationis Bohdali rectoris ecclesiae parrochialis in Kinheid Olomucensis dioc. a sententia Jaroslai abbatis monasterii b. Mariae virginis in Zábrdovicz prope Brunnam, conservatore commendatoris et fratrum domus hospitalis s. Johannis Jerosolimitani in Antiqua Brunna, ad sedem apostolicam porrectae decidat; per quam sententiam dictus abbas ad falsam relationem Thomae commendatoris dictae domus, asserentis decimas bladorum et fructuum infra limites parrochiae dictae ecclesiae in Kinheid existentium, quas rector eiusdem ecclesiae obtinebat, ad praefatos commendatorem et fratres pertinere, praedictum Bohdalum monuit, ut decimas huiusmodi, si exstarent, alioquin earum valorem eisdem commendatori et fratribus restitueret, et de cetero se de perceptione huiusmodi decimarum nullatenus intromitteret. „Quia nobis" „Perusii kal. Julii pont. n. a. quarto".

Perusii, 1393 Julii 1.

Ed. in Cod. dipl. Moraviae XII. p. 158 nr. 162.

---

698. Vicecancellario apostolico mandatur, quatenus ab Ulrico de Petrovicz resignationem canonicatus et praebendae ecclesiae Boleslaviensis recipiat eosque Sdonkoni de Petrovicz conferat.

Perusii, 1393 Julii 3.

Bonifacius . . . . Francisco episcopo Penestrino, s. Romane ecclesie vicecancellario . . . . Vite ac morum honestas aliaque . . . . merita, super quibus . . . . Sdonko de Petrowicz canonicus Olomucensis . . . . commendatur . . . ., nos inducunt, ut sibi reddamur . . . . liberales. Cum itaque . . . . Vlricus de Petrowicz canonicus ecclesie ss. Cosme et Damiani Boleslauiensis Pragensis diocesis canonicatum et prebendam, quos in eadem ecclesia obtinet, ... libere resignare proponat, nos . . . . volentes dictum Sdonkonem, qui presbyter est, ... favore prosequi gracioso, fraternitati tue . . . . committimus et mandamus,

quatenus auctoritate nostra hac vice dumtaxat a dicto Vlrico vel procuratore suo eius nomine . . . . resignacionem dictorum canonicatus et prebende . . . . recipias et admittas, et nichilominus huiusmodi resignacione per te recepta et admissa, canonicatum et prebendam predictos, quorum fructus. . . . decem marcharum argenti puri . . . . valorem annuum . . . . non excedunt, ... eidem Sdonkoni auctoritate predicta conferas et assignes . . . .; non obstantibus . . . ., quod dictus Sdonko canonicatum et prebendam ecclesie Olomucensis, quorum septem, super quibus in partibus litigat, et parrochialem ecclesiam in Dezicecz [1]), cuius quindecim marcharum argenti puri fructus . . . . valorem annuum . . . . non excedunt, noscitur obtinere . . . . Datum Perusii quinto nonas Julii a. quarto.

R. Lat. 30 fol. 294[b] — In fine: JAC. XXXII DE TERAMO. — [1]) Diocesis nomen, ad quam haec ecclesia pertinebat, in registro ommissum est. Dřiteč (Dřitsch) parrochia districtus Pardubicensis in Bohemia esse videtur.

---

699. *Judicibus mandatur, quatenus Gerardo de Thoven custodiam in ecclesia Vratislaviensi conferat.*

Perusii, 1393 Julii 10.

Bonifacius . . . . patriarche Gradensi et . . . . archidiacono ecclesie Wratislauiensis ac officiali Wratislauiensi . . . . Grata . . . . magistri Gerardi de Thouen canonici Wratislauiensis, scriptoris ac familiaris nostri, familiaritatis et devocionis obsequia . . . . nos inducunt, ut sibi reddamur . . . . liberales. Exhibita siquidem nobis pro parte dicti Gerardi peticio continebat, quod olim custodia ecclesie Wratislauiensis, quam quondam Petrus de Kothebos . . . . obtinebat, per eiusdem Petri obitum, qui extra Romanam curiam diem clausit extremum, vacante, idem Gerardus auctoritate quarundam litterarum nostrarum, per quas dignitatem vel personatum seu officium eiusdem ecclesie, eciam si dignitas ipsa curata foret et ad eam consuevisset quis per eleccionem assumi, expectabat, eandem custodiam, que dignitas, non tamen maior post pontificalem in dicta ecclesia existit, sic vacantem, infra tempus legitimum acceptavit et de illa sibi provideri fecit, illamque vigore acceptacionis et provisionis predictorum extitit assecutus. Cum autem . . . . idem Gerardus dubitet acceptacionem et provisionem predictas . . . . viribus non subsistere, ... nos volentes eidem Gerardo, qui eciam litterarum apostolicarum abbreviator existit, ... graciam facere specialem . . . . , discrecioni vestre . . . . mandamus, quatenus . . . . custodiam predictam, cuius fructus . . . . sexaginta marcharum argenti puri . . . . valorem annuum . . . . non excedunt, ... eidem Gerardo auctoritate nostra conferre et assignare curetis . . . .; non obstantibus . . . ., quod idem Gerardus, ut asserit, predicte Wratislauiensis ac Traiectensis et s. Cicilie Coloniensis necnon s. Cassii Bunnensis canonicatus et prebendas obtinet, et nos nuper sibi de canonicatu et prebenda s. Victoris Xanctensis dicte Coloniensis diocesis, quorum omnium fructus . . . . septuaginta marcharum argenti . . . . valorem annuum non excedunt, tunc certo modo vacantibus, [1]) necnon de supplemento dicte Traiectensis, va-

cante vel vacaturo, per quasdam mandavimus provideri, ac canonicatu sub expectacione prebende s. Andree Coloniensis ecclesiarum per alias nostras litteras graciose duximus providendum. Volumus autem, quod, quamprimum ipse Gerardus . . . . dictam custodiam fuerit pacifice assecutus, predicte littere, per quas eam acceptavit . . . . et quecunque inde secuta sint cassa . . . . Datum Perusii sexto idus Julii pont. n. a. quarto.

R. Lat. 30 fol. 165[1] — Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: PRO SOCIO, N. DE BENEVENTO. — [1]) Cf. nr. 690.

---

700. *Johanni Namslaw conceditur, ut quaecunque sua beneficia ecclesiastica sine speciali sedis apostolicae licentia pro aliis permutare possit.*

Perusii, 1393 Julii 10.

Bonifacius . . . . Johanni Namslaw archidiacono Zacensi in ecclesia Pragensi . . . . Vite ac morum . . . . Tuis itaque supplicacionibus inclinati, tibi, qui aliquandiu litterarum apostolicarum scriptor et in palacio apostolico servitor fuisti, quecunque beneficia ecclesiastica, que nunc obtines et imposterum obtinebis, ex causa permutacionis . . . . in manibus vicecancellarii Romane curie pro tempore existentis vel cuiuscunque aut quorumcunque ordinarii seu ordinariorum locorum, sedis apostolice super hoc licencia minime requisita, simul vel successive ac tociens, quociens tibi placuerit, pro . . . . similibus vel dissimilibus . . . . beneficiis . . . . ecclesiasticis resignandi, et huiusmodi vicecancellario, ordinario seu ordinariis ex eadem causa resignaciones huiusmodi auctoritate nostra recipiendi et admittendi, ac illa, que persone, cum quibus permutacionem huiusmodi facere volueris ex causa predicta resignaverint, tibi, et personis eisdem predicta beneficia, que resignaveris, dicta auctoritate conferendi . . . ., generalibus reservacionibus beneficiorum ecclesiasticorum dictarum litterarum scriptorum ac servitorum contrariis nequaquam obstantibus, ... licenciam elargimur . . . . Datum Perusii sexto idus Julii a. quarto.

R. Lat. fol. 175[a] — In marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: N. XX DE BENEVENTO.

---

701. *Auditori apostolico mandatur, quatenus, si ei constiterit neque Francisco Floszer [de Brega] neque Petro [de Glivicz] in parrochiali ecclesia in Paczkow ius competere, ecclesiam ipsam dicto Francisco conferat.*

Perusii, 1393 Julii 18.

Bonifacius . . . Nicolao electo Potentino in Romana curia commoranti . . . . Vite ac morum honestas aliaque . . . . merita, super quibus . . . . Franciscus Flezzer rector altaris s. Michaelis siti in parrochiali ecclesia s. Jacobi in Nissa Wratislauiensis diocesis . . . . commendatur . . . ., nos inducunt, ut sibi reddamur . . . . libe-

rales. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dicti Francisci peticio continebat, quod orta dudum inter ipsum et . . . Petrum Zalvelt pro clerico dicte diocesis se gerentem super parrochiali ecclesia in Paczkow eiusdem diocesis, de qua, tunc per obitum quondam Jacobi Cindel . . . . apud sedem apostolicam defuncti vacante, Franciscus sibi auctoritate apostolica graciose et canonice provisum fuisse dictumque Petrum se gracie et provisioni huiusmodi contra insticiam opposuisse et opponere . . . . seque in dicta ecclesia in Paczkow intrusisse illamque occupasse ac detinuisse et detinere indebite occupatam, fructus percipiendo ex eadem, Petrus vero prefati eandem ecclesiam in Paczkow ad se de iure spectare asserebant, prout asserunt,[1]) materia questionis: nos causam huiusmodi . . . . magistro Ricardo Jong capellano nostro et causarum palacii apostolici auditori ad instanciam dicti Francisci . . . . commisimus . . . , non obstante, quod causa ipsa de sui natura ad Romanam curiam legitime devoluta . . . . non esset, idemque auditor in causa ipsa procedens diffinitivam, per quam inter cetera predictum Petrum ab impeticione eiusdem Francisci absolvit, sentenciam promulgavit; a qua pro parte dicti Francisci ad sedem extitit appellatum predictam, nosque causam appellacionis huiusmodi . . . . Bertrando episcopo Eugubino, tunc capellano nostro et dicti palacii causarum auditori, ... commisimus . . . .; qui quidem episcopus, tunc auditor, in causa ipsa procedens, prefatam sentenciam per suam, ut dicebat, diffinitivam sentenciam confirmavit; cumque pro parte memorati Francisci ab huiusmodi sentencia ipsius episcopi, tunc auditoris, ad sedem extitisset appellatum eandem, nos causam ultime appellacionis huiusmodi tibi, tunc capellano nostro et causarum dicti palacii auditori, ... commisimus . . . ., tuque in causa huiusmodi ad nonnullos actus citra tamen conclusionem inter partes ipsas diceris processisse. Cum autem, sicut eadem peticio subiungebat, a nonullis asseratur neutrum dictorum Francisci et Petri in dicta ecclesia in Paczkow ius habere, nos . . . . discrecioni tue, qui adhuc locum unius ex auditoribus causarum dicti palacii de mandato nostro obtines, ... committimus et mandamus, quatenus, si per eventum litis huiusmodi tibi constiterit neutri Francisci et Petri in ipsa ecclesia in Paczkow seu ad eam ius competere, eandem ecclesiam in Paczkow, cuius fructus . . . . triginta marcharum argenti . . . . valorem annuum . . . . non excedunt, ... eidem Francisco autoritate nostra conferre et assignare procures . . . .; non obstantibus . . . ., quod idem Franciscus, ut asserit, altare predictum, quod sine cura est, noscitur obtinere, et nos sibi nuper de canonicatu et prebenda ecclesie s. Egidii extra muros Wratislauienses, tunc certo modo vacantibus, quorum omnium fructus . . . . viginti septem marcharum argenti puri . . . . valorem annuum non excedunt, graciose concessimus provideri . . . . Datum Perusii decimo quinto kal. Augusti a. quarto.

R. Lat. 30 fol. 134[b] —Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: N. XXIIII DE BENEVENTO — [1]) Cf. nr. 352.

---

702. *Judicibus mandatur, quatenus Venceslao Thiem de Nikolsburg parrochialem ecclesiam in Landsberg, quam pro parrochiali ecclesia in Atzbach permutavit, conferant.*

Perusii, 1393 Julii 18.

Bonifacius . . . abbati monasterii Scotorum et preposito Omnium Sanctorum in Wienna Patauiensis diocesis ac decano Patauiensis ecclesiarum . . . . Vite ac morum honestas aliaque . . . . merita, super quibus . . . . Wenzeslaus Tym de Nicolspurga presbyter Olomucensis diocesis . . . . commendatur . . . ., nos inducunt, ut sibi reddamur . . . . liberales. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dicti Wenzeslai peticio continebat, quod olim ipse in Aczpach et . . . . Gundakerus Deschpekch (*sic*) in Lazperg parrochiales ecclesias Patauiensis diocesis, quas tunc temporis obtinebant, desiderantes illas . . . . invicem permutare, in manibus . . . . Georgii episcopi Patauiensis extra Romanam curiam . . . . libere resignarunt, idemque episcopus resignacionibus huiusmodi per eum auctoritate ordinaria extra dictam curiam admissis, in Lazperg Wenzeslao et in Aczpach Gundakero prefatis eadem auctoritate contulit et de illis eciam providit, ipseque Wenzeslaus ecclesiam predictam in Lazperg . . . . extitit pacifice assecutus. Cum autem . . . . prefatus Wenzeslaus dubitet collacionem et provisionem predictas . . . . viribus non subsistere . . . ., nos . . . . discrecioni vestre . . . . mandamus, quatenus . . . . ecclesiam in Lazperg predictam, cuius fructus . . . . viginti marcharum argenti . . . . valorem annuum . . . . non excedunt, ... eidem Wenzeslao auctoritate nostra conferre et assignare curetis . . . . Datum Perusii quinto decimo kal. Augusti a. quarto.

R. Lat. 30 fol. 34[b] — Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: N. XVIIII DE BENEVENTO — Cf. nr. 703.

---

703. *Abbati monasterii Scotorum in Vienna Pataviensis dioc. mandatur, quatenus Gundakero ‚Aschpekch' presbytero Pataviensis dioc. conferat parrochialem ecclesiam in Atzbach,*[a] *quam ipse cum Venceslao Thiem*[b] *pro parrochiali ecclesia in Landsberg*[c] *dictae dioc. permutavit. „Dignum arbitramur" „Perusii quinto decimo kal. Augusti a. quarto".*

Perusii, 1393 Julii 18.

R. Lat. 29 fol. 209[b] — [a]) ‚Atzpach' [b]) ‚Tym' [c]) ‚Lazperg' — Cf. nr. 702.

---

704. *Parrochialem ecclesiam b. Mariae virginis in Stálek Olomucensis dioc. certis diebus anni (qui in nro. 366 sunt nominati) visitantibus et ad eius conservationem manus adiutrices porrigentibus sex anni et totidem quadragenae, resp. centum dies de iniunctis eis poenitentiis relaxantur.*[1]) *„Licet is" „Perusii quinto decimo kal. Augusti a. quarto."*

Perusii, 1393 Julii 18.

R. Lat. 30 fol. 253[b] — [a]) ‚Staleck' — In marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: N. XX DE BENEVENTO — Cf. nr. 454.

---

705. Cum Petro de Všerub dispensatur, ut quaedam beneficia incompatibilia insimul retinere possit.

Perusii, 1393 Julii 18.

Bonifacius . . . magistro Petro de Wserob archidiacono Horsouisiensi (*sic*) in ecclesia Pragensi, secretario et familiari nostro . . . Grata tue familiaritatis . . . . Volentes itaque tibi, qui eciam litterarum apostolicarum corrector ac scriptor et abbreviator existis, ... graciam facere specialem, tecum, qui, ut asseris, in maiori ac in s. Petri Wissegradensi Pragensibus ecclesiis canonicatus et prebendas canonice obtines, ut duos alios canonicatus et duas alias prebendas in duabus aliis collegiatis ecclesiis civitatis et suburbiorum Pragensium, si tibi alias canonice conferantur, libere recipere et una cum eisdem maioris et s. Petri ecclesiarum canonicatibus et prebendis licite retinere valeas, statuto et ordinacione fel. rec. Urbani pape V. predecessoris nostri, quibus caveri dicitur, ut nullus in dicta maiori et alia seu duabus ecclesiis huiusmodi civitatis Pragensis seu suburbiorum duos canonicatus et prebendas simul obtinere possit, nisi forsan huiusmodi canonicatus et prebende alicui dignitati, personatui vel officio, in aliqua dictarum ecclesiarum existenti, canonice sint uniti, et quod quicunque, in ipsa maiori ecclesia aut aliqua aliarum ecclesiarum civitatis et suburbiorum predictorum canonicatum et prebendam obtinens, alios canonicatum et prebendam dicte maioris aut aliarum ecclesiarum huiusmodi foret pacifice assecutus, dictis canonicatu et prebenda, quos prius obtinebat, esset ipso iure privatus,[1]) auctoritate apostolica . . . . dispensamus . . . . Datum Perusii quinto decimo kal. Augusti a. quarto.

R. Lat. 30 fol. 240b — In fine: PRO SOCIO, N. DE BENEVENTO — [1]) Cf. nri. 4 not. 2

706. Nicolao de Borsnicz providetur de archidiaconatu ecclesiae Olomucensis, quem ipse pro canonicatu et praebenda ecclesiae Vyšehradensis permutavit.

Perusii, 1393 Julii 20.

Bonifacius . . . . Nicolao de Borsnicz archidiacono Olomucensi . . . . Apostolice sedis circumspecta benignitas . . . . Cum itaque nuper tu canonicatum et prebendam s. Petri Wissegradensis prope Pragam et . . . . Franciscus de Benessow subdiaconus et referendarius noster archidiaconatum Olomucensis ecclesiarum, quos tunc temporis obtinebatis,[1]) desiderantes illos . . . . invicem permutare, per . . . . Johannem de Borsnicz canonicum Pragensem, procuratorem vestrum, ... in manibus nostris . . . . duxeritis libere resignandos, nosque resignaciones huiusmodi auctoritate apostolica duxerimus admittendas, nos votis tuis, qui, ut asseritur, ex utroque parente de militari genere procreatus existis, in hac parte favorabiliter annuentes . . . . archidiaconatum predictum, qui dignitas curata, non tamen maior post pontificalem in dicta Olomucensi ecclesia existit, cuiusque fructus . . . . viginti quinque marcharum argenti puri valorem annuum . . . . non excedunt, ... apostolica tibi auctoritate conferimus et de illo eciam providemus . . . .; non ob-

stantibus . . ., quod, ut asseritur, maioris et s. Crucis Wratislauiensium ac Pragensis[2]) et dicte Olomucensis necnon Poznaniensis canonicatus et prebendas, quorum omnium fructus . . . . centum et viginti marcharum argenti puri . . . . valorem annuum non excedunt, obtines, et nos dudum tibi de canonicatu sub expectacione prebende Gneznensis necnon de dignitate, personatu vel officio cum cura vel sine cura dicte Pragensis ecclesiarum, vacante vel vacatura seu vacaturo, graciose concessimus prouideri. Volumus autem, quod, quamprimum . . . . prefatum archidiaconatum fueris pacifice assecutus, huiusmodi concessionis gracia de dignitate, personatu vel officio per nos . . . . tibi facta, quoad dignitatem, personatum vel curatum officium dumtaxat, sit cassa . . . . Datum Perusii tercio decimo kal. Augusti a. quarto.

Simili modo . . . . episcopo Monopolitano et . . . . decano ecclesie Olomucensis ac . . officiali ecclesie Wratislauiensis . . . .

R. Lat. 30 fol. 195ᵃ — Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA]: in fine: N. XIII. XV DE BENEVENTO. — [1]) Cf. nr. 636. [2]) Cf. nr. 486.

707. *Abbati Scotorum in Vienna mandatur, quatenus processus contra prepositum et capitulum ecclesiae Brunensis ac Conradum Smerbek canonicum eiusdem ecclesiae in causa super quibusdam annuis pensionibus de parrochiali ecclesia in Strutz (Troubsko) factos, quotiens expediverit, aggravet.*

Perusii, 1393 Julii 22.

Bonifacius . . . . abbati monasterii Scotorum in Wienna Patauiensis diocesis . . . . Dudum pro parte . . . . Nicolai Maczonis rectoris parrochialis ecclesie in Struez Olomucensis diocesis exposito fel. rec. Urbano pape VI. predecessori nostro, quod, licet olim quondam Hermannus ultimus dicte ecclesie rector, ipsius Nicolai predecessor, in causa dudum inter eum et . . . . prepositum et capitulum ac quondam Nicolaum de Radis tunc canonicum ecclesie Brunnensis dicte diocesis super eo, quod Nicolaus de Radis certam sibi racione canonicatus et prebende, quos in dicta Brunnensi ecclesia tunc obtinebat, prout obtinet, ac prepositus et capitulum predicti quandam aliam annuas pensiones eis per dictum Hermannum racione predicte parrochialis ecclesie deberi asserebant, mota et coram diversis auditoribus causarum palacii apostolici ex commissionibus apostolicis diucius ventilata, duas pro se et contra dictos prepositum, capitulum ac Nicolaum de Radis, per quas inter cetera pronunciatum, decretum et declaratum fuerat, dictam parrochialem ecclesiam et eius rectorem ad pensiones easdem dandas non teneri et pensiones ipsas cassandas, revocandas et annullandas fore, et cassate et revocate ac annullate fuerant, dictamque parrochialem ecclesiam esse liberam nec ad huiusmodi pensiones obligatam esse, ipsisque preposito capitulo et Nicolao de Radis super premissis perpetuum silencium impositum extiterat, diffinitivas sentencias reportaverat et super execucione huiusmodi sentenciarum, quarum ultima nulla provocacione suspensa in rem transiverat indicatam, apostolicas ad certos iudices litteras impetraverat, et quod, licet huiusmodi sentencie et littere ad indubitatam noticiam ipsorum prepositi, capituli et Nicolai de Radis

pervenissent, tamen predicti prepositus et capitulum ac . . . . Conradus dictus Smerbek canonicus dicte ecclesie Brunnensis, qui dicto Nicolao de Radis tunc vita functo in eisdem canonicatu et prebenda successit, prefatum Nicolaum rectorem, qui eciam eidem Hermanno similiter tunc vita functo in eadem parrochiali ecclesia canonice successit, occasione huiusmodi pensionis contra tenorem predictarum sentenciarum multipliciter et indebite molestare conabantur: idem predecessor abbati monasterii Scotorum in Wienna Patauiensis diocesis pro tempore existenti, eius nomine proprio non expresso, certis suis litteris dedit in mandatis, ut, si esset ita, predictos prepositum et capitulum ac Conradum ad observandum diffinitivas sentencias supradictas, prout canonicum foret, appellacione remota compelleret, cum potestate inhibendi . . . . officiali Olomucensi et aliis quibuscunque iudicibus ordinariis seu eciam delegatis auctoritate apostolica, ne dictum Nicolaum rectorem super huiusmodi pensionibus contra tenorem diffinitivarum sentenciarum huiusmodi in aliquo impedirent vel eciam molestarent, necnon processus legitimos super hiis per eundem abbatem pro tempore existentem habendos, quociens expediret, aggravandi, necnon contradictores quoslibet et rebelles per censuram ecclesiasticam appellacione postposita compescendi, prout in ipsis litteris plenius continetur. Postmodum vero, sicut exhibita nobis nuper pro parte dicti Nicolai rectoris peticio continebat, quondam Donaldus abbas predicti monasterii, predecessor tuus, ad execucionem dictarum secundarum litterarum procedens, nonnullos processus fecit in talibus fieri consuetos, monens inter cetera predictos prepositum, capitulum et Conradum, ut ab exaccione huiusmodi pensionum ab eodem Nicolao rectore necnon a predictis molestacionibus omnino cessarent, alioquin in prepositum et Conradum prefatos ac singulas personas ex eisdem capitulo necnon in contradictores quoslibet et rebelles excommunicacionis ac in capitulum suspensionis necnon eciam huiusmodi interdicti sentencias promulgavit. Cum autem, sicut eadem peticio subiungebat, licet postea idem Conradus tres marchas monete Pragensis, [quas] nomine huiusmodi annue pnsionis, quam ipse Conradus pretextu predictorum canonicatus et prebende suorum ab eodem Nicolao rectore minus veraciter annuatim sibi deberi pretendebat, a quibusdam debitoribus dicti Nicolai rectoris de facto extorsit, eidem Nicolao rectori metu predictarum sentenciarum in eisdem processibus latarum restituisset, et tam ipse Conradus quam eciam predicti prepositus et capitulum communiter vel divisim ab exactione pensionum ac molestacione prefatis aliquamdiu cessassent, tamen postea predicti prepositus et capitulum necnon Conradus contra huiusmodi diffinitivas sentencias et processus dicti Donaldi abbatis temere veniendo, predictas pensiones denuo ab eodem Nicolao rectore contra iusticiam exigere et eciam illarum occasione ipsum Nicolaum rectorem communiter vel divisim inquietare multipliciter presumpserunt et presumunt . . . ., pro parte dicti Nicolai rectoris nobis fuit humiliter supplicatum, ut providere sibi et dicte parrochiali ecclesie super hiis de oportuno remedio dignaremur. Nos itaque . . . . discrecioni tue . . . . mandamus, quatenus . . . . eciam legitimis super hiis habitis servatis processibus, eos tam contra prefatos prepositum, capitulum et Conradum quam quoscunque alios contradictores et rebelles, quociens expedierit, aggravare auctoritate nostra procures . . . . Datum Perusii undecimo kal. Augusti pont. n. a. quarto.

R. Lat. 30 fol. 178ª — In fine: N. XXX DE BENEVENTO.

708. *Patriarchae Gradensi et abbati monasterii in Ruda ac praeposito ecclesiae s. Margarethae extra muros Bytomienses*[a] *Vratislaviensis et Cracoviensis dioecesium mandatur, quatenus ad executionem litterarum apostolicarum, per quas Johanni Stephani de Manešovicz*[b] *parrochialis ecclesia in Luborzicza Cracoviensis dioc. adiudicata fuit, contra omnes in ea intrusos et intrudendos procedant. „Exhibita nobis“ „Perusii undecimo kal. Augusti pont. n. a. quarto“.*

Perusii, 1393 Julii 22.

R. Lat. 30 fol. 106[a] — [a]) ‚Beythomien.‘ [b]) ‚Manessowicz‘ — In fine: DE MANDATO N. DE BENEVENTO.

---

709. *Nicolao Gelucke, qui in apostolico palatio servivit, providetur de canonicatu et praebenda in ecclesia in Gutstadt*[a] *Varmiensis dioc. vacantibus, non obstante inter cetera, quod ei de beneficio ecclesiastico cum vel sine cura, vacante vel vacaturo, ad collationem episcopi Olomucensis et praepositi, decani, cantoris, thesaurarii, custodis et capituli singulorumque canonicorum et personarum ecclesiae Olomucensis pertinente, et de alio simili beneficio, spectante ad collationem episcopi Vratislaviensis et praepositi, decani, cantoris, thesaurarii, custodis, archidiaconorum et capituli singulorumque canonicorum et personarum Vratislaviensis ecclesiae a papa mandatum est provideri. „Vite ac morum“ „Perusii octavo kal. Augusti pont. n. a. quarto.“ — Simili modo episcopo Monopolitano et decano ac cantori ecclesiae Varmiensis.*

Perusii, 1393 Julii 25.

R. Lat. 30 fol. 340[a] — [a]) ‚Gutenstad‘ — In fine: PRO DEO, N. DE BENEVENTO — Cf. nr. 339.

---

710. *Custodi ecclesiae Cracoviensis mandatur, quatenus Johanni Bernhardi clerico Cracoviensis dioc. canonicatum et praebendam ecclesiae s. Mariae Kilcensis eiusdem dioc., quorum fructus 12 marcarum argenti puri valorem annuum non excedunt, per promotionem quondam Johannis Minoris in episcopum Cracoviensem vacantes, conferat, non obstante, „quod nuper eidem Johanni, ut asserit, de in Wratislauiensi et in Cracouiensi canonicatibus et prebendis et de altari Concepcionis s. Marie virginis sito in eadem Cracouiensi ecclesiis . . . ., quorum possessionem nondum habet, et quorum omnium fructus . . . . viginti marcharum argenti puri . . . . valorem annuum non excedunt, ... concessimus provideri“. „Dignum arbitramur“ „Perusii octavo kal. Augusti a. quarto“.*

Perusii, 1393 Julii 25.

R. Lat. 27 fol. 21[a] — In marg. sin.: A. DE PORTUGRUARIO; in fine: N. XXIII DE BENEVENTO.

711. Johanni archiepiscopo Pragensi facultas contrahendi mutuum usque ad summam 4000 florenorum conceditur.

Perusii, 1393 Julii 27.

Bonifacius . . . . Johanni archiepiscopo Pragensi . . . . Cum, sicut in nostra proposuisti presencia, tam pro tuis expensis necessariis quam ecclesie tue Pragensis negociis apud sedem apostolicam prosequendis et expediendis utiliter subire te oporteat magna onera expensarum, nobis humiliter supplicasti, ut usque ad summam quatuor milium florenorum auri mutuum contrahendi et pro ipso mutuo te et successores tuos, archiepiscopos Pragenses, ac ecclesiam tuam predictam tuaque et ipsorum bona mobilia et immobilia, presencia et futura, quibuscumque personis usque ad huiusmodi summam tibi mutuantibus obligandi et aliqua ex eisdem bonis, de quibus tibi videbitur, propterea impignorandi, cum aliter creditores te putas invenire non posse, tibi licenciam elargiri dignaremur. Nos igitur de tua tam in hiis quam in aliis circa eadem tua et eiusdem ecclesie utiliter promovenda et expedienda negocia circumspeccione ac diligencia plenius in domino confidentes nec volentes, quod propter expensarum ipsarum defectum indigenciam paciaris vel quod eadem negocia inexpedita remanere contingat, huiusmodi tuis in hac parte supplicacionibus inclinati, fraternitati tue contrahendi mutuum propter hoc usque ad predictam summam quatuor milium florenorum auri nomine tuo et ipsius ecclesie tue ac te et successores predictos et predictam ecclesiam ac tua et eorundem bona mobilia et immobilia, presencia et futura, usque ad predictam summam propterea dictis creditoribus, usuris cessantibus, obligandi ac aliqua ex ipsis bonis, de quibus tibi videbitur, eisdem creditoribus impignorandi, ac renunciandi de duabus dictis editis in concilio generali ac fel. rec. Bonifacii pape VIII. predecessoris nostri, in qua cavetur, ne aliquis extra suam civitatem et diocesim nisi in certis exceptis casibus et in illis ultra unam dietam a fine sue diocesis ad iudicium evocetur, et quibuscumque aliis constitucionibus a predecessoribus nostris Romanis pontificibus super hoc editis et beneficio restitucionis in integrum, omnibus litteris et indulgenciis apostolicis impetratis et eciam impetrandis et omni iuris canonici et civilis auxilio ac convencioni iudicum et locorum, si eorundem creditorum nomine super hiis apostolicas litteras contigerit impetrari, necnon et omnibus aliis excepcionibus, per quas contra creditores eosdem tu dictique successores possetis imposterum vos tueri, plenam auctoritate presencium concedimus facultatem. Volumus autem insuper et concedimus, iuxta quod postulasti a nobis, quod tu et successores tui creditoribus ipsis huiusmodi pecuniam de bonis dicte ecclesie solvere ac damna, expensas et interesse reficere teneamini, si in termino, qui ad hoc de tuo et ipsorum creditorum consensu fuerit constitutus, eadem pecunia non fuerit persoluta, quodque ipsis creditoribus pretextu alicuius constitucionis canonice vel civilis ac cuiuscunque privilegii vel indulgencie sedis predicte, de quibus in nostris litteris plenam et expressam ac de verbo ad verbum oporteat fieri mencionem, et per que tu et successores prefati valeatis ulterius vos tueri, dictam pecuniam in iamdicte ecclesie utilitatem conversam fore probandi necessitas non incumbat, sed sola tui fatentis confessio, in instrumentis conficiendis super mutuo huiusmodi quantitatis inserta, plena et efficax

probacio irrefragabiliter habeatur. Ceterum, ne in hoc vorago sibi locum vendicet usurarum, nostre intencionis existit, quod tu, iidem successores ac dicta ecclesia Pragensis tua vel sua seu ipsius bona per vestras litteras per cuiuspiam fraudis seu calliditatis industriam sub quovis palleo seu colore verborum ad usuras aliquas obligari nullatenus valeatis, easdem litteras, concessiones, cauciones et recogniciones seu promissiones per eas seu earum auctoritate vel occasione factas quoad obligaciones usurarum huiusmodi decernentes irritas et inanes et nullius penitus existere firmitatis, eis nichilominus quoad premissa omnia, que usurarum pravitatem non sapiant, in suo robore duraturis nec usurarum pretextu maliciose aliquatenus impugnandis. Volumus insuper, quod dicta ecclesia ac bona ipsius pretextu nostre concessionis huiusmodi ultra quinquennium ab obligacionis huiusmodi tempore numerandum nullatenus remaneant obligata, presentes litteras et earum effectum quoad ipsam ecclesiam et bona eiusdem extunc omnino carere viribus decernentes. Datum Perusii sexto kal. Augusti pont. n. a. quarto.

R. Lat. 28 fol. 91[b] — In fine: N. XXXX DE BENEVENTO.

---

712. *Parrochialem ecclesiam s. Mariae de Bolkenhain*[a]) *Vratislaviensis dioc. certis diebus anni (illis, qui in nro. 366 sunt nominati, et in festis ss. Philippi et Jacobi, Jacobi maioris, Bartholomaei, Mathaei, Symeonis et Judae, Andreae, Thomae et Mathiae apostolorum ac exaltacionis s. crucis et s. Nicolai) visitantibus et ad eius conservationem manus adiutrices porrigentibus quinque anni et quinque quadragenae resp. centum dies de iniunctis eis poenitentiis relaxantur.*

„Licet is“ „Assisii duodecimo kal. Septembris a. quarto.“

Assisii, 1393 Augusti 21.

R. Lat. 30 fol. 200[b] — [a]) ‚Pulkenhaen‘ — In marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine DE MANDATO, N. DE BENEVENTO.

---

713. *Jeronymo de Thomasdorf conceditur, ut provisio ei de canonicatu et praebenda ecclesiae Vratislaviensis facta valeat, etiam si ipsi canonicatus et praebenda alias quam per resignationem Alberti de Curia vacent.*

Assisii, 1393 Augusti 26.

Bonifacius . . . . Jeronimo de Thosmasdorp canonico Wratislauiensi . . . . Vite ac morum . . . . Dudum siquidem, cum tu s. Crucis in Opul Wratislauiensis diocesis et . . . . Albertus de Curia Wratislauiensis ecclesiarum canonicatus et prebendas, quos tunc temporis obtinebatis, desiderantes illos . . . . invicem permutare, per . . . Nicolaum Hermanni procuratorem vestrum . . . in manibus . . . . Francisci episcopi Penestrini, s. Romane ecclesie vicecancellarii, apud sedem apostolicam . . . . libere resignassetis, idemque episcopus de speciali mandato nostro, super hoc vive vocis oraculo sibi facto, resignaciones huiusmodi apud sedem predictam admisisset, nos tibi Wratislauiensis et Alberto predicto

s. Crucis ecclesiarum canonicatus et prebendas prefatos . . . . per nostras litteras contulimus et de illis eciam providimus . . . ., tuque, sicut exhibita nobis nuper pro parte tua peticio continebat, eosdem canonicatum et prebendam ecclesie Wratislauiensis . . . assecutus fuisti. Cum autem . . . . tu dubites dictos canonicatum et prebendam ecclesie Wratislauiensis tempore collacionis et prouisionis huiusmodi . . . alias quam ut prefertur vacavisse seu vacare, teque posse propterea super eis imposterum molestari, nos volentes te, qui presbyter es et, ut asseris, super eisdem canonicatu et prebenda ecclesie Wratislauiensis coram certo iudice in partibus cum quodam adversario tuo litigando, diffinitivam pro te et contra huiusmodi adversarium sentenciam, que nulla provocacione suspensa in rem transivit iudicatam, reportasti, ... favoribus prosequi graciosis . . . . . volumus et apostolica tibi auctoritate concedimus, quod collacio et provisio huiusmodi de predictis canonicatu et prebenda ecclesie Wratislauiensis, quorum fructus . . . decem marcharum argenti puri . . . . valorem annuum . . . . non excedunt, ut prefertur, tibi facta et processus habiti per easdem et quecunque inde secuta a data presencium valeant plenamque obtineant roboris firmitatem eciam si ipsi canonicatus et prebenda alio quam premisso modo . . . . vacent . . . . Datum Assisii septimo kal. Septembris a. quarto.

R. Lat. 30 fol. 158ᵃ — In fine: N. XX DE BENEVENTO.

---

714. Martino de Sternberg conceditur, ut provisio ei de parrochiali ecclesia in Hartvikowicz facta valeat, etiam si ecclesia ipsa per resignationem Johannis de Mnišek aut alio modo vacaverit.

Assisii, 1393 Augusti 29.

Bonifacius . . . Martino de Sternberch canonico Olomucensi . . . Vite ac morum . . . . Dudum siquidem per nos accepto, quod parrochialis ecclesia in Hartwikowicz Olomucensis diocesis ex eo vacaverat et vacabat tunc, quod . . . . Nicolaus dictus Puchník rector parrochialis ecclesie s. Nicolai in foro pullorum Pragensis tunc predictam ecclesiam in Hartwikowicz obtinens, eandem ecclesiam s. Nicolai tunc vacantem, auctoritate ordinaria sibi collatam, extiterat pacifice assecutus, nos de dicta ecclesia . . . . tibi per nostras litteras mandavimus provideri. Cum autem, sicut exhibita nobis nuper pro parte tua peticio continebat, tu dubites dictam ecclesiam in Hartwikowicz, de qua tibi auctoritate dictarum litterarum provisum extitit, non per huiusmodi assecucionem, ut prefertur, sed per liberam resignacionem . . . . Johannis de Mniszko tunc ipsius ecclesie rectoris, per eum de illa coram notario publico et testibus apud sedem ipsam libere et sponte factam, vacavisse et vacare, seu quod aliquis super ipsa ecclesia in Hartwikowicz forsan litigando liti et cause huiusmodi ac omni iuri sibi in ea seu ad eam quomodolibet competenti in manibus alicuius ad id potestatem habentis sponte cesserit, et eciam super ecclesia in Hartwikowicz adhuc inter aliquos litem pendere, teque posse propterea super ipsa ecclesia in Hartwikowicz imposterum molestari, nos volentes te, qui, ut asseris, in palacio nostro

servitor existis, ... favoribus prosequi graciosis . . . ., volumus et apostolica tibi auctoritate concedimus, quod dicte littere et provisio tibi facta, ut prefertur, et quecunque inde secuta a data presencium valeant et plenam obtineant roboris firmitatem, eciam si dicta ecclesia in Hartwykowicz per liberam resignacionem dicti Johannis coram eisdem notario et testibus apud sedem ipsam, ut premittitur, factam, quam ratam habemus atque gratam, vacaverit et vacet, aut aliquis alter super illa tunc litigando liti et cause huiusmodi ac omni iuri huiusmodi sibi in illa seu ad illam competenti renunciarit, ut prefertur, et eciam si inter aliquos super eadem ecclesia in Hartwikowicz lis pendeat indecisa . . . . Datum Assisii quarto kal. Septembris a. quarto.

R. Lat. 29 fol. 205b — Supra in marg. sin.: P. DE BOSCO; in fine: DE MANDATO. N. DE BENEVENTO.

715. *Iudicibus mandatur, quatenus Johanni Lamperti perpetuam vicariam in Křižanov in ecclesia Olomucensi, quam ipse loco alius vicariae in eadem ecclesia optavit, conferant.*

Assisii, 1393 Augusti 30.

Bonifacius . . . . Sarnensi in Burdegalensi et Prerouiensi in Olomucensi ecclesiis archidiaconis ac officiali Olomucensi . . . . Vite ac morum honestas aliaque . . . . merita, super quibus . . . . Johannes Lamperti presbyter Culmensis diocesis . . . . commendatur . . ., nos inducunt, ut sibi reddamur . . . . liberales. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dicti Johannis peticio continebat, quod olim perpetua vicaria in Przyekas in ecclesia Olomucensi, quam quondam Thomas dictus Mudri . . . . obtinebat, per ipsius Thome obitum, qui extra Romanam curiam diem clausit extremum, vacante, ... Lucas Tzendlini, perpetuam vicariam in Crismans nuncupatam in eadem ecclesia tunc obtinens, in Przyekas, per eum prius in Crismans libere dimissa, ac idem Johannes, eciam quandam aliam perpetuam vicariam in eadem ecclesia tunc obtinens, in Crismans vicarias predictas . . . ., similiter per eundem Johannem alia, quam tunc obtinebant, vicariis predictis eciam libere dimissa, prout iuxta consuetudinem eiusdem ecclesie per sedem apostolicam, ut asseritur, canonice confirmatam, poterant, infra tempus legitimum optaverant, ipseque Johannes vigore opcionis huiusmodi . . . . eandem vicariam in Crismans assecutus, illam extunc tenuit et possedit, prout tenet et possidet pacifice et quiete. Cum autem . . . . predictus Johannes dubitet opcionem predictam . . . . viribus non subsistere . . . ., nos . . . . discrecioni vestre . . . . mandamus, quatenus . . . . predictam vicariam in Crismans, que sine cura est, cuiusque fructus . . . . undecim marcharum argenti puri . . . . valorem annuum . . . . non excedunt, ... prefato Johanni auctoritate nostra conferre et assignare curetis . . . . Datum Assisii tercio kal. Septembris a. quarto.

R. Lat. 30 fol. 105a — Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: N. XVIII DE BENEVENTO.

716. Auditori apostolico mandatur, quatenus Gregorium Blasii surroget ad omne ius, quod quondam Martino Velislai [de Colonia] in canonicatu et praebenda ecclesiae Zagrabiensis competebat.

Romae, 1393 Septembris 22.

Bonifacius . . . . magistro Ricardo Jong capellano nostro et causarum palacii apostolici auditori . . . . Vite ac morum honestas aliaque . . . . merita, super quibus . . . . Gregorius Blasii clericus Zagrabiensis diocesis . . . . commendatur . . . ., nos inducunt, ut sibi reddamur . . . . liberales. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dicti Gregorii peticio continebat, quod orta dudum inter ipsum et quondam Martinum Weliselai clericum Olmucensis diocesis [1]) super canonicatu et prebenda ecclesie Zagrabiensis, de quibus, tunc per obitum quondam Jacobi Tochtoch . . . . extra Romanam curiam defuncti [vacantibus], Gregorius sibi autoritate apostolica graciose et canonice mandatum fuisse provideri ipsosque canonicatum et prebendam vigore gracie et mandati huiusmodi sibi deberi, dictumque Martinum se gracie et mandato huiusmodi contra iusticiam opposuisse . . . . ., Martinus vero predicti eosdem canonicatum et prebendam ad se de iure spectare asserebant, prout idem Gregorius asserit, materia questionis et causa huiusmodi per appellacionem dicti Gregorii ad sedem apostolicam legitime introducta: nos causam appellacionis huiusmodi et negocii principalis ad instanciam dicti Gregorii, cum partes ipse in Romana curia sufficienter essent presentes, ... magistro Andree Baret capellano dicte sedis et causarum palacii apostolici auditori . . . . commisimus . . . . ., idemque Andreas auditor in causa ipsa procedens, diffinitivam, per quam canonicatum et prebendam eosdem Gregorio adiudicavit et super eis Martino predictis perpetuum silencium imposuit, sentenciam promulgavit, a qua pro parte dicti Martini fuit ad sedem appellatum eandem, nosque tibi causam appellacionis huiusmodi . . . . commisimus . . . ., tuque ad nonnullos actus in causa huiusmodi citra tamen conclusionem diceris processisse. Cum autem . . . . lite huiusmodi coram te sic indecisa pendente, prefatus Martinus extra eandem curiam extiterit vita functus, nos . . . . consideracione . . . . Marini s. Marie Noue diaconi cardinalis, camerarii nostri, pro ipso Gregorio familiari domestico et continuo commensali suo nobis . . . . suplicantis . . . . ., discrecioni tue . . . . mandamus, quatenus eundem Gregorium . . . . in omni iure et ad omne ius, si quod prefato Martino tempore sui obitus in eisdem canonicatu et prebenda, quorum fructus . . . . sexaginta florenorum auri . . . . valorem annuum . . . . non excedunt, seu ad eos . . . . quomodolibet competebat et competere poterat, auctoritate nostra surroges . . . .; non obstante, quod dudum eidem Gregorio de canonicatu sub expectacione prebende Quinqueecclesiensis concessimus, et de parrochiali s. Martini de Thoplica dicte Zagrabiensis diocesis ecclesiis (*sic*) tunc certo modo vacante, cuius fructus . . . . quadraginta florenorum auri valorem annuum non excedunt, graciose mandavimus provideri. Datum Rome ap. S. Petrum decimo kal. Octobris a. tercio.

R. Lat. 24 fol. 129[b] — Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: DE MANDATO, N. DE BENEVENTO. — [1]) Cf. nr. 121, ubi iste ‚Martinus Wislai de Colonia clericus Pragensis dioc.' vocatur

717. Abbati monasterii de Scala Nitriensis dioc. et archidiacono Trinciensi et lectori ecclesiae Nitriensis mandatur, quatenus, si parrochialem ecclesiam de Silva Nitriensis. dioc., quam Mathias Martini de Rovne, auctoritate ordinaria eam assecutus, per nonnulla tempora possedit, „licet postmodum . . . . Blasius Morauus presbyter Olomucensis dioc. eundem Mathiam dicta ecclesia contra iusticiam spoliarit illamque extunc detinuerit et detineat indebite occupatam, et tam ipse quam eciam . . . . Petrus Nicolai presbyter dicte Nitriensis dioc eundem Mathiam occasione predicte parrochialis ecclesie multipliciter molestarint, propter que prefatus Mathias ad sedem apostolicam appellavit", vacare reppererint, ecclesiam ipsam eidem Mathiae conferant. „Vite ac morum" „Rome ap. S. Petrum septimo kal. Octobris a. quarto".

Romae, 1393 Septembris 25.

R. Lat. 30 fol. 180^{b} — Supra in m rg sin.: C[ANCELLARIA]: in fine: N. XX DE BENEVENTO. — Ed. Fraknói, Monum. Hung. Vatic., ser. I tom. III p. 225 nr. 254.

718. Abbati monasterii b. Mariae in Arena extra muros Vratislavienses mandatur, quatenus Henrico de ‚Nassenguebe' rectori parrochialis ecclesiae in Manow Vratislaviensis dioc. de canonicatu sub exspectatione praebendae, dignitatis, personatus seu officii cum vel sine cura ecclesiae Vratislaviensis provideat, etiam si dignitas ipsa in dicta Vratislaviensi ecclesia maior post pontificalem fuerit, et ad eam consueverit quis per electionem assumi, non obstante, quod dictam parrochialem ecclesiam noscitur obtinere, quam autem dimittere tenetur, quamprimum huiusmodi dignitatem, personatum seu officium curatum fuerit pacifice assecutus. „Dignum arbitramur" „Rome ap. S. Petrum sexto kal. Octobris pont. n. a. quarto."

Romae, 1393 Septembris 26.

R. Lat. 30 fol. 280^{b} — In fine: N. XXXXI DE BENEVENTO.

---

719. Pragensis et Olomucensis ac Ratisbonensis ecclesiarum decani conservatores Georgii episcopi Pataviensis usque ad quinquennium instituuntur. „Ad hoc nos deus" „Rome ap. S. Petrum kal. Octobris a. quarto".

Romae, 1393 Octobris 1.

R. Lat. 27 fol. 219^{b} — In fine: N. XXX DE BENEVENTO.

---

720. Auditori apostolico mandatur, quatenus Johannem de Třemošnicz surroget ad omne ius, quod quondam Jacobo de Sicca in canonicatu et praebenda ecclesiae Vyšehradensis competebat.

Romae, 1393 Octobris 5.

Bonifacius . . . . Bertrando episcopo Eugubino in Romana curia commoranti . . . . Vite ac morum honestas aliaque . . . . merita, super quibus . . . . Johannes Petri de Trzemossnicz plebanus ecclesie s. Egidii Pragensis . . . commendatur . . . . nos inducunt, ut sibi reddamur . . . . liberales. Exhibita siquidem nuper nobis pro parte dicti Johannis peticio continebat, quod orta dudum inter . . . . Georgium Purkardi dicti Strnad de Janowicz alias de Wozicz clericum Pragensis diocesis et quondam Jacobum de Sicca presbyterum super canonicatu et prebenda ecclesie s. Petri Wissegradensis Pragensis, de quibus, tunc ex eo vacantibus, quod Vlricus de Mitra olim ipsius ecclesie s. Petri canonicus, eosdem canonicatum et prebendam tunc obtinens, iniquitatis alumno Roberto olim basilice XII Apostolorum presbytero cardinali, nunc antipape, qui se Clementem VII. ausu sacrilego nominat, ... adherere et favere presumpserat, Jacobus sibi auctoritate apostolica graciose provisum seque illos assecutum extitisse canonice ipsosque aliquandiu tenuisse et possedisse et tunc eciam tenere et possidere pacifice et quiete, dictumque Georgium se gracie, provisioni et assecucioni huiusmodi contra iusticiam opposuisse et opponere ipsumque Jacobum predictis canonicatu et prebenda contra iusticiam spoliasse seque in eis intrusisse illosque occupasse et detinuisse ac detinere indebite occupatos; Georgius vero supradicti eosdem canonicatum et prebendam ad se de iure spectare asserebant, prout idem Georgius adhuc asserit, materia questionis et causa huiusmodi ad sedem apostolicam legitime introducta: nos causam ipsam tibi, qui tunc locum unius ex auditoribus causarum palacii apostolici de mandato nostro tenebas, prout tenes, ad instanciam dicti Jacobi commisimus . . . ., tuque in causa ipsa ad nonnullos actus citra tamen conclusionem inter partes ipsas diceris processisse. Cum autem, sicut eadem peticio subiungebat, lite huiusmodi coram te indecisa pendente, prefatus Jacobus extra Romanam curiam fuerit vita functus, nos . . . dicto Johanni, qui, ut asserit, pluribus annis in registris thesaurarie camere apostolice fideliter scribendo servivit, prout servit, ... specialem graciam facere volentes, fraternitati tue . . . . mandamus, quatenus eundem Johannem . . . . in omni iure et ad omne ius, quod ipsi Jacobo in eisdem canonicatu et prebenda, quorum fructus . . . . viginti marcharum argenti puri . . . . valorem annuum . . . . non excedunt, vel ad illos tempore sui obitus quomodolibet competebat seu competere poterat, auctoritate nostra surroges . . . ., et nichilominus predictos canonicatum et prebendam . . . . eidem Johanni auctoritate predicta conferas et assignes[1] . . . .; non obstantibus, quod dictus Johannes, ut asserit, super eisdem canonicatu et prebenda cum . . . . Smylone de Wiczow presbytero Olomucensis diocesis coram certo auditore causarum dicti palacii ex commissione apostolica litigat . . . ., aut quod idem Johannes, ut asserit, plebaniam dicte s. Egidii, cuius fructus . . . . eciam viginti marcharum argenti puri . . . . valorem annuum non excedunt, obtinet,[2] et nos dudum sibi de canonicatu sub expectacione prebende Olomucensis ac de beneficio ecclesiastico cum cura vel sine cura, vacante vel vacaturo, ad collacionem . . . . predicti [Pragensis] archiepiscopi et . . . . prepositi, decani, archidiaconi, scolastici et capituli singulorumque canonicorum et personarum maioris Pragensis ecclesiarum . . . . pertinente, graciose concessimus provideri . . . . Datum Rome ap. S. Petrum tercio nonas Octobris a. quarto.

R. Lat. 29 fol. 204. Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: DE MANDATO. N. DE BENEVENTO. — [1]) Cf. nros. 622 et 623 [2]) Cf. nr. 138.

---

721. Domui hospitalis s. Johannis Jerosolimitani Bohemiae parrochiales ecclesiae in Radomyšl et in Jamny uniuntur.

Romae, 1393 Octobris 9.

Bonifacius . . . . dilectis filiis . . priori et fratribus domus hospitalis s. Johannis Jerosolimitani Boemie . . . Sacre religionis, sub qua devotum et sedulum exhibetis domino famulatum, promeretur honestas, ut votis vestris, illis presertim, per que vestre domus utilitas procuratur, quantum cum deo possumus, favorabiliter annuamus. Hinc est, quod nos vestris supplicacionibus inclinati in Rudomissl et in Jamny parrochiales ecclesias Pragensis diocesis, quarum ius patronatus ad vos, ut asseritis, pertinet, quarumque fructus, redditus et proventus centum florenorum auri secundum communem extimationem valorem annuum, ut asseritis, non excedunt, eidem domui vestre, cuius fructuum, reddituum et proventuum verum annuum valorem presentibus haberi volumus pro sufficienter specificato et declarato, in relevamen onerum vobis et dicte domui incumbencium cum omnibus iuribus et pertineneiis suis auctoritate apostolica tenore presencium unimus, annectimus et incorporamus, ita quod cedentibus vel decedentibus rectoribus ipsarum ecclesiarum vel ecclesias ipsas alias quomodolibet dimittentibus, liceat vobis corporalem possessionem ipsarum ecclesiarum libere apprehendere et perpetuo retinere, alicuius licencia super hoc minime requisita, ac per aliquem fratrem ipsius domus per vos ad earum singulas, quociens ipsas vicariis destitui contigerit, loci ordinario in vicarium presentandum facere gubernari, quem quidem fratrem idem ordinarius, si alias ad regimen vicarie huiusmodi ydoneus fuerit, in eadem instituere vicarium perpetuum teneatur, reservata tamen de fructibus, redditibus et proventibus huiusmodi pro quolibet huiusmodi perpetuo vicario in qualibet ipsarum ecclesiarum instituendo congrua porcione, de qua idem vicarius possit congrue sustentari, episcopalia iura solvere et alia sibi incumbencia onera supportare; non obstantibus quibuscunque constitucionibus et ordinacionibus apostolicis et aliis contrariis, seu si aliqui super provisionibus sibi faciendis de huiusmodi vel aliis beneficiis ecclesiasticis in illis partibus speciales vel generales apostolice sedis vel legatorum eius litteras impetrarint, eciam si per eas ad inhibicionem, reservacionem et decretum vel alias quomodolibet sit processum, quas quidem litteras ac processus earum vigore habitos vel habendos ad prefatas parrochiales ecclesias volumus non extendi, sed nullum per hoc eis quoad assecucionem beneficiorum aliorum preiudicium generari, et quibuscunque aliis privilegiis, indulgenciis ac litteris apostolicis specialibus vel generalibus, quorumque tenorum existant, per que, presentibus non expressa vel totaliter non inserta, effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differi, et de quibus quorumque totis tenoribus de verbo ad verbum habenda sit in nostris litteris mencio specialis. Nos enim exnunc irritum decernimus et inane, si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari. Nulli ergo omnino

hominum liceat hanc paginam nostre unionis, annexionis, incorporacionis et voluntatis infringere . . . . Datum Rome ap. S. Petrum VII. idus Octobris pont. n. a. quarto.

Copia ex originali archivii Melitensium Pragae in diplomatario manuscripto musei regni Bohemiae exstat, iuxta quam originali, cui bulla plumbea appendet, in fine sequentes notae inscriptae sunt: P. DE BOSCO; REGISTRATA GRATIS, JO. DE ORTEGA.

---

722. Johannes abbas Strahoviensis quitatur de solutione complementi suorum servitiorum camerae sacri collegii.

Romae, 1393 Octobris 14.

Henricus [. . . . s. Anastasie presbyter cardinalis, sacri collegii . . . . cardinalium camerarius, ... notum facimus,] quod venerabilis pater frater Johannes abbas monasterii Strahouensis alias Montis Syon Pragensis premonstratensis ordinis pro complemento finalis solucionis sui communis servicii . . . . XXV florenos auri de camera . . . ., et pro complemento finalis solucionis unius eciam sui minuti servicii . . . . unum similem florenum, solidos decem et novem et denarios decem monete Romane per manus reverendi patris dom. Petri de Wserab litterarum apostolicarum correctoris solvi fecit . . . . Datum [Rome ap. S. Petrum a. 1393] die XIIII. mensis Octobris pont. anno quarto.

Oblig. et sol. 59 fol. 38[a] — In fine: FL. III GR. III. De eadem solutione in libro „divisionum ab a. 1389 ad 1399" (Oblig. et sol. 51) mentio fit (fol. 56[a]) in haec verba: „[A. 1393] die XIIII. mensis Octobris venerabilis pater fr. Johannes abbas monasterii Strahouensis alias Montis Syon Pragensis pro complemento sui communis servicii solvit florenos 25, et pro minuto florenum 1, solidos 19, denarios 4 (sic). Fuit promotus anno secundo dom. Bonifacii (i. e. 1390 $^{9}/_{11}$—1391 $^{8}/_{11}$) . . ."

---

723. Vicecancellario Romanae ecclesiae mandatur, quatenus Johanni de Misa et Leonardo certa beneficia ecclesiastica, quae invicem permutare desiderant, conferat.

Romae, 1393 Octobris 19.

Bonifacius . . . . Francisco episcopo Penestrino, s. Romane ecclesie vicecancellario . . . . Apostolice sedis circumspecta benignitas . . . . Cum itaque . . . . Johannes de Mysa altare s. Marie Magdalene situm in superiori ecclesia in Montibus Chutnis Pragensis diocesis et Leonardus parrochialem ecclesiam s. Galli Pragensem, que obtinent, desiderent . . . . invicem permutare, nos . . . . fraternitati tue . . . . mandamus, quatenus ab eisdem Johanne et Leonardo vel procuratoribus eorum . . . . resignaciones altaris et parrochialis ecclesie predictorum . . . . auctoritate nostra hac vice dumtaxat recipias et admittas, ac huiusmodi resignacionibus per te receptis et admissis, Johanni parrochialem ecclesiam, cuius triginta, et Leonardo prefatis altare predicta, cuius decem marcharum argenti puri

fructus . . . valorem annuum . . . non excedunt . . ., auctoritate nostra conferas et assignes . . . .; non obstantibus . . ., quod prefatus Johannes canonicatum sub expectacione prebende maioris ecclesie Pragensis auctoritate litterarum nostrarum se asserit obtinere . . . . Datum Rome ap. S. Petrum quarto decimo kal. Novembris a. quarto.

R. Lat. 30 fol 223ª — Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: N. LII DE BENEVENTO.

---

124. Incolis regni Bohemiae et terrarum regis Venceslai ditioni subiectarum indulgetur, ut infrascriptas ecclesias Pragenses certo modo visitantes, plenariam indulgentiam anni iubilei consequantur.

Romae, 1393 Octobris 23.

Bonifacius . . . . ad futuram rei memoriam. Sedes apostolica pia mater et Christi fidelium animarum salutis amatrix[a]) ad ea libenter intendit, per que fideles ipsi eterne salutis bravium consequi mereantur. Dudum siquidem ad instantes et votivas preces carissimi in Chr. filii nostri Wenceslai Romanorum et Boemie regis illustris ex certis causis racionabilibus pro parte prefati regis nobis expositis per nostras litteras indulsimus, ut persone utriusque sexus vere penitentes et confesse regni Boemie et terrarum dicioni predicti regis racione dicti regni subiectarum, feudalium et homagialium, et parcium circumstancium per tres dietas vulgares vel usuales, que certas ecclesias in civitate Pragensi et prope ipsam civitatem consistentes per certum dierum numerum visitarent, plenissimam omnium peccatorum suorum veniam consequerentur, prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur.[1]) Et, sicut pro parte dicti regis nobis fuit expositum, nonnulle persone utriusque sexus regni et terrarum predictarum servilis condicionis servituti dominorum suorum mancipate absque licencia dominorum suorum, quam forsan obtinere non potuerunt, aut alias impedite pro assequenda huiusmodi indulgencia huiusmodi ecclesias nequiverunt visitare, et que ecclesias ipsas visitaverunt, forsan ecclesias ipsas minus devote visitarunt seu penitencias et alia ipsis iniuncta non plene adimpleverunt. Quare pro parte prefati regis nobis fuit humiliter supplicatum, ut indulgenciam huiusmodi usque ad certum tempus, prout nobis videretur, concedere de benignitate apostolica dignaremur. Nos more pii patris saluti animarum huiusmodi et aliarum quarumcunque personarum salubriter providere cupientes prefatique regis sollicitudinem, quam pia mente et religiosa meditacione pro salute gerit populi christiani, plurimum in domino commendantes, ipsius regis in hac parte humilibus et devotis supplicacionibus inclinati de omnipotentis dei misericordia et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius, quorum vices gerimus in terris, auctoritate confisi tenore presencium indulgemus, quod quelibet persone ex predictis seu quibuscunque aliis regni et terrarum ac parcium circumstancium predictorum, que hoc humiliter pecierint, vere penitentes et confesse, que maiorem et s. Petri Wissegradensem sanctorumque Petri et Pauli Sderaziensis ac s. Marie in pede pontis Pragensis necnon Strahouiensis alias Montis Sion et Brewnoniensis prope Pragam premonstratensis et s. Benedicti

ordinum monasteriorum ecclesias et capellam Corporis Christi Pragensem, videlicet, si Pragensis aut suburbana, ad minus[b]) septem, si vero peregrina aut forensis fuerit, quatuor diebus continuis aut interpolatis, semel saltem in die a festo nativitatis domini nostri Jesu Christi proxime venturo usque ad festum exaltacionis s. crucis eciam proxime futurum inclusive visitaverint seu visitaverit, perinde huiusmodi indulgenciam plenissimam consequantur, ac si anno domini millesimo trecentesimo nonagesimo proxime preterito[c]) iuxta ordinacionem fel. rec. Urbani pp. VI. predecessoris nostri certas ecclesias alme Urbis tunc expressas et modo per eum ordinato visitassent, confessores vero, qui personarum huiusmodi indulgenciam assequi cupiencium confessiones audire ipsasque informare in premissis debuerint, per venerabilem fratrem nostrum Vbaldinum archiepiscopum Turritanum, fructuum et proventuum camere apostolice in illis partibus debitorum collectorem, et dilectos filios magistrum Petrum de Wserob archidiaconum[d]) Horssoniensem in ecclesia Pragensi, litterarum apostolicarum correctorem, apostolice sedis nuncios, et Wenceslaum decanum dicte ecclesie s. Petri Wissegradensis, et in dicti archiepiscopi collectoris[e]) absencia per succollectorem huiusmodi fructuum inibi per dictum collectorem deputatum aut deputandum aut eorum aliquem in prefata duntaxat Wissegradensi ecclesia deputentur ac[f]) ponantur et deponantur, quociens fuerit oportunum, qui quidem archiepiscopus, corrector, decanus et succollector in dicti collectoris absencia, ut prefertur, seu unus vel duo ex eis, quem seu quos ad hoc duxerint deputandum seu deputandos, ea, que propterea oblata fuerint, fideliter conservent seu conservet aliaque omnia et singula faciant, exerceant et disponant et eorum quilibet iuxta predictarum nostrarum alias super hoc concessarum tenorem litterarum et alias, prout ipsis circa hoc videbitur expedire. Verum, prout nobis innotuit, nonnulli plus sapere, quam oporteat, credentes diversa dubia per multimodas frivolas opiniones et argumenta moventes, devocionem fidelis populi plurimum impediverunt, asserentes ipsos fideles ecclesias predictas visitantes huiusmodi indulgencias non fuisse consecutos: nos ipsorum predicta frivole seminancium versucias confutantes, tenore presencium declaramus omnes Christi fideles contritos et confessos, qui in prioribus nostris litteris contentas visitaverunt ecclesias et oblaciones et pia opera aliaque in dictis litteris contenta fecerunt, huiusmodi plenissimas indulgencias et peccaminum remissiones fuisse plenissime consecutos, ac si ecclesias et basilicas dicte Urbis in anno predicto personaliter visitassent, ipsisque huiusmodi frivola seminantibus et asserentibus, ne talia de cetero asserere presumant, sub anathematis pena, quam in ipsos exnunc prout extunc in hiis scriptis ferimus, tenore presencium inhibemus. Ceterum omnibus Christi fidelibus, qui forsan propter paupertatem aut alias legitime impedite ad civitatem Pragensem pro huiusmodi assequendis indulgenciis tempore debito venire aut ibi per tot dies stare et ecclesias ad hoc deputatas ex certis causis visitare nequiverint, eciam si cives dicte civitatis aut advene vel inquilini fuerint et alias undecumque venientes, et ultima ebdomada seu per septem dies ante predictum festum s. crucis vel qualibet die ultime ebdomade seu dierum huiusmodi eciam die penultima vel duntaxat die ultima vere penitentes et contrite ac confesse ecclesias ipsas ad hec deputatas visitaverint, ut indulgencias huiusmodi consequantur, indulgemus, ac si diebus omnibus, quibus ecclesias ipsas necessario visitare tenerentur, plenarie

visitassent, dummodo illa, ad que iuxta huiusmodi nostrarum litterarum continenciam tenerentur, faciant iuxta posse. Et insuper omnes Christi fideles tenore presencium exhortamur ipsisque in virtute sancte obediencie precipimus et mandamus, quatenus eorum uxoribus, servis et ancillis et quibusvis aliis eis quovis modo subiectis id volentibus et pie desiderantibus ad dictam [g]) civitatem Boemie veniendi et in ea per dies, quibus ecclesias predictas pro huiusmodi assequendis indulgenciis tenebuntur visit re, standi et morandi et ipsas ecclesias visitandi licenciam largiantur nec ipsis prohibeant in ecclesiis ipsis offerre seu oblaciones et alia, que iuxta huiusmodi nostram ordinacionem facere tenentur,[h]) secundum earum facultates adimplere et alia pietatis opera exercere. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre concessionis, declaracionis, inhibicionis et mandati infringere . . . . Datum Rome ap. S. Petrum decimo kal. Novembris pont. n. a. quarto.

Originale cum bulla plumbea in filo serico in archivio capituli ecclesiae Pragensis sub XIX, 4. — Supra plicam ad dext: REGISTRATA GRATIS, H. BERNGHOS C. Sub plica: (ad sin.) M; (ad dext.) P. DE BOSCO. A tergo: R[EGISTRATA] N. [DE BENEVENTO] — Registratum in R. Lat. 1 fol. 157[b] ubi in fine adscriptum est: N.-M-DE BENEVENTO — [a]) om. Lat. [b]) ‚aut minus' Lat. [c]) ‚preteriti' Lat. [d]) ‚archipresbyterum' Lat. [e]) ‚et collectoris Lat. [f]) ‚aut' Lat. [g]) ‚eam' Lat. [h]) ‚tenebunt' Lat. — [1]) Cf. nr. 669.

---

725. *Magistro Petro de Všerub canonico Pragensi, secretario et familiari apostolico, qui etiam litterarum apostolicarum corrector ac scriptor et abbreviator existit, conceditur, ut quaecunque beneficia ecclesiastica, quae obtinet aut obtinebit, sine speciali sedis apostolicae licentia pro aliis beneficiis ecclesiasticis permutare possit. „Grata tue familiaritatis" „Rome ap. S. Petrum septimo kal. Novembris pont. n. a. quarto."*

Romae, 1393 Octobris 26.

R. Lat. 27 fol. 184[b]; et iterum ibidem fol. 185[b] — Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: PRO SOCIO. N. DE BENEVENTO — Ed. Emler, Libri confirmationum VI. p. 212.

---

726. *Magistro Johanni de Malesicz canonico Pragensi, scriptori et familiari apostolico, qui etiam litterarum apostolicarum abbreviator existit, conceditur, ut quaelibet beneficia ecclesiastica, quae obtinet vel obtinebit, sine speciali sedis apostolicae licentia pro aliis permutare possit. „Grata tue familiaritatis" „Rome ap. S. Petrum septimo kal. Novembris pont. n. a. quarto."*

Romae, 1393 Octobris 26.

R. Lat. 27 fol. 185[a] et altera copia ibidem fol. 186[a] — In marg. sin.: C[ANCELLARIA]: in fine: PRO SCRIPTORE, N. DE BENEVENTO.

727. Parrochialem ecclesiam in ‚Freytschlarn' Olomucensis dioc. certis diebus anni (illis, qui in uro. 366 sunt nominati) visitantibus et ad eius conservationem manus adiutrices porrigentibus duo anni et duae quadragenae resp. centum dies de iniunctis eis poenitentiis relaxantur, praesentibus post decennium minime valituris. „Licet is" „Rome ap. S. Petrum quinto kal. Novembris a. quarto."

Romae, 1393 Octobris 28.

R. Lat. 27 fol. 179ª — In fine: N. XVI DE BENEVENTO.

728. Iudicibus mandatur, quatenus post diligentem informationem sedi apostolicae de omnibus circumstantiis supplicationis regis Venceslai, ut monasterium Cladrubense in cathedralem ecclesiam erigatur, referant.

Romae, 1393 Novembris 1.

Bonifacius . . . . episcopo Lubucensi et . . . . abbati Teplensis ac preposito Chotiessouiensis per prepositum soliti gubernari Pragensis dyocesis monasteriorum . . . . Humilibus et honestis petencium desideriis, illis presertim, per que universalis ecclesie decus et divini cultus augmentum procurantur, libenter annuimus, et ut debitum consequantur effectum, favorem benivolum impertimur. Nuper siquidem pro parte carissimi in Christo filii nostri Wenceslai Romanorum et Boemie regis illustris nobis fuit expositum, quod, licet regnum suum Boemie sit amplum et diffusum et in universitate populi copiosum, et in eo plures, quam nunc sint, commode possint erigi ecclesie cathedrales, tamen in ipso regno Pragensis archiepiscopalis et Luthomuslensis ac in marchionatu Morauie consistens Olomucensis, eius suffraganee, cathedrales ecclesie duntaxat existunt, propter quod rex ipse pro honore regio parvam habet assistenciam prelatorum pontificali dignitate preditorum, et quod persone utriusque sexus maxime degentes in remotis Pragensis diocesis, que ad plures se dietas extendit, temporibus hyemalibus et pluviosis, cum expedit ad civitatem Pragensem accedere, in veniendo et ad propria redeundo plurimum fatigantur, et quod tam loci oportunitate quam aliis dei benedicciouibus, que ad civitatis necessitatem et ornamentum requiruntur, concurrentibus monasterium Cladrubense alias in Cladrona ordinis s. Benedicti eiusdem diocesis, cuius eciam fructus ad mensam abbacialem pertinentes commode sufficerent pro mensa episcopali cum oppido dicti nominis ibi propinquo, apte et sine magno archiepiscopi pro tempore existentis et ecclesie Pragensis detrimento erigi posset in ecclesiam cathedralem. Quare pro parte dicti regis nobis fuit humiliter supplicatum, ut ad sacrosancte Romane et universalis ecclesie decorem et pro ipsius regis dictique regni honore et commoditate personarum predictarum huiusmodi monasterium in ecclesiam cathedralem erigere et eidem metropolitane Pragensi ecclesie subiicere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur huiusmodi predicti regis, qui clare memorie progenitorum suorum utpote sancte matris ecclesie devotorum sequendo vestigia, sicut illi firmiter perstiterunt, sic eciam in devocione ac obediencia ipsius ecclesie inconcusse perstitit et persistit, devotis supplicacionibus inclinati, quia de premissis certam

noticiam non habemus, discrecioni vestre, de qua in hiis et aliis specialem in domino fiduciam obtinemus, per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus ad huiusmodi locum, ubi dictum monasterium consistit, personaliter accedentes, de premissis omnibus et singulis et eorum circumstanciis universis auctoritate nostra vos diligencius informetis, et quidquid per informacionem huiusmodi reppereritis, nobis per vestras patentes litteras, harum seriem continentes, publica manu conscriptas vestrisque sigillis munitas, quantocius referre curetis, ut huiusmodi vestra relacione instructi in premissis consulcius procedere valeamus. Quod si non omnes hiis exequendis potueritis interesse, tu, frater episcope, cum altero ex predictis ea nichilominus exequaris. Datum Rome ap. S. Petrum kal. Novembris pont. n. a. quarto.

R. Lat. 30 fol. 217b — In fine: N. XX DE BENEVENTO.

---

729. *Iudicibus mandatur, quatenus Petro de Jestbořicz canonico ecclesiae Vyšehradensis praebendam in eadem ecclesia vacantem, quam ipse sua priore praebenda dimissa optavit, conferant.*

Romae, 1393 Novembris 3.

Bonifacius . . . . episcopo Tudensi et . . . . decano s. Apolinaris Pragensis ac scolastico Boleslauiensis Pragensis diocesis ecclesiarum . . . . Vite ac morum honestas aliaque . . . . merita, super quibus . . . . Petrus Buczconis de Gestboricz canonicus ecclesie s. Petri Wyssegradensis prope Pragam . . . commendatur . . . ., nos inducunt, ut sibi reddamur . . . . liberales. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dicti Petri peticio continebat, quod olim canonicatu et prebenda ecclesie predicte, quos quondam Johannes de Pomuk . . . . obtinebat, per obitum dicti Johannis, qui extra Romanam curiam decessit, vacantibus, prefatus Petrus, alios canonicatum et prebendam ipsius ecclesie tunc obtinens, dictam prebendam sic vacantem infra tempus legitimum, prout iuxta consuetudinem ipsius ecclesie poterat, optavit illamque vigore opcionis huiusmodi extitit pacifice assecutus, sua priori prebenda libere dimissa. Cum autem . . . . dictus Petrus dubitet opcionem huiusmodi . . . . viribus non subsistere . . . ., nos . . . . discrecioni vestre . . . . mandamus, quatenus . . . . prebendam predictam, cuius et canonicatus dicte ecclesie fructus . . . . viginti quinque marcharum argenti puri . . . . valorem annuum . . . . non excedunt, ... eidem Petro auctoritate nostra conferre et assignare curetis . . . .; non obstantibus . . . ., quod prefatus Petrus, ut asserit, canonicatum et prebendam ecclesie Olomucensis, quorum fructus . . . . octo marcharum argenti . . . . valorem annuum non excedunt, noscitur obtinere . . . . Datum Rome ap. S. Petrum tercio nonas Novembris a. quarto.

R. Lat. 30 fol. 33b — Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: N. XX DE BENEVENTO.

---

730. *Decano Olomucensi mandatur, quatenus Smiloni de Vícov capellam s. Petri in Boskovicz conferat.*

Romae, 1393 Novembris 6.

Bonifacius . . . . decano ecclesie Olomucensis . . . . Dignum arbitramur . . . . Cum itaque, sicut accepimus, capella s. Petri in Boskowicz Olomucensis diocesis quam quondam Andreas de Boskowicz . . . . obtinebat, per eiusdem Andree obitum, qui extra Romanam curiam diem clausit extremum, vacet ad presens et tanto tempore vacaverat, quod eius collacio iuxta Lateranensis statuta concilii est ad sedem predictam legitime devoluta, nos volentes . . . . Smylonem de Wyczaw canonicum Olomucensem, bacalarium in decretis, qui presbyter et, ut asserit, de nobili genere procreatus existit, ... favore prosequi gracioso, discrecioni tue . . . . mandamus, quatenus, si . . . . dictum Smylonem ad hoc ydoneum esse reppereris . . . ., capellam predictam, que sine cura et de iure patronatus laicorum existit, cuiusque fructus . . . . sex marcharum argenti puri . . . . [valorem annuum] . . . . non excedunt, ... eidem Smyloni auctoritate nostra conferre et assignare procures . . . .; non obstantibus . . . ., quod dictus Smylo, ut asserit, in Olomucensi et in s. Petri Wissegradensi Pragensi canonicatus et prebendas et archidiaconatum Lithomericensem in Pragensi ecclesiis ac parrochialem ecclesiam in Ratay diocesis Olomucensis, quorum omnium fructus . . . . quadraginta marcharum argenti puri . . . . valorum annuum non excedunt, canonice noscitur obtinere . . . . Datum Rome ap. S. Petrum octavo idus Novembris a. quarto.

R. Lat. 27 fol. 41b – Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: N. XXIIII DE BENEVENTO.

731. *Mathiae dicto Burda de Lhota presbytero reservatur beneficium ecclesiasticum cum vel sine cura, cuius fructus valorem annuum 25 resp. 18 marcarum argenti non excedant, ad collationem archiepiscopi Pragensis et praepositi, archidiaconi, decani, custodis, cantoris, scholastici et capituli singulorumque canonicorum et personarum ecclesiae Pragensis pertinens, dummodo canonicatus et praebenda ecclesiae cathedralis non fuerit, si quod vacat, vel cum vacaverit; non obstante, quod capellam b. Mariae Magdalenae prope Velharticz*[a] *Pragensis dioc., quae sine cura est, cuiusque fructus 20 florenorum auri valorem annuum non excedunt, obtinet.*[1] *et nuper ei de beneficio ecclesiastico cum vel sine cura, vacante vel vacaturo, spectante ad collationem abbatissae et conventus ‚monasterii s. Georgii de S. Georgio' ord. s. Benedicti dictae dioc. per litteras apostolicas provideri mandatum est, quae litterae, quoad curatum beneficium dumtaxat, cassantur. „Vite ac morum" „Rome ap S. Petrum octavo idus Novembris a. quarto." — Simili modo patriarchae Gradensi et abbati monasterii in Aula Regia Pragensis dioc. ac decano ecclesiae Omnium Sanctorum in castro Pragensi.*

Romae, 1393 Novembris 6.

R. Lat. 29 fol. 181b — a) ‚Vilharticz, Wylharticz' — In fine: PRO DEO, N. DE BENEVENTO — 1) Cf. nr. 617.

---

732. *Decano ecclesiae Pragensis mandatur, quatenus Johanni Alstede rectori altaris s. Mariae Magdalenae siti in ecclesia s. Jacobi Stetinensi Caminensis dioc.,*

magistro in artibus, reservet beneficium ecclesiasticum cum vel sine cura, consuetum clericis saecularibus assignari, cuius fructus 25 resp. 18 marcarum argenti valorem annuum non excedant, ad collationem abbatissae et conventus monasterii s. Mariae Magdalenae extra muros Stetinenses cisterciensis ord. dictae dioc. pertinens, si quod vacat, vel cum vacaverit.

[1392 Nov. 9—1393 Nov. 8]

R. Lat. 29 fol. 44[a] — Finis harum litterarum cum data in registro deest. — Johannes Alstede aa. 1383—1388 in universitate Pragensi studuit. Cf. Monum. univ. Pragensis I./I. p. 211.256; II./I. p. 140.

---

733. *Judicibus mandatur, quatenus Jacobo de Prusiec quandam perpetuam vicariam in parrochiali ecclesia s. Galli in Svidnicz vacantem conferant.*

Romae, 1393 Novembris 10.

Bonifacius . . . . episcopo Segobiensi et . . . . preposito ac . . decano ecclesie Wratislauiensis . . . . Vite ac morum honestas aliaque . . . . merita, super quibus . . . . Jacobus Polen de Pruscz presbyter Gneznensis dioecesis . . . . commendatur . . . ., nos inducunt, ut sibi reddamur . . . . liberales. Cum itaque in fundacione perpetue vicarie ad altare ss. Wenceslai, Stanislai et Marie Magdalene, situm in parrochiali ecclesia s. Galli in Swidenicz Wratislauiensis diocesis, canonice ordinatum fuerit, quod, si quis eandem vicariam canonice sibi collatam pacifice assequatur, infra annum a tempore assecucionis huiusmodi teneatur ad sacerdocium se facere promoveri, alioquin vicaria predicta eo ipso vacare censeatur, et, sicut accepimus, eadem vicaria ex eo vacaverit et vacet ad presens, quod . . . . Ignacius Sculteti de Burg, olim ad dictum altare perpetuus vicarius, eandem vicariam tunc vacantem canonice sibi collatam assecutus illamque per annum et amplius pacifice possidens, se non fecit, impedimento cessante legitimo nullaque super hoc canonica dispensacione obtenta, ad sacerdocium promoveri, nos volentes prefato Jacobo [a]) . . . . graciam facere specialem, discrecioni vestre . . . . mandamus, quatenus . . . . vicariam ipsam, que sine cura est, cuiusque fructus . . . . quatuor marcharum argenti . . . . valorem annuum non excedunt . . . ., eidem Jacobo auctoritate nostra conferre et assignare curetis . . . .; non obstantibus . . . ., quod nuper eidem Jacobo, ut asserit, de beneficio ecclesiastico cum cura vel sine cura vacante vel vacaturo, ad collationem . . . . episcopi Wladislauiensis et . . prepositi, . . decani, . . scholastici, cantoris, thezaurarii, archidiaconorum et capituli ecclesie Wladislauiensis . . . . pertinente, per nostras litteras graciose mandavimus provideri . . . . Datum Rome ap. S. Petrum quarto idus Novembris a. quinto.

R. Lat. 31 fol. 220[a] — a) In registro sequitur: ‚cum quo dudum, ut asserit, ut non obstante defectu natalium, quem patitur de presbytero genitus et soluta, ad omnes eciam sacros ordines promoveri et unum, eciam si curam habeat animarum, obtinere primo, et deinde, ut quecunque, quotcunque et qualiacunque beneficia ecclesiastica se invicem compaciencia, si sibi canonice conferrentur, recipere et retinere libere et licite posset, fuit auctoritate apostolica dispensatum‘ sed cancellatum est, hac nota in margine adiuncta: „Cancellatum de mandato N. de Benevento“ — In fine: PRO DEO, N. DE BENEVENTO.

734. Decano ecclesiae Pragensis mandatur, quatenus Petro Melde de Kottbus[a]) *clerico Misnensis dioc.*[1]) *reservet beneficium ecclesiasticum cum vel sine cura, cuius fructus 25 resp. 18 marcarum argenti valorem annuum non excedant, ad collationem rectoris parrochialis ecclesiae in Kottbus*[a]) *dictae dioc. pertinens, si quod vacat, vel cum vacaverit; non obstante, quod idem Petrus super canonicatu et maiore praebenda ecclesiae Wurczinensis Misnensis dioc., quorum fructus sex marcarum argenti valorem annuum non excedunt, in palatio apostolico noscitur litigare. „Dignum arbitramur" „Rome ap. S. Petrum decimo octavo kal. Decembris a. quinto."*

Romae, 1393 Novembris 14.

R. Lat. 31 fol. 25[a] — [a]) ‚Kothebus' — In fine: N. XXII DE BENEVENTO — [1]) Petrus Melde de ‚Kothebus' a. 1390 a rectore universitatis iuristarum Pragensis intitulatus est (Monum. univ. Prag. II./I. p. 103).

---

735. Zdislao Vlčkonis de Píšel[a]) *monacho monasterii Trebecensis*[b]) *ord. s. Benedicti Olomucensis dioc. indulgetur, ut confessor eius, quem ipse elegerit, in mortis articulo plenam omnium peccatorum remissionem ei concedere possit „Provenit" „Rome ap. S. Petrum XIII. kal. Decembris a. quinto."*

Romae, 1393 Novembris 19.

R. Lat. 34 fol. 169[b] — [a]) ‚Ydislao Wlczkonis de Pissel' [b]) ‚Trewicen' — In fine: N. XIIII DE BENEVENTO.

---

736. Simoni Clementis de Třebíč[a]) *monacho monasterii Trebecensis*[b]) *ord. s. Benedicti Olomucensis dioc. indulgetur, ut confessor eius in mortis articulo plenam omnium peccatorum remissionem ei concedere possit. „Provenit" „Rome ap. S. Petrum XIII. kal. Decembris a. quinto".*

Romae, 1393 Novembris 19.

R. Lat. 34 fol. 169[b] — [a]) ‚Trewicz' [b]) ‚Trewicen'. — In fine: N. XIIII DE BENEVENTO.

---

737. Paulo Hornbock clerico Misnensis dioc. reservatur beneficium ecclesiasticum sine cura, cuius fructus 18 marcarum argenti valorem annuum non excedant, ad collationem praepositi, decani, custodis, cantoris et capituli singulorumque [canonicorum] et personarum s. Petri in Budissin,[a]) *necnon rectoris parrochialis in Bischofswerde*[b]) *Misnensis dioc. ecclesiarum pertinens, si quod vacat, vel cum vacaverit. „Laudabilia probitatis" „Rome ap. S. Petrum undecimo kal. Decembris a. quinto." — Simili modo episcopo Nolano et praeposito ac decano ecclesiae Wurczinensis Misnensis dioc.*

Romae, 1393 Novembris 21.

R. Lat. 31 fol. 11b — a) ‚Budissen' b) ‚Bisschoueffwerde' — In marg. sin: C[ANCELLARIA]; in fine: PRO DEO, N. DE BENEVENTO.

---

738. *Henrico advocato de Opol*[a]) *laico et Annae eius uxori Vratislaviensis dioc. indulgetur, ut in locis ecclesiastico interdicto suppositis missam celebrari facere possint.* „*Devocionis vestre sinceritas*“ „*Rome ap. S. Petrum XVII. kal. Jannuarii a. quinto.*“

Romae, 1393 Decembris 16.

R. Lat. 34 fol. 238a — a) ‚Opul' — In fine: N. X DE BENEVENTO.

---

739. *Francisco Weynrich de Alzenau*[a]) *clerico Vratislaviensis dioc. reservatur beneficium ecclesiasticum cum vel sine cura, cuius fructus 25 resp. 18 marcarum argenti valorem annuum non excedant, ad collationem abbatissae et conventus monasterii in Liebenthal*[b]) *cisterciensis ord. Vratislaviensis dioc. pertinens, si quod vacat, vel cum vacaverit; non obstante, quod „nuper tibi, ut asseris, de uno ad .... episcopi Wratislauiensis et .... prepositi, decani, scolastici, archidiaconi, cantoris, custodis et capituli singulorumque canonicorum et personarum Wratislauiensis .... per quasdam, et de alio ad .... prepositi, decani, archidiaconi, scolastici, cantoris, custodis et capituli s. Marie Glagouie Maioris dicte dioc. ecclesiarum beneficiis ecclesiasticis cum vel sine cura vacantibus vel vacaturis collacionem .... pertinentibus per alias nostras litteras ... mandavimus provideri, quas quidem litteras ...., quoad curatum beneficium dumtaxat, exnunc cassamus ....“ „Vite ac morum“ „Rome ap. S. Petrum quarto decimo kal. Januarii a. quinto.“ — Simili modo episcopo Pennensi et praeposito ecclesiae s. Aegidii Vratislaviensis ac officiali Olomucensi.*

Romae, 1393 Decembris 19.

R. Lat. 31, fol. 64a — a) ‚Alczenaw' b) ‚Lybental' — In marg. sin.: C[ANCELLARIA] in fine: PRO DEO, N. DE BENEVENTO.

---

740. *Michaeli Schulteti de Grünhain*[a]) *clerico Misnensis dioc. reservatur beneficium ecclesiasticum cum vel sine cura, cuius fructus 25 resp. 18 marcarum argenti valorem annuum non excedant, ad collationem episcopi Misnensis et praepositi, decani, scholastici, archidiaconi, custodis, cantoris et capituli singulorumque canonicorum ecclesiae Misnensis pertinens, si quod vacat, vel cum vacaverit.* „*Vite ac morum*“ „*Rome ap. S. Petrum decimo quarto kal. Ianuarii a. quinto.*“ — *Simili modo episcopo Thelesino et abbati in Cella ac praeposito ecclesiae s. Petri Budissinensis Misnensis dioc.*

Romae, 1393 Decembris 19.

R. Lat. 31 fol. 45b — a) ‚Greuenhain' — In fine: PRO DEO, N. DE BENEVENTO.

741. *Mathaeo Smelwicz clerico Vratislaviensis dioc. reservatur beneficium ecclesiasticum cum vel sine cura, consuetum clericis saecularibus assignari, cuius fructus 25 resp. 18 marcarum argenti valorem annuum non excedant, ad commendatoris domus Corporis Christi hospitalis s. Johanis Jerosolimitani extra muros Vratislavienses necnon abbatissae et conventus monasterii s. Clarae Vratislaviensis ord. eiusdem s. Clarae collationem pertinens, si quod vacat, vel cum vacaverit; non obstante, quod dudum ei de beneficio ecclesiastico cum cura vel sine cura, vacante vel vacaturo, ad collationem episcopi Vratislaviensis et praepositi, decani et capituli ecclesiae Vratislaviensis pertinente, per alias litteras apostolicas mandatum est provideri, quae quidem litterae, quoad curatum beneficium dumtaxat, exnunc cassantur.* „*Vite ac morum*“ „*Rome ap. S. Petrum octavo idus Januarii a. quinto.*“ — *Simili modo patriarchae Gradensi et praeposito ac decano ecclesiae Vratislaviensis.*

Romae, 1394 Januarii 6.

R. Lat. 33 fol. 33[a] — In fine: PRO DEO, N. DE BENEVENTO.

---

742. *Paulo Meindlini clerico Ratisbonensis*[a]) *dioc. reservatur beneficium ecclesiasticum cum vel sine cura, consuetum clericis saecularibus assignari, cuius fructus 25 resp. 18 marcarum argenti valorem annuum non excedant, ad collationem abbatis et conventus monasterii in Waldsachsen cisterciensis ord. necnon commendatoris et fratrum domus b. Mariae Theutonicorum in Egra Ratisbonensis dioc. pertinens, si quod vacat, vel cum vacaverit.* „*Vite ac morum*“ „*Rome ap. S. Petrum septimo idus Januarii a. quinto.*“ — *Simili modo abbati monasterii s. Emerami et praeposito s. Johannis Ratisbonensis ac decano Pataviensis ecclesiarum.*

Romae, 1394 Januarii 7.

R. Lat. 31. fol. 98[a] — [a]),Ratisponen‘ — In fine: PRO DEO, N. DE BENEVENTO.

---

743. *Sandero [de Rambow] archidiacono Přeroviensi*[a]) *Olomucensis dioc. indulgetur, ut in locis ecclesiastico interdicto suppositis missam celebrari facere possit.* „*Devocionis tue sinceritas*“ „*Rome ap. S. Petrum quinto idus Januarii.*

Romae, 1394 Januarii 9.

R. Lat. 34 fol. 238[a] — [a]) ‚Prerouien‘. — In fine: N. X DE BENEVENTO.

---

744. *Sandero [de Rambow] archidiacono Přeroviensi*[a]) *Olomucensis dioc. indulgetur, ut missam ante diem celebrari facere possit.* „*Sincere devocionis affectus*“ „*Rome ap. S. Petrum quinto idus Januarii a. quinto.*“

Romae, 1394 Januarii 9.

R. Lat. 34 fol. 242[a] — [a]) ‚Prerouien‘. — In fine: N. X DE BENEVENTO.

745. Nicolao de Volavia motu proprio conceditur, ut diversae litterae apostolicae ei alias concessae valeant quibusdam earum defectibus non obstantibus.

Romae, 1394 Januarii 21.

Bonifacius . . . . Nicolao de Wolauia canonico Wratislauiensi, familiari nostro . . . . Grata tue devocionis . . . . Dudum siquidem ex parte tua nobis exposito, quod olim tu damnate memorie Roberto olim basilice XII Apostolorum presbytero cardinali, tunc antipape, qui se Clementem VII. ausu sacrilego nominabat, eciam post et contra processus per fel. rec. Urbanum papam VI. predecessorem nostrum contra dictum Robertum eiusque fautores et sequaces ac eidem adherentes factos . . . . notorie adheseras et faveras ipsumque Robertum talem, qualem se nominabat, reputaveras et cum eo et fautoribus, sequacibus necnon adherentibus huiusmodi in potu, cibo et loquela ac aliis omnibus, non tamen in seriis, participaras eiusque litteras et mandata in preiudicium eciam et contemptum predicti predecessoris de facto, cum de iure non posses, executus fueras, ac eidem Roberto tamquam vero summo pontifici Christi vicario in aliis quibuscunque obediveras et ab eo diversas gracias pretensas, si ita dici mereantur, pro te et aliis impetraveras et super eis litteras sub pretensa bulla ipsius Roberti confici easque, quantum in te fuerat, execucioni demandari procuraveras: nos, videlicet quinto idus Novembris pontificatus nostri anno primo [1]), te ab omnibus et singulis excomunicacionum et aliis sentenciis atque penis, quas propter premissa incurrisse dinoscebaris, auctoritate apostolica absolvimus et tecum super irregularitatis macula, si quam celebrando divina vel immiscendo te illis, non tamen in contemptum clavium, contraxeras, dispensavimus ac omnem inhabilitatis et infamie maculam sive notam per te premissorum occasione contractam penitus abolevimus, teque in integrum et ad statum pristinum auctoritate predicta plene restituimus per quasdam primo, et nichilominus tibi de Wratislauiensis ac Cracouiensis et Olomucensis et Warmiensis ecclesiarum canonicatibus sub expectacionibus prebendarum necnon dignitatum vel personatuum seu officiorum cum cura vel sine cura earundem Wratislauiensis et Cracouiensis ecclesiarum, eciam si dignitates huiusmodi in ipsis Wratislauiensi et Cracouiensi ecclesiis maiores post pontificales forent, et ad dignitates vel personatus seu officia huiusmodi consuevissent qui per eleccionem assumi, per quasdam alias litteras providimus, [2]) necnon de uno vel de duobus beneficio seu beneficiis ecclesiastico seu ecclesiasticis, eciam si ipsum unum vel ipsorum duorum alterum curatum aut dignitas vel personatus seu officium cum cura vel sine cura et huiusmodi dignitas in collegiata ecclesia principalis foret, ad quorumcunque collacionem . . . . pertinente seu pertinentibus, in civitate vel diocesi Wratislauiensibus vacante vel vacantibus aut vacaturo vel vacaturis, per certas alias, ac insuper tecum, ut duas vel duos aut duo dumtaxat ex dignitatibus vel personatibus seu cum cura officiis et beneficio huiusmodi, si illas vel illos seu illa [tibi] earundem vel eciam aliarum litterarum vigore conferri contingeret, recipere ac insimul per biennium retinere et interim alteram vel alterum ex dignitatibus vel personatibus seu cum cura officiis et beneficio huiusmodi pro alio beneficio cum earum vel eorum reliqua vel reliquo compatibili permutare libere et licite valeres, dispensavimus, ac eciam tibi de canonicatu sub expectacione prebende ecclesie Pragensis necnon de beneficio ecclesiastico cum cura

vel sine cura, ad collacionem, provisionem, presentacionem seu quamvis aliam disposicionem .... archiepiscopi et .... capituli Pragensium necnon .... prepositi, decani et capituli ecclesie s. Petri Wissegradensis prope Pragam Romane ecclesie immediate subiecte .... pertinente, vacante vel vacaturo, eciam si essent disposicioni apostolice generaliter reservati, per quasdam alias nostras litteras graciose mandavimus provideri, ac eciam tecum, ut duas, duos vel duo ex huiusmodi vel aliis dignitatibus vel personatibus seu cum cura officiis vel beneficiis, eciam si alie vel alii seu alia dignitates vel personatus seu officia huiusmodi in metropolitana vel cathedralibus seu collegiatis et dignitates ipse in eisdem metropolitana vel cathedralibus maiores post pontificales aut in collegiatis ecclesiis principales forent, et ad dignitates vel personatus seu officia alia huiusmodi consuevissent qui per electionem assumi, si tibi predictarum ultimarum litterarum vigore vel alias canonice conferentur vel assumeris ad illas, illos vel illa, recipere at insimul, quoad viveres, retinere ac illas, illos seu illa simul vel successive ex causa permutacionis vel alias tociens, quociens tibi placeret, dimittere et loco dimissi vel dimissorum aliud vel alia simile vel dissimile aut similia vel dissimilia beneficium seu beneficia ecclesiasticum seu ecclesiastica, duo tantum incompatibilia, recipere et retinere libere et licite valeres auctoritate apostolica dispensavimus. Voluimus tamen, quod ille, per quas tibi de Olomucensis, omnino, alie vero littere, per quas tibi de Cracouiensis canonicatibus sub expectacionibus prebendarum necnon dignitatis, personatus vel officii eiusdem Cracouiensis ecclesiarum providimus, ut prefertur, ... et quecunque inde secuta quoad huiusmodi dignitatem vel personatum seu officium ecclesie Cracouiensis essent cassa et irrita .... Cum autem, sicut nobis nuper innotuit, omnes littere prefate sub una et eadem data, videlicet die quinto idus Novembris, a nobis emanaverint, nosque te in familiarem nostrum receperimus teque privilegio familiarium nostrorum uti voluerimus, et in quibusdam ex predictis de aliis litteris nostris huiusmodi debita mencio facta non extiterit, et eciam alique ex litteris predictis cum expressione familiaritatis huiusmodi, alique vero nulla in eis facta mencione de eadem familiaritate expedite fuerint, nos, ne littere predicte seu alique earundem surrepticie aut in aliqua ipsarum parte de subrepcionis fraude suspecte valeant reputari, tenores omnium litterarum prefatarum habentes presentibus pro expressis et sufficienter specificatis, ... ad omnem suspicionis materiam et ambiguitates quascunque tollendas et penitus summovendas volumus et motu proprio .... apostolica tibi auctoritate concedimus, quod omnes et singule littere predicte et processus habiti per easdem et quecunque inde secuta eciam ab ipsarum litterarum data huiusmodi perinde valeant plenamque obtineant roboris firmitatem, ... ac si in earum singulis hinc inde plena debita et expressa mencio facta et omnes littere ipse cum expressione familiaritatis uno tenore conformiter expedite fuissent .... Datum Rome ap. S. Petrum duodecimo kal. Februarii a. quinto.

R. Lat. 57 fol. 148b — Supra in marg. sin.: JO. DE BONONIA; in fine: DE MANDATO, JAC. DE TERAMO — [1]) 1389 Nov. 9 [2]) Cf. nros. 204 ,205.

---

746. Episcopo Monopolitano, praeposito s. Aegidii Vratislaviensis ac decano Pataviensis ecclesiarum mandatur, quatenus Michaeli Sculteti de Novo Foro presby-

tero et rectori parrochialis ecclesiae in Lindenau[a]) *Vratislaviensis dioc. parrochialem ecclesiam in Gebhardsdorf*[b]) *dictae dioc., cuius fructus valorem annuum 15 marcarum argenti non excedunt, vacantem per mortem Johannis Mesenaw extra Romanam curiam defuncti, conferant, non obstante, quod idem Michael super summo altari Omnipotentis dei et ss. Andreae et Mariae Magdalenae sito in parrochiali ecclesia s. Mariae Magdalenae Vratislaviensi, quod sine cura est, noscitur litigare, et quod nuper praedictam parrochialem ecclesiam in Lindenau,*[c]) *cuius necnon dicti altaris fructus 20 marcarum argenti valorem annuum non excedunt, vigore quarundam litterarum apostolicarum, per quas beneficium cum vel sine cura, ad collationem episcopi et capituli Vratislaviensium pertinens, exspectabat, acceptavit et de ea sibi obtinuit provideri; quam ecclesiam in Lindenau, si eam evincat, dimittere tenetur, quamprimum dictam ecclesiam in Gebhardsdorf fuerit assecutus. „Vite ac morum“ „Rome ap. S. Petrum sexto kal. Marcii a. quinto.“*

Romae, 1394 Februarii 24.

R. Lat. 31 fol. 205b — a) ‚Lindenaw‘ b) ‚Gebehartsdorff‘ c) ‚Lyndenaw‘ — Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: N. XX DE BENEVENTO.

---

747. *Dirslao de Cholenicz*[a]) *rectori parrochialis ecclesiae in Kozojed*[b]) *Pragensis dioc. indulgetur, ut confessor eius in mortis articulo plenam omnium peccatorum remissionem ei concedere possit. „Provenit“ „Rome ap. S. Petrum idibus Marcii a. quinto.“*

Romae, 1394 Martii 15.

R. Lat. 34 fol. 180b — a) ‚Cholinicz‘ b) ‚Cozogied‘ — In fine: N. XIIII DE BENEVENTO.

---

748. *Iudicibus mandatur, quatenus Johanni dicto Konczicz cantoriam in ecclesia Pragensi vacantem conferant.*

Romae, 1394 Martii 16.

Bonifacius .... episcopo Tudensi et .... scolastico ecclesie Boleslauiensis Pragensis diocesis ac officiali Olomucensi .... Vite ac morum honestas aliaque .... merita, super quibus .... Johannes dictus Konczicz perpetuus vicarius in ecclesia Pragensi .... commendatur ...., nos inducunt, ut sibi reddamur .... liberales. Cum itaque .... cantoria ecclesie predicte, quam quondam Johannes dictus Spizierz .... obtinebat, per ipsius Johannis obitum, qui extra Romanam curiam diem clausit extremum, vacaverit et vacet ad presens, nos volentes dicto Johanni Konczicz, qui presbyter est, ... graciam facere specialem ...., discrecioni vestre .... mandamus, quatenus .... cantoriam predictam, que dignitas vel personatus non est, et cuius fructus .... quatuordecim marcharum argenti puri .... valorem annuum .... non excedunt ...., eidem Johanni Konczicz auctoritate nostra conferre et assignare curetis ....; non obstantibus ...,

quod idem Johannes Konczicz, ut asserit, quandam perpetuam vicariam in ecclesia predicta obtinet, et quod nos dudum sibi de beneficio ecclesiastico cum cura vel sine cura, clericis secularibus assignari consueto, ad collacionem . . . . abbatisse et conventus monasterii s. Georgii in castro Pragensi ord. s. Benedicti . . . . spectante, vacante vel vacaturo, per alias nostras litteras graciose mandavimus provideri. Volumus autem, quod, quamprimum ipse Johannes Konczicz . . . . predictam cantoriam fuerit pacifice assecutus, dictam vicariam, quam, ut prefertur, obtinet, ... omnino, prout ad id eciam se sponte obtulit, dimittere teneatur, quodque, si cantorie huiusmodi cura immineat animarum, predicte littere . . . . et quecunque inde secuta, quoad curatum beneficium duntaxat, sint cassa . . . . Datum Rome ap. S. Petrum decimo septimo kal. Aprilis pont. n. a. quinto.

R. Lat. 31 fol. 220b — In fine: PRO DEO, N. BENEVENTO.

---

749. *‚Abbati et conventui monasterii Czedlicensis cisterciensis ord. Pragensis dioc. indulget, ut possit uti insigniis pontificalibus, benedictione etc. Datum Romae ap. S. Petrum XVII. calendas Aprilis a. V.‘*

Romae, 1394 Martii 16.

Istud excerptum Raynaldi „ex libro primo de diversis formis et regularibus a. quinto fol. 215“ in bibliothecae Vaticanae codice Vatic. 6952 fol. 147b est.

---

750. *ophiae abbatissae monasterii in Sezemicz[a]) cisterciensis ord. Litomyšlensis[b]) dioc. licentia eligendi confessorem conceditur. „Benigno“ „Rome ap. S. Petrum quarto kal. Aprilis a. quinto“.*

Romae, 1394 Martii 29.

R. Lat. 34 fol. 224b — a),Sezemycz‘ b) ‚Luthomulsen‘. — In fine: N. X DE BENEVENTO.

751. *Johanni de Ghulen officiali Olomucensi indulgetur, ut in locis ecclesiastico interdicto suppositis missam celebrari facere possit. „Devocionis tue“ „Rome ap. S. Petrum nonis Aprilis a. quinto“.*

Romae, 1394 Aprilis 5.

R. Lat. 34 fol. 238b — In fine: N. X DE BENEVENTO.

---

752. *[Marinus s. Mariae Novae cardinalis], camerarius apostolicus, universis praelatis et officialibus prohibet, ne in magistrum Nicolaum Maczconis de Luthovia rectorem parrochialis ecclesiae s. Mariae in Strutz (Troubsko) Olomu-*

censis dioc. ullam iurisdictionem exerceant, cum ipse sedis apostolicae capellanus sit. „Rome ap. S. Petrum a. d. MCCCLXXXXIIII, indiccione secunda, die octava mensis Aprilis, a. tercio (!).“

Romae, 1394 Aprilis 8.

Armar. XXXI tom. 36 fol. 73b — Cf. nr. 297. et infra nr. 881.

---

753. *Seydlino de Neuhaus*[a]) *et Kunegundi eius uxori Pragensis dioc. indulgetur, ut confessor eorum in mortis articulo plenam omnium peccatorum remissionem eis concedere possit. „Provenit“ „Rome ap. S. Petrum V. idus Aprilis a. quinto“.*

Romae, 1394 Aprilis 9.

R. Lat. 34 fol. 184b — a) ‚Neuenhus‘ — In fine: N. XVI DE BENEVENTO.

---

754. *Johanni de Ghulen presbytero et officiali Olomucensi indulgetur, ut liceat ei habere altare portatile. „Sincere devocionis“ „Rome ap. S. Petrum tercio idus Aprilis a. quinto.“*

Romae, 1394 Aprilis 11.

R. Lat. 34 fol. 216a — In fine: N. X DE BENEVENTO.

---

755. *Universis fratribus et sororibus confraternitatis altaris Corporis Christi et Sepulchri dominici, siti in capella ss. Philippi et Jacobi apostolorum in porta monasterii Sedlicensis*[a]) *Pragensis dioc., nunc existentibus, indulgetur, ut confessor eorum, quem ipsi elegerint, in mortis articulo plenam omnium peccatorum remissionem eis concedere possit. „Provenit“ „Rome ap. S. Petrum XVIII. kal. Maii a. quinto“.*

Romae, 1394 Aprilis 14.

R. Lat. 34 fol. 185a — a) ‚Czeldicen‘. — In fine: DE MANDATO, N. DE BENEVENTO.

756. *Episcopus Litomyšlensis et abbas monasterii Scotorum Viennensis Pataviensis dioc. ac decanus ecclesiae Olomucensis conservatores magistri et fratrum hospitalis s. Spiritus in Saxia de Urbe ord. s. Augustini instituuntur. „Militanti ecclesie“ „Rome ap. S. Petrum decimo septimo kal. Maii a. quinto“.*

Romae, 1394 Aprilis 15.

R. Lat. 32 fol. 312b — In marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: N.-C-DE BENEVENTO.

757. *Magistro Johanni de Malesicz canonico Olomucensi, scriptori apostolico, indulgetur, ut liceat ei habere altare portatile. „Sincere devocionis“ „Rome ap. S. Petrum XVI. kal. Maii a. quinto“.*

Romae, 1394 Aprilis 16.

R. Lat. 34 fol. 217a — In fine: PRO SOCIO, N. DE BENEVENTO.

---

758. *Venceslaus episcopus Vratislaviensis quitatur de solutione complementi suorum servitiorum camerae sacri collegii.*

Romae, 1394 Aprilis 19.

Henricus [. . . . s. Anastasie presbyter cardinalis, sacri collegii . . . . cardinalium camerarius, ... notum facimus,] quod reverendus pater dom. Wenceslaus dei gracia episcopus Wratislauiensis pro complemento sui communis servicii sexaginta quinque florenos auri de camera, solidos tres et denarios septem monete Romane . . . ., et pro complemento unius minuti servicii . . . . octo similes florenos et solidos triginta quinque dicte monete per manus venerabilis viri dom. Petri Adulphi rectoris parrochialis ecclesie s. Katherine prope Wratislauiam solvi fecit . . . . Datum [Rome ap. S. Petrum a. 1394] die decima nona mensis Aprilis pont. anno quinto.

Oblig. et sol. 59 fol. 42b — In fine: FL. I GR. II — De eadem solutione in libro „divisionum 1389—1399“ (Oblig. et sol. 51) mentio fit in haec verba (fol. 62b): „. . . . die XVIIII. Aprilis anno [1394] soluti sunt per rever. patrem dom. Wenceslaum episcopum Wratislauiensem pro complemento sui communis servicii . . . . flor. 55 (!) sol. 3, den. 7, et pro parte partis unius minuti . . . . flor. 8, sol. 35; summa flor. 63, sol. 38, den. 7. Fuit promotus anno quinto dom. Urbani pape sexti (i. e. 1382 $^{18}/_{4}$—1383 $^{17}/_{4}$) . . . .“ Re vera Venceslaus episcopus 1382 Jul. 28 promotus est.

---

759. *Margarethae relictae quondam Johannis de Sitten civis Vratislaviensis indulgetur, ut confessor eius in articulo mortis plenam omnium peccatorum remissionem ei concedere possit. „Provenit“ „Rome ap. S. Petrum nono kal. Maii a. quinto“.*

Romae, 1394 Aprilis 23.

R. Lat. 34 fol. 186b — In fine: N. XIIII DE BENEVENTO.

---

760. *Benedicto abbati monasterii s. Petri de Percipiano Terdonensis dioc. ord. s. Benedicti, apostolicae sedis nuntio ad nonnullas Alamanniae, Bohemiae et alias partes pro quibusdam arduis ecclesiae Romanae negotiis destinato, datur facultas concedendi auctoritate apostolica tabellionatus officium duodecim personis illarum partium. „Ne contractuum memoria“ „Rome ap. S. Petrum VIII. kal. Maii pont. n. a. quinto“.*

Romae, 1394 Aprilis 24.

R. Vat. 314 fol. 228b — In fine: (ad sin.) P. DE BOSCO; (ad dext.) DE CURIA, W. BONINC. — In eodem volumine aliae bullae, supradicto Benedicto abbati eodem tempore una cum Bartholomaeo de Tucchiis cive Lucano, familiari et campsore apostolico, concessae, registratae sunt (fol. 225a, 226a, 227a, 228a, 230b, 245a), in quibus autem ipsi nuntii apostolici „ad Alamanie et nonnullas alias partes“ destinati nominantur. Sic etiam in litteris securi conductus pro eodem Benedicto abbate (ibid. fol. 227a). Praedictae bullae praecipue indulgentiam anni iubilei in Colonia, Misnia, Magdeburgo etc concernunt.

---

761. *Benedicto abbati monasterii s. Petri de Percipiano Terdonensis dioc. ord. s. Benedicti, nuntio apostolico ad nonnullas Alamanniae, Bohemiae et alias partes pro quibusdam arduis ecclesiae Romanae negotiis destinato, datur facultas dispensandi auctoritate apostolica cum duodecim personis illarum partium defectum natalium patientibus, ut ad omnes sacros ordines promoveri et quaelibet earum unum beneficium ecclesiasticum etiam curatum recipere possint. „Cum te ad“ „Rome ap. S. Petrum VIII. kal. Maii pont. n. a. quinto.“*

Romae, 1394 Aprilis 24.

R. Vat. 314 fol. 229 a — In fine: (ad sin.) JO. DE BONONIA; (ad dext.) DE CURIA G. BOTHORN — Cf. nr. 760.

---

762. *Universis praelatis et clero atque omnibus dominis temporalibus mandatur, ut Ludovico Philippi domicello Perusino, pro ecclesiae Romanae negotiis ad Alamanniae, Bohemiae et nonnullas alias partes accessuro, de securo conductu provideant, praesentibus post duos annos minime valituris. „Rome ap. S. Petrum VIII. kal. Maii pont. n. a. quinto“.*

Romae, 1394 Aprilis 24.

R. Vat. 314 fol. 229 b — In fine: (ad sin.) JO. DE BONONIA; (ad dext.) DE CURIA, JO. DE BONONIA.

---

763. *Judicibus mandatur, quatenus Amadaeo Johannis canonicatum et praebendam ecclesiae Zagrabiensis, si eos vacare reppererint, conferant.*

Romae, 1394 Aprilis 25.

Bonifacius . . . . abbati monasterii b. Marie virginis et . . preposito ac archidiacono de Bexin ecclesie Zagrabiensis . . . . Nobilitas generis, vite ac morum honestas . . . ., super quibus . . . . Amadeus Johannis rector parrochialis ecclesie Omnium Sanctorum de Moraucha Zagrabiensis diocesis . . . . commendatur . . . ., nos inducunt, ut sibi reddamur . . . . liberales. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte ipsius Amadei peticio continebat, quod orta dudum inter . . . . Gregorium Pauli et Hinchkonem dictum Roch presbyteros Quinqueecclesiensis et Pragensis diocesium super canonicatu et prebenda ecclesie Zagrabiensis, quos, tunc

per obitum quondam Blasii Lupi canonici ecclesie predicte extra Romanam curiam defuncti vacantes, Gregorius se vigore quarundam litterarum apostolicarum . . . . infra tempus legitimum acceptasse . . . . seque illos assecutum fuisse canonice, Hinchko vero predicti canonicatum et prebendam predictos ad se de iure spectare asserebant, materia questionis et causa huiusmodi in palacio apostolico coram certis auditoribus causarum dicti palacii ex commissionibus apostolicis diucius ventilata, tandem prefatus Gregorius duas pro se et contra dictum Hinchkonem, per quas canonicatus et prebenda predicti Gregorio adiudicati, et super illis Hinchkoni prefatis perpetuum silencium impositum extiterunt, et quarum nulla provocacione suspensa secunda in rem transivit iudicatam, sentencias reportavit. Cum itaque . . . . predicti canonicatus et prebenda per liberam resignacionem dicti Gregorii . . . . vacaverint et vacent ad presens, licet dictus Hinchko adhuc illos detineat indebite occupatos, nos igitur huiusmodi resignacionem habentes ratam et gratam ac dicto Amadeo, qui, ut asserit, ex utroque parente de nobili genere procreatus existit, ... specialem graciam facere volentes, discrecioni vestre . . . . mandamus, quatenus . . . ., si vocatis dicto Hinchkone et aliis, qui fuerint evocandi, canonicatum et prebendam predictos, quorum fructus . . . . quindecim marcharum argenti . . . . valorem annuum . . . . non excedunt, ... vacare reppereritis, canonicatum et prebendam predictos, ... eidem Amadeo auctoritate nostra conferre et assignare curetis . . . . Datum Rome ap. S. Petrum septimo kal. Maii a. quinto.

R. Lat 32 fol. 140b — In fine: N. XXIIII DE BENEVENTO — Ed. Fraknói, Monum. Hung. Vatic. Ser I. tom. III p. 251 nr. 282.

---

764. *S. Vincentii Vratislaviensis et Scotorum in Vienna Pataviensis dioc. abbates ac praepositus s. Nicolai extra muros Patavienses per praepositum soliti gubernari monasteriorum conservatores decani et capituli ecclesiae Olomucensis usque ad decennium instituuntur „Militanti ecclesie“ „Rome ap. S. Petrum secundo kal. Maii a. quinto“.*

Romae, 1394 Aprilis 30.

R. Lat. 32 fol. 317a — In fine: N.-L-DE BENEVENTO — Ed. ex originali in Cod. dipl. Moraviae XII p. 185 nr. 191.

---

765. *Episcopo Cracoviensi mandatur, quatenus, si Johannem electum Poznaniensem et infrascriptos eius complices certa crimina commisisse invenerit, contra eos per excommunicationis et interdicti sententias procedat.*

Romae, 1394 Maii 1.

Bonifacius . . . . episcopo Cracouiensi . . . . Exposuit nobis . . . . Raynaldus s. Viti in Macello diaconus cardinalis, quod olim Johannes electus Poznaniensis [1]) de consilio et ex inductione Johannis Zorawsky, Materni Ticzkonis cano-

nicorum ecclesie s. Crucis Opoliensis, Henrici et Nicolai dictorum Woyt fratrum laicorum ac Potossius de Berawa ac Nicolaus Nos alias Fulscossil armiger, Wratislauiensis diocesis, associatis sibi quibusdam suis in hac parte complicibusi villam Niwky predicte diocesis, que de iuribus et pertinenciis archidiaconatus s. Crucis Opoliensis predicte diocesis, quem ipse Raynaldus cardinalis ex concessione et dispensacione sedis apostolice obtinet, esse dinoscitur, hostiliter accedentes, homines, incolas et habitatores ville predicte invaserunt eosque captivaverunt ac eciam, postposita verecundia et quod est nefandissimum et inhumanum audire, virgines et mulieres ipsius ville ibidem repertas vestibus et indumentis earum usque ad nuda corpora nequiter spoliarunt et earumdem virginum deflorarunt et eciam mulierum aliquas carnaliter cognoverunt, violenter ac temere stupra et adulteria committendo, ipsam villam depopulati fuerunt, ac equos, boves, vaccas, porcos, oves, pecora et alia animalia eciam volatilia necnon suppellectilia domorum et alia res et bona mobilia similiter ibidem reperta receperunt, et eosdem incolas, habitatores, virgines ac mulieres alias multis iniuriis afflixerunt, ipsosque incolas et habitatores captivos in predam cum huiusmodi equis, bobus, vaccis, porcis, ovibus, pecoribus, animalibus, suppellectilibus, vestibus et indumentis, bonis et rebus ad oppidum Opiliense necnon in de Strelicz et in de Blawencicz (*sic*) villas et alia diversa loca predicte diocesis secum adduxerunt in animarum suarum periculum et dicti Raynaldi cardinalis grave damnum ac scandalum plurimorum. Cum autem, sicut eadem exposicio subiungebat, in provincialibus seu synodalibus statutis provincie Gneznensis, de qua civitas et diocesis Wratislauiensis existunt, necnon eciam quibusdam constitucionibus legatorum sedis apostolice olim in illis partibus deputatis caveatur expresse, quod quicunque ecclesiasticas et eciam personas eis subiectas bonis suis spoliare seu eis iniurias vel offensas irrogare presumeret et ad id dantes auxilium, consilium vel favorem excommunicacionis incurrant [sentenciam], necnon terre et loca quelibet, ad que pro tempore bona spoliata ecclesiasticarum et aliarum eis subditarum personarum huiusmodi adducerentur, subiaceant interdicto ecclesiastico ipso facto, et tam diu spoliatores seu iniuriatores excommunicari et loca huiusmodi interdicto prefato subiacere denunciari debeant, quousque per spoliatores et iniuriatores ipsos lesis ab ipsis fuerit congrue satisfactum: pro parte dicti cardinalis nobis fuit humiliter supplicatum, ut sibi et eciam aliis in premissis providere de oportuno remedio dignaremur. Nos igitur huiusmodi supplicacionibus inclinati fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus vocatis eisdem electo, presbyteris, laicis, armigeris, complicibus et aliis, qui fuerint evocandi, super premissis simpliciter et de plano ac sine strepitu et figura iudicii auctoritate apostolica te informes, que si per eandem informacionem inveneris vera fore, eosdem electum, presbyteros, laicos, armigeros et complices excommunicatos ac oppidum necnon Strelitz et in Slawencicz villas ac alia loca predicta, ad que huiusmodi captivi seu bona, equi, boves, vacce, porci, oves, pecora, animalia, vestes, indumenta et suppellectilia ac res et bona alia huiusmodi communiter vel divisim per eosdem electum, presbyteros, laicos et armigeros adducti fuerunt, ut prefertur, interdicto huiusmodi supposita fore tamdiu auctoritate apostolica denuncies, ac in quibuslibet locis, de quibus et ubi expedierit ac eidem cardinali seu eius procuratori videbitur, denunciari et iuxta statuta et constituciones huiusmodi facias et procures, quousque

per electum, presbyteros, laicos, armigeros et complices antedictos cardinali necnon eisdem hominibus, incolis, habitatoribus, virginibus et mulieribus iniuriam passis occasione violenciarum et iniuriarum predictarum ac eciam de equis, bobus, vaccis, porcis, pecoribus, animalibus, vestibus, indumentis, suppellectilibus ac bonis et rebus huiusmodi fuerit integre satisfactum, ac eciam predictam excommunicacionis sentenciam, quociens et prout iustum fuerit, aggraves auctoritate predicta .... Ceterum si citaciones, moniciones et processus super hiis habendi eisdem electo, presbyteris, laicis, armigeris et complicibus tute publicari nequeant, ut prefertur, tunc processus, moniciones et citaciones eosdem per edicta publica in locis affigenda publicis et vicinis, de quibus sit verisimilis coniectura, quod ad noticiam dictorum electi, presbyterorum, laicorum, armigerorum et complicum ac aliorum in eisdem citacionibus, monicionibus et processibus contentorum pervenire valeant, quociens opus fuerit, auctoritate nostra publicare procures. Volumus enim et auctoritate predicta decernimus, quod processus, moniciones et citaciones huiusmodi perinde ipsos monitos et citatos arctent, ac si eis intimati et insinuati presencialiter et personaliter extitissent, constitucionibus apostolicis contrariis non obstantibus quibuscunque .... Datum Rome ap. S. Petrum kal. Maii a. quinto.

R. Lat. 34 fol. 157 [b] — Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: PRO DOMINO CARDINALI, N. DE BENEVENTO — [1]) Johannes de Kropidlo translatus ab ecclesia Gneznensi ad Poznaniensem 1394 Jan. 26.

---

766. *Nobili viro Johanni baroni baroniae de Kravař*[a]) *alias de Krumlov (Kromau)*[a]) *et eius uxori Olomucensis dioc. indulgetur, ut in locis ecclesiastico interdicto suppositis missam celebrari facere possint. „Devocionis vestre“ „Rome ap. S. Petrum IIII. nonas Maii a. quinto.“*

Romae, 1394 Maii 4.

R. Lat. 34 fol. 239 [b] — [a]) ‚Crauar‘ [b]) ‚Chrumpnaw‘ — In fine: N. X DE BENEVENTO.

---

767. *Annae de Kunstadt*[a]) *alias de Lisicz*[b]) *abbatissae, Annae de Křížanov,*[c]) *Perchtae de Mezířič,*[d]) *Annae Črníni*[e]) *et Catherinae de Broda monialibus monasterii Aulae b. Mariae in Antiqua Brunna cisterciensis ord. Olomucensis dioc. indulgetur, ut confessor earum in articulo mortis plenam omnium peccatorum remissionem eis concedere possit. „Provenit“ „Rome ap. S. Petrum V. idus Maii a. quinto.“*

Romae, 1394 Maii 11.

R. Lat. 34 fol. 188 [a] — [a]) ‚Cunstat‘ [b]) ‚Liss‘ [c]) ‚Crisans‘ [d]) ‚Mezerziecz‘ [e]) ‚Czrnini‘ — In fine: N. XXII DE BENEVENTO.

---

768. *Officiali Vratislaviensi mandatur, quatenus Gothardo de Wycherow capellam s. Petri Vratislaviensem, auctoritate ordinaria ei collatam, auctoritate apostolica conferat.*

Romae, 1394 Maii 12.

Bonifacius . . . . officiali Wratislauiensi . . . . Dignum arbitramur . . . . Exhibita siquidem nobis nuper pro parte . . . . Gothardi de Wycherow rectoris parrochialis ecclesie in Czirkowicz Wratislauiensis diocesis peticio continebat, quod olim ipse perpetuam vicariam in ecclesia Wratislauiensi et . . . . Petrus Tasschenberg capellam s. Petri sitam prope eandem ecclesiam Wratislauiensem, quas tunc temporis obtinebant, desiderantes illas . . . . invicem permutare, in manibus . . . . Wenczeslai episcopi Wratislauiensis extra Romanam curiam ex causa permutacionis huiusmodi libere resignarunt, idemque episcopus resignacionibus huiusmodi per eum extra eandem curiam auctoritate ordinaria admissis, Gothardo capellam et Petro prefatis vicariam predictas eadem auctoritate contulit et de illis eciam providit. Cum autem . . . . prefatus Gothardus dubitet collacionem et provisionem predictas . . . . viribus non subsistere . . . ., nos . . . . discrecioni tue . . . . mandamus, quatenus, si . . . . eundem Gothardum ad obtinendum prefatam capellam ydoneum fore reppereris . . . ., capellam predictam, que sine cura est, cuiusque fructus . . . . decem marcharum argenti . . . . valorem annuum . . . . non excedunt, ... eidem Gothardo auctoritate nostra conferre et assignare procures . . . .; non obstantibus . . . ., quod ipse Gothardus, ut asserit, parrochialem ecclesiam predictam, cuius fructus . . . . octo marcharum argenti . . . . valorem annuum non excedunt, noscitur obtinere . . . . Datum Rome ap. S. Petrum quarto idus Maii a. quinto.

R. Lat. 33 fol. 80 a — In fine: N. XXII DE BENEVENTO.

---

769. *Archiepiscopo Pragensi mandatur, quatenus villas Pargfried, Salnau (Zelnava), Purgstal, Sonnberg, Hintring, Schönau (Šenava), Walterstift, Frauenthal, Schlag (Lažištěk), Rohn (Leptač), Cristanstift, Pleschen (Malonín), Ditrichstift (Goldbach), Luzenier (Štifta), Pulkenstift, Schreinetschlag (Skřiměřov), Hundsnursch (Koryto), Johansstift, Oberhaid (Zbitiny), Plahetschlag (Blažejovice), Schweinetschlag (Sviňovice), Miesau et nonnullos agros, terras, silvas, piscinas et res alias in diocesi Pragensi consistentes, super quibus inter Johannem Benešii [de Dubá] praepositum ecclesiae s. Petri Vyšehradensis prope Pragam et inter abbatem et conventum monasterii S. Coronae cisterciensis ord. Pragensis dioc. lis in palatio apostolico vertitur, sequestret, exhibiturus earum fructus et emolumenta illi, qui in causa finalem victoriam obtinebit. „Exhibita nobis“ „Rome ap. S. Petrum idibus Maii pont. n. a. quinto.“*

Romae, 1394 Maii 15.

Ed. ex originali Pangerl, Urkundenbuch von Goldenkron (Font. rer. Aust. Abth II Bd. 37.) p. 250 nr. 115.

770. *Johannes de Vratislavia prior ecclesiae Litomyšlensis*[a]) *praemonstratensis ord. in sedis apostolicae capellanum recipitur.* „*Virtutibus clarens*“ „*Rome ap. S. Petrum XIIII. kal. Junii pont. n. a. quinto.*“

Romae, 1394 Maii 19.

R. Vat. 314 fol. 230[a] — In fine: (sin.) XX, B. DE PISTORIO, BERNARDUS; (med.) P. DE BOSCO; (dext.) PRO G. WEERT, W. BONINC.

---

771. *Patriarchae Gradensi et praepositis ecclesiarum s. Petri de Vetere Buda ac s. Georgii de Viridi Campo Vesprimiensis et Strigoniensis dioc. mandatur, quatenus Nicolao dicto Guryn (= de Kouřim) presbytero, canonico ecclesiae s. Petri Vyšehradensis Pragensis, magistro in artibus, archidiaconatum Budensem in ecclesia Vesprimiensi, qui curatus et dignitas, non tamen maior post pontificalem, in eadem ecclesia est, cuiusque fructus 35 marcarum argenti valorem annuum non excedunt, vacantem per obitum Přibislai dicti Con, conferant; non obstante, quod dictus Nicolaus in canonicum praedictae ecclesiae s. Petri auctoritate ordinaria fuit receptus, et dudum ei de beneficio ecclesiastico cum vel sine cura ad collationem archiepiscopi Pragensis pertinente provideri concessum est, quae concessio quoad curatum beneficium cassa esse debet, quamprimum dictus Nicolaus eiusdem archidiaconatus possessionem pacificam fuerit assecutus.* „*Litterarum sciencia*“ „*Rome ap. S. Petrum octavo kal. Junii a. quinto*“.

Romae, 1394 Maii 25.

R. Lat. 32 fol. 64[b] — Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: N. XXIIII DE BENEVENTO — Ed. Fraknói, Monum. Hung. Vatic. Ser. I. tom. III p. 256 nr. 286.

---

772. *Dominico Stromchen civi Vratislaviensi indulgetur, ut in locis ecclesiastico interdicto suppositis missam celebrari facere possit.* „*Devocionis*“ „*Rome ap. S. Petrum V. kal Junii pont. n. a. quinto*“.

Romae, 1394 Maii 28.

R. Lat. 34 fol. 240[a] — In fine: N. X DE BENEVENTO.

---

773 *Archiepiscopus Pragensis et episcopus Vratislaviensis ac abbas monasterii s. Mariae extra muros Vratislavienses conservatores Johannis episcopi Misnensis usque ad quinquennium instituuntur.* „*Ad hoc nos deus*“ „*Rome ap. S. Petrum secundo nonas Junii a. quinto*“.

Romae, 1394 Junii 4.

R. Lat. 32 fol. 320[a] — In fine: N. XXX DE BENEVENTO.

---

774. *Vilhelmo Plees de Goch rectori altaris s. Leonardi siti in ecclesia Naumburgensi*[a]*), magistro in artibus*[1]*), reservantur canonicatus et praebenda ecclesiae Merseburgensis, qui per promotionem et consecrationem Henrici electi Merseburgensis vacare sperantur. „Litterarum sciencia“ „Rome ap. S. Petrum octavo idus Junii a. quinto“. — Simili modo episcopo Tudensi et abbati monasterii s. Petri extra muros Merseburgenses ac praeposito ecclesiae Budissinensis Misnensis dioc.*

Romae, 1394 Junii 6.

R. Lat. 32 fol. 196[a] — [a]) ‚Nuemburgensi‘ — In fine: N. XI. XIII DE BENEVENTO — [1]) Vilhelmus de Goch a. 1388 in universitate Pragensi ad baccalariatum in artibus admissus est; cf. Monum. univ. Prag. I./I. p. 262.

---

775. *Bartholomaeo tituli s. Pudentianae presbytero cardinali reservantur motu proprio canonicatus et praebenda ecclesiae s. Severi Erfordensis Maguntinensis dioc., qui per promotionem et consecrationem Henrici electi Merseburgensis vacare sperantur, non obstante, quod ord. s. Benedicti professor existit. „Dum exquisitam“ „Rome ap. S. Petrum octavo idus Junii a. quinto“. — Simili modo episcopo Tudensi et praeposito Budissinensis ac decano b. Mariae Erfordensis Misnensis et Maguntinensis dioc. ecclesiarum.*

Romae, 1394 Junii 6.

R. Lat. 34 fol. 151[b] — In fine: PRO DOMINO CARDINALI, N. DE BENEVENTO.

---

776. *Nicolao Ungerathen*[a]*) oppidano oppidi in Legnicz*[b]*) Vratislaviensis dioc. indulgetur, ut confessor eius in mortis articulo plenam omnium peccatorum remissionem ei concedere possit. „Provenit“ „Rome ap. S. Petrum quinto idus Junii a. quinto“.*

Romae, 1394 Junii 9.

R. Lat. 34 fol. 189[a] — [a]) ‚Vngeroten‘ [b]) ‚Legenicz‘ — In fine: N. XIIII DE BENEVENTO.

---

777. *Cristoforo de Pisek*[a]*) laico Pragensis dioc. indulgetur, ut confessor eius in mortis articulo plenam omnium peccatorum remissionem ei concedere possit. „Provenit“ „Rome ap. S. Petrum tercio idus Junii a. quinto“.*

Romae, 1394 Junii 11.

R. Lat. 34 fol. 190[b] — [a]) ‚Cristofero de Pyeska‘ — In fine: N. XIIII DE BENEVENTO.

---

778. *Nobili mulieri Elizabeth relictae quondam Petri de Parchwitz*[a]*) baronis de Parchwitz Vratislaviensis dioc. indulgetur, ut confessor eius in mortis articulo*

plenam omnium peccatorum remissionem ei concedere possit. „Provenit“ „Rome ap. S. Petrum decimo septimo kal. Julii a. quinto“.

Romae, 1394 Junii 15.

R. Lat. 34 fol. 190a — a) ‚Parchwich‘ — In fine: N. XXIIII DE BENEVENTO.

---

779. *Francisco s. Susannae cardinali motu proprio conceditur, ut canonicatum et praebendam ecclesiae Vratislaviensis recipere possit, etiam si cum succustodia eiusdem ecclesiae, quam obtinet, incompatibiles sint.*

Romae, 1394 Junii 20.

Bonifacius . . . . Francisco tituli s. Susanne presbytero cardinali . . . . Dum exquisitam . . . . Nuper siquidem tibi de canonicatu et prebenda ecclesie Wratislauiensis, tunc certo modo vacantibus et antea disposicioni apostolice reservatis, per nostras litteras graciose duximus providendum. Cum autem . . . . a nonnullis asseratur, quod canonicatus et prebenda huiusmodi et succustodia eiusdem ecclesie, que simplex officium existit, et quam canonice obtinere dinosceris, incompatibiles sunt nec possunt secundum statuta et consuetudines ipsius ecclesie simul sine auctoritate sedis apostolice per aliquem licite obtineri, nos . . . . motu proprio . . . . volumus et apostolica tibi auctoritate concedimus, quod, si canonicatus et prebenda et succustodia huiusmodi secundum formam statutorum et consuetudinum predictorum vel alias sint simul incompatibiles, ut prefertur, eosdem canonicatum et prebendam recipere et una cum dicta succustodia retinere libere et licite valeas, statutis et consuetudinibus predictis contrariis et aliis omnibus non obstantibus, que in eisdem litteris voluimus non obstare . . . . Datum Rome ap. S. Petrum duodecimo kal. Julii a. quinto.

R. Lat. 34 fol. 160b — Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: PRO DOMINO CARDINALI. N. DE BENEVENTO.

---

780. *Nicolao de Boleslavia et Veronicae eius uxori, civibus Vratislaviensibus, indulgetur, ut confessor eorum in mortis articulo plenam omnium peccatorum remissionem eis concedere possit. „Provenit“ „Rome ap. S. Petrum X. kal. Julii a. quinto“.*

Romae, 1394 Junii 22.

R. Lat. 34 fol. 192a — In fine: N. XVI DE BENEVENTO.

---

781. *Johanni Gerawine laico de Nissa a) Vratislaviensis dioc. indulgetur, ut in locis ecclesiastico interdicto suppositis missam celebrari facere possit. „Devocionis“ „Rome ap. S. Petrum septimo kal. Julii a. quinto.“*

Romae, 1394 Junii 25.

R. Lat. 34 fol. 240a — a) ‚Nysa‘ — In fine: N. X DE BENEVENTO.

782. *Abbas monasterii de Aula Regia et praepositi ecclesiarum Tynensis ac s. Mariae Erfordensis Pragensis et Maguntinensis diocesium conservatores prioris et capituli ecclesiae Norwicensis ord. s. Benedicti usque ad quinquennium instituuntur. „Militanti ecclesie“ „Rome ap. S. Petrum sexto kal. Julii a. quinto.“*

Romae, 1394 Junii 26.

R. Lat. 32 fol. 321 [a] — In marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: N. XXX DE BENEVENTO.

---

783. *Maršikoni dicto Mareš[a)] et Margarethae eius uxori, civibus Olomucensibus, indulgetur, ut in locis ecclesiastico interdicto suppositis missam celebrari facere possint. „Devocionis vestre“ „Rome ap. S. Petrum quinto kal. Julii a. quinto.*

Romae, 1394 Junii 27.

R. Lat. 34 fol. 240 [a] — [a)] ‚Marsikoni dicto Maress‘ — In fine: N. X DE BENEVENTO

---

784. *Vilhelmo Juncfrynch clerico Monasteriensi reservatur beneficium ecclesiasticum cum vel sine cura, ad collationem praepositi, decani, thesaurarii, archidiaconi, scholastici, cantoris et capituli s. Patrocli Susatiensis, necnon abbatissae et capituli saecularis et collegiatae Assindensis Coloniensis dioc. ecclesiarum pertinens, si quod vacat, vel cum vacaverit. „Vite ac morum“ „Rome ap. S. Petrum sexto nonas Julii pont. n. a. quinto.“ — Simili modo maioris et s. Ludgeri Monasteriensium ac s. Crucis Vratislaviensis ecclesiarum decanis.*

Romae, 1394 Julii 2.

R. Lat. 33 fol. 49 [a] — In marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: PRO DEO, N. DE BENEVENTO.

---

785. *Abbas monasterii de Aula Regia et praepositi ecclesiarum Tynensis ac s. Severini Erfordensis Pragensis et Maguntinensis dioc. conservatores abbatis et conventus monasterii S. Coronae cisterciensis ord. Pragensis dioc. usque ad quinquennium instituuntur. „Militanti ecclesie“ „Rome ap. S. Petrum quinto nonas Julii a. quinto.“*

Romae, 1394 Julii 3.

R. Lat. 32 fol. 320 [b] — In fine: N. XXX DE BENEVENTO.

---

786. *Olomucensis et Lubucensis episcopi ac abbas monasterii s. Mariae in Arena extra muros Vratislavienses conservatores universorum perpetuorum vicariorum in*

ecclesia Vratislaviensi usque ad decennium instituuntur. „Militanti ecclesie“ „Rome ap. S. Petrum secundo idus Julii a. quinto.“

Romae, 1394 Julii 14.

R. Lat. 32 fol. 325 a — In fine: N.-L-DE BENEVENTO.

---

787. *Jaroslaus de Bezměř ecclesiae Sareptensi in episcopum praeficitur.*

Romae, 1394 Julii 15.

Bonifacius . . . . Jaroslao de Bezmyrz electo Sareptensi . . . . Apostolatus officium . . . . Dudum siquidem bone memorie Wenceslao episcopo Sareptensi regimini Sareptensis ecclesie presidente, nos . . . . provisionem eiusdem ecclesie ordinacioni et disposicioni nostre duximus ea vice specialiter reservandam . . . . Postmodum vero dicta ecclesia per obitum ipsius Wenceslai episcopi, qui extra Romanam curiam diem clausit extremum, vacante, nos . . . . post deliberacionem, quam . . . . cum fratribus nostris habuimus diligentem, demum ad te, ordinis fratrum minorum professorem, in sacra theologia baccallarium et in sacerdocio constitutum, ... direximus oculos nostre mentis, quibus omnibus debita meditacione pensatis de persona tua . . . . de eorundem fratrum nostrorum consilio auctoritate apostolica [dicte ecclesie] providemus, teque illi preficimus in episcopum et pastorem . . . . Volumus autem, quod, quamprimum presentes litteras habueris expeditas, ad prefatam ecclesiam te conferas et resideas personaliter in eadem, quodque extra tuas civitatem et diocesim Sareptenses pontificalia officia nequeas exercere . . . . Datum Rome ap. S. Petrum decimo octavo kal. Augusti a. quinto.

R. Lat. 34 fol. 76 b — Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: N. XX DE BENEVENTO.

---

788. *Johannes episcopus Poznaniensis ad ecclesiam Caminensem ex eo vacantem, quod Johannes tunc electus Caminensis omni regimini ipsius Caminensis ecclesiae per Nicolaum de Volavia a) canonicum Vratislaviensem, procuratorem suum, in manibus Bartholomaei tit. s. Martini in Montibus presbyteri cardinalis apud sedem apostolicam sponte cessit, transfertur eique in episcopum praeficitur. „Quam sit onusta“ „Rome ap. S. Petrum secundo kal. Augusti a. quinto“. — Simili modo scribitur: 1) capitulo ecclesiae Caminensis; 2) clero civitatis et diocesis Caminensium; 3) populo civitatis et diocesis Caminensium; 4) universis vassallis ecclesiae Caminensis; 5) Venceslao regi Romanorum.*

Romae, 1394 Julii 31.

R. Lat. 34 fol. 80 a -- a) ‚Wolauia‘ — In marg. sin.. C[ANCELLARIA]; in fine: N. XXII XI. XI. XI. XI. XI DE BENEVENTO.

---

789. *Nicolao Advocati de Opol armigero Vratislaviensis dioc. indulgetur, ut in locis ecclesiastico interdicto suppositis missam celebrari facere possit.* „*Devocionis*“ „*Rome ap. S. Petrum IIII. nonas Augusti pont. n. a. quinto.*“

Romae, 1394 Augusti 2.

R. Lat. 34 fol. 240 b — In fine: N. X DE BENEVENTO.

---

790. *Balthasari Cossae decretorum doctori, familiari et cubiculario apostolico, de nobili genere procreato, providetur de canonicatu et praebenda ecclesiae Maioris Glogoviae Vratislaviensis dioc., quorum fructus 17 marcarum argenti valorem annuum non excedunt, vacantibus per obitum Marini s. Mariae Novae diaconi cardinalis, qui camerarius apostolicus existens apud sedem apostolicam decessit.* [1]) „*Grata tue familiaritatis*“ „*Rome ap. S. Petrum quinto idus Augusti a. quinto*“. — *Simili modo archiepiscopo Barensi et decano ecclesiae Vratislaviensis ac officiali Vratislaviensi.*

Romae, 1394 Augusti 9.

R. Lat. 32 fol. 197 a — In fine: DE MANDATO, N. DE BENEVENTO — [1]) Marinus cardinalis 1394 Aug. 8 obiit.

---

791. *Elizabeth uxori Nicolai Neumarkt*[a]*) civis Vratislaviensis indulgetur, ut confessor eius in mortis articulo plenam omnium peccatorum remissionem ei concedere possit.* „*Provenit*“ „*Rome ap. S. Petrum idibus Augusti a. quinto*“.

Romae, 1394 Augusti 13.

R. Lat. 34 fol. 195[a] — [a]) ‚Neumarct‘ — In fine: N. XIIII DE BENEVENTO.

---

792. *Magistro Bartholomaeo Francisci praeposito ecclesiae s. Stephani Pratensis Pistoriensis dioc., notario apostolico, mandatur, quatenus a Jacobo Steube resignationem altaris s. Margarethae siti in sacristia ecclesiae Cracoviensis, quod ei contra certos adversarios in palatio apostolico adiudicatum fuit, recipiat, et dictum altare, quod sine cura est, cuiusque fructus 25 marcarum argenti valorem annuum non excedunt, Nicolao Theoderici de Kitlow clerico Vratislaviensis dioc. conferat, non obstante, quod idem Nicolaus super cantoria ecclesiae Gneznensis in palatio apostolico noscitur litigare.* „*Vite ac morum*“ „*Rome ap. S. Petrum decimo nono kal. Septembris a. quinto*“.

Romae, 1394 Augusti 14.

R. Lat. 31 fol. 167[a] — Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: N. XXII DE BENEVENTO.

793. Episcopo Vratislaviensi mandatur, quatenus, si taxationem fructuum allodii Rudna, in quibus Nicolaus de ‚Rocktum' in palatio apostolico condemnatus fuit, per abbatem monasterii in Mogila factam, excessivam reppererit, eam ad rationabilem moderationem reducat.

Romae, 1394 Augusti 16.

Bonifacius . . . . episcopo Wratislauiensi . . . . Exhibita nobis pro parte nobilis viri Nicolai Scalonis de Rocktum militis Wratislauiensis diocesis peticio continebat, quod, cum olim . . . . Henricus et Andreas dicti Rapti de Mag[n]a Rudna fratres, presbyteri dicte diocesis, asserentes, quod idem Nicolaus super quibusdam certis possessionibus et rebus aliis ad eos communiter pertinentibus iniuriabatur eisdem, apostolicas super hiis ad . . . . officialem Wratislauiensem in communi forma litteras impetrassent, et pretendentes, quod idem Nicolaus tempore impetracionis dictarum litterarum et tunc eciam quoddam allodium ‚Rudna' vulgariter nuncupatum, in predicta diocesi consistens, tunc expressum, quod ipsi fratres ad se communiter spectare confingebant, occupaverat et detinuerat indebite occupatum, fructus ex eo percipiens, prefatum Nicolaum super hoc, petendo huiusmodi allodium sibi adiudicari et super eo dicto Nicolao perpetuum silencium imponi ipsumque condemnari et compelli ad dimittendum eis huiusmodi allodium et fructus exinde perceptos, si extarent, alioquin eorum verum valorem restituendum, coram . . . . Johanne Goswini canonico Wratislauiensi, cui dictus officialis super hiis commiserat vices suas, donec eas ad se duxerat revocandas, huiusmodi litterarum et commissionis pretextu communiter fecissent ad iudicium evocari, dictusque canonicus in huiusmodi causa procedens, diffinitivam pro dictis fratribus et contra dictum Nicolaum sentenciam promulgasset, eum in expensis in huiusmodi causa legitime factis nichilominus condemnando, et pro parte dicti Nicolai ab huiusmodi sentencia ad ipsum officialem primo et deinde a quibusdam gravaminibus tunc expressis, per ipsum officialem sibi illatis, ad sedem apostolicam appellato, et huiusmodi appellacionis et negocii principalis causa ex commissione apostolica certo auditori causarum palacii apostolici tunc expresso commissa, dictus auditor eandem canonici, et subsequenter alius causarum dicti palacii auditor, cui causa appellacionis per ipsum Nicolaum ab eadem sentencia dicti auditoris interiecte commissa fuerat, predictam auditoris eorundem sentencias diffinitive confirmassent, dictum Nicolaum in fructibus ex predicto allodio perceptis a tempore latarum sentenciarum earundem et in expensis in huiusmodi causa coram eis legitime factis similiter condemnando, dictique fratres super execucione dictarum sentenciarum et satisfaccione fructuum et restitucione expensarum huiusmodi, que quidem expense ad certas florenorum auri summas taxate fuerant, apostolicas ad . . . . archiepiscopum Januensem et . . . . abbatem monasterii de Mogila alias de Clara Tumba et quendam alium eorum in hac parte collegam cum ea clausula, ut ipsi vel duo aut unus eorum per se vel alium seu alios premissa execucioni demandarent, [in] certa forma litteras impetrassent, dictusque archiepiscopus solus in huiusmodi negocio procedens, certos processus fecisset in talibus fieri consuetos, per quos inter cetera eundem Nicolaum monuit et mandavit eidem, ut infra certos peremptorios terminos tunc expressos allodium huiusmodi tradere ac de fructibus et expensis eisdem predictis fratribus satis-

facere curaret, alioquin extunc in eum et in contradictores quoslibet et rebelles diversas excommunicacionis, suspensionis et interdicti sentencias promulgabat, et prefato Nicolao[a]) huiusmodi processus intimati fuissent, pro parte dicti Nicolai nobis expositum extitit, quod, cum in huiusmodi causa iura sua minime producta fuissent, idem Nicolaus ex huiusmodi sentenciis enormiter lesus erat: nos ad instanciam dicti Nicolai quondam Hermanno de Insula cappellano nostro et causarum dicti palacii auditori commisimus, quod, si sibi constaret de premissis, eundem Nicolaum ab huiusmodi sentenciis in eum latis simpliciter vel ad cautelam absolveret et ad appellandum ab ultima ex dictis diffinitivis sentenciis et appellacionem huiusmodi prosequendam restitueret, si et prout de iure absolvendus et restituendus fuerat, et alias partibus iusticiam ministraret; et successive, postquam dictus Hermannus auditor in huiusmodi causa inter partes ipsas ad nonnullos actus processerat, nos huiusmodi causam . . . . magistro Thome de Walkintgton cappellano nostro et causarum dicti palacii auditori . . . . commisimus . . . ., qui in causa ipsa procedens, per suam sentenciam dictos fratres ab instancia et observancia iudicii absolvit, eundem Nicolaum in expensis in huiusmodi causa factis nichilominus condemnando. Et cum postmodum dictus Nicolaus processibus huiusmodi minime paruisset, prefatus abbas, habens eciam ad hoc specialem per apostolicas litteras potestatem, eosdem processus pluries aggravare curavit et nichilominus fructus huiusmodi perceptos nimis excessive taxavit. Cum autem, sicut eadem peticio subiungebat, prefatus Nicolaus paratus sit rei iudicate parere, pro parte dicti Nicolai nobis fuit humiliter supplicatum, ut alicui probo in illis partibus committere,[b]) qui, si reperiet dictos fructus excessive fuisse taxatos, taxacionem eandem debite moderetur, et alias sibi in premissis providere de oportuno remedio dignaremur. Nos igitur . . . . fraternitati tue . . . . committimus et mandamus, quatinus, si vocatis predictis fratribus et aliis, qui fuerint evocandi, huiusmodi fructus reppereris excessive fuisse taxatos, taxacionem ipsam ad racionabilem moderacionem auctoritate nostra reducas et eam appellacione remota per easdem partes facias inviolabiliter observari . . . .; et nichilominus prefatum Nicolaum, si et postquam rei iudicate paruerit et hoc humiliter pecierit, ab huiusmodi excommunicacionis et aliis sentenciis in eum latis absolvas in forma ecclesie consueta, iniunctis inde sibi pro modo culpe salutari penitencia et aliis, que de iure fuerint iniungenda . . . . Datum Rome ap. S. Petrum decimo septimo kal. Septembris a. quinto.

Reg. Lat. 33 fol. 118[a] — [a]) ‚prefatum Nicolaum' cod. [b]) ‚communiter' cod. — Supra in marg. sin.: A. DE PORTUGRUARIO, C[ANCELLARIA]; in fine: N. XVIII DE BENEVENTO.

---

794. *Pileo episcopo Tusculano mandatur, ut liberationi regis Venceslai e manibus procerum regni Bohemiae atque paci inter dictos regem et proceres restituendae operam det.*

Romae, 1394 Augusti 21.

Bonifacius . . . . Pileo episcopo Tusculano, apostolice sedis legato . . . . Quamvis ad regimen apostolice sedis, que disponente domino mater omnium esse

dinoscitur et magistra, insufficientes nos meritis et sapiencia reputemus, altissimi tamen suffragante misericordia nobis, quibus divinitus est dictum: ‚clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam‘,[1]) ardenti desiderio et cura vigili iugiter studemus et conamur insistere, ut modos et vias inveniamus utiles ac salubres, per quos pacem et tranquillitatem fidelibus procuremus amoveamusque lesionis offendicula solercius ab eisdem, et ut explanatis inter eos iam forsan exortis dissidiis atque disturbiis et annuente pacis auctore, animorum resumpta concordia, guerrarum dispendia et discrimina possint quiecius evitare, prout tenemur ex debito pastoralis officii et nobis ex alto permittitur, libenter interponimus diligencie nostre partes. Sane non sine valida mentis turbacione quorundam veridica relacione cognovimus, et de quo, ut credimus, non absque stupore atque ammiracione publica tocius loquitur lingua mundi, videlicet quomodo nuper, humani generis inimico nulli dubium procurante, carissimus in Christo filius noster Wenceslaus Romanorum et Boemie rex illustris, cuius infelicibus auspiciis utique pio et paterno condolemus affectu, interna et domestica insidias occultas et inprovisa iacula, quod dolenter referimus, cum nil teste prudente sit deterius et perniciosius hoste latenti ac domestico, previdere[a]) non valens, per quosdam proceres et magnates de regno Boemie eiusdem regis dicioni subiecto, ut prefertur, oriundos seu illius alumnos atque dicti regis subditos et vasallos seu ligios et nonnullos in hac parte complices et fautores eorum, qui[b]) rebus ordinate procedentibus dominico et regali debebant pocius detulisse reverenter honori, captivatus et captivus, quod eciam nimis horrendum est dicere ac res non minus auditu terribilis ac nostro evo satis infesta pariter et nova, extunc detentus fuerit et adhuc detineatur per eosdem, unde nimirum in regno predicto et inter incolas ipsius regni et quasdam partes ipsi regno adiacentes dissensiones, guerre, homicidia, incendia, rapine et alia enormia necnon abhominabilia multa valde hactenus, ut eciam fertur, miserabiliter sunt exorta et oriuntur in dies atque timetur verisimiliter exinde proventura maiora dispendia, nisi provide ac celeriter super premissis per apostolicam solerciam, ad quam eciam pertinet de peccato mortali quemlibet corrigere christianum ac potissime generali dispendio ipsorum fidelium succurrere, providere consulatur, et quia nostrum eciam et ecclesie ac imperii necnon huiusmodi fidelium communiter circa liberacionem dicti regis a captivitate predicta et e manibus procerum et magnatum, qui eum captivarunt et detinent captivatum, necnon eorum complicum et fautorum predictorum in hac parte, et reposicionem omnimodam et liberam quoad statum pristinum regalis culminis, in quo fuit rex ipse ante capcionem et detencionem antedictas, non mediocriter interesse versatur: fraternitati tue in arduis negociis hactenus mirabiliter comprobate, cui sapiencia, industria, eloquencie tuba et virtutes alie evidenter arrident, quamque ad regnum ipsum et partes regi Boemie pro tempore existenti subiectas potissime pro liberacione et reposicione predictis, commisso tibi in eis plene legacionis officio, de fratrum nostrorum consilio tamquam pacis angelum decrevimus destinandum, per apostolica scripta mandamus, quatenus ad easdem partes cum gracia nostre benediccionis accedens, circa liberacionem huiusmodi et alia sollicitudini tue commissa sic solerter intendas, ut speretur[c]) inde fructus domino tibi annuente, qui solvit compeditos et erigit elisos datque salutem regibus ei in veritate et sinceritate cordis placentibus, omnia et singula, que tibi ad libera-

cionem et reposicionem huiusmodi ac pacis et concordie inter regem ex una parte necnon barones, proceres suosque complices et fautores antedictos ex altera necessaria et utilia videbuntur, nostro et Romane ecclesie nomine viis et modis expedientibus obstaculo more postposito et indefesse procures. Nos enim tibi tractandi, [r]educendi, concludendi necnon que concluseris sub quibusvis eciam gravibus ecclesiasticis et aliis censuris atque penis et iuris remediis oportunis adimpleri effectualiter et inviolabiliter observari mandandi, ordinandi quoque, precipiendi, statuendi, sentenciandi, faciendi et exequendi plenam et liberam auctoritate apostolica tenore presencium concedimus facultatem, ratum nichilominus habituri atque gratum perpetuo, quidquid in premissis procurabis, facies et quomodolibet ordinabis. Ut autem huiusmodi commissa tibi eo facilius exequi valeas, quo per nos maiori fueris potestate munitus, circumspeccioni tue, si deo volente cum predictis partibus in pace et concordia super premissis concludere te contingat, ut eciam omnibus principibus electoribus sacri Romani imperii predicti necnon archiepiscopis, episcopis, abbatibus et aliis prelatis ecclesiarum et monasteriorum quorumlibet illarum parcium, de quibus tibi videbitur, obligandi se pro pace et pactis, que fient inter partes ipsas, inviolabiliter observandis, presertim pro ipso rege, et contra illa nequaquam veniendi, quodque rex ipse illa prompte acceptet et cum effectu adimpleat et observare procuret firmiter, licenciam auctoritate nostra largiaris, [concedimus facultatem]; contradictores per censuram ecclesiasticam etc.; non obstantibus, si aliquibus communiter vel divisim a sede predicta sit indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari aut ultra vel extra certa loca ad iudicium evocari non possint, per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mencionem. Datum Rome ap. S. Petrum duodecimo kal. Septembris a. quinto.

R. Lat. 34 fol. 96b — a) ‚prorevidere' cod. b) ‚quibus' cod. c) ‚speratur' cod. — In fine: DE CURIA, N. DE BENEVENTO — Ed. Kaufmann, Urkunden zu einer bisher unbekannten Legation des Card. Pileus, (Quellen und Forschungen des preuss. hist. Instituts in Rom II. p. 289.) nr. 1. — 1) 1. Reg. 7 v. 8.

795. *Pileo episcopo Tusculano in regno Bohemiae et partibus adiacentibus plenae legationis officium committitur.*

Romae, 1394 Augusti 27.

Bonifacius . . . . Pileo episcopo Tusculano, apostolice sedis legato . . . In eminenti specula dignitatis apostolice divina providencia quamvis insufficientibus meritis constituti ad universos Christi fideles divinitus nostre cure commissos paterne consideracionis intuitum[a]) extendentes, sollicitudine vigili et ardenti desiderio cogitamus pariter et optamus, qualiter fidelibus ipsis pacem, tranquillitatis comoda procuremus, ac disturbia, dissensiones et scandala removeamus ab eis, necnon humana sensualitate deformata iam forsan ubilibet, presertim cum generalis id utilitas persuadeat, solercius reformemus. Sane licet ad singulas regiones deo et apostolice sedi devotas nostre consideracionis diffundamus intuitum, tamen ad regnum Boemie et terras regi Boemie pro tempore existenti racione regni

predicti subiectas, in quibus humani generis inimicus, pacis emulus et zizanie seminator, turbaciones et scandala hiis temporibus, prochdolor, suscitavit, oculo sereno conspicimus et infra claustra nostri pectoris predileccionem portamus et ad illa et eorum incolas fervor nostre dileccionis exuberat circa sui status prosperitatem cum affeccionis paterne plenitudine cogitando. Verum quia innumerabilium quasi negociorum varietate[b]) distrahimur et humana natura non patitur, ut essencia nostri corporis tota simul in diversis exhibeat se presentem, illos in partem apostolice sollicitudinis de latere nostro nonnumquam assumimus, quibus fore percipimus celesti dono provisum, ut in arduis negociis sciant et possint provide consulere et utili consilio providere. Desiderantes itaque sinceris affectibus regni et parcium predictarum necnon ecclesiarum atque incolarum ipsorum statum prosperum, pacificum et tranquillum per apostolice sedis ministerium et providenciam circumspectam salubriter dirigi et augeri, sperantes quoque, quod per te, cui, sicut experiencie probacione didicimus, dedit dominus sapienciam et linguam non mediocriter eruditam, ut scias, quando et qualiter debeas proferre sermonem, et in quo viget rectitudo iudicii, consilii providencia, rigiditas censure, cum expedit, in prosperitate devocio, in zelo sobrietas, in agendis circumspeccio singularis et in arduis experiencia multipliciter comprobata, regni et parcium et incolarum predictorum status tranquillus et bonus non solum solidari et confirmari debeat, sed eciam multipliciter augmentari et meliorari, ex paterno affectu, quem ad regnum et partes huiusmodi et eorum personas bonumque ecclesiarum earundem gerimus, et aliis certis racionabilibus causis suadentibus, tibi, de cuius claris meritis singularem in domino fiduciam obtinemus, in regno et partibus predictis necnon Aquilegensi, Maguntinensi, Coloniensi, Treuerensi, Magdeburgensi, Salczeburgensi et Pragensi provinciis ac omnibus et singulis regni et parcium necnon provinciarum predictorum civitatibus et diocesibus plene legacionis officium de fratrum nostrorum consilio auctoritate apostolica committimus per presentes teque ad regnum, partes et provincias huiusmodi tanquam pacis angelum, tranquillitatis et iusticie zelatorem destinamus, ut in illis evellas et destruas,[c]) dissipes et disperdas, edifices et plantes, corrigas et reformes ac statuas et ordines salubriter auctoritate nostra, quecunque ad bonum statum regni, parcium, provinciarum, ecclesiarum et incolarum predictorum, cultum et exaltacionem catholice fidei, predicte sedis honorem, observanciam censure ecclesiastice, integracionem et conservacionem ecclesiastice libertatis et potissime ad corroboracionem status ecclesiarum et ecclesiasticorum locorum et personarum reformacionem, animarum salutem et tranquillitatem corporum quomodolibet noveris expedire, aliaque circa ista tractes, ordines et disponas, sicuti temporum et negociorum ipsorum qualitas eorumque circumstancia persuadebit, tibi eciam contradictores quoslibet et rebelles per excommunicacionis, suspensionis et interdicti sentencias et alias per censuram ecclesiasticam appellacione postposita compescendi — quibuslibet privilegiis, indulgenciis et litteris apostolicis sub quacunque forma vel expressione verborum concessis, per que nullum cuiquam, cuiuscunque status, ordinis vel condicionis extiterit, in hac parte volumus afferri suffragium, nequaquam obstantibus — concedimus auctoritate presencium plenam et liberam facultatem. Quocirca circumspeccioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus iniunctum tibi onus laboris huiusmodi pro divina ac dicte sedis et nostra reverencia devote

suscipiens et ad regnum, partes et provincias predicta te conferens personaliter, huiusmodi ministerium sic viriliter, diligenter et sollicite iuxta datam a deo tibi providenciam exequaris, quod de tuis studiosis laboribus celesti favente [d]) clemencia optati fructus proveniant, necnon regno, partibus, provinciis et incolis prelibatis tranquillitas pacis et quietis commoda arrideant, tuque proinde illam glorie palmam, que pias causas gerentibus celesti retribucione rependitur, feliciter consequi merearis. Datum Rome ap. S. Petrum sexto kal. Septembris a. quinto.

R. Lat. 34 fol. 101[b] — [a]) ‚intuitu' cod. [b]) ‚veritate' cod. [c]) ‚destrues' cod. [d]) ‚favore' cod. — In fine: DE CURIA, N. DE BENEVENTO — Ed. Kaufmann, Urkunden zu einer Legation des Card. Pileus, p. 292 nr. 2.

---

796. *Pileo episcopo Tusculano, apostolicae sedis legato ad regnum Bohemiae et partes regi Bohemiae pro tempore existenti subiectas necnon ad Aquilegensem, Maguntinensem, Coloniensem, Treverensem, Magdeburgensem, Salzburgensem et Pragensem provincias pro certis sedis apostolicae et Romanae ecclesiae negotiis destinato, conceditur facultas cum omnibus principibus electoribus sacri Romani imperii necnon cum quibuscunque praelatis et dominis temporalibus, praesertim infra legationis eius terminos consistentibus, contra scismaticos et hostes ecclesiae Romanae ligas et confoederationes honestas, rationabiles et utiles ecclesiae praedictae et etiam Romano imperio et rei publicae faciendi. „Zelus vinee sabaoth" „Rome ap. S. Petrum sexto kal. Septembris a. quinto."*

Romae, 1394 Augusti 27.

R. Lat. 34 fol. 103[a] — In fine: DE CURIA, N. DE BENEVENTO — Ed. Kaufmann l. c. p. 294 nr 3.

---

797. *Eidem conceditur facultas absolvendi omnes fautores et adhaerentes antipapae Clementis VII. eiusque complicum, qui id desiderant, ab excommunicationis et interdicti sententiis, quas propter adhaesionem huiusmodi incurrerint, dum tamen iurent se de cetero contra Romanam ecclesiam non futuros esse. „Rome ap. S. Petrum sexto kal. Sepmtenbris a. quinto."*

Romae, 1394 Augusti 27.

R. Lat. 34 fol. 103[b] — In fine: DE CURIA, N. DE BENEVENTO — Ed. Kaufmann l. c. p. 296 nr. 4.

---

798. *Eidem datur facultas absolvendi durante eius legatione ab excommunicationis et aliis sententiis omnes personas etiam religiosas sub eius legatione comprehensas, quae quovis modo praeterquam in crimen cum ecclesiae Romanae rebellibus, scismaticis, haereticis et excommunicatis communicaverint. „Rome ap. S. Petrum sexto kal. Septembris a quinto."*

Romae, 1394 Augusti 27.

R. Lat. 34 fol. 96 [a] — In fine: DE CURIA, N. DE BENEVENTO — Ed. Kaufmann l. c. p. 297 nr. 5.

---

799. *Eidem datur facultas procedendi contra impedientes illos, qui ad eius curiam, postquam terminos suae legationis ingressus fuerit, venerint seu venire voluerint. „Rome ap. S. Petrum sexto kal. Septembris a quinto."*

Romae, 1394 Augusti 27.

R. Lat. 34 fol. 95 [a] — In fine: DE CURIA, N. DE BENEVENTO — Ed. Kaufmann l. c. p. 303 nr. 14.

---

800. *Eidem datur facultas audiendi et decidendi durante eius legatione quascunque beneficiales et alias minores causas, quae coram eo seu in eius curia legitime introducentur, et etiam illas ex causis ipsis, de quibus ei visum fuerit, aliis delegandi et committendi audiendas et decidendas. „Rome ap. S. Petrum sexto kal. Septembris a. quinto."*

Romae, 1394 Augusti 27.

R. Lat. 34 fol. 104 [b] — In fine: DE CURIA, N. DE BENEVENTO.

---

801. *Eidem committitur, ut monasteria et alia loca regularia cisterciensis, cluniacensis, ss. Benedicti et Augustini ac aliorum exemptorum et non exemptorum ordinum durante eius legatione, quotiens ei videbitur oportunum, auctoritate apostolica visitet et reformet. „Rome ap. S. Petrum sexto kal. Septembris pont. n. a. quinto."*

Romae, 1394 Augusti 27.

R. Lat. 34 fol. 107 [a] — In fine: DE CURIA, N. DE BENEVENTO — Ed. Kaufmann l. c. p. 303 nr. 15.

---

802. *Eidem datur facultas conferendi durante eius legatione auctoritate apostolica quaecunque beneficia ecclesiastica infra limites legationis eius consistentia, quae tanto tempore vacaverunt, ut eorum collatio iuxta Lateranensis statuta concilii ad sedem apostolicam legitime devoluta existat, etiam si dignitates, personatus vel officia fuerint, et ad eas consueverint qui per electionem assumi et curam habeant animarum, personis idoneis, quas ad id elegerit, etiam alia beneficia obtinentibus; de quarum personarum nominibus et cognominibus ac de diebus collationum huiusmodi gentes camerae apostolicae aut collectores seu succollectores camerae praedictae in illis partibus deputatos certificare tenetur. „Rome ap. S. Petrum sexto kal. Septembris a. quinto."*

Romae, 1394 Augusti 27.

R. Lat. 34 fol. 99[v] — In fine: DE CURIA, N. DE BENEVENTO.

803. *Eidem datur facultas conferendi auctoritate apostolica durante eius legatione quaecunque beneficia et officia ecclesiastica suorum familiarium domesticorum continuorum commensalium, quomodocunque vacantia, singulis personis idoneis, de quibus ei videbitur, de quarum nominibus et cognominibus ac de diebus collationum huiusmodi gentes camerae apostolicae quantotius certificare debet. „Rome ap. S. Petrum sexto kal. Septembris a quinto."*

Romae, 1394 Augusti 27.

R. Lat. 34 fol. 98 a — In fine: DE CURIA, N. DE BENEVENTO.

---

804. *Eidem conceditur, ut in quolibet monasterio monialium seu canonicarum regularium infra terminos eius legationis constituto unam puellam litteratam auctoritate apostolica in monacham vel canonicam recipi facere possit. „Rome ap. S. Petrum sexto kal. Septembris a. quinto."*

Romae, 1394 Augusti 27.

R. Lat. 34 fol. 104 a — In fine: DE CURIA, N. DE BENEVENTO — Ed. Kaufmann l. c. p. 298 nr. 6

---

805. *Eidem datur facultas dispensandi auctoritate apostolica cum personis religiosis ad eius hospitium declinantibus, quibus secundum statuta et consuetudines eorum ordinum est esus carnium interdictus, ut in hospitio eius illis diebus, quibus a sacris canonibus esus carnium prohibitus non existit, carnibus vesci possint. „Rome ap. S. Petrum sexto kal. Septembris a. quinto."*

Romae, 1394 Augusti 27.

R. Lat. 34 fol. 105 a — In fine: DE CURIA, N. DE BENEVENTO.

---

806. *Eidem datur facultas absolvendi ab excommunicationis poena 200 personas, quae personas ecclesiasticas praeter episcopos et praelatos percusserint seu vulneraverint etiam cum sanguinis effusione, dum tamen mors seu membri mutilatio vel perpetua debilitatio aut enormis laesio non fuerit subsecuta. „Rome ap. S. Petrum sexto kal. Septembris a. quinto."*

Romae, 1394 Augusti 27.

R. Lat. 34 fol. 96 a — In fine: DE CURIA, N. DE BENEVENTO — Ed. Kaufmann l. c. p. 301 nr. 10.

---

807. *Eidem datur facultas absolvendi 300 personas, quae sacrilegium aut incendium ecclesiarum aut aliorum sacrorum locorum commiserint, ab excommuni-*

cationis sententiis, quae propterea incurrerint. „Rome ap. S. Petrum sexto kal. Septembris a. quinto."

Romae, 1394 Augusti 27.

R. Lat. 34 fol 101 a — In fine: DE CURIA N. DE BENEVENTO — Ed. Kaufmann l. c. p. 300 nr. 8.

---

808. *Eidem datur facultas absolvendi ab excommunicationis et aliis sententiis 300 personas, quae sacras moniales actu fornicario violarunt. „Rome ap. S. Petrum sexto kal. Septembris a. quinto."*

Romae, 1394 Augusti 27.

R. Lat. 34 fol. 104 b — In fine. DE CURIA, N. DE BENEVENTO — Ed. Kaufmann l. c. p 300 nr. 9.

---

809. *Eidem datur facultas dispensandi cum 300 personis super defectu natalium quem patiuntur de soluto geniti et soluta, etiam si de quocunque alio damnato coitu geniti fuerint, ut ad omnes etiam sacros ordines promoveri et quaelibet earum unum beneficium ecclesiasticum, etiam si illi cura immineat animarum aut canonicatus et prebenda ecclesiae cathedralis fuerit, recipere possint. „Rome ap. S. Petrum sexto kal. Septembris a. quinto."*

Romae, 1394 Augusti 27.

R. Lat. 34 fol. 95 a — In fine: DE CURIA, N. DE BENEVENTO.

---

810. *Eidem datur facultas dispensandi cum 200 personis mutilatis seu corpore vitiatis, infra limites legationis eius consistentibus, citra enormem diformitatem et debilitatem membrorum, ut in susceptis ordinibus ministrare et ad omnes ordines promoveri et earum quaelibet beneficium ecclesiasticum iuxta eius arbitrium cum vel sine cura recipere possint. „Rome ap. S. Petrum sexto kal. Septembris a. quinto."*

Romae, 1394 Augusti 27.

R. Lat. 34 fol. 100 a — In fine: DE CURIA, N. DE BENEVENTO.

---

811. *Eidem datur facultas dispensandi cum 100 personis, quae guerris interfuerint, dummodo ipsi in homicidiis culpabiles non exstiterint, ut ad omnes sacros ordines promoveri ac beneficia ecclesiastica recipere et retinere possint. „Rome ap. S. Petrum sexto kal. Septembris a. quinto."*

Romae, 1394 Augusti 27.

R. Lat. 34 fol. 105b — in fine: DE CURIA, N. DE BENEVENTO — Ed. Kaufmann l. c. p. 303 nr. 13.

---

812. *Eidem datur facultas concedendi 200 personis ecclesiasticis saecularibus illarum partium, ut de bonis suis libere testari valeant. „Rome ap. S. Petrum sexto kal. Septembris a. quinto."*

Romae, 1394 Augusti 27.

R. Lat. 34 fol. 99b — In fine: DE CURIA, N. DE BENEVENTO — Ed. Kaufmann l. c. p. 302 nr. 12.

---

813. *Eidem datur facultas dispensandi cum 25 personis illarum partium defectum natalium patientibus, ut in bonis parentum et agnatorum suorum succedere possint. „Rome ap. S. Petrum sexto kal. Septembris a. quinto."*

Romae, 1394 Augusti 27.

R. Lat. 34 fol. 95b — In fine: DE CURIA, N. DE BENEVENTO — Ed. Kaufmann l. c. p. 299 nr. 7.

---

814. *Eidem datur facultas absolvendi ab excommunicationis sententia 200 personas illarum partium, quae „detestabile exercicium piratorum in mari seu malendrinorum aut latrunculorum in itineribus publicis seu privatis aut alias quomodolibet exercuerint". „Rome ap. S. Petrum sexto kal. Septembris a. quinto."*

Romae, 1394 Augusti 27.

R. Lat. 34 fol. 98a — In fine: DE CURIA, N. DE BENEVENTO — Ed. Kaufmann l. c. p. 301 nr. 11.

---

815. *Eidem datur facultas concedendi auctoritate apostolica 20 personis honestis illarum partium, ut ducere vel duci facere possint semel tantum ad Alexandriae et alias partes ultramarinas, quae per soldanum Babyloniae detinentur, singulas naves mercimoniis oneratas, exceptis armis, ferro, lignaminibus et aliis prohibitis. „Romae ap. S. Petrum VI. kal. Septembris pont. n. a. quinto."*

Romae 1394 Augusti 27.

R. Lat. 34 fol. 107b — In fine: DE CURIA, N. DE BENEVENTO.

---

816. *Eidem datur facultas familiaribus suis commensalibus durante eius legatione semel tantum in mortis articulo per se vel alium plenam omnium peccatorum remissionem concedendi. „Rome ap. S. Petrum sexto kal. Septembris a. quinto."*

Romae, 1394 Augusti 27.

R. Lat. 34 fol. 106a — In fine: DE CURIA, N. DE BENEVENTO.

817. *Eidem datur facultas indulgendi 300 personis, ut confessor earum plenam omnium peccatorum remissionem semel tantum in mortis articulo eis concedere possit.* „*Rome ap. S. Petrum sexto kal. Septembris a. quinto.*“

Romae, 1394 Augusti 27.

R. Lat. 34 fol. 105 b — In fine: DE CURIA, N. DE BENEVENTO.

---

818. *Eidem datur facultas 300 personis indulgendi, ut cuilibet earum liceat habere altare portatile.* „*Rome ap. S. Petrum sexto kal. Septembris a. quinto.*“

Romae, 1394 Augusti 27.

R. Lat. 34 fol. 105 a — In fine: DE CURIA, N. DE BENEVENTO.

---

819. *Eidem indulgetur, ut liceat ei durante eius legatione missam, antequam elucescat dies, summissa et etiam alta voce celebrare aut celebrari facere atque similem gratiam auctoritate apostolica 300 personis, de quibus ei videbitur, concedere.* „*Rome ap.S. Petrum sexto kal. Septembris a. quinto.*“

Romae, 1394 Augusti 27.

R. Lat. 34 fol. 100 b — In fine: DE CURIA, N. DE BENEVENTO.

---

820. *Eidem datur facultas concedendi indulgentias unius anni et unius quadragenae omnibus vere poenitentibus et confessis, qui congregationibus, missis et divinis officiis in eius praesentia celebrandis ac sermonibus publicis coram eo ad populum faciendis interfuerint.* „*Rome ap. S. Petrum sexto kal. Septembris a. quinto.*“

Romae, 1394 Augusti 27.

R. Lat. 34 fol. 100 b — In fine: DE CURIA, N. DE BENEVENTO.

---

821. *Ecclesiam monasterii S. Coronae cisterciensis ord. Pragensis dioc. in festivitate s. Margarethae visitantibus annuatim et ad eius conservationem manus adiutrices porrigentibus indulgentiae trium annorum et totidem quadragenarum conceduntur.* „*Licet is*“ „*Rome ap. S. Petrum VI. kal. Septembris pont. n. a. quinto*“.

Romae, 1394 Augusti 27.

Ed. e copia saec. XVII ap. Pangerl, Urkundenbuch von Goldenkron (Font. rer. Austr. Abth. II Bd. 37) p. 254 nr. 116. In R. Lat. 82 fol. 106 a copia eiusdem bullae sine

data continetur, sed cancellata est cum hac nota in margine: „Cancellata et alibi registrata de anno quinto."

---

822. Pileo episcopo Tusculano conceditur, ut fructus monasterii Cladrubensis sicut verus abbas percipere possit.

Romae, 1394 Augusti 28.

Bonifacius . . . . Pileo episcopo Tusculano, in regno Boemie et nonnullis Alamanie partibus apostolice sedis legato . . . . Dum exquisitam . . . . Cum itaque monasterium Cladrubense ord. s. Benedicti Pragensis diocesis, quod infra limites tue legationis existit quodque ad presens vacare dinoscitur, sit, sicut accepimus, pastoris solatio destitutum: nos . . . . motu proprio . . . ., ut tu fructus, redditus et proventus quoscunque ad mensam abbacialem dicti monasterii quomodolibet pertinentes usque ad nostrum beneplacitum percipere et illos in tuos usus convertere ac de illis, debitis tamen ipsius mense consuetis supportatis oneribus, disponere libere et licite valeas, huiusmodi beneplacito dumtaxat durante, sicut veri abbates eiusdem monasterii, qui fuerint pro tempore, de illis disponere potuerunt seu eciam debuerunt, auctoritate apostolica tenore presencium circumspeccioni tue licenciam elargimur, constitucionibus apostolicis ac statutis et consuetudinibus monasterii et ordinis predictorum contrariis non obstantibus quibuscunque. Nulli ergo . . . . Datum Rome ap. S. Petrum quinto kal. Septembris a. quinto.

Simili modo . . . . archiepiscopo Pragensi et episcopo Pennensi ac . . . . Comatio de Valle canonico ecclesie Aquilegensis . . . . Discrecioni vestre . . . . mandamus, quatenus . . . . eumdem episcopum vel procuratorem suum eius nomine in corporalem possessionem percepcionis fructuum . . . . huiusmodi inducatis . . . .

R. Lat. 34 fol. 147a — In fine: PRO DOMINO CARDINALI, N. DE BENEVENTO.

---

823. Pileo episcopo Tusculano, apostolicae sedis legato ad regnum Bohemiae ac terras eidem regno subiectas necnon ad Aquilegensem, Coloniensem, Maguntinensem, Treverensem, Magdeburgensem et Salzburgensem provincias destinato, facultas conceditur assumendi et retinendi huiusmodi legatione durante ad Romanae ecclesiae et sua servitia fratres quorumcunque ordinum etiam exemptorum seu mendicantium, alicuius superioris licentia minime requisita. „Rome ap. S. Petrum secundo kal. Septembris a. quinto".

Romae, 1394 Augusti 31.

R. Lat. 34 fol. 101a — In fine: DE CURIA, N. DE BENEVENTO.

---

824. *Collectori Pragensi et Laurentio Kumeyse succollectori Vratislaviensi mandatur, ut Pileo episcopo Tusculano mille florenos de pecuniis camerae apostolicae persolvant.*

Romae, 1394 Augusti 31.

Bonifacius . . . . fructuum et proventuum camere apostolice debitorum in civitate et diocesi ac provincia Pragensibus collectori et Laurencio Kumeyse canonico Wratislauiensi dictorum fructuum et proventuum in civitate et diocesi Wratislauiensibus succollectori . . . . Cum . . . . Pileus episcopus Tusculanus, ad partes Almanie commisso per nos sibi plene legacionis officio de proximo profecturus, a camera apostolica mille florenos auri recipere ob nonnullas debeat causas, discrecioni vestre . . . . mandamus, quatenus de pecuniis predictam cameram tangentibus per vos vel alterum vestrum collectis et colligendis mille florenos auri prefato Pileo vel eius legitimo procuratori, cum ab eodem Pileo vel dicto procuratore vos vel alter vestrum extiteritis requisiti, non obstantibus quibuscunque mandatis de solvendo aliquibus pecunias vobis factis, quibus presentem solucionem volumus anteferri, detis et effectualiter persolvatis. Nos enim dicto Pileo episcopo, ut per se vel predictum procuratorem seu procuratores suos, qui a vobis seu altero vestrum summam recipient pecunie antedictam, possit nostro et sepefate camere nomine vos et quemlibet vestrum ab huiusmodi summa mille florenorum, cum eam sibi persolveritis, absolvere penitus et quitare, plenam et omnimodam concedimus tenore presencium facultatem. Volumus autem, quod facta solucione predicta mox exinde dicte camere gentes efficiatis per instrumentum publicum cerciores. Datum Rome ap. S. Petrum II. kal. Septembris pont. n. a. quinto.

R. Vat. 314 fol. 291ª — In fine: (ad sin.) JO. DE BONONIA; (ad dext.) DE CURIA, T. BOGHEL.

---

825. *Nicolaus Henrici supplicat, quatenus ei de parrochiali ecclesia in ‚Biczna' provideatur.*

Romae, 1394 Septembris 4.

Supplicat S^{ti} V^{re} devotus eiusdem S^{tis} orator Nicolaus Henrici presbyter Olomucensis diocesis, quatenus sibi graciam facientes specialem, de ecclesia parrochiali in Biczna dicte diocesis, cuius fructus etc. communi extimacione valorem annuum sex marcarum argenti puri non excedunt, vacante per liberam resignacionem Henrici ipsius ecclesie ultimi rectoris extra Romanam curiam defuncti, eciam si alio quovis modo et ex alia cuiuscunque persona vacet, eciam si tanto tempore vacaverit, quod eius collacio iuxta Lateranensis statuta concilii ad sedem sit apostolicam legitime devoluta, aut si per constitucionem ‚Execrabilis' seu capitulum de multa vel si per assecucionem auctoritate apostolica factam aut dimissionem de voluntate sedis apostolice sive per inhabilitatem, adhesionem condempnatis per processus apostolicos et quomodolibet sit reservata, eidem Nicolao dignemini misericorditer providere, cum non obstantibus et clausulis oportunis.

Fiat ut petitur. P. Sine alia leccione fiat. P. Datum Rome ap. S. Petrum pridie nonas Septembris a. quinto.

E bibliothecae reg. Eichstaedtensis codice 174 (prius 54), qui est registrum originale supplicationum Bonifacii IX., fol. 20ª — In marg. dext: (supra) BARENSIS.

---

826. *Supplicatur pro quibusdam clericis Olomucensis diocesis, ut eis variae gratiae concedantur.*

Romae, 1394 Septembris 4.

. . . . . .

. . . . . .

per mortem collectorum, succollectorum, cappellanorum honoris vel quorumcunque aliorum officialium sive familiarium, scriptorum, abbreviatorum et servitorum camere apostolice et S^tis^ V^re^, in partibus defunctorum, spectante ad collacionem etc. omnium et singulorum collatorum et collatricum diocesis Olomucensis prefate, eciam si huiusmodi beneficium canonicatus et prebenda, dignitas, personatus vel officium maior post pontificalem in cathedrali et principalis in collegiatis ecclesiis ac curatum existat, dignemini misericorditer providere, ecclesia predicta in Strucz non obstante;[1]) et quod dictam ecclesiam una cum alio beneficio curato sive dignitate, personatu vel officio curato, quod vigore presencium assecutus fuerit, ad triennium licite valeat retinere, dispensare, elapsoque triennio ipsam ecclesiam vel aliud beneficium, quod assecutus fuerit incompatibile, pro alio compatibili permutare possit, concedere dignemini graciose, statutis et constitucionibus sedis apostolice in contrarium editis non obstantibus quibuscunque ut in forma.

Fiat ut petitur. P.

Item quatenus devoto oratori vestro Johanni Vlmanni rectori parrochialis ecclesie s. Jacobi in Brunna Olomucensis diocesis, cappellano sedis apostolice et eiusdem V^re^ S^tis^, de gracia speciali concedere dignemini licenciam permutandi dictam parrochialem ecclesiam, et hoc dum sibi voluntas et oportunitas occurerint,[a]) pro quocunque alio beneficio ecclesiastico curato vel non curato, eciam si dignitas, personatus seu officium extiterit in ecclesia cathedrali vel collegiata, et cum quacunque persona, sive sit familiaris seu officialis aut collector vel succollector fructuum camere apostolice tam in dicta diocesi quam in alia quacunque, et ipsam vero permutacionem ex utraque parte permutante auctoritate apostolica dignemini habere pro confirmatis, et cum hoc eciam, ut idem Johannes circa extrema possit de suis rebus mobilibus et inmobilibus, quas sibi deus amministravit, facere legitimum testamentum ecclesie sue et suis pauperibus amicis et consanguineis ac familiaribus et personis quibuscunque, et ipsum testamentum S^tas^ V^ra^ habere dignetur ratum et gratum ac auctoritate apostolica pro confirmato, non obstantibus quibuscunque statutis, ordinacionibus, constitucionibus vel consuetudinibus sedis apostolice in contrarium editis ut in forma.

Fiat. P.

Item quatenus devoto vestro Sigismundo Mathie presbytero Olomucensi graciam facientes specialem, de uno, duobus vel tribus beneficiis ecclesiasticis,

spectantibus communiter vel divisim ad collacionem etc. omnium et singulorum collatorum vel collatricum in provincia Pragensi, eciam si unum ex illis tribus curatum, dignitas seu personatus vel officium sive canonicatus et prebenda tam in cathedralibus quam in collegiatis ecclesiis existat, [quorum fructus] usque ad summam quadraginta marcarum argenti puri secundum communem taxacionem decime non excedunt, dignemini misericorditer providere, cum omnibus clausulis oportunis ut in forma.

Fiat. P. Datum Rome ap. S. Petrum pridie nonas Septembris a. quinto.

Cod. Eichstaedtensis fol. 8[a] (initium huius rotuli deficit, quia folia praecedentia e codice evulsa sunt). — [a]) ‚et hac dum sibi volutantis et opportunitatis occurerint' cod. — In fine ab eadem manu: R[EGISTRAVI], B. DE BENEVENTO — [1]) ‚Rector parrochialis ecclesiae in Strutz (Troubsko) eo tempore Nicolaus Maczconis de Lutovia erat. Eum igitur ista supplicatio concernit. Cf. supra nr. 751.

---

827. *Creslaus Kelconis clericus Gneznensis dioc. supplicat, quatenus ei de parrochiali ecclesia in Schrimm*[a]) *Poznaniensis dioc. provideatur, sive dicta ecclesia per mortem Vincentii Wilczkonis clerici Vratislaviensis dioc., sive alio quovis modo vacet; quae gratia ei conceditur. „Rome ap. S. Petrum pridie nonas Septembris a. quinto".*

Romae, 1394 Septembris 4.

Cod. Eichstaedtensis fol. 8[b] — [a]) ‚Srzem' — In marg. dext.: (supra) BOSCO.

---

828. *Supplicatur pro parte Gerardi de Haerecastri filii domini de Haere*[a]) *militis, clerici Leodiensis dioc. et magistri in artibus in studio Pragensi in iure canonico studentis*[1]), *ut non obstante defectu, quem patitur de soluto genitus et soluta, duo vel plura beneficia ecclesiastica recipere et una cum canonicatu et praebenda ecclesiae Orscottensis dictae dioc., quos obtinet, retinere possit; quae gratia ei ad duo beneficia conceditur. „Rome ap. S. Petrum pridie nonas Septembris a. quinto".*

Romae, 1394 Septembris 4.

Cod. Eichstaedtensis fol. 26[a] — [a]) ‚Heere' — Supra in marg. dext.: B. DE BENEVENTO — [1]) Gerardus ‚de Here' in universitate Pragensi a. 1390 ad baccalariatum, a. 1393 ad gradum magisterii admissus est (Monum. univ. Prag. I./I. p. 267. 280); in universitate iuristarum iam aa. 1383 et 1388 commemoratur (ibid. II/I. p. 71, 75).

---

829. *Nicolao episcopo Olomucensi indulgetur, ut confessor eius in mortis articulo semel aut pluries plenam omnium peccatorum remissionem ei concedere possit. „Provenit" „Rome ap. S. Petrum secundo nonas Septembris a. quinto".*

Romae, 1394 Septembris 4.

R. Lat. 34 fol. 201[a] — In fine: N. XXX DE BENEVENTO.

830. *‚Dietuuino Dumelose*[1]) *civi Wratislauiensi confirmat cappellam per ipsum erectam, fundatam et dotatam sub vocabulo XII Apostolorum in parrochiali ecclesia s. Elizabeth Wratislauiensi cum reservatione iuris patronatus. Datum Romae ap. S. Petrum nonis Septembris a. quinto‘.*

Romae, 1394 Septembris 5.

Excerptum Raynaldi „ex libro de dignitatibus vacantibus, de praebendis et dignitatibus vacantibus, de exhibitis, de diversis formis, de regularibus, de fructibus percipiendis a. quinto fol. 229[a] in bibliothecae Vaticanae codice Vatic. 6952 fol. 142[a] — [1]) In nro. 1383 iste ‚Ditwinus Dawineloze‘ vocatur.

---

831. *Johannes dux Görlicensis supplicat, quatenus ei variae gratiae concedantur.*

Romae, 1394 Septembris 5.

Rotulus.

Supplicat S^ti^ V^re^ devotus filius vester Johannes dux Gorlicensis et marchio Brandemburgensis, quatenus ipsum in infrascriptis peticionibus dignemini misericorditer exaudire.

Primo cum dictus dux more principum habeat capellam suam in locis, ubi ipsum residere contingit, necnon capellam et cantores, quibus pro statu decenti stipendia et provisionem facit, qui tam omnes horas canonicas divini officii nocturni pariter et diurni quam eciam de nostra domina sub nota decantant, et nonnullas solempnes reliquias eiusdem sancte Marie virginis, de ligno domini et multorum aliorum sanctorum: supplicat eidem S^ti^ dictus dux, quatenus sibi concedere dignemini, ut huiusmodi reliquie semel in anno, videlicet in die annunciacionis b. Marie virginis, ubicunque locorum in illis partibus prefatus dux fuerit,[a]) publice ostendantur, quodque eidem duci VII annos et septem quadragenas, aliis autem Christi fidelibus huiusmodi ostensioni[b]) interessentibus quinque annos et totidem quadragenas de veris indulgenciis, singulis vero diebus huiusmodi reliquias venerantibus centum dies indulgenciarum concedere dignemini graciose, ad vitam ipsius ducis duraturis.

Fiat de quinque. P.[c])

Item quatenus, [ut] capellani dicte capelle prefatum ducem familiamque suam, ubicunque fuerint, absolvere valeant eciam in casibus reservatis, oblaciones recipere et eis ecclesiastica sacramenta ministrare preter baptisma parvulorum, concedere dignemini graciose.

Fiat. P.

Item cum in ecclesia Pragensi, in qua plura corpora sanctorum requiescunt, in die translacionis s. Wenceslai, que frequenter in quadragesima occurit, omnes reliquie sanctorum, que in eadem ecclesia solempniter sunt recondite, singulis annis publice ostenduntur, et ad huiusmodi ostensionem reliquiarum de diversis partibus confluit fidelium multitudo, habentque ipsi fideles maximam devocionem ad capellam ipsius s. Wenceslai sitam in eadem ecclesia, in qua quidem capella ipse sanctus corporaliter requiescit: supplicat humiliter S^ti^ V^re^ prefatus dux, quatenus omnibus Christi fidelibus eandem capellam ipso die translacionis dicti sancti

devote visitantibus septem annos et septem quadragenas indulgenciarum perpetuis temporibus duraturis concedere dignemini graciose.

Fiat de tribus. P.

Item dignetur S^tas V^ra concedere omnibus Christi fidelibus confessis et contritis, qui capellam XII Apostolorum etc. ecclesie s. Elizabeth seu capellam Corporis Christi ecclesie s. Marie Magdalene Wratislauiensium in diebus cene domini, parasceves et in festivitatibus cancellarie devote visitaverint, quinque annos et totidem quadragenas de vera indulgencia perpetuis temporibus duraturis, non obstantibus aliis indulgenciis per eandem S^tem eisdem datis et concessis.

Fiat de tribus. P. [d])

Item qui ecclesiam parrochialem s. Jacobi in Lawer Ratisponensis diocesis seu qui altare s. Dipoldi ecclesie s. Barbare in Montibus Pragensis diocesis aut ecclesiam parrochialem in Carlewicz Wratislauiensis diocesis aut altare s. Andree in ecclesia collegiata s. Sepulcri dominici in Legnicz eiusdem Wratislauiensis diocesis seu capellam s. Marie virginis in Ortt dicte Ratisponensis diocesis devote visitaverint, tres annos et totidem quadragenas concedere dignemini in festivitatibus cancellarie, singulis vero diebus unum annum indulgenciarum ut in forma.

Fiat de duobus. P. Sine alia leccione fiat. P. Datum Rome ap. S. Petrum nonis Septembris a. quinto.

Cod. Eichstaedtensis fol. 9a — a) Sequitur in cod ‚dicte reliquie' b) ‚ostensione' cod. c) in cod. sequitur cancellatum: ‚Item quatenus omnibus Christi fidelibus, qui in dicta capella officio misse etc.'; et in margine adscriptum est: „Dampnatum erat in originali. A. etc." d) Sequitur cancellatum: ‚Item P^r S^e dudum S^tas V^ra omnibus Christi fidelibus, qui cum manc vel sero pro ave etc'; in margine autem adscriptum est: „Dampnatum erat in originali. A etc." — Supra in marg. dext.: P. DE JUVENACIO; in fine: R[EGISTRAVI], P. DE JUVENACIO.

---

832. *Johannes dux Gorlicensis supplicat, quatenus infrascriptis personis de diversis beneficiis ecclesiasticis provideatur.*

Romae, 1394 Septembris 5.

Rotulus.

Supplicat S^ti V^re devotus filius vester Johannes dux Gorlicensis et marchio Brandenburgensis, quatenus ipsum in infrascriptis peticionibus dignemini misericorditer exaudire.

Primo quatenus devotis vestris Friderico de Donyn capellano, nobili ex utroque parente, et Conrado Grunenberg secretario dicti ducis et cuilibet eorum de canonicatu sub expectacione prebende ecclesie Misnensis maioris, medie vel minoris, necnon beneficii ecclesiastici cum vel sine cura, eciam si dignitas[a]), personatus vel officium maior post pontificalem in dicta Misnensi ecclesia seu principalis in aliqua collegiatarum civitatis et diocesis Misnensium seu electiva aut generaliter reservata, et in dicta ecclesia Misnensi de minori ad mediam et ulterius ad maiorem prebendas ascensus existat, cuiuscunque aut quorumcunque seu quarumcunque collacionis etc. communiter vel divisim extiterit, dignemini

misericorditer providere; non obstante, quod dictus Fridericus parrochialem ecclesiam in Spremberg et capellam in Coldicz dicte diocesis necnon canonicatum sub expectacione prebende ecclesie Pragensis, et quod dictus Conradus canonicatum et prebendam in Soldin Caminensis diocesis et canonicatum sub expectacione prebende ecclesie s. Victoris extra muros Maguntinenses obtinet, et cum ceteris non obstantibus et clausulis oportunis ut in forma.

Item quatenus Mauricio Petri de Sowinka presbytero Pragensis diocesis necnon Martino Pauli de Weissenburg clerico Misnensis diocesis et cuilibet eorum de uno seu duobus beneficiis ecclesiasticis cum vel sine cura, vacantibus vel vacaturis, cuiuscunque vel quorumcunque collacionis etc. extiterint communiter vel divisim in ecclesia, civitate vel diocesi Pragensibus, dignemini misericorditer providere, non obstante gracia expectativa V^re^ S^tis^ beneficii cum vel sine cura ad collacionem etc. abbatis et conventus monasteriorum (*sic*) S. Corone ord. cisterciensis dicte Pragensis diocesis, cum ceteris non obstantibus ut supra; et Alberto de Vetouia clerico Olomucensis diocesis, nobili ex utroque parente, de canonicatu sub expectacione prebende ecclesie Pragensis[b]) dignemini ut supra providere.

Item quatenus devotis vestris Nicolao Jordani, Johanni Walconn[c]) et Bernhardo Johannis et cuilibet eorum de uno seu duobus beneficiis ecclesiasticis cum vel sine cura in ecclesia, civitate vel provincia Pragensibus, eciam si canonicatus et prebenda in dicta ecclesia seu beneficia ipsa generaliter reservata, ad collacionem etc. cuiuscunque seu quorumcunque aut quarumcunque etc. communiter vel divisim extiterint, dignemini misericorditer providere cum clausulis et non obstantibus ut supra.

Item quatenus Sigismundo Wenceslai clerico Pragensi de canonicatu sub expectacione prebende ecclesie s. Wenceslai in Antiqua Boleslauia Pragensis diocesis[d]) dignemini misericorditer providere cum clausulis ut supra.

Fiat ut petitur pro omnibus suprascriptis expectativis. P. Sine alia leccione et commissione examinis ad partes fiat. P. Datum Rome ap. S. Petrum nonis Septembris a. quinto.

Cod. Eichstaedtensis fol. 29^a^ — [a]) ‚dignitatis' cod. [b]) seqnitur ‚eciam si reservata existat', sed cancellatum et in margine adscriptum est: „Dampnatum in originali, A etc." [c]) ‚Walcon̄'. [d]) sequitur: ‚eciam si generaliter reservata extiterit', sed cancellatum est et in marg. haec nota adscripta: „Dampnatum erat in originali, A. etc." — Supra in marg. dext.: P. DE JUVENACIO.

833. *Conradus senior dux Silesiae supplicat, quatenus fundatio collegii 12 canonicorum in parrochiali ecclesia in Olsna per eum facta confirmetur.*

Romae, 1394 Septembris 5.

Pater sancte! Cum devotus filius vester Conradus senior dux Slezie de bonis et possessionibus suis propriis in ecclesia parrochiali s. Johannis Evangeliste in Ols[na Wratis]lauiensis diocesis, cuius ius patronatus ad ipsum Conradum ut loci dominum per[tinet . . . .], pro sua suorumque progenitorum salute XII beneficia perpetua pro [XII canonici]s ibidem instituendis, qui horas canonicas singulis

diebus domino [decantarent, fund]averit et dotaverit seu fundanda et dotanda decreverit compe[tenter, qui quidem] canonici seu beneficiati sub obediencia rectoris ipsius ecclesie ut eorum [. . . . . .] mensa communi habebunt domino famulari, ius patronatus sibi [. . . . reser]vando: supplicat eidem S^ti^ dictus dux, quatenus fundacionem et [dotacionem ac reser]vacionem huiusmodi ratas et gratas habentes easque auctoritate [apostolica de speciali gra]cia dignemini misericorditer confirmare et concedere, ut dicti canonici [. . . . .] dictam ecclesiam in habitu prout canonici vicinarum ecclesiarum [. . . . . .]re valeant et laudes domino decantare; cum non ob[stantibus et clausulis oport]unis.

Fiat ut petitur. P. Sine alia leccione fiat. P. [Datum Rome ap.] S. Petrum nonis Septembris a. quinto.

Cod. Eichstaedtensis fol. 25^a^ (pars folii deficit, quam ob rem copia istius supplicationis plures habet lacunas). — Supra in marg. dext.: JACOBUS.

---

834. *Gregorius de Myslín supplicat, quatenus ei de parrochiali ecclesia in Skřipel provideatur.*

Romae, 1394 Septembris 5.

Supplicat S^ti^ V^re^ humilis et devotus orator vester Gregorius quondam Blasii de Mislyn presbyter Pragensis diocesis, quatenus sibi graciam facientes specialem, de parrochiali ecclesia s. Johannis Baptiste de Skrzypel dicte diocesis, cuius fructus etc. sex marcarum puri argenti secundum communem extimacionem valorem annuum non excedunt, vacante per mortem Mathie ultimi eiusdem rectoris ecclesie extra Romanam curiam defuncti, premisso seu alio quovis modo vel ex alterius cuiuscunque persona vacet, eciam si tanto tempore vacaverit, quod eius collacio etc. iuxta Lateranensis statuta concilii ad sedem apostolicam legitime devoluta aliasque ipsa eciam generaliter vel specialiter fuerit reservata ac eciam affecta existat, dignemini eidem Gregorio misericorditer providere, cum ceteris non obstantibus et clausulis oportunis.

Fiat ut petitur. P. Sine alia leccione fiat. P. Datum Rome ap. S. Petrum nonis Septembris a. quinto.

Cod. Eichstaedtensis fol. 45^b^ — Supplicatio eiusdem fere tenoris ibidem fol. 92^a^ registrata est, ubi autem post verba ‚misericorditer providere' sequitur: ‚non obstante gracia expectativa in communi pauperum forma ad collacionem etc. dilectorum filiorum commendatoris et fratrum in Dub ord. s. Johannis Jerosolimitani', et in fine legitur: ‚Datum Rome ap. S. Petrum decimo septimo kal. Octobris a. quinto'. — Supra in marg. dext. illic adscriptum est: JACOBUS.

835. *Pileo episcopo Tusculano, apostolicae sedis legato ad regnum Bohemiae ac terras regi Bohemiae subiectas, necnon ad Aquilegensem, Maguntinensem, Coloniensem, Trevirensem, Pragensem, Magdeburgensem et Salzburgensem provincias destinato, datur facultas dispensandi auctoritate apostolica cum 400 personis*

ecclesiasticis, saecularibus et regularibus, beneficiatis seu in sacris ordinibus constitutis, quae horas canonicas dicere ommiserunt. „Romae ap. S. Petrum sexto idus Septembris a. quinto.“

Romae, 1394 Septembris 8.

R. Lat. 34 fol. 95 b — In fine: DE CURIA, N. DE BENEVENTO.

---

836. *Vitus de Štěpánov supplicat, quatenus ei de beneficio ecclesiastico cum vel sine cura vacante vel vacaturo provideatur.*

Romae, 1394 Septembris 10.

Supplicat S^{ti} V^{re} humilis et devotus orator vester Vitus quondam Wenceslai de Styepanow clericus Pragensis dioecesis, quatenus sibi graciam specialem facientes, de beneficio ecclesiastico cum cura vel sine cura, vacante sive vacaturo, communiter vel divisim spectante ad collacionem etc. prepositi et conventus monasterii in Doxant ord. cisterciensis dicte diocesis, eidem Venceslao dignemini misericorditer providere, cum ceteris non obstantibus et clausulis oportunis, signante per ‚fiat ut petitur‘ ut in forma.

Fiat ut petitur. P. Sine alia leccione fiat. P. Datum Rome ap. S. Petrum quarto idus Septembris a. quinto.

Cod. Eichstaedtensis fol. 122 a — Supra in marg. dext.: B. BENEVENTO.

---

837. *Johannes Hodkonis supplicat, quatenus ei de beneficio ecclesiastico cum vel sine cura vacante vel vacaturo provideatur.*

Romae, 1394 Septembris 10.

Supplicat S^{ti} V^{re} devotus orator vester Johannes Hodkonis clericus Pragensis diocesis, quatenus sibi graciam facientes specialem, de beneficio ecclesiastico cum cura vel sine cura, vacante vel vacaturo, spectante communiter vel divisim ac collacionem etc. abbatis et conventus monasterii in Cladrub ord. s. Benedicti Pragensis diocesis, dignemini misericorditer providere, cum clausulis oportunis.

Fiat ut petitur. P. Sine alia leccione et cum commissione examinis ad partes fiat. P. Datum Rome ap. S. Petrum quarto idus Septembris a. quinto.

Cod. Eichstaedtensis fol. 51 a — Supra in marg. dext.: B. DE BENEVENTO.

---

838. *Andreas de Zbraslavicz supplicat, quatenus ei de beneficio ecclesiastico cum vel sine cura vacante vel vacaturo provideatur.*

Romae, 1394 Septembris 10.

Supplicat S^ti V^re humilis et devotus vester Andreas Zedlini de Zbraslawicz presbyter Pragensis diocesis, quatenus sibi graciam specialem facientes, de beneficio ecclesiastico cum cura vel sine cura, vacante vel vacaturo, spectante communiter vel divisim ad collacionem etc. archiepiscopi, prepositorum, capitulorum, abbatum et conventuum omniumque et singulorum collatorum et collatricum in civitate et diocesi Pragensibus, eidem dignemini misericorditer providere, cum ceteris non obstantibus et clausulis oportunis ut in forma.

Fiat ut petitur. P. Sine alia leccione fiat. P. Datum Rome ap. S. Petrum quarto idus Septembris a. quinto.

Cod. Eichstaedtensis fol. 122 a — Supra in marg dext.: BARENSIS.

---

839. *Petrus plebanus in Chýška supplicat, quatenus ei de beneficio ecclesiastico cum cura vacante vel vacaturo provideatur.*

Romae, 1394 Septembris 10.

Supplicat S^ti V^re humilis ac devotus vester Petrus rector parrochialis ecclesie in Chyska, professus monasterii Montis Syna alias in St[r]ahowia prope Pragam ord. premonstratensis, presbyter Pragensis diocesis, quatenus sibi graciam specialem facientes, de beneficio ecclesiastico cum cura vacante vel vacaturo, spectante communiter vel divisim ad collacionem etc. abbatum et conventuum monasteriorum Siloensis et Milocensis Pragensis diocesis premonstratensis ord., eciam si aliqua extra diocesim habeant conferre, eidem dignemini misericorditer providere, non obstante dicta ecclesia in Chyska, cuius fructus etc. sex marcarum argenti valorem annuum non excedunt, quam paratus est dimittere, dum etc., et non obstantibus immunitatibus et statutis ipsius ordinis et clausulis oportunis ut in forma.

Fiat ut petitur. P. Sine alia leccione fiat. P. Datum Rome ap. S. Petrum quarto idus Septembris a. quinto.

Cod. Eichstaedtensis fol. 89 a — Supra in marg. dext.: BOSCO.

---

840. *Stanislaus de Lesnicz supplicat, quatenus ei de canonicatu sub exspectatione praebendae ecclesiae Premisliensis vel de beneficio ecclesiastico cum vel sine cura vacante vel vacaturo provideatur.*

Romae, 1394 Septembris 10.

Supplicat S^ti V^re devotus vester Stanislaus Nicolai de Lesnicz clericus Wratislauiensis diocesis, quatenus sibi graciam facientes specialem, de canonicatu sub expectacione prebendarum (*sic*) ecclesie Primisliensis vel de beneficio ecclesiastico sine cura vel cum cura, vacante vel vacaturo, spectante a) communiter vel divisim ad collacionem episcopi, prepositi, decani et capituli, scolastici, the-

saurarii, cantoris singulorumque canonicorum [et] personarum ecclesie Primisliensis, eidem Stanislao dignemini misericorditer providere, cum non obstantibus et clausulis oportunis ut in forma.

Fiat ut petitur. P. Sine alia leccione et cum commissione examinis ad partes fiat. P. Datum Rome ap. S. Petrum quarto idus Septembris a. quinto.

Cod. Eichstaedtensis fol. 103 b — a) ‚spectans' cod. — Supra in marg. dext.: B. DE BENEVENTO.

---

841. *Stanislaus de Lesnicz supplicat, quatenus ei de beneficio ecclesiastico cum vel sine cura vacante vel vacaturo provideatur.*

Romae, 1394 Septembris 10.

Supplicat S^{ti} V^{re} devotus vester Stanislaus Nicolai de Lesnicz clericus Wratislauiensis diocesis, quatenus sibi graciam facientes specialem, de beneficio ecclesiastico cum cura vel sine cura, vacante vel vacaturo, spectante communiter vel divisim ad collacionem episcopi, prepositi, decani, cantoris, thesaurarii, archidiaconi, scolastici et capituli singulorumque canonicorum et personarum ecclesie Wratislauiensis, eidem Stanislao dignemini misericorditer providere, cum ceteris non obstantibus et clausulis oportunis ut in forma.

Fiat. P. Sine alia leccione fiat. P. Datum Rome ap. S. Petrum quarto idus Septembris a. quinto.

Cod. Eichstaedtensis fol. 87 a — Supra in marg. dext.: B. DE BENEVENTO.

---

842. *Martinus Seratoris supplicat, quatenus ei de beneficio ecclesiastico cum vel sine cura vacante vel vacaturo provideatur.*

Romae, 1394 Septembris 10.

Supplicat S^{ti} V^{re} devotus vester Martinus Seratoris clericus Wratislauiensis diocesis, quatenus sibi graciam facientes specialem, de beneficio ecclesiastico cum cura vel sine cura, vacante vel vacaturo, spectante communiter vel divisim ad collacionem etc. prepositi, scolastici, decani ac specialiter cantoris singulorumque canonicorum ecclesie b. Marie in Glocouea Magna dicte diocesis, eidem Martino dignemini misericorditer providere, cum ceteris non obstantibus et clausulis oportunis ut in forma.

Fiat ut petitur. P. Sine alia leccione fiat. P. Datum Rome ap. S. Petrum quarto idus Septembris a. quinto.

Cod. Eichstaedtensis fol. 62 a — Supra in marg. dext.: BARENSIS.

843. *Nicolaus Sculteti supplicat, quatenus ei de beneficio ecclesiastico cum vel sine cura vacante vel vacaturo provideatur.*

Romae, 1394 Septembris 10.

Supplicat S^{ti} V^{re} devotus et humilis vester Nicolaus Sculteti clericus Wratislauiensis diocesis, quatenus sibi graciam facientes specialem, de beneficio ecclesiastico cum cura vel sine cura, vacante vel vacaturo, spectante communiter vel divisim ad collacionem etc. episcopi, prepositi, decani et capituli singulorumque canonicorum ecclesie Wratislauiensis necnon ad collacionem omnium collatorum et collatricum per civitatem et diocesim Wratislauienses, eidem Nicolao dignemini misericorditer providere, cum ceteris non obstantibus et clausulis oportunis ut in forma.

Fiat ut petitur. P. Sine alia leccione fiat. P. Datum Rome ap. S. Petrum quarto idus Septembris a. quinto.

Cod. Eichstaedtensis fol. 78 b — Supra in marg. dext.: B. DE BENEVENTO. Eadem supplicatio ibidem fol. 124 b iterum registrata est.

---

844. *Jacobus de Ledeč supplicat, quatenus ei de duobus vel tribus beneficiis ecclesiasticis vacantibus vel vacaturis provideatur.*

Romae, 1394 Septembris 10.

Supplicat S^{ti} V^{re} humilis et devotus vester Jacobus Martini de Ledecz presbyter Pragensis diocesis, quatenus sibi specialem graciam facientes, de beneficiis ecclesiasticis duobus vel tribus conpatibilibus, vacantibus vel vacaturis simu vel divisim, spectantibus communiter vel divisim ad collacionem omnium collatorum et collatricum in diocesi Pragensi, eciam si officium existat aut dignitas, usque ad summam viginti quinque marcarum argenti secundum taxam (*sic*) decime, eidem dignemini misericorditer providere, non obstante, quod ecclesiam parrochialem obtinet in Lydman, cuius fructus etc. octo florenorum auri, et pro ecclesia parrochiali in Ledecz in sacro palacio apostolico litigat, cuius decem et octo marcarum argenti communi extimacione valorem annuum non excedunt, quas paratus est dimittere, dum etc., et cum ceteris non obstantibus et clausulis oportunis ut in forma, eciam si aliqui extra diocesim Pragensem habent aliqua conferre.

Fiat ut petitur. P. Sine alia leccione et quod littere transeant ad dignitates et officia, dignetur S^{tas} V^{ra} mandare. Fiat P. Datum Rome ap. S. Petrum quarto idus Septembris a. quinto.

Cod. Eichstaedtensis fol. 123 b — Supra in marg. dext.: BARENSIS.

---

845. *Mathias de Valč supplicat, quatenus ei de uno, duobus vel tribus beneficiis ecclesiasticis vacantibus vel vacaturis provideatur.*

Romae, 1394 Septembris 10.

Supplicat S^ti V^re devotus vester Mathias Symonis de Walcz clericus Olomucensis diocesis, quatenus sibi specialem graciam facientes, de uno, duobus, tribus beneficio seu beneficiis ecclesiastico seu ecclesiasticis, vacante seu vacantibus, spectante seu spectantibus ad collacionem Nitriensis episcopi necnon et tocius eiusdem capituli, cuius fructus etc., si cum cura, sexaginta, si sine cura, quadraginta florenorum auri valorem annuum non excedant, eciam si canonicatus aut prebenda aut dignitates, personatus in eadem vacarent, eidem Mathie dignemini misericorditer providere, non obstante gracia speciali de parrochiali ecclesia b. Marie virginis in Cascha Nitriensis diocesis sibi facta, quam nondum est assecutus, quam eciam paratus est dimittere, dum etc., cum clausulis oportunis ut in forma.

Fiat ut petitur. P. Sine alia leccione fiat. P. Datum Rome ap. S. Petrum quarto idus Septembris a. quinto.

Cod. Eichstaedtensis fol. 103 b — Supra in marg. dext.: B. DE BENEVENTO.

---

846. *Simon presbyter supplicat, quatenus ei de parrochiali ecclesia in Hradisko provideatur.*

Romae, 1394 Septembris 10.

Supplicat S^ti V^re devotus vester Symon presbyter Olomucensis diocesis, quatenus sibi graciam facientes specialem, de ecclesia parrochiali in Hradysek predictae diocesis, cuius fructus etc. communi extimacione decem marcarum valorem annuum non excedunt, vacante per obitum Nicolai ultimi eiusdem, dum viveret, rectoris, extra Romanam curiam defuncti, eciam si tanto tempore vacasset, quod eius collacio iuxta statuta Lateranensis concilii ad sedem apostolicam sit legitime devoluta, seu eadem sedi apostolice specialiter vel generaliter reservata existat, seu per inhabilitatem vel adepcionem aut alias quovis modo vacet, seu ex cuius ultimo facto vacavit collector vel succollector sedis apostolice aut capellanus honoris fuerit, eidem Symoni dignemini misericorditer providere, cum aliis non obstantibus et clausulis oportunis ac executoria ut in forma.

Fiat ut petitur. P. Sine alia leccione fiat. P. Datum Rome ap. S. Petrum quarto idus Septembris a. quinto.

Cod. Eichstaedtensis fol. 65 a

---

847. *Nicolaus de Strelicz supplicat, quatenus ei de parrochiali ecclesia in Slizov (Schleisse), quam pro ecclesia in Woitsdorf permutavit, provideatur.*

Romae, 1394 Septembris 10.

Beatissime pater! Cum devoti vestri Nicolaus Janconis de Strelicz ecclesiam parrochialem Woyczesdorff et Johannes de Lewin ecclesiam in Slizow parrochialium ecclesiarum rectores Wratislauiensis diocesis dicta sua beneficia desi-

derantes invicem permutare in manibus loci ordinarii ex causa permutacionis resignarunt, qui dictas permutaciones *(sic)* ex causa predicta auctoritate ordinaria recepit et admisit, eidem Nicolao de ipsa parrochiali ecclesia in Slizow dictae Wratislauiensis diocesis ex causa predicta providit. Verum, pater sancte, ipse Nicolaus dubitat dictam permutacionem et provisionem ex certis causis viribus non subsistere; igitur supplicat S^ti^ V^re^, quatenus de dicta ecclesia in Slizow, cuius fructus etc. duodecim marcarum argenti puri communi extimacione valorem annuum non excedunt, eciam si per collectoris, succollectoris camere apostolice aut S^tis^ V^re^ cappellani honoris, familiaris aut alicuius ex reverendissimis patribus dominis cardinalibus mortem vel per capitulum de multa aut constitucionem Execrabilis' vacet, eciam si per vicium symoniace pravitatis cuiuscunque persone aut alias devoluta generaliter vel specialiter existat, aut si per inutilem apposicionem manus Romani pontificis affecta, eidem Nicolao dignemini misericorditer providere, cum omnibus non obstantibus et clausulis oportunis ut in forma.

Fiat ut petitur. P. Sine alia leccione et cum commissione examinis ad partes fiat. P. Datum Rome ap. S. Petrum quarto idus Septembris a. quinto.

Cod. Eichstaedtensis fol. 74 ^b^ — Supra in marg. dext.: B. DE BENEVENTO.

---

848. *Blasius [de Broda Ungaricali] supplicat, quatenus in capellanum apostolicum recipiatur.*

Romae, 1394 Septembris 10.

Supplicat S^ti^ V^re^ devotus vester Blasius Ade rector parrochialis ecclesie in Broda Vngaricali Olomucensis diocesis, quatenus sibi graciam facientes specialem, ipsum Blasium in eiusdem S^tis^ V^re^ et sedis apostolice cappellanum graciose recipere dignemini ac aliorum vestrorum et prefate sedis capellanorum consorcio cum omnibus privilegiis, immunitatibus, honoribus, libertatibus, indulgenciis et exempcionibus et alias ipsis cappellanis per fel. rec. Johannem papam XXII. et Clementem pp. VI. ac alios Romanos pontifices, predecessores vestros, concessis graciose aggregare, constitucionibus sancte memorie Innocencii VI., Urbani V., Gregorii XI. ac Urbani VI. Romanorum pontificum, predecessorum vestrorum, circa huiusmodi cappellanos eorumque privilegia, restrinccionibus necnon ordinacionibus, statutis, consuetudinibus, declaracionibus et revocacionibus ac aliis in contrarium facientibus non obstantibus quibuscunque, cum clausulis oportunis, signante manu beata per ‚fiat ut petitur'.

Fiat. P. Sine alia leccione fiat. P. Datum Rome ap. S. Petrum quarto idus Septembris a. quinto.

Cod. Eichstaedtensis fol. 47 ^a^ — Supra in marg. dext.: BARENSIS.

849. *Johannes de Voděrad supplicat, quatenus cum eo super defectu aetatis dispensetur.*

Romae, 1394 Septembris 10.

Supplicat S^ti V^re humilis ac devotus vester Johannes Wenczeslai de Wodyerad clericus Pragensis diocesis viginti annorum, de nobili genere utroque parentum procreatus, quatenus de gracia speciali cum eodem, ut non obstantibus constitucionibus possit beneficium ecclesiasticum, eciam si curam habeat animarum, obtinere et ad sacros ordines maiores citra diaconatum promoveri, dignemini misericorditer dispensare, quibuscunque in contrarium editis non obstantibus et clausulis oportunis ut in forma.

Fiat et dispensamus. P. Sine alia leccione fiat. P. Datum Rome ap. S. Petrum quarto idus Septembris a. quinto.

Cod. Eichstaedtensis fol. 75^a — Supra in marg. dext.: B. DE BENEVENTO.

---

850. *Valentinus de Dobroslavicz supplicat, quatenus ei de beneficio ecclesiastico cum vel sine cura vacante vel vacaturo provideatur.*

Romae, 1394 Septembris 12.

Supplicat S^ti V^re devotus vester Valentinus Jeskonis de Dobroslauicz presbyter Wratislauiensis diocesis, quatenus sibi graciam facientes specialem, de beneficio ecclesiastico cum cura vel sine cura, vacante vel vacaturo, spectante communiter vel divisim ad collacionem etc. abbatis et conventus monasterii in Ruda dicte diocesis Wratislauiensis, [eidem dignemini providere], non obstante ecclesia parrochiali in Sucha dicte Wratislauiensis diocesis, que iuris patronatus existit laicorum, super qua in palacio causarum apostolico noscitur litigare, et aliis in contrarium editis non obstantibus quibuscunque, et clausulis oportunis ac executoria ut in forma.

Fiat ut petitur. P. Sine alia leccione fiat. P. Datum Rome ap. S. Petrum pridie idus Septembris a. quinto.

Cod. Eichstaedtensis fol. 66^b — Supra in marg. dext.: BOSCO.

---

851. *Procopius clericus supplicat, quatenus ei de uno, duobus vel tribus beneficiis ecclesiasticis vacantibus vel vacaturis provideatur.*

Romae, 1394 Septembris 19.

Supplicat S^ti V^re devotus vester Procopius clericus Pragensis diocesis nullum beneficium ecclesiasticum assecutus, quatenus sibi graciam specialem facientes, de uno, duobus, tribus beneficio seu beneficiis ecclesiastico seu ecclesiasticis, vacantibus vel vacaturis, spectante vel spectantibus communiter vel divisim ad collacionem seu ad collaciones Pragensis archiepiscopi necnon et tocius eiusdem capituli, eciam si canonicatus et prebenda aut dignitates, personatus in eadem vacarent, eidem dignemini misericorditer providere, cum clausulis oportunis ut in forma.

Fiat ut petitur. P. Sine alia leccione fiat. P. Datum Rome ap. S. Petrum tercio decimo kal. Octobris a. quinto.

Cod. Eichstaedtensis fol. 97[a] – Supra in marg. dext.: BARENSIS.

---

852. *Venceslaus Romanorum et Bohemiae rex Marinum camerarium apostolicum certiorem facit, se pecuniam ex indulgentia anni iubilei provenientem fideliter conservari mandavisse eamque summo pontifici transmittere velle.*

Písek, 1394 Septembris 21.

Reverendissimo in Christo patri domino M[arino] tituli s. Marie Noue cardinali, domini nostri pape camerario, amico nostro carissimo. [1])

Reverendissime pater, amice carissime! Quemadmodum nos delectat de manibus S^mi^ in Christo patris domini nostri summi pontificis beneficia pregrata suscipere, ita nos decet eius dispendia, quociens ad noticiam nostram pervenerint, efficaciter submovere, presertim ea, que non testium argumento perquirimus, sed veritate per se docente videmus. Novit etenim V^ra^ P^tas^, qualiter alias predictus dominus noster ad regni nostri decorem, nobis ad complacenciam et fidelibus nostris regnicolis ad salutem graciam anni iubilei concesserit toto tractu temporis duraturam et pro colligendis fidelium oblacionibus venerabilem Vbaldinum archiepiscopum Turritanum, protunc apostolice sedis nuncium, per suas litteras deputavit; [2]) qui quidem Vbaldinus mandati sibi commissi obliviosus auditor pociorem partem ex dicta gracia provenientem illustribus marchionibus Morauie, patruis nostris, qui eo tempore guerras adinvicem confovebant, mutuavit, aliam ad proprios usus retinuit et residuam nobili . . de Corthona et aliis campsoribus parcium Italie destinavit. Verum nos indisposita eius in hoc voluntate pensata, pecuniam ipsam per nos sigillatam sub fida custodia reponi ipsamque, ne per dictum Vbaldinum distraheretur in totum, mandavimus fideliter conservari, adestque nobis bona et sincera voluntas predictam pecuniam per honorabiles Petrum de Wserup archidiaconum Horssouiensem et Wenceslaum decanum Wissegradensem, capellanos nostros, eidem domino nostro summo pontifici finaliter transmittendi. Amiciciam igitur vestram affectuose requirimus et rogamus, quatenus predicto domino nostro, ne erga nos turbetur, suggerere nostrumque propositum sibi in hoc placeat aperire, prout eciam in hoc honorabilis Johannes de Kbel capellanus noster, ostensor presencium, P^tem^ V^ram^ poterit plenius informare. Datum in Pyesk die XXI. Septembris, regnorum nostrorum anno Boemie XXXII, Romanorum vero XIX.

Wenceslaus dei gracia Romanorum rex semper augustus et Boemie rex.

Ad relacionem Burkardi Strnad Wlachnico de Weytenmule.

R. Vat. 314 fol. 313[b] — Ed. Palacký, Über Formelbücher II. p. 56 nr. 46 e copia non integra in libro quodam formularum saec. XV. contenta — [1]) Marinus cardinalis iam 1394 Aug. 8 obiit, quod rex Venceslaus tempore datae istarum litterarum adhuc ignoravisse videtur [2]) Cf. nr. 724.

853. *Pileo episcopo Tusculano, apostolicae sedis legato ad regnum Bohemiae et terras regi Bohemiae subiectas ac etiam ad Aquilegensem, Maguntinensem, Coloniensem, Treverensem, Magdeburgensem et Salzburgensem provincias destinato, conceditur facultas conferendi auctoritate apostolica 100 beneficia ecclesiastica saecularia et regularia, in illis partibus ad praesens vacantia, vel quae huiusmodi legatione durante vacabunt, cuiuscunque fuerint valoris annui, etiam si canonicatus et praebendae aut dignitates, personatus vel officia seu prioratus vel administrationes saeculares vel regulares in quibusvis ecclesiis, monasteriis sive locis fuerint, et dignitates ipsae in metropolitanis vel cathedralibus maiores post pontificales aut in collegiatis ecclesiis principales vel prioratus huiusmodi conventuales fuerint, et ad eas vel eos consueverint qui per electionem assumi, personis idoneis per eum eligendis, etiam si quaelibet ipsarum personarum saecularium unum, duo vel plura beneficia ecclesiastica obtineret, ita tamen, ut illae ex personis huiusmodi, quae beneficia incompatibilia cum illis, quae eis dictus legatus contulerit, obtinuerint, quamprimum beneficia ipsa sic eis collata assecuti fuerint, dicta beneficia incompatibilia dimittere teneantur; ipse legatus autem de nominibus et cognominibus huiusmodi personarum et beneficiorum et de diebus collationum cameram apostolicam aut eius collectorem in illis partibus deputatum certificare debet. „Rome ap. S. Petrum decimo kal. Octobris a. quinto.“*

Romae, 1394 Septembris 22.

R. Lat. 34 fol. 108 b — In fine: DE CURIA, N. DE BENEVENTO.

---

854. *Pileo episcopo Tusculano, apostolicae sedis legato ad regnum Bohemiae et terras regi Bohemiae subiectas ac etiam ad Aquilegensem, Maguntinensem, Coloniensem, Treverensem, Magdeburgensem, Pragensem, Salzburgensem provincias destinato, conceditur facultas auctoritate apostolica ratificandi, approbandi et confirmandi quascunque gratias et indulta, spiritualia tantum concernentia, quas dudum, tunc tituli s. Praxedis presbyter cardinalis et apostolicae sedis nuntius per Urbanum papam VI. in partibus Alamanniae et regno Bohemiae deputatus,* [1] *personis, ecclesiis et locis aliis illarum partium concesserat, etiam si a dicto praedecessore aliquas huiusmodi gratiarum concedendi potestatem non habuisset. „Hiis, per que animarum“ „Rome ap. S. Petrum decimo kal. Octobris a. quinto.“*

Romae, 1394 Septembris 22.

R. Lat. 34 fol. 108 a — In fine: DE CURIA, N. DE BENEVENTO — Ed. Kaufmann l. c. p. 305 nr. 16 — [1]) Pileus cardinalis aa. 1379—1382, ‚in partibus Alamanniae et regno Bohemiae‘ morabatur. De prima illa legatione eius disseruit proxime Zanutto. Il cardinale Pileo di Prata e la sua prima legazione in Germania (1378—1382), 1901.

---

855. *Henricus tituli s. Anastasiae presbyter cardinalis, sacri collegii cardinalium camerarius, Henricum episcopum Vladislaviensem quitat de pecunia, quam pro parte partis suorum communis et minuti servitiorum per manus Petri Adolphi*

rectoris parrochialis ecclesiae s. Catherinae Vratislaviensis camerae sacri collegii solvi fecit. „[Rome ap. S. Petrum a. 1394] die XXIIII. Septembris pont. . . . . a. quinto“.

Romae, 1394 Septembris 24.

Oblig. et sol. 59 fol. 38a.

---

856. *Jacobus de Zbraslavicz supplicat, quatenus ei de parrochiali ecclesia in Lidmaň provideatur.*

Romae, 1394 Septembris 25.

Supplicat S^ti V^re humilis et devotus vester Jacobus Blasii de Zbraslawicz presbyter Pragensis diocesis nullum beneficium ecclesiasticum assecutus, quatenus sibi graciam specialem facientes, de ecclesia parrochiali in Lidman dicte diocesis, vacante vel cum vacabit per assecucionem pacificam parrochialis ecclesie in Ledecz prefate diocesis, de qua Jacobus [1]) auctoritate apostolica certo modo vacante obtinuit sibi per sedem apostolicam provideri et dictam ecclesiam in Lidman obtulit se dimissurum, cuius fructus etc. sex florenorum auri communi extimacione valorem annuum non excedunt, eidem dignemini misericorditer providere, cum ceteris non obstantibus et clausulis oportunis ut in forma.

Fiat ut petitur. P. Sine alia leccione fiat. P. Datum Rome ap. S. Petrum septimo kal. Octobris a. quinto.

Cod. Eichstaedtensis fol. 134a — In marg. dext.: (supra) BARENSIS. — [1]) i. e. Jacobus Martini de Ledeč; cf. nr. 844.

---

857. *Nicolaus episcopus Olomucensis supplicat, quatenus omnibus, qui ostensioni partis camisiae b. Mariae in ecclesia s. Mauritii Cremsirensi aut missae in honorem eiusdem b. Mariae in Olomucensi et dicta Cremsirensi ecclesiis celebratae interfuerint, indulgentiae concedantur.*

Romae, 1394 Septembris 30.

Beatissime pater! Cum in ecclesia s. Mauricii collegiata in Cremsir Olomucensis diocesis camisia b. Marie virginis, videlicet superior et maior pars, cum magna servatur reverencia, quam felicis memorie Bruno olim episcopus Olomucensis a sede apostolica pro magna obtinuit gracia, cuius camisie inferior pars adhuc servatur in sacristia ecclesie Romane, prout plures audiverunt et viderunt, et quando ipsa camisia monstrata fuerit in ipsa ecclesia Cremsirensi in certis anni festivitatibus, tunc fideles multi eciam de alienis locis et partibus confluunt et veniunt ad eandem; supplicat igitur S^ti V^re devota creatura vestra Nicolaus episcopus Olomucensis, quatenus ad augendam devocionem fidelium in veneracionem et honorem beatissime Marie virginis eadem S^tas V^ra dignetur animare mentes fidelium cum certis indulgenciis, videlicet trium annorum et quadraginta

carenarum, et quociens et quando ipsa camisia ostensa fuerit in solempnitatibus consuetis, omnes advenientes et presentes confessi et contriti easdem indulgencias perpetuis temporibus consequantur, eciam ad relevandum et reparandum dictam ecclesiam quicunque pro fabrica eiusdem manus porrexerint adiutrices, similes consequantur indulgencias, cum clausulis oportunis.

Fiat ut petitur. P.

Item cum in Olomucensi et collegiata s. Mauricii Cremsirensi ecclesiis singulis diebus per annum missa b. Marie virginis de mane consueverit solempniter celebrari, ad quam visitandam Christi fideles graciam habent specialem, supplicat igitur S^{ti} V^{re} devota creatura vestra Nicolaus episcopus Olomucensis, quatenus eadem S^{tas} V^{ra} dare dignetur indulgencias speciales omnibus et singulis, qui eidem misse interfuerint, quociens et quando, quinque annos et totidem quadragenas indulgenciarum perpetuo et concedere graciose, cum clausulis oportunis.

Fiat ut supra. P. Sine alia leccione fiat. P. Datum Rome ap. S. Petrum pridie kal. Octobris a. quinto.

Cod. Eichstaedtensis fol. 140^{a} — Supra in marg. dext.: BOSCO; in fine: R[EGISTRAVI] F. DE LANSNIK.

---

858. *Nicolaus episcopus Olomucensis supplicat, quatenus ei potestas absolvendi haereticos de secta Valdensium ad ecclesiae unitatem redire volentes concedatur.*

Romae, 1394 Septembris 30.

Beatissime pater! Cum in civitate et diocesi Olomucensibus sunt heretici de secta Waldensium, qui libenter ad unitatem ecclesie redire vellent, sed propter constitucionem sancte memorie domini Benedicti pp. XII. et eius penas absolvi non possunt sine licencia apostolice sedis speciali, supplicat igitur S^{ti} V^{re} devota creatura vestra Nicolaus episcopus Olomucensis, quatenus sibi concedere dignemini, quod ipse per se vel alium eosdem absolvere possit iniuncta eis penitencia salutari, non obstantibus predicta constitucione et aliis contrariis quibuscunque, cum clausulis oportunis.

Fiat. P. Sine alia leccione fiat. P. Datum Rome ap. S. Petrum pridie kal. Octobris a. quinto.

Cod. Eichstaedtensis fol. 181^{a} — Supra in marg. dext.: BOSCO.

---

859. *Nicolaus episcopus Olomucensis supplicat, quatenus statuta contra clericos ordinariorum correctionem evadentes confirmentur.*

Romae, 1394 Septembris 30.

Supplicat S^{ti} V^{re} devota creatura vestra Nicolaus episcopus Olomucensis, cum in diocesi sua sint multi mali clerici volentes evadere correcciones ordinariorum, [qui], ne corrigantur a suis ordinariis seu nunciis sedis apostolice, currunt

ad potenciam laicalem, unde fiunt displicencie, scandala et lites et cessat obediencia, quatenus statuta per predecessores suos et archiepiscopum Pragensem contra tales facta S^tus V^ra confirmare dignetur et alias providere super hoc de remedio oportuno.

Exhibeas. P. Sine alia leccione fiat. P. Datum Rome ap. S. Petrum pridie kal. Octobris a. quinto.

Cod. Eichstaedtensis fol. 146^a — Supra in marg. dext.: BOSCO.

---

860. *Nicolaus episcopus Olomucensis supplicat, quatenus ei conservatores deputentur.*

Romae, 1394 Septembris 30.

Supplicat S^ti V^re devota creatura vestra Nicolaus episcopus Olomucensis, quatenus propter notorios et manifestos invasores et spoliatores episcopatus et ecclesie Olomucensis sibi concedere dignemini certos executores in cancellaria S^tis V^re nominandos in forma ‚Ad reprimendas' sine reservacione absolucionis.

Fiat. P. Sine alia leccione fiat. P. Datum Rome ap. S. Petrum pridie kal. Octobris a. quinto.

Cod. Eichstaedtensis fol. 140^b — Supra in marg. dext.: BOSCO.

---

861. *Michael de Broda Theutonicali supplicat, quatenus ei de parrochiali ecclesia s. Adalberti Pragensi provideatur.*

Romae, 1394 Septembris 30.

Supplicat S^ti V^re devotus vester Michael Michaelis de Broda Theutonicali clericus Pragensis diocesis, quatenus sibi graciam facientes specialem, de ecclesia parrochiali s. Adalberti nomine in Smradarzow Noue ciuitatis Pragensis, cuius fructus etc. quindecim marcarum argenti puri communi extimacione valorem annuum non excedunt, vacante per mortem Johannis ultimi et inmediati rectoris eiusdem, sive premisso sive alio quovis modo aut ex alterius cuiuscunque persona aut per assecucionem alterius beneficii incompatibilis apostolica vel ordinaria auctoritate collati vel liberam resignacionem in curia vel extra factam vel constitucionem ‚Execrabilis' vel capitulum de multa vacet, eciam si reservata sedi apostolice aut quomodolibet devoluta existat, et persona eiusdem sedis vel aliquorum ex dominis cardinalibus familiaris fuerit, dignemini misericorditer providere, non obstantibus sibi graciis de decanatu ecclesie s. Egidii Pragensis et canonicatu et prebenda ss. Cosme et Damyani Boleslawiensis Pragensis diocesis ac vicaria perpetua in ecclesia Olomucensi necnon parrochialium ecclesiarum (*sic*) in Prien et in Chlum Chyemensis et Pragensis diocesium certis modis vacantibus factis, quorum omnium fructus etc. quadraginta sex marcarum argenti puri communi

extimacione ut supra non excedunt; paratus est renunciare graciis super decanatu et ecclesiis predictis, dum etc., non obstante eciam, quod inter prefatum Michaelem et certas alias personas lis in partibus super prefata ecclesia parrochiali s. Adalberti pendet indecisa, cum aliis clausulis oportunis, constitucionibus ac in contrarium editis non obstantibus quibuscumque.

Fiat ut petitur. P. Sine alia leccione fiat. P. Datum Rome ap. S. Petrum pridie kal. Octobris a. quinto.

Cod. Eichstaedtensis fol. 181[a] — Supra in marg. dext.: BARENSIS.

---

862. *Damianus Thechani supplicat, quatenus ei de canonicatu ecclesiae Olomucensis et praebenda in Slatina in eadem ecclesia provideatur.*

Romae, 1394 Septembris 30.

Supplicat S^ti^ V^re^ devotus orator S^tis^ V^ro^ Damianus Thechani rector parrochialis ecclesie in Noua Ciuitate Olomucensis diocesis, quatenus sibi graciam facientes specialem, de canonicatu ecclesie Olomucensis et prebenda in Slatina in eadem ecclesia, quorum fructus etc. septem marcarum argenti puri communi extimacione valorem annuum non excedunt, ex eo [vacantibus], quod dominus Franciscus de Benessow apostolice sedis subdiaconus et referendarius existens dictos canonicatum et prebendam, per mortem Wenczeslai dicti Dobbernik olim canonici in dicta ecclesia Olomucensi extra Romanam curiam defuncti iuxta consuetudinem dicte ecclesie virtute sue gracie apostolice de iure sibi debitos, pacifice fuit assecutus, eosdemque tenuit et possedit, et post hec dictam prebendam ‚in Slatina' nuncupatam libere iuxta consuetudinem ipsius ecclesie dimisit, et aliam prebendam eciam in Slatina in eadem ecclesia tunc certo modo vacantem secundum consuetudinem dicte ecclesie fuit adeptus, premisso sive quovis modo aut ex alterius cuiuscunque persona vacent, eciam si tanto tempore vacaverint, quod eorum collacio iuxta Lateranensis statuta concilii sit ad sedem predictam legitime devoluta aut disposicioni sedis apostolice sint specialiter reservati, eciam si Wenczeslaus et Franciscus predicti fructuum et proventuum camere apostolice debitorum collectores, succollectores, officiales seu nuncii seu capellani sedis apostolice aut [alicuius] ex reverendissimis dominis cardinalibus familiares fuerint, dignemini misericorditer providere, non obstante, quod ecclesiam parrochialem obtinet, cuius fructus etc. quindecim marcarum argenti puri secundum dictam extimacionem valorem annuum non excedunt, ac duabus graciis expectativis in cancellaria S^tis^ V^re^ exprimendis, cum aliis non obstantibus et clausulis oportunis ut in forma.

Fiat ut petitur. P. Sine alia leccione fiat. P. Datum Rome ap. S. Petrum pridie kal. Octobris a. quinto.

Cod. Eichstaedtensis fol. 185[b] — Supra in marg. dext.: B. BENEVENTO.

---

863. *Martinus de Troubek supplicat, quatenus ad omne ius, quod Venceslao Pivota aut Andreae de Heinreichs in parrochiali ecclesia in Olší competebat, surrogetur.*

Romae, 1394 Septembris 30.

Beatissime pater! Lite et causa pendente in palacio causarum apostolico coram venerabili viro dom. Nicolao de Borellis vestri sacri palacii causarum auditore inter Wenczeslaum dictum Piuota et Andream dictum Kudele presbyteros Olomucensis diocesis ex una et devotum oratorem vestrum Andream Cristani de Heimreichs presbyterum dicte diocesis de et super parrochiali ecclesia in Olschie dicte Olomucensis diocesis ex parte altera, coram quo auditore processum extitit in dicta causa inter dictas partes ad nonnullos actus citra tamen conclusionem in possessorio, suspenso petitorio, cuius cause statum S^tas^ V^ra^ dignetur hic habere pro sufficienter expresso: verum, pater sancte, lite et causa huiusmodi indecisa pendente, predictus Wenczeslaus extra Romanam curiam in partibus diem suum clausit extremum; et dictus Andreas Cristani, quem S^tas^ V^ra^ in omne ius, si quod dicto Wenceslao in dicta parrochiali ecclesia quomodolibet competebat aut competere poterat, surrogavit[1]), qui quidem Andreas (*sic*) in Romana curia existens diem suum clausit extremum. Quare supplicat S^ti^ V^re^ devotus vester orator Martinus Viti de Trabek presbyter Olomucensis diocesis, quatenus ipsum in omni iure et ad omne ius, si quod dicto Wenceslao vel Andree in dicta parrochiali ecclesia quomodolibet competebat aut competere poterat, aut ex alterius cuiuscunque persona sive premisso aut alio quovis modo vacet, cuius fructus etc. decem marcarum argenti puri secundum communem extimacionem valorem annuum non excedunt, dignemini misericorditer surrogare, cum ceteris non obstantibus et clausulis oportunis ut in forma.

Fiat ut petitur. P. Sine alia leccione fiat. P. Datum Rome ap. S. Petrum pridie kal. Octobris a. quinto.

Cod. Eichstaedtensis fol. 149^a^. —[1]) Cf. nr. 530.

---

864. *Venceslaus Thiem de Nikolsburg supplicat, quatenus ei de uno, duobus aut pluribus beneficiis ecclesiasticis, vacantibus vel vacaturis, provideatur.*

Romae, 1394 Septembris 30.

Supplicat S^ti^ V^re^ fidelis orator vester Wenczeslaus Thiem de Nicolspurga rector parrochialis ecclesie in Lanczperck Patauiensis diocesis, quatenus sibi graciam facientes specialem, de uno, duobus aut pluribus beneficio seu beneficiis cum cura vel sine cura, que usque ad [summam] quinquaginta marcarum argenti secundum taxacionem decime ascendunt annuatim, vacantibus vel vacaturis, spectantibus ad collacionem episcopi, prepositi, decani et capituli seu omnium collatorum et collatricum ecclesie, civitatis et diocesis Patauiensium communiter vel divisim etc., eciam si canonicatus et prebenda ac dignitates, personatus vel officia in ipsa ecclesia Patauiensi maiores post pontificalem et in collegiata principales fuerint,

et persone, per quarum factum ultimo vacaverint seu vacare contigerit, sedis apostolice cappellani, nunccii vel alias officiales aut collector vel succollector dicte sedis vel alicuius ex reverendissimis dominis cardinalibus familiaris fuerit aut per assecucionem alterius beneficii ecclesiastici apostolica vel ordinaria auctoritate collati, eciam si generaliter vel specialiter devoluta sint seu reservata, eidem Wenceslao dignemini misericorditer providere, non obstante ecclesia predicta, quam obtinet,[1]) cuius fructus viginti marcarum argenti valorem annuum communi extimacione non excedunt, quam paratus est dimittere, dum et quando etc., et capella s. Anne sita in opido Lincz, cuius fructus triginta florenorum auri etc., super qua in vestro sacro palacio apostolico noscitur litigare, constitucionibus et regulis a S^te^ V^ra^ [editis] vel edendis et aliis in contrarium faciendis non obstantibus quibuscunque, cum aliis non obstantibus et clausulis oportunis, signante ut petitur et ad omnes peticionis effectus.

Fiat ut petitur. P. Sine alia leccione fiat. P. Datum Rome ap. S. Petrum pridie kal. Octobris a. quinto.

Cod. Eichstaedtensis fol. 152^b^ — Supra in marg. dext.: JACOBUS — [1]) Cf. n. 702. 703

---

865. *Abbates Scotorum in Vienna Pataviensis dioc. et s. Mariae in Arena extra muros Vratislavienses monasteriorum et decanus ecclesiae Pataviensis conservatores personarum ecclesiasticarum in civitate et diocesi Olomucensi contra earum invasores et spoliatores instituuntur. „Ad reprimendas" „Rome ap. S. Petrum kal. Octobris a quinto".*

Romae, 1394 Octobris 1.

R. Lat. 32 fol. 328^a^ — In fine: N. L DE BENEVENTO - Ed. e copia vidimata anni 1396 in Cod. dipl. Moraviae XII. p. 206. nr. 215. — Cf. nr. 860.

---

866. *Judicibus mandatur motu proprio, quatenus Nicolo de Volavia praeposituram ecclesiae s. Aegidii Vratislaviensis conferant*

Romae, 1394 Octobris 1.

Bonifacius . . . . Tudensi et Olomucensi episcopis ac . . . . officiali Wratislauiensi . . . . Grata devocionis et familiaritatis obsequia, que . . . . Nicolaus de Wolauia canonicus Wratislauiensis, familiaris noster, nobis et apostolice sedi . . . . impendit . . . , nos inducunt, ut sibi reddamur . . . . liberales. Cum itaque . . . . hodie prepositura ecclesie s. Egidii Wratislauiensis, quam quondam Johannes Drusonis . . . . obtinebat, per ipsius Johannis obitum, qui extra Romanam curiam diem clausit extremum, vacaverit et vacet ad presens, nos . . . . motu proprio . . . . discrecioni vestre . . . . mandamus, quatenus . . . . preposituram predictam, que dignitas principalis et curata existit, et cuius fructus . . . . viginti marcharum argenti puri . . . . valorem annuum . . . . non excedunt, ...

prefato Nicolao de Wolauia, eciam si illam hodie, ut premittitur, vacantem aliarum litterarum nostrarum auctoritate acceptaverit et sibi de ea fecerit provideri, auctoritate nostra conferre et assignare curetis . . .; non obstantibus . . . , si aliqui super provisionibus sibi faciendis . . . . dicte sedis vel legatorum eius litteras impetrarint, ... quibus omnibus, eciam illis, quibus forsan hodie, cuiuscunque status, gradus vel condicionis existant, de dicta prepositura, ut prefertur vacante, in genere vel in specie sub quacunque forma vel expressione verborum per nos seu auctoritate nostra est provisum aut mandatum seu concessum provideri, prefatum Nicolaum . . . . volumus anteferri . . . . Datum Rome ap. S. Petrum kal. Octobris a. quinto.

R. Lat. 57. — Supra in marg. sin.: JO. DE BONONIA; in fine: DE MANDATO, JAC. DE TERAMO. — In margine sin. praeterea haec nota legitur: „Canzeletur alia, si reperitur, quia per istam corrigitur.“ Re vera altera copia istius bullae in R. Lat. 33 fol. 44 [a] reperitur, quae cum praesente fere ad verbum concordat, sed datam: ‚sexto nonas Octobris a. quinto‘ (1394 Octobris 2) habet. Illic etiam in marg. sin.: JO DE BONONIA, in fine: DE MANDATO, JAC. DE TERAMO adscriptum est.

---

867. *Augustinus episcopus Perusinus supplicat, quatenus Friderico de Schönfeld de parrochiali ecclesia in Karzen provideatur.*

Romae, 1394 Octobris 4.

Supplicat S^{ti} V^{re} devota creatura vestra A[ugustinus] episcopus Perusinus, S^{tis} V^{re} thezaurarius, quatenus sibi in persona dilecti familiaris sui continui commensalis Friderici Johannis Below alias de Schoneuelt clerici Wratislauiensis diocesis graciam facientes specialem, de parrochiali ecclesia in Carczen dicte diocesis, cuius fructus viginti quatuor marcarum argenti puri communi extimacione valorem annuum non excedunt, vacante per mortem Petri Jamawi extra Romanam curiam defuncti aut alias quovis modo, sive ex alterius cuiuscunque persona vacet et tanto tempore vacaverit, quod eius collacio iuxta Lateranensis statuta concilii ad sedem apostolicam legitime devoluta, affecta seu reservata fuerit, dictusque Petrus seu persona huiusmodi sedis predicte cappellanus, nuncius, officialis seu alicuius ex dominis cardinalibus familiaris fuerit, eidem Friderico dignemini misericorditer providere, non obstantibus graciis expectativis in cancellaria exprimendis et cum ceteris non obstantibus et clausulis oportunis, eciam si lis in palacio apostolico pendeat indecisa ut in forma.

Fiat ut petitur. P. Sine alia leccione fiat. P. Datum Rome ap. S. Petrum quarto nonas Octobris a. quinto.

Cod. Eichstaedtensis fol. 191[a] — Cf. infra nr. 872 et 966.

---

868. *Johanni de Schiltern [a]) plebano parrochialis ecclesae in Jaroměřicz [b]) Olomucensis dioc. indulgetur, ut liceat ei habere altare portatile. „Sincere devocionis“ „Rome ap. S. Petrum tercio nonas Octobris a. quinto.“*

Romae, 1394 Octobris 5.

R. Lat. 34 fol. 220[a] — [a]) ‚Schiltar‘ [b]) „Jermericz‘ — In fine: N. X DE BENEVENTO.

869. *Venceslaus de Cremsir supplicat, quatenus ei de canonicatu sub exspectatione praebendae ecclesiae s. Mauritii in Cremsir provideatur.*

Romae, 1394 Octobris 14.

Supplicat S^ti^ V^re^ devotus orator vester Wenczeslaus dictus Vena de Cremzir presbyter Olomucensis diocesis, quatenus sibi graciam facientes specialem, de canonicatu sub expectacione prebende in ecclesia collegiata s. Mauricii ibidem in Cremsir dignemini misericorditer providere, non obstante parrochiali ecclesia in Leupracicz dicte Olomucensis diocesis, quam obtinet, cuius fructus etc. duodecim marcarum argenti puri communi extimacione valorem annuum non excedunt, cum clausulis oportunis.

Fiat. P. Sine alia leccione fiat. P. Datum Rome ap. S. Petrum pridie idus Octobris a. quinto.

Cod. Eichstaedtensis fol. 209 [a] — Supra in marg. dext.: BOSCO.

---

870. *Blasius de Broda Ungaricali supplicat, quatenus ei de canonicatu sub exspectatione praebendae ecclesiae s. Petri in Brunna provideatur.*

Romae, 1394 Octobris 14.

Supplicat S^ti^ V^re^ devotus vester Blasius quondam Ade de Broda Vngaricali presbyter Olomucensis diocesis, quatenus facientes sibi graciam specialem, de canonicatu sub expectacione prebende in ecclesia in Monte s. Petri in Brunna eiusdem diocesis vacantis vel vacature cum plenitudine iuris canonici tamquam de specialiter reservato eidem Blasio dignemini misericorditer providere, non obstante gracia per S^tem^ V^ram^ eidem Blasio facta super ecclesia parrochiali in Broda Vngaricali, cuius fructus etc. quatuordecim marcarum etc., et ceteris non obstantibus et cum clausulis oportunis ut in forma

Fiat. P. Sine alia leccione fiat. P. Datum Rome ap. S. Petrum pridie idus Octobris a. quinto.

Cod. Eichstaedtensis fol. 209[b] — Supra in marg. dext.: BOSCO.

---

871. *Johannes de Předmost supplicat, quatenus ei de parrochiali ecclesia in Březovicz provideatur.*

Romae, 1394 Octobris 14.

Supplicat S^ti^ V^re^ devotus vester Johannes Ade de Przyedmost presbyter Olomucensis diocesis, quatenus sibi graciam facientes specialem, de parrochiali ecclesia in Bizyessowicz dicte diocesis, cuius fructus etc. decem marcarum argenti puri secundum communem extimacionem valorem annuum non excedunt, vacante per mortem Jacobi ultimi eiusdem ecclesie, dum vixit, rectoris,[a]) extra Romanam

curiam defuncti, eciam si tanto tempore vacasset, quod eius collacio iuxta statuta Lateranensis concilii sit ad sedem apostolicam legitime devoluta, seu eidem sedi specialiter vel generaliter reservata existat, seu per inhabilitatem vel indebitam adepcionem aut alias quovis modo seu ex persona alterius cuiuscunque vacaverit, aut si collector vel succollector sedis apostolice aut cappellanus honoris fuerit, eidem Johanni dignemini misericorditer providere, non obstante parrochiali ecclesia in Pricluk per S^tem^ V^am^ sibi concessa,[1]) quam paratus est dimittere vel pro alio beneficio non curato permutare, cum omnibus non obstantibus et clausulis oportunis ut in forma.

Fiat ut petitur. P. Sine alia leccione fiat. P. Datum Rome ap. S. Petrum pridie idus Octobris a. quinto.

Cod. Eichstaedtensis fol.211[a] — [a]) ‚rectorem' cod. — In marg. dext.: (supra) BOSCO. — [1]) Cf. nr. 611.

872. Henricus Vomethore supplicat, quatenus ei de parrochiali ecclesia in Karzen provideatur.

Romae, 1394 Octobris 14.

Supplicat S^ti^ V^re^ devotus vester Henricus Vomethore clericus Magdeburgensis diocesis ex utroque parente de militari genere procreatus, quatenus sibi graciam specialem [facientes], de ecclesia parrochiali in Carczen Wratislauiensis diocesis, cuius fructus etc. viginti quatuor marcarum argenti communi extimacione valorem annuum non excedunt, vacante per mortem quondam Petri Jauwer presbyteri, ipsius ecclesie ultimi rectoris extra Romanam curiam defuncti, sive premisso sive alio quovis modo aut ex alterius cuiuscunque persona vacet, eciam si devoluta generaliter vel specialiter reservata existat, seu dictus Petrus cappellanus, collector, succollector aut alias officialis, nuncius vel familiaris sedis apostolice aut alicuius ex dominis cardinalibus fuerit, eidem Henrico dignemini misericorditer providere, non obstantibus canonicatu et prebenda ecclesie Nuemburgensis, super quibus in palacio apostolico causam committi obtinuit, cuius fructus etc. decem marcarum simili extimacione valorem annuum non excedunt, ac certa gracia expectativa in cancellaria V^re^ S^tis^ exprimenda, cum ceteris non obstantibus et clausulis oportunis, eciam si lis in palacio apostolico pendeat indecisa, ut in forma.

Fiat ut petitur. P. Sine alia leccione fiat. P. Datum Rome ap. S. Petrum pridie idus Octobris a. quinto.

Cod. Eichstaedtensis fol. 211[a] — In marg. dext.: (supra) BARENSIS. — Cf. supra nr. 867 et infra nr. 966.

873. ‚Ad futuram rei memoriam. Conventui monasterii Trebecensis ord. s. Benedicti Olomucensis diocesis confirmat consuetudinem percipiendi oblationes et emolumenta sepulcrorum, et quod possint in proprios usus convertere absque consilio

vel consensu abbatis; non obstantibus etc. Datum Romae ap. S. Petrum idus Octobris a. quinto.'

Romae, 1394 Octobris 15.

Istud excerptum Raynaldi „ex libro de dignitatibus vacantibus, de praebendis et dignitatibus vacantibus, de exhibitis, de diversis formis, de regularibus, de fructibus percipiendis a. quinto fol. 215" in bibliothecae Vaticanae cod. Vatic. 6952 fol. 141[a] habetur.

---

874. *Episcopus Litomyšlensis*[a]) *et abbas monasterii Scotorum in Vienna Pataviensis dioc. ac decanus ecclesiae Pragensis conservatores priorissae et conventus monasterii in Cunicz per priorissam soliti gubernari praemonstratensis ord. Olomucensis dioc. usque ad quinquennium instituuntur. „Militanti ecclesie" „Rome ap. S. Petrum decimo septimo kal. Novembris a. quinto".*

Romae, 1394 Octobris 16.

R. Lat. 32 fol. 330[a] — [a]) ‚Luthomuslen.' — In fine: N. XXX DE BENEVENTO.

---

875. *Episcopus Litomyšlensis*[a]) *et abbas monasterii Scotorum in Vienna*[b]) *Pataviensis dioc. ac decanus ecclesiae Pragensis conservatores abbatis et conventus monasterii Siloensis*[c]) *praemonstratensis ord. Pragensis dioc. usque ad quinquennium instituuntur. „Militanti ecclesie" „Rome ap. S. Petrum decimo septimo kal. Novembris pont. n. a. quinto".*

Romae, 1394 Octobris 16.

R. Lat. 32. fol. 330[a] — [a]) ‚Luthomuslen.' [b]) ‚Wyenna' [c]) ‚Syloen'. — In fine: N. XXX DE BENEVENTO.

---

876. *Procopius Cristani supplicat, quatenus ei de perpetua vicaria in ecclesia Olomucensi vacante provideatur.*

Romae, 1394 Octobris 21.

Beatissime pater! Supplicat S[ti] V[re] devotus eiusdem S[tis] Procopius olim Cristani presbyter Pragensis, quatenus sibi de perpetua vicaria in ecclesia Olomucensi, cuius fructus etc. septem marcarum argenti puri communi extimacione valorem annuum non excedunt, que tanto tempore vacavit, quod eius collacio etc. secundum statuta Lateranensis concilii ad sedem apostolicam est legitime devoluta, eciam si per mortem seu occasione mortis Georgii dicti Krupa eiusdem vicarie rectoris vel cuiuscunque alterius persone seu per liberam resignacionem, in manibus cuiuscunque in Romana curia vel extra eciam coram notario vel testibus factam, seu constitucionem ‚Execrabilis' vel capitulum de multa aut assecucionem alterius beneficii apostolica auctoritate collati sive alio quovis modo aut ex alterius cuiuscunque persona vacet, eciam si predictus Georgius vel

persona, per cuius factum dicta vicaria ultimo vacavit, fructuum etc. camere apostolice debitorum collector vel succollector aut' sedis apostolice capellanus, nuncius officialis vel dicte sedis aut [alicuius] ex sancte Romane ecclesie cardinalibus familiaris seu litterarum apostolicarum scriptor vel abbreviator seu sacri palacii causarum auditor vel notarius fuit, dictaque vicaria specialiter reservata existat, dignemini predicto Procopio misericorditer providere; non obstantibus canonicatu et prebenda ecclesie Craconiensis, cuius prebende possessionem nondum habet, super qua in vestro sacro causarum apostolico palacio litigare intendit, ac canonicatu et prebenda ecclesie Olomucensis predicte certo modo vacantibus, quorum nondum similiter habet possessionem, quarum prebendarum fructus etc. viginti sex marcarum argenti puri predicta extimacione valorem annuum non excedunt, et perpetua vicaria ecclesie Wratislauiensis necnon altari sanctarum Marie et Barbare virginum in ecclesia s. Crucis Wratislauiensi, super quo altari in vestro sacro predicto causarum apostolico palacio lis pendeat, cuius cause status dignetur S^{tas} V^{ra} habere pro sufficienter expressis, et duabus graciis expectativis in cancellaria S^{tis} V^{re} exprimendis, secumque, ut canonicatum et prebendam una cum predicta vicaria ecclesie Olomucensis predicte recipere et simul per biennium licite retinere et alterum ipsorum post pacificam possessionem ambarum pro beneficio compatibili permutare valeat et possit, consuetudinibus et statutis ecclesie Olomucensis predicte ac constitucionibus apostolicis in contrarium editis non obstantibus, dignemini misericorditer dispensare, cum aliis non obstantibus et clausulis oportunis, signante manu beata per ‚fiat ut petitur et dispensamus'.

Fiat ut petitur et dispensamus. P. Sine alia leccione fiat. P. Datum Rome ap. S. Petrum duodecimo kal. Novembris a. quinto.

Cod. Eichstaedtensis fol. 218 a — In marg. dext: (supra) BARENSIS.

---

877. *Dionysio* [a]) *abbati monasterii Břevnoviensis* [b]) *prope Pragam ord. s. Benedicti indulgetur, ut in locis ecclesiastico interdicto suppositis missam celebrari facere possit.* „*Devocionis tue*“ „*Rome ap. S. Petrum XII. kal. Novembris pont. n. a. quinto.*“

Romae, 1394 Octobris 21.

Copia ex originali archivii Břevnoviensis B. IV. 126 in diplomatario manuscripto musei regni Bohemiae habetur, inxta quam originali in filo serico bulla plumbea Bonifacii IX appendet et hae notae in illo reperiuntur: (in plica ad dext.) JO. DE MALESICZ; (a tergo) R[EGISTRATA] — a) ‚Dynissio' b) ‚Brewnouien'.

---

878. *Dionysio* [a]) *abbati monasterii Břevnoviensis* [b]) *prope Pragam ord. s. Benedicti indulgetur, ut missam ante diem celebrari facere possit.* „*Sincere devocionis*“ „*Rome ap. S. Petrum duodecimo kal. Novembris pont. n. a. quinto.*“

Romae, 1394 Octobris 21.

R. Lat. 34 fol. 243a — a) ‚Dynissio' b) ‚Brewnouien'. — In fine: N. X DE BENEVENTO. — Copia ex originali archivii Břevnoviensis B. IV. 125 habetur in diplomatario manuscripto musei regni Bohemiae, inxta quam originale, cui in filo serico bulla plumbea Bonifacii IX. appendet, has notas habet: (in plica ad dext.) JO. DE MALESICZ; (a tergo) R[EGISTRATA].

---

879. *Abbati Strahoviensi mandatur, quatenus causam appellationis Jiřikonis de Divicz decidat.*

Romae, 1394 Octobris 25.

Bonifacius . . . . abbati monasterii Strachouiensis Pragensis . . . . Sua nobis . . . . Gyrzico de Dywicz armiger Pragensis diocesis peticione monstravit, quod olim Marcoldus commendator et fratres domus hospitalis s. Johannis Jerosolimitani in pede pontis Pragensis, falso asserentes, quod quedam villa et silva tunc expresse, in dicta diocesi consistentes et ad eundem Gyrziconem iusto titulo pertinentes et in quarum possessione dictus Gyrzico existebat, ad eosdem commendatorem et fratres pertinebant ipseque Gyrzico illas detinebat indebite occupatas, fructus, redditus et proventus percipiendo ex eis: eundem Gyrziconem super hoc, petendo ipsum condempnari et compelli ad dimittendum villam et silvam ac satisfaciendum eis de huiusmodi fructibus, redditibus et proventibus, coram officiali Pragensi, ad quem de antiqua et approbata et hactenus pacifice observata consuetudine cognicio causarum huiusmodi, que contra laicales personas dicte diocesis moventur pro tempore, [pertinet], non ex delegacione apostolica fecerunt ad iudicium evocari, idemque officialis perperam in huiusmodi causa procedens, diffinitivam contra dictum armigerum sentenciam promulgavit iniquam, ipsum in expensis in huiusmodi causa factis nichilominus condempnando, ipsarum expensarum taxacione sibi imposterum reservata. A qua quidem sentencia pro parte dicti armigeri fuit ad sedem apostolicam appellatum. Quocirca discrecioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus in huiusmodi appellacionis causa procedens legitime, sentenciam ipsam confirmare vel infirmare appellacione remota procures, prout de iure fuerit faciendum. Datum Rome ap. S. Petrum VIII. kal. Novembris pont. n. a. quinto.

Copia „e transsumpto archivii Melitensium Pragae" in diplomatario manuscripto musei regni Bohemiae exstat.

---

880. *‚Ad perpetuam rei memoriam. Rectori parrochialis ecclesie in Cleneuuiz Olomucensis diocesis confirmat pratum et agros per homines dictae diocesis alias donatos, qui sunt infra limites dictae parrochialis ecclesiae etc. Datum Romae ap. S. Petrum octavo calendas Novembris a. V.'*

Romae, 1394 Octobris 25.

Istud excerptum Raynaldi „ex libro de dignitatibus vacantibus, de praebendis et dignitatibus vacantibus, de exhibitis, de diversis formis, de regularibus, de fructibus percipiendis a. quinto fol. 237" in bibl. Vaticanae codice Vatic. 6952 fol. 142a exstat.

881. *Magister Nicolaus Maczconis de Lutovia*[a]) *rector parrochialis ecclesiae in Strutz*[b]) *(Troubsko) Olomucensis dioc. in sedis apostolicae capellanum recipitur. „Virtutibus clarens" „Rome ap. S. Petrum V. kal. Novembris pont. n. a. V."*

Romae, 1394 Octobris 28.[1])

R. Vat. 314 fol. 219[a] — [a]) ‚Luthouia' [b]) ‚Strucz' — In fine: (ad sin) XX COM[PUTAVI]; (ad dext.) REGISTRATA GRATIS, JO. DE PEMPELUOIRDE. — [1]) In nro. 752 Marinus camerarius apostolicus iam 1394 April. 8 supradictum Nicolaum capellanum apostolicum vocat, quam ob rem data istius bullae erronea esse videtur.

---

882. *Vratislaviensis et Ratisbonensis episcopi ac abbas monasterii Břevnoviensis*[a]) *prope Pragam conservatores abbatissae et conventus monasterii s. Georgii siti in castro Pragensi ord. s. Benedicti usque ad quinquennium instituuntur. „Militanti ecclesie" „Rome ap. S. Petrum quarto nonas Novembris a. quinto".*

Romae, 1394 Novembris 2.

R. Lat. 32 fol. 331[b] — [a]) ‚Prenouien'. — In fine: N. XXX DE BENEVENTO.

---

883. *Magister Venceslaus Bohunkonis rector parrochialis ecclesiae in Alta Muta Litomyšlensis*[a]) *dioc. in sedis apostolicae capellanum recipitur. „Virtutibus clarens" „Rome ap. S. Petrum nonis Novembris pont. n. a. quinto".*

Romae, 1394 Novembris 5.

R. Vat. 314 fol. 320[b] — [a]) ‚Luthomusleu'. — In fine: (sin.) XX, N. DE RUGIS, M. DE CHERUBINIS; (med.) P. DE BOSCO; (dext.) PRO JO. DE MALESICZ JO. DE TREMOSNICZ.

---

884. *Auditori apostolico mandatur, quatenus, si ei constiterit neque Thomae de Velebor neque Alberto de Edmitz in parrochiali ecclesia in Hösting ius competere, eandem ecclesiam praefato Thomae conferat.*

Romae, 1394 Novembris 15.

Bonifacius . . . . magistro Jacobo Floriani capellano nostro et causarum palacii apostolici auditori . . . . Vite ac morum honestas aliaque . . . . merita, super quibus . . . . Thomas Vlrici de Welebors presbyter Olomucensis diocesis . . . . commendatur . . . ., nos inducunt, ut sibi reddamur . . . liberales. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dicti Thome peticio continebat, quod orta dudum inter ipsum et . . . . Albertum Nicolai de Etnicz, qui se gerit pro presbytero dicte diocesis, super parrochiali ecclesia in Hostings eiusdem diocesis, ad quam, tunc per obitum quondam Joachim ultimi ipsius ecclesie rectoris extra Romanam curiam defuncti vacantem, Thomas se per quosdam, Albertus vero predicti se per certos alios, quos veros patronos ipsius ecclesie . . . . fore dicebant, ... Nicolao

episcopo Olomucensi infra tempus legittimum presentatos fuisse asserebant, coram .... officiali Olomucensi, non ex delegacione apostolica, materia questionis, utroque ipsorum Thome et Alberti presentacionem huiusmodi de se factam fuisse et esse canonicam pronunciari seque in rectorem ecclesie predicte institui petente: idem officialis in huiusmodi causa procedens, diffinitivam, per quam inter cetera dictum Thomam in rectorem dicte ecclesie instituit illamque sibi adindicavit et super ea prefato Alberto perpetuum silencium imposuit, sentenciam promulgavit; a qua pro parte ipsius Alberti fuit ad sedem apostolicam appellatum, nosque causam appellacionis huiusmodi tibi .... commisimus ...., tuque in causa appellacionis huiusmodi ad nonnullos actus citra tamen conclusionem inter partes easdem diceris processisse. Cum autem .... a nonnullis asseratur neutrum dictorum Thome et Alberti in prefata ecclesia ius habere, nos .... discrecioni tue .... mandamus, quatenus, si per eventum litis huiusmodi tibi constiterit neutri dictorum Thome et Alberti in predicta ecclesia seu ad eam ius competere, eandem ecclesiam, cuius fructus .... quatuordecim marcharum argenti puri .... valorem annuum .... non excedunt ...., prefato Thome auctoritate nostra conferas et assignes ... ; non obstantibus ...., quod dudum dicto Thome, ut asserit, super provisione sibi facienda de beneficio ecclesiastico cum cura vel sine cura, ad collacionem .... abbatis monasterii in Jerus premonstratensis ord. Patauiensis diocesis pertinente, vacante vel vacaturo, per certos executores super hoc deputatos a nobis assignacio facta fuit. Volumus autem, quod, quamprimum ipse Thomas .... dictam ecclesiam fuerit pacifice assecutus, huiusmodi assignacio et quecunque inde secuta sint cassa .... Datum Rome ap. S. Petrum decimo septimo kal. Decembris pont. n. a. sexto.

R. Lat. 36 fol. 124[a] — In fine: PRO DEO, N. DE BENEVENTO — Cf. nr. 573.

---

885. *Omnibus, qui missae in ecclesia Olomucensi singulis diebus per anni circulum sub honore b. Mariae virginis celebrari consuetae interfuerint, indulgentiae unius anni et quadraginta dierum conceduntur.* „*Dum precelsa*“ „*Rome ap. S. Petrum XVII. kal. Decembris pont. n. a. sexto*“.

Romae, 1394 Novembris 15.

Ed. in Cod. dipl. Moraviae XII. p. 211 nr. 219.

---

886. *Abbates monasteriorum Brevnoviensis*[a]) *prope Pragam et in Gredis Monachorum prope Olomucz ac s. Mariae in Arena extra muros Vratislavienses conservatores Johannis de Malesicz praepositi ecclesiae Olomucensis et familiaris apostolici usque ad quinquennium instituuntur.* „*Militanti ecclesie*“ „*Rome ap. S. Petrum duodecimo kal. Decembris a. sexto*“.

Romae, 1394 Novembris 20.

R. Lat. 37 fol. 241[a] — [a]) ‚Brewnouien.‘ — In fine: PRO SOCIO, N DE BENEVENTO.

---

887. *Varmiensi et Pomezaniensi episcopis ac praeposito ecclesiae s. Salvatoris in Gutstadt*[a]) *Varmiensis dioc. mandatur, quatenus Bertoldo Buselebeyn clerico Maguntinensis dioc. conferant canonicatum et maiorem praebendam ecclesiae Varmiensis, vacantes per obitum quondam Hermanni de Praga extra Romanam curiam defuncti, quos ipse Bertoldus vigore apostolicae gratiae exspectativae acceptavit.* „*Vite ac morum*“ „*Rome ap. S. Petrum quinto kal. Decembris a. sexto*“.

Romae, 1394 Novembris 27.

R. Lat. 36 fol. 19[a] — [a]) ‚Gutenstadt‘ — In marg. sin.: P. DE BOSCO; in fine: N. XX DE BENEVENTO.

---

888. *Cum Mathaco [de Sternberg alias] de Lukov dispensatur, ut parrochiales ecclesias in Superiore Dubna et in Holešov usque ad quinquennium insimul retinere possit.*

Romae, 1394 Decembris 9.

Bonifacius . . . . Matheo de Lucaw canonico Olomucensi . . . . Nobilitas generis . . . . Exhibita siquidem nobis nuper pro parte tua peticio continebat, quod olim tecum, qui parrochialem ecclesiam in Superiori Indubna (*sic*) Olomucensis diocesis tunc temporis obtinebas, prout obtines, ut unum aliud beneficium ecclesiasticum curatum . . . . recipere et una cum predicta parrochiali ecclesia usque ad unum annum licite retinere valeres, fuit auctoritate apostolica dispensatum, post quam quidem dispensacionem parrochialem ecclesiam in Holessaw dicte diocesis, que de iure patronatus laicorum existit, canonice tibi collatam, fuisti pacifice assecutus. Nos igitur volentes te,[a]) qui, ut asseris, ex utroque parente de baronum genere procreatus existis, ... favore prosequi gracie amplioris, ... tecum, ut predictas parrochiales ecclesias . . . . usque ad quinquennium insimul retinere . . . . valeas . . . ., auctoritate apostolica . . . . dispensamus . . . . Volumus autem, quod alteram ex huiusmodi parrochialibus ecclesiis infra predictum quinquennium pro aliquo beneficio ecclesiastico cum carum reliqua compatibili permutes, alioquin prefatam ecclesiam in Superiori (*sic*) . . . . omnino dimittere tenearis . . . . Datum Rome ap. S. Petrum quinto idus Decembris a. sexto.

R. Lat. 35 fol. 37[b] — [a]) ‚tibi‘ cod. — In marg. sin.: P. DE BOSCO; in fine: N. XX DE BENEVENTO.

889. *Conradus Cofkiin de Ratingen monachus monasterii Pomucensis cisterciensis ord. Pragensis dioc. in sedis apostolicae capellanum recipitur.* „*Virtutibus clarens*“ „*Rome ap. S. Petrum IIII. idus Decembris a. sexto*“.

Romae, 1394 Decembris 10.

R. Vat. 314 fol. 316[b] cum his notis in fine: (sin.) XX, N. DE RUGIS; (med.) JO. DE BONONIA; (dext.) PRO JO. DE BRAMERICO JO. DE PEMPELUOIRDE. Iterum registratum in R. Lat. 38 fol. 269[a], ubi in fine adscriptum est: N. XX DE BENEVENTO.

890. *Officium cancellariae apostolicae regenti mandatur, quatenus Paulum de Dnešicz in scriptorem litterarum apostolicarum recipiat.*

Romae, 1394 Decembris 11.

Bonifacius . . . . dilecto filio magistro Bartholomeo Francisci preposito ecclesie s. Stephani Pratensis Pistoriensis diocesis, notario nostro . . . . Vite ac morum honestas aliaque . . . . merita, super quibus apud nos dilectus filius Paulus de Dnessicz clericus Pragensis diocesis fidedigno commendatur testimonio, nos inducunt, ut ipsum specialibus favoribus et graciis prosequamur. Hinc est, quod nos volentes eundem Paulum premissorum meritorum suorum intuitu necnon consideracione venerabilis fratris nostri Philippi episcopi Ostiensis, pro dicto Paulo, dilecto familiari suo continuo domestico commensali, nobis super hoc humiliter supplicantis, favoribus prosequi graciosis, discrecioni tue, qui de mandato nostro officium cancellarie s. Romane ecclesie regis, per apostolica scripta mandamus, quatenus dictum Paulum in scriptorem litterarum apostolicarum et ad scriptorie earundem litterarum officium eiusque exercicium ac honores et emolumenta ac onera consueta in loco videlicet et absencia dilecti filii Johannis de Malesicz dictarum litterarum scriptoris, qui, ut asseritur, a Romana curia in proximo recedere proponit, postquam ab ipsa curia recesserit, auctoritate nostra recipias et recipi facias, ut est moris, contradictores etc.; non obstante [statuto] de certo numero scriptorum litterarum predictarum auctoritate apostolica facto, cui per hoc alias non intendimus derogare. Datum Rome ap. S Petrum tercio idus Decembris a. sexto.

R. Lat. 36 fol. 258[a] — In fine: N. XX DE BENEVENTO.

891. *Johanni de Kbel canonico Pragensi, familiari apostolico, conceditur, ut quaecunque beneficia ecclesiastica, quae obtinet vel obtinebit, sine speciali sedis apostolicae licentia pro aliis permutare possit. „Grata tue familiaritatis“ „Rome ap. S. Petrum tercio idus Decembris a. sexto“.*

Romae, 1394 Decembris 11.

R. Lat. 35 fol. 10[b] — In marg. sin.: P. DE BOSCO; in fine: DE MANDATO, N. DE BENEVENTO.

---

892. *Patriarchae Gradensi, archiepiscopo Pragensi ac praeposito ecclesiae s. Severi Erfordiensis Maguntinensis dioc. mandatur, quatenus sententias, quae in palatio apostolico in causa inter praepositum Vyšehradensem atque abbatem et conventum monasterii S. Coronae cisterciensis ord. Pragensis dioc. super quibusdam villis exorta latae fuerunt, executioni demandantes, Arnoldum abbatem et conventum dicti monasterii ad corporalem possessionem earundem villarum, amoto exinde Johanne Benešii [de Dubá] praeposito Vyšehradensi, restituant. „Peticio dilectorum“ „Rome ap. S. Petrum XVI. kal. Januarii pont. n. a. sexto“.*

Romae, 1394 Decembris 17.

Ed. Pangerl, Urkundenbuch von Goldenkron (Font. rer. Austr, Abth. II. Bd. 37) p. 264 nr. 118. — Cf. nr. 769.

---

893. *Rudolphus abbas in Sagano a praestatione sui communis servitii liberatur.*

Romae, 1394 Decembris 24.

Anno [nat. 1394., pont. VI.], die iovis, vigesima quarta die mensis Decembris venerabilis pater frater Radulfus[a]) abbas monasterii in Sagano ord. s. Augustini Wratislauiensis dyocesis fuit hac vice duntaxat a prestacione sui communis servicii propter paupertatem liberatus.

Oblig. et sol. 48 fol. 170 [a], et iterum Oblig. et sol. 52. fol. 52 [a] — [a], sic Oblig. 48, ‚Rodulfus' Oblig. 52.

---

894. *Patriarchae Gradensi et archiepiscopo Pragensi ac praeposito ecclesiae s. Severi in Erfordia Maguntinensis diocesis mandatur, quatenus sententias in palatio apostolico latas, per quas monasterio S. Coronae cisterciensis ord. Pragensis dioc. certae villae, bona et iura contra Johannem Benešii [de Dubá] praepositum ecclesiae s. Petri Vyšehradensis prope Pragam adiudicata fuerunt, etiam contra Dunovec de Bohemia armigerum praefatae diocesis et alios in dictis villis et bonis intrusos et intrudendos exsequantur. „Exhibita nobis" „Rome ap. S. Petrum quarto idus Januarii a. sexto".*

Romae, 1395 Januarii 10.

R. Lat. 38. fol. 99 [a] — In marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine N. XX DE BENEVENTO. — Ed. Pangerl, Urkundenbuch von Goldenkron (Font. rer. Austr. 37) p. 278. nr. 120. — Cf. supra nros. 769 et 892.

---

895. *Marquardo de Randegg reservantur unum, duo, tria vel quatuor beneficia ecclesiastica ad diversorum collationem pertinentia.*

Romae, 1395 Februarii 1.

Bonifacius . . . . Marquardo de Randek presbytero Augustensis diocesis, decretorum doctori . . . . Litterarum sciencia, vite . . . . Volentes itaque tibi, qui, ut asseris, Vienne Patauiensis diocesis decretales ordinarie legis, ... graciam facere specialem, unum, duo, tria vel quatuor . . . . beneficia . . . . ecclesiastica . . . . consueta clericis secularibus assignari, eciam si ipsum unum vel ipsa duo curatum seu curata aut canonicatus et prebenda seu canonicatus et prebende vel dignitas seu dignitates personatus vel officia unius vel duarum cathedralium ecclesiarum fuerit seu fuerint, et dignitates ipse in huiusmodi cathedralibus maiores post pontificales aut in collegiatis ecclesiis principales fuerint, et ad eas consueverint qui per electionem assumi, cuius seu quorum fructus . . . . centum marcharum argenti puri . . . . valorem annuum non excedant, ad . . . archiepiscopi

Salczeburgensis necnon Patauiensis et Wratislauiensis episcoporum et .... Salzeburgensis ordinis s. Augustini et Patauiensis ac Wratislauiensis ecclesiarum prepositorum, decanorum et capitulorum singulorumque canonicorum collacionem ..., eciam racione dignitatum, personatuum vel officiorum, que in ipsis ecclesiis obtinent, ... pertineus vel pertinencia, si quod aut si qua vacat seu vacant ad presens, vel cum vacaverit aut simul vel successive vacaverint, ... conferenda tibi, eciam si huiusmodi beneficium seu beneficia, quod vel que vacare continget, ex personis illorum, que illa obtinent, disposicioni apostolice generaliter aut specialiter reservatum seu reservata qualitercunque fuerit aut fuerint, ... donacioni apostolice reservamus ....; non obstantibus ...., si aliqui super provisionibus sibi faciendis .... apostolice sedis vel legatorum eius litteras impetrarint ...., quibus omnibus, eciam huiusmodi beneficia auctoritate nostra expectantibus, preterquam .... cardinalibus et .... familiaribus nostris domesticis et continuis commensalibus te .... volumus anteferri ...., seu quod hodie tibi de ecclesia s. Andree in Hekental [a]) Patauiensis diocesis et de Eystetensis et Augustensis ecclesiarum canonicatibus et prebendis, tunc certis modis vacantibus, per alias nostras litteras graciose mandavimus provideri. [1]) Nos enim tecum, ut dictam ecclesiam s. Andree, si aliarum litterarum predictarum, et beneficium seu beneficia huiusmodi, eciam si unum curatum aut duo eorum curata vel dignitates seu dignitas personatus vel officia existant, si quod vel si qua presencium vigore tibi conferantur, recipere et insimul, quoad vixeris, retinere libere et licite valeas ...., auctoritate predicta .... dispensamus .... Datum Rome ap. S. Petrum kal. Februarii a. sexto.

Simili modo .... archiepiscopo Barensi et episcopo Frisingensi et .... abbati monasterii Scotorum in Wienna Patauiensis diocesis ....

R. Lat. 37 fol. 181[a] — a) ‚Hekn̄tal' — In fine: N. L. LII DE BENEVENTO. — [1]) Cf. nr. 896.

---

896. *Archiepiscopo Barensi, episcopo Frisingensi et abbati monasterii Scotorum in Vienna Pataviensis dioc. mandatur, quatenus Marquardo [de] Randegg* [a]) *presbytero Augustensis dioc., decretorum doctori, qui Viennae decretales ordinarie legit. parrochialem ecclesiam s. Andreae in ‚Herkental' Pataviensis dioc., quam ipse aliquandiu illegitime detinuit, postquam eam dimiserit, de novo conferant; non obstante inter cetera, quod hodie ei de uno, duobus, tribus vel quatuor beneficiis ecclesiasticis, vacantibus vel vacaturis, ad collationem archiepiscopi Salzburgensis et Patariensis ac Vratislaviensis episcoporum necnon praepositorum, decanorum et capitulorum Salzburgensis ord. s. Augustini et Pataviensis ac Vratislaviensis ecclesiarum pertinentibus, per litteras apostolicas provideri mandatum est.* [1])

„Litterarum sciencia" „Rome ap. S. Petrum kal. Februarii a. sexto".

Romae, 1395 Februarii 1.

R. Lat. 36 fol. 9[a] — a) ‚Randek' — In fine: N. XXX DE BENEVENTO — Cf. nr. 895.

---

897. Magistro Johanni de Malesicz praeposito ecclesiae Olomucensis, scriptori et familiari apostolico et litterarum apostolicarum abbreviatori, indulgetur, ut in aliqua ecclesiarum, in qua beneficiatus existit, residens, fructus praepositurae Olomucensis ac scholastriae Pragensis ecclesiarum, quae dignitates, non tamen maiores post pontificales, in dictis ecclesiis existunt, et canonicatuum et praebendarum ac aliorum beneficiorum ecclesiasticorum, quae obtinet et obtinebit, usque ad quinquennium a data praesentium cum ea integritate percipere valeat, quotidianis distributionibus dumtaxat exceptis, cum qua illos perciperet, si in ecclesiis et locis ipsis personaliter resideret. „Grata tue familiaritatis" „Rome ap. S. Petrum kal. Februarii a. sexto". — Simili modo abbati Břevnoviensis[a]) prope Pragam et praeposito Cunicensis Olomucensis dioc. monasteriorum.

Romae 1395 Februarii 1.

R. Lat. 38 fol. 236[a] — [a]) ‚Brewnouien'. — In fine: PRO SCRIPTORE, N. DE BENEVENTO.

---

898. Henrico Ruwe conceditur, ut gratia de canonicatu sub exspectatione praebendae ecclesiae ss. Apostolorum Coloniensis ei alias facta perinde valeat, ac si statim post assecutionem canonicatus et praebendae ecclesiae Vyšehradensis canonicatum et praebendam ecclesiae Bechemensis dimisisset.

Romae, 1395 Februarii 18.

Bonifacius . . . . magistro Henrico Ruwe canonico ecclesie s. Petri Wissegradensis Pragensis, scriptori et familiari nostro . . . . Grata tue familiaritatis . . . . Dudum siquidem fel. rec. Urbanus papa VI. predecessor noster tibi de canonicatu et prebenda ecclesie s. Petri Wissegradensis Pragensis, tunc vacantibus et antea disposicioni apostolice reservatis, per suas litteras graciose providit et voluit, quod, quamprimum . . . . dictos canonicatum et prebendam fores pacifice assecutus, alie ipsius predecessoris littere in ea forma, secundum quam pro pauperibus clericis beneficiandis tunc scripserat, per quas tibi de beneficio ecclesiastico cum cura vel sine cura vacante vel vacaturo, ad collacionem . . . episcopi Monasteriensis pertinente, mandaverat provideri, et . . . . quecumque inde secuta essent cassa et irrita . . . . Postmodum vero, sicut exhibita nobis nuper pro parte tua peticio continebat, antequam tu dictorum canonicatus et prebende possessionem assequereris, tu canonicatum et prebendam ecclesie Bechemensis Monasteriensis diocesis, tunc vacantes et ad collacionem dicti episcopi pertinentes, auctoritate litterarum ipsarum, per quas tibi de huiusmodi beneficio cum cura vel sine cura provideri mandatum fuerat, ut prefertur, acceptasti et de illis tibi fecisti provideri eosque fuisti pacifice assecutus, illos extunc et eciam, postquam eosdem canonicatum et prebendam ecclesie s. Petri adeptus fueras, detinuisti et possedisti, fructus percipiens ex eis licet de facto. Et deinde dicto predecessore . . . . rebus humanis exempto, nos . . . . tacito, quod adhuc eosdem canonicatum et prebendam ecclesie Bechemensis detineres, tibi sub data II. idus Novembris pont. n. a. primo [1]) de canonicatu sub expectacione prebende ecclesie ss. Apostolorum Coloniensis per nostras litteras graciose duximus providendum. Cum autem secundum

premissa huiusmodi nostre littere viribus non subsistant, ... volumus et tibi, cui dudum de canonicatu et prebenda ac supplemento, quorum decem et octo, et hodie de decanatu ecclesie s. Lebuini Dauentriensis Traiectensis diocesis, cuius viginti quinque marcharum argenti fructus . . . . valorem annuum non excedunt . . . ., per diversas alias nostras litteras de novo mandavimus provideri, et qui, ut asseris, canonicatum et prebendam ecclesie Bechemensis predictos libere in manibus . . . . magistri Bartholomei Francisci prepositi ecclesie s. Stephani Pratensis Pistoriensis diocesis, notarii nostri, apud sedem apostolicam resignasti, . . . apostolica auctoritate concedimus, quod predicte nostre littere, per quas tibi de canonicatu sub expectacione prebende dicte ecclesie ss. Apostolorum providendum duximus, perinde ab earum data valeant plenamque obtineant roboris firmitatem, ac si statim, postquam dictos canonicatum et prebendam s. Petri assecutus fuisti, eosdem canonicatum et prebendam Bechemensis ecclesiarum predictos omnino et libere dimisisses . . . . Datum Rome ap. S. Petrum duodecimo kal. Marcii pont. n. a. sexto.

R. Lat. 36 fol. 25[a] — Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: PRO SOCIO, N. DE BENEVENTO — [1]) 1389 Novembris 12.

---

899. *Magistro Henrico Ruwe canonico ecclesiae s. Petri Vyšehradensis Pragensis, scriptori et familiari apostolico, conceditur, ut litterae apostolicae, per quas ei sub data V. idus Novembris pont. a. primo (1389 Novembris 9.) de canonicatu sub exspectatione praebendae ac supplementi et dignitatis, personatus seu officii cum vel sine cura ecclesiae s. Lebuini Daventriensis Traiectensis dioc. provisum est, necnon sententia in palatio apostolico lata, per quam dicto Henrico canonicatus et praebenda ac supplementum praefatae ecclesiae contra quendam adversarium adiudicata est, perinde valeant, ac si ipse Henricus statim post assecutionem canonicatus et praebendae ecclesiae s. Petri Vyšehradensis Pragensis canonicatum et praebendam ecclesiae Bechemensis Monasteriensis dioc. dimisisset. „Grata tue familiaritatis“ „Rome ap. S. Petrum duodecimo kal. Martii a sexto“.*

Romae, 1395 Februarii 18.

R. Lat. 36 fol. 32[a] — Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: PRO SOCIO, N. DE BENEVENTO.

---

900. *Augustino Mogis clerico non coniugato nec in sacris ordinibus constituto Vratislaviensis dioc. conceditur tabellionatus officium, ad quod per magistrum Bartholomaeum Francisci praepositum ecclesiae s. Stephani Pratensis Pistoriensis dioc., notarium apostolicum, idoneus repertus est. „Ne contractuum memoria“ „Rome ap. S. Petrum quinto idus Marcii a. sexto“.*

Romae, 1395 Martii 11.

R. Lat. 35 fol. 156[b] — In fine: N. XVI DE BENEVENTO.

901. *Monasterio Aulae b. Mariae in Antiqua Brunna unitur motu proprio parrochialis ecclesia in Hustopeč (Auspitz).*

Romae, 1395 Martii 15.

Bonifacius . . . . abbatisse et conventui monasterii Aule b. Marie in Antiqua Brunna cisterciensis ord. Olomucensis diocesis . . . . Etsi ex debito sollicitudinis pastoralis quibuslibet personis divinis laudibus deditis nos esse deceat favorabiles et benignos, mulieribus tamen, que sub sacra religione domino famulantur, tanto propensiori nos convenit auxilio subvenire, quanto pro fragilitate sexus feminei maioribus dinoscuntur auxiliis indigere.[a]) Volentes igitur vobis, ut incumbencia vobis onera valeatis pro tempore commodius supportare, de alicuius subvencionis auxilio providere, motu proprio . . . . parrochialem ecclesiam in Awspecz Olomucensis diocesis, cuius ius patronatus ad monasterium vestrum, ut asseritur, pertinet, et cuius regimini . . . . Hermannus ipsius ecclesie rector preest de presenti, cuiusque triginta, predicto vestro monasterio, cuius quadringentarum marcharum argenti puri fructus . . . . valorem annuum . . . . non excedunt, ... auctoritate apostolica . . . . perpetuo incorporamus, annectimus et unimus, nichilominus vobis concedentes, quod dictum rectorem ab ipsa ecclesia amovere necnon corporalem possessionem ecclesie iuriumque et pertinenciarum predictorum libere auctoritate propria apprehendere et exnunc in usus vestros perpetuo retinere ac fructus . . . . ipsius in supportacionem eorundem onerum deputare ipsamque ecclesiam in Awspecz et curam parrochianorum eiusdem per ydoneos sacerdotes, per abbatissam dicti monasterii pro tempore existentem dumtaxat et ad eius nutum ponendos et amovendos, regi facere libere possitis, super hoc dyocesani loci pro tempore existentis vel cuiuscunque alterius licencia seu consensu minime requisitis, ita tamen, quod in eadem ecclesia in Awspecz solitus ministrorum numerus nullatenus minuatur, et inibi deserviatur laudabiliter in divinis, et huiusmodi cura pro tempore diligenter exerceatur, quodque vos iura episcopalia solvere et alia eiusdem ecclesie onera consueta teneamini integre supportare, non obstantibus revocacionibus unionum in genere vel in specie sub quacunque forma vel expressione verborum per nos forsan imposterum faciendis, sub quibus presentem unionem huiusmodi nolumus aliquatenus comprehendi, sed illam volumus in suo robore firmitatis perpetuo et irrefragabiliter perdurare . . . . Volumus autem, quod si per vos prefatum rectorem ab ipsa ecclesia amoveri contigerit, ut prefertur, idem rector nullam propter amocionem huiusmodi infamie maculam incurrat sive notam, quodque vos extunc singulis annis eidem rectori, quoad vixerit, annuam pensionem triginta marcharum argenti puri ministrare ac nichilominus, antequam possessionem ipsius ecclesie apprehendere valeatis, de huiusmodi pensione annuatim realiter et cum effectu persolvenda eidem rectori ydoneam cautionem prestare teneamini et sitis astricte . . . . Datum Rome ap. S. Petrum idibus Marcii a. sexto.

R. Lat. 38 fol. 76[a] — [a]) Loco verborum ‚volentes—incorporamus' in registro haec erant: ‚Hinc est, quod nos vestris in hac parte supplicacionibus inclinati, ac ut incumbencia vobis, que una cum vobis obsequentibus fere centum et quadraginta personarum numero existitis, onera valeatis . . . . supportare, de alicuius subvencionis auxilio vobis providere volentes, parrochialem ecclesiam in Awspecz Olomucensis diocesis, cuius ius patronatus ad monasterium vestrum, ut

asseritur, pertinet, ac cappellam s. Procopii infra parrochiam parrochialis ecclesie s. Wenceslai in Antiqua Brunna dicte diocesis consistentem, quam, ut asseritis, eciam a fundacione ipsius monasterii, cuius memoria hominum non existit, in usus proprios pro supportandis oneribus hospitalitatis ipsius monasterii continue tenuistis et possedistis, prout tenetis et possidetis, pacifice et quiete et cui per sacerdotem ad nutum vestrum positum et amotum pro tempore in divinis deserviri fecistis, prout facitis de presenti, quarum triginta sex, predicto vestro monasterio, cuius centum et triginta marcharum argenti puri fructus . . . . valorem annuum non excedunt, ... perpetuo incorporamus . . . .'; quae per multas correctiones in formam supra positam redacta sunt, et etiam reliqua pars documenti competenter est mutata. — In marg. sin : A. DE PORTUGRUARIO; in fine: N. XXX DE BENEVENTO — In Cod. diplom. Moraviae XII. sub nris. 238 et 239 duae bullae de eadem data unionem supradictae ecclesiae concernentes ex originalibus (!) editae sunt, quarum altera (nr. 238) cum bulla hic supra edita concordat, altera autem (nr. 239) ea verba continet, quae in registro sunt cancellata et correcta (cf. notam [a]) huius numeri).

---

902. *Auditori apostolico mandatur, quatenus, si ei constiterit neque Petro dicto Pestal neque Nicolao de Tišňovicz in parrochiali ecclesia in Třebíč ius competere, ecclesiam ipsam dicto Petro conferat.*

Romae, 1395 Martii 16.

Bonifacius . . . . magistro Nicolao de Borrellis capellano nostro et causarum palacii apostolici auditori . . . . Religionis zelus, vite ac morum honestas . . . ., super quibus . . . . Petrus dictus Pestal monachus monasterii in Trebecz ord. s. Benedicti Olomucensis diocesis . . . . commendatur . . . ., nos inducunt, ut sibi reddamur . . . . liberales. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dicti Petri peticio continebat, quod orta dudum inter ipsum et . . . Nicolaum de Tussnowicz, qui se gerit pro presbytero dicte diocesis, super parrochiali ecclesia in Trebecz eiusdem diocesis, de qua, tunc per obitum quondam Johannis de Policz ipsius ecclesie rectoris extra Romanam curiam defuncti vacante, Petrus sibi auctoritate ordinaria provisum fuisse, seque illam assecutum extitisse canonice ipsamque aliquamdiu tenuisse et possedisse et tunc eciam tenere et possidere pacifice et quiete, prefatumque Nicolaum se provisioni et assecucioni huiusmodi contra iusticiam opposuisse et opponere ac fecisse et facere, quominus idem Petrus dictam ecclesiam potuerit et possit pacifice possidere, Nicolaus vero predicti eandem ecclesiam ad se de iure spectare asserebant, prout asserunt, materia questionis [1]) et causa huiusmodi ad sedem apostolicam legitime introducta: nos causam ipsam tibi ad instanciam dicti Nicolai . . . . commisimus . . . ., tuque in causa ipsa ad nonnullos actus citra tamen conclusionem diceris processisse. Cum autem, sicut eadem peticio subiungebat, a nonnullis asseratur neutrum dictorum Petri et Nicolai in dicta ecclesia ius habere, nos . . . . discrecioni tue . . . . committimus et mandamus, quatenus, si per eventum litis huiusmodi tibi constiterit neutri dictorum Petri et Nicolai in prefata ecclesia seu ad eam ius competere, eandem ecclesiam, cuius fructus . . . . quadraginta marcharum argenti puri . . . . valorem annuum . . . . non excedunt . . . ., eciam si . . . . per seculares clericos regi consueverit, ... eidem Petro . . . . auctoritate nostra conferas et assignes . . . . Datum Rome ap. S. Petrum decimo septimo kal. Aprilis a. sexto.

R. Lat. 38 fol. 139[a] — In fine: N. XXIIII DE BENEVENTO — [1]) Cf. nros. 343 et 468.

903. *Abbatissae et conventui monasterii in Pustiměř ord. s. Benedicti Olomucensis dioc. conceditur, ut parrochialem ecclesiam in Pustiměř cedente vel decedente vicario eius, qui nunc est, per aliquem idoneum presbyterum saecularem episcopo Olomucensi per eas nominandum et ad earum voluntatem removendum gubernari facere possint, ita tamen, ut ipsae iura episcopalia solvere et alia onera, ad quae dictus vicarius tenebatur, supportare teneantur. „Sacre vestre religionis" „Rome ap. S Petrum quarto kal. Aprilis a. sexto".*

Romae, 1395 Martii 29.

R. Lat. 38 fol. 29[r] — In fine: N. XXX DE BENEVENTO - Ed. ex originali in Cod. dipl. Moraviae XII. p. 231 nr. 242.

---

904. *Eckhardo[a]) Mulnbach clerico Maguntinensis dioc. reservatur beneficium ecclesiasticum cum vel sine cura, consuetum clericis saecularibus assignari, cuius fructus 25 resp. 18 marcarum argenti valorem annuum non excedant, ad collationem abbatis et conventus monasterii in Arnsburg[b]) ord. cisterciensis Maguntinensis dioc. pertinens, si quod vacat, vel cum vacaverit. „Vite ac morum" „Rome ap. S. Petrum quarto kal. Aprilis a. sexto". — Simili modo praeposito Vratislaviensis et decano in Amöneburg[c]) Maguntinensis dioc. ac scholastico s. Stephani Maguntinensis ecclesiarum.*

Romae, 1395 Martii 29.

R. Lat. 37 fol. 121[a] — [a]) ‚Echardo' [b]) ‚Arnspurg' [c]) ‚Amenceburg' — In marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: PRO DEO, N. DE BENEVENTO.

---

905. *Henricus s. Anastasiae presbyter cardinalis, sacri collegii cardinalium camerarius, Henricum episcopum Vladislaviensem quitat de pecunia, quam pro parte partis sui communis servitii per manus magistri Nicolai de Glivicz[a]) litterarum apostolicarum scriptoris camerae sacri collegii solvi fecit. „[Rome ap. S. Petrum], indiccione III, die prima mensis Aprilis, pont. . . . . anno sexto".*

Romae, 1395 Aprilis 1.

Oblig. et sol. 59 fol. 51[a] — [a]) ‚Glawitz' — In fine: FL. II GR. II

---

906. *Anno 1395 die III. mensis Aprilis Petrus Gregorii praepositus ecclesiae s. Georgii de Viridi Campo Strigoniensis dioc. et Procopius de Praga, obligantes se et sua bona et beneficia, promiserunt camerae apostolicae et sacro collegio pro communi servitio Materni episcopi Transsilvani 1500 florenos auri de camera et quinque servitia consueta.*

Romae, 1395 Aprilis 3.

Oblig. et sol. 48 fol. 175[a], et iterum Oblig. et sol. 52 fol. 55[b].

907. *Anno 1395 die III. mensis Aprilis Petrus Gregorii praepositus ecclesiae s. Georgii de Viridi Campo Strigoniensis dioc. et Procopius de Praga, obligantes se et sua bona et beneficia, promiserunt camerae apostolicae et sacro collegio pro communi servitio Demetrii episcopi Vesprimiensis 900 florenos auri de camera et quinque servitia consueta.*

Romae, 1395 Aprilis 3.

Oblig. et sol. 48 fol. 175[b], et iterum Oblig. et sol. 52 fol. 55[b]

---

908. *Abbas monasterii Scotorum*[a]) *Viennensis Pataviensis dioc. ac Pragensis et Pataviensis*[b]) *ecclesiarum decani conservatores Zdenkonis*[c]) *abbatis et conventus monasterii Lucensis prope Znojmam*[d]) *praemonstratensis ord. Olomucensis dioc. instituuntur. „Ad reprimendas" „Rome ap. S. Petrum tercio nonas Aprilis a. sexto".*

Romae, 1395 Aprilis 3.

R. Lat. 38 fol. 137[a] — [a]) ‚Santorum' (sic) [b]) ‚Panien.' (sic) [c]) ‚Sdencon'is' [d]) ‚Snoymam' — In fine: N. LX DE BENEVENTO — Ed. ex originali in Cod. dipl. Moraviae XII. p. 235 nr. 246.

---

909. *Causarum curiae camerae apostolicae auditori generali mandatur, quatenus, si Venceslaum de Svojetín propter falsi instrumenti publici fabricationem parrochiali ecclesia s. Stephani Pragensi privaverit, eandem ecclesiam Nicolao de Misa conferat.*

Romae, 1395 Aprilis 13.

Bonifacius . . . . magistro Francisco de Mercatello capellano nostro et causarum curie camere apostolice auditori generali . . . . Vite ac morum honestas aliaque . . . . merita, super quibus . . . . Nicolaus Jacobi de Myza presbyter Pragensis diocesis . . . . commendatur . . . ., nos inducunt, ut sibi reddamur . . . . liberales. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dicti Nicolai peticio continebat, quod orta dudum inter Wenceslaum de Swegieteyn rectorem parrochialis ecclesie s. Stephani Pragensis et . . . . Wenceslaum dictum Slama presbyterum dicte diocesis super eadem ecclesia, quam, tunc per obitum quondam Johannis Plzak ipsius ecclesie rectoris apud sedem apostolicam defuncti vacantem, quilibet ipsorum Wenceslai de Swegieteyn et Wenceslai dicti Slama ad se de iure spectare asserebant,[1]) materia questionis, et causa huiusmodi ad sedem apostolicam legitime introducta et in palacio apostolico coram certo auditore causarum dicti palacii ex commissione apostolica diucius ventilata, idem Wenceslaus de Swegieteyn unam pro se et contra dictum Wenceslaum dictum Slama, per quam dicta ecclesia Wenceslao de Swegieteyn adiudicata et super ea Wenceslao dicto Slama prefatis perpetuum silencium impositum extitit, diffinitivam sentenciam reportavit et super execucione huiusmodi sentencie, que nulla provocacione suspensa in rem transivit iudicatam, nostras ad certos iudices litteras impetravit. Cum autem, sicut eadem

peticio subiungebat, antequam sentencia ipsa execucioni debite demandata fuisset, prefatus Wenceslaus de Swegieteyn coram te de quodam falso publico instrumento per ipsum fabricato delatus seque huiusmodi falsum instrumentum confecisse coram te sponte confessus fuerit, tuque propterea contra ipsum Wenceslaum de Swegieteyn ex officio procedens, per tuam diffinitivam sentenciam eum tamquam falsarium ad standum in scalis publicis cum mitra in capite et titulo delictorum diebus et horis per te tunc assignatis et in clauso carcere per te sibi deputando condemnaveris, nos igitur attendentes, quod veris existentibus supradictis idem Wenceslaus de Swegieteyn dicta ecclesia et omni iure sibi in ea seu ad eam quomodolibet competente reddidit se indignum . . . ., discrecioni tue . . . . committimus et mandamus, quatenus, si est ita, predictum Wenceslaum de Swegieteyn predicta ecclesia et omni iure sibi in ea seu ad eam quomodolibet competenti auctoritate nostra sentencialiter prives et amoveas eciam realiter ab eadem, et nichilominus si per te ipsum Wenceslaum de Swegieteyn eadem ecclesi aprivari et ab illa amoveri contigerit, ut prefertur, ecclesiam ipsam, cuius fructus . . . . quinque marcharum argenti . . . . valorem annuum . . . . non excedunt, ... eidem Nicolao auctoritate predicta conferas et assignes . . . .; non obstantibus . . . ., quod nuper eidem Nicolao, ut asserit, de uno ad . . . . prepositi, decani et capituli singulorumque canonicorum ecclesie s. Egidii Pragensis . . . . et de alio ad . . . . abbatis et conventus monasterii S. Corone cisterciensis ord. predicte diocesis collacionem . . . pertinentibus beneficiis ecclesiasticis cum cura vel sine cura, vacantibus vel vacaturis, per alias nostras litteras graciose mandavimus provideri.[2] Volumus autem, quod, quamprimum ipse Nicolaus . . . . predictam parrochialem ecclesiam fuerit pacifice assecutus, huiusmodi littere et processus habiti per easdem et quecunque inde secuta, quoad curatum beneficium dumtaxat, sint cassa et irrita . . . . Datum Rome ap. S. Petrum idibus Aprilis a. sexto.

R. Lat. 36 fol. 17[b] — Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: N. XXVI DE BENEVENTO — [1]) Cf. nr. 588 [2]) Cf. nr. 514.

---

910. *‚Universis visitantibus annuatim cappellam ss. Philippi et Jacobi apostolorum in porta monasterii Czedlicensis cisterciensis ord. Pragensis diocesis consistentem, in qua, ut asseritur, corpus dominicum in quadam archa et loco sacrum sepulchrum nuncupato reverenter et cum magna devotione servatur etc., concedit in festivitate corporis domini nostri Jesu Chr. a primis vesperis etc. et per eius octavas illam indulgentiam, quam consecuntur visitantes annuatim ecclesiam s. Marci de Venetiis Castellanensis diocesis in die ascensionis domini nostri Jesu Chr. a primis vesperis etc. Datum Romae ap. S. Petrum XVI. calend. Maii a. sexto.‘*

Romae, 1395 Aprilis 16.

Istud excerptum Raynaldi „ex libro primo de diversis formis a. sexto fol. 17“ habetur in bibliothecae Vaticanae codice Vatic. 6952 fol. 164[a].

---

911. *Cum Venceslao Petri Czotr clerico Pragensis dioc., qui, ut asserit, in artibus studet et in vicesimo secundo suae aetatis anno constitus existit, ad supplicationem Venceslai Romanorum et Bohemiae regis dispensatur, ut aetatis defectu non obstante parrochialem ecclesiam in Reichenstein*[a]) *Pragensis dioc., quae de iure patronatus dicti regis est, et ad quam idem rex eum se asserit praesentasse, recipere et retinere possit. „Vite ac morum" „Rome ap. S. Petrum duodecimo kal. Maii a. sexto".*

Romae, 1395 Aprilis 20.

R. Lat. 36 fol. 233[a] — [a]) ‚Reychensteyn' — In fine: N. XX DE BENEVENTO

---

912. *Abbas monasterii s. Vincentii prope Vratislaviam et praepositus s. Aegidii Pragensis ac decanus Pataviensis ecclesiarum conservatores abbatis et conventus monasterii in Vilémov*[a]) *ord. s. Benedicti Pragensis dioc. usque ad quinquennium instituuntur. „Militanti ecclesie" „Rome ap. S. Petrum decimo kal. Maii a. sexto".*

Romae, 1395 Aprilis 22.

R. Lat. 37 fol. 248[a] — Supra in marg. sin.: JO. DE BONONIA; in fine: N. XXX DE BENEVENTO.

---

913. *Monasterio Aulae b. Mariae in Antiqua Brunna cisterciensis ord. Olomucensis dioc. omnia privilegia a Romanis pontificibus vel a principibus et aliis Christi fidelibus ei concessa confirmantur „Solet annuere" „Rome ap. S. Petrum III. kal. Maii pont. n. a. sexto".*

Romae, 1395 Aprilis 29.

Ed. ex originali in Cod. dipl. Moraviae XII. p. 240. nr. 250.

---

914. *Petro priori domus hospitalis s. Johannis Jerosolimitani in pede pontis Pragensis eiusque successoribus indulgetur, ut insigniis pontificalibus uti possint.*

Romae, 1395 Maii 1.

Bonifacius . . . . Petro priori et conventui domus hospitalis s. Johannis Jerosolimitani s. Marie in pede pontis civitatis Pragensis . . . . Exposcit vestre devocionis . . . . Hinc est, quod nos vestris in hac parte supplicacionibus inclinati, ut tu, prior, et successores tui, dicte domus priores, qui pro tempore fuerint, mitra, anulo et aliis pontificalibus insigniis, quibus et prout . . . . prepositus domus sacrosancti Sepulchri dominici Jerosolimitani Sderaziensis ord. s. Augustini et prelati et canonici ecclesie s. Petri Vicegradensis Pragensis utuntur, et in eisdem festivitatibus et in diebus libere possitis uti ac benediccionem solemnem post missarum, vesperarum et matutinarum solemnia, dummodo in benediccione

huiusmodi, aliquis antistes vel sedis apostolice legatus presens non fuerit elargiri possitis . . . ., vobis et eisdem successoribus auctoritate apostolica . . . . indulgemus . . . . Datum Rome ap. S. Petrum kal. Maii a. sexto.

R. Lat. 38 fol. 82b — Supra in marg. sin.: P. DE BOSCO; in fine: N. L DE BENEVENTO.

---

915. *Jacobo de Bononia reservantur motu proprio unum, duo, tria seu quatuor beneficia ecclesiastica.*

Romae, 1395 Maii 1.

Bonifacius . . . . magistro Jacobo Philippi de Quidocis de Bononia referendario nostro . . . . Grata tue devocionis obsequia . . . . Volentes itaque tibi, qui eciam fructuum et proventuum camere apostolice in regno Polonie debitorum collector existis, ... graciam facere specialem, unum vel duo seu trium aut quatuor beneficium seu beneficia . . . . ecclesiastica, eciam si canonicatus et prebende metropolitanarum aut cathedralium ecclesiarum fuerint, et ipsum unum vel ipsorum duorum aut trium vel quatuor aliquod curatum aut dignitas, personatus vel officium, et dignitas huiusmodi in eisdem metropolitana vel cathedrali maior post pontificalem aut in collegiata ecclesiis principalis existat, et ad eam consueverit quis per eleccionem assumi, cuius seu quorum fructus . . . . quingentorum florenorum auri . . . . valorem annuum non excedant, ad . . . . archiepiscopi Gneznensis et Cracouiensis ac Wratislauiensis episcoporum, necnon . . . . Gneznensis, Cracouiensis et Wratislauiensis ecclesiarum capitulorum collacionem . . . . pertinencia, si quod aut si qua vacat seu vacant ad presens, vel cum vacaverit aut simul vel successive vacaverint, ... conferenda tibi . . . ., eciam si ipsa beneficia vel eorum aliqua ex personis illorum, qui illa obtinent, disposicioni apostolice generaliter aut specialiter quomodolibet reservata fuerint, ... motu proprio . . . . donacioni apostolice reservamus . . . .; non obstantibus . . . ., si aliqui super provisionibus sibi faciendis . . . . apostolice sedis vel legatorum eius litteras impetrarint, ... quibus omnibus . . . . preterquam cardinalibus et . . . . familiaribus nostris domesticis et continuis commensalibus te . . . . volumus anteferri . . . . Nos enim tecum, ut beneficium seu beneficia libere recipere et una cum dignitatibus, personatibus, officiis, canonicatibus et prebendis ac aliis beneficiis ecclesiasticis cum cura et sine cura . . . . retinere valeas . . . ., motu simili . . . . dispensamus . . . . Datum Rome ap. S. Petrum kal. Maii a. sexto.

Simili modo . . . . episcopo Eugubino et . . . . abbati monasterii s. Marie in Arena extra muros Wratislauienses ac officiali Wratislauiensi . . . .

R. Lat. 37 fol. 153a — In fine: N. XXXX. XXXXII DE BENEVENTO.

---

916. *Judicibus mandatur, quatenus Nicolao de Glivicz canonicatum et praebendam in ecclesia Pragensi vacantes conferant.*

Romae, 1395 Maii 6.

Bonifacius . . . . episcopo Tudensi et . . . . preposito ecclesie Wratislauiensis ac officiali Wratislauiensi . . . . Grata . . . . magistri Nicolai de Gliwicz canonici ecclesie Pragensis, scriptoris et familiaris nostri, devocionis et familiaritatis obsequia . . . . nos inducunt, ut sibi reddamur . . . . liberales. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dicti Nicolai peticio continebat, quod olim canonicatu et prebenda dicte ecclesie, quos quondam Martinus de Gebiczke . . . . obtinebat, per eiusdem Martini obitum, qui extra Romanam curiam diem clausit extremum, vacantibus, prefatus Nicolaus auctoritate quarundam litterarum nostrarum, per quas canonicatum dicte ecclesie obtinens, prebendam inibi expectabat, predictos canonicatum et prebendam sic vacantes infra tempus legitimum acceptavit sibique de illis obtinuit provideri. Cum autem . . . . idem Nicolaus dubitet acceptacionem et provisionem predictas ex certis causis viribus non subsistere . . . . nos volentes eidem Nicolao, qui eciam litterarum apostolicarum abbreviator existit, ... graciam facere specialem, discrecioni vestre . . . . mandamus, quatenus . . . . canonicatum et prebendam predictos, quorum fructus . . . . quindecim marcharum argenti puri . . . . valorem annuum . . . non excedunt, ... eidem Nicolao auctoritate nostra conferre et assignare curetis . . . .; non obstantibus . . . ., quod idem Nicolaus, ut asserit, archidiaconatum Belinensem in predicta [1]) et canonicatum et prebendam in Wratislauiensi et altare ss. Mathei et Martini, quod sine cura est, situm in Nysnensi Wratislauiensis diocesis ecclesiis, quorum omnium fructus . . . septuaginta marcharum argenti puri . . . . valorem annuum non excedunt, obtinet, et nos dudum sibi de canonicatibus sub expectacionibus prebendarum Olomucensis et Glogouiensis eiusdem diocesis ecclesiarum per alias nostras litteras graciose duximus providendum. [2]) Volumus, quod, quamprimum dictus Nicolaus vigore presencium canonicatum et prebendam predictos fuerit pacifice assecutus, predicte littere, per quas illos acceptavit et de ipsis sibi provideri fecit, ... et quecunque inde secuta sint cassa et irrita . . . . Datum Rome ap. S. Petrum secundo nonas Maii a. sexto.

R. Lat. 36 fol. 69 a — In fine: PRO SOCIO, N. DE BENEVENTO. — [1]) Cf. nr. 52. [2]) Cf. nros. 222. 223.

---

917. *Ricardo hospitalis s. Johannis Jerosolimitani magistro et apostolicae sedis nuntio ad Ungariae, Bohemiae et Poloniae regna et ad Alamanniae et nonnullas alias partes pro nonnullis Romanae ecclesiae arduiis negotiis destinato [per litteras postea propter eius mortem cassatas] indulgetur, ut confessor, quem quilibet sociorum et familiarium eius, huiusmodi negotiorum prosecutione durante ei obsequentium, duxerit eligendum, absolutionem debitam in omnibus, in quibus poenitentiarii minores in Romana curia residentes absolvere possunt, eis impendere valeat. „Rome ap. S. Petrum nonis Maii pont. n. a. sexto“.*

Romae, 1395 Maii 7.

R. Vat. 314 fol. 355 b — Copia huius bullae in registro cancellata est et in margine haec nota est adscripta: CASSATA, QUIA MORTUUS UT SUPRA sc. ibidem fol. 354 b, ubi litterae secui conductus pro eodem nuncio ddto 1395 Maii 9 sunt registratae, sed cancellatae, hac nota adiuncta: CASSATA, QUIA MORTUUS ANTE SUUM SECESSUM DE URBE DICTUS

DOM. FRATER RICARDUS. In eodem volumine nonnullae aliae bullae ddto 1395 Maii 5 legationem dicti Ricardi concernentes, sed propter eius mortem cassatae, registratae sunt, per quas diversae facultates et gratiae, nuntiis apostolicis dari consuetae, ei conceduntur, videlicet: 1) ut possit componere cum 50 personis super restitutione rerum per eas modis illicitis acquisitarum (fol. 357b); 2) ut sociis et familiaribus eius confessor eorum plenam omnium peccatorum remissionem semel tantum in mortis articulo concedere possit (fol. 357b); 3) facultas concedendi 12 personis, ut naves ad terras ultramarinas ducere possint (fol. 358a); 4) ut Alfardus de Lichtenberch canonicus Traiectensis et Antonius Silvestri de Valle Regia presbyter hospitalis s. Johannis Jerosolimitani professor, cum 100 personis defectum natalium patientibus, quas dictus nuntius eis nominaverit, dispensare valeant, ut ad omnes sacros ordines promoveri et duo beneficia ecclesiastica recipere possint (fol. 350b); 5) ut iidem 100 personas per eundem nuntium nominandas, quae clericos percusserunt, ab excommunicationis sententia possint absolvere (fol. 359a); 6) ut iidem 150 personis per Ricardum nominandis licentiam eligendi confessorem concedere possint (fol. 359b). Item fol. 354b — 355b litterae securi conductus pro eodem Ricardo ddto 1395 Maii 12, quae in pluribus exemplaribus confectae sed cassatae erant, registratae sunt.

---

918. *Judicibus mandatur, quatenus Andreae de Vittingavia praebendam in Vitonicz in ecclesia Olomucensi vacantem, quam ipse sua priore praebenda dimissa optavit, conferant.*

Romae, 1395 Maii 7.

Bonifacius . . . . abbati monasterii Gradicensis prope Olomucz et preposito ecclesie Olomucensis ac officiali Pragensi . . . . Vite ac morum honestas aliaque . . . . merita, super quibus . . . . Andreas de Witgnaw canonicus Olomucensis . . . . commendatur . . . ., nos inducunt, ut sibi reddamur . . . . liberales. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dicti Andree peticio continebat, quod olim canonicatu ecclesie Olomucensis et prebenda in Witonicz in eadem ecclesia, quos quondam Martinus de Gewiczka . . . . obtinebat, per ipsius Martini obitum, qui extra Romanam [curiam] decessit, vacantibus, prefatus Andreas, alios canonicatum et prebendam ipsius ecclesie tunc obtinens, [1]) predictam prebendam in Witonicz sic vacantem, prout iuxta ipsius ecclesie consuetudinem poterat, infra tempus legitimum optavit, huiusmodi, quam prius tenebat, prebenda per eum libere et omnino dimissa. Cum autem . . . . prefatus Andreas dubitet opcionem predictam ex certis causis viribus non subsistere . . . ., nos . . . . discrecioni vestre . . . . mandamus, quatenus . . . . eandem prebendam in Witonicz, cuius et canonicatus ipsius ecclesie fructus . . . . octo marcharum argenti puri . . . valorem annuum . . . . non excedunt, ... eidem Andree auctoritate nostra conferre et assignare curetis . . . .; non obstantibus . . . ., quod prefatus Andreas, ut asserit, parrochialem ecclesiam in Hemicho [2]) et in s. Petri in Brunna Olomucensis diocesis canonicatum et prebendam ac in predicta Olomucensi ecclesiis decanatum, quorum omnium fructus . . . sexaginta marcharum argenti puri . . . . valorem annuum non excedunt, obtinet, et nos dudum sibi de canonicatu sub expectacione prebende ecclesie Pragensis graciose concessimus provideri . . . . Datum Rome ap. S. Petrum nonis Maii a. sexto.

R. Lat. 36 fol. 86a — In fine: N. XVIIII DE BENEVENTO — [1]) Cf. nr. 663 [2]) i. e. Heinreichs (Biteš).

919. Obligatio Dionysii abbatis Břevnoviensis.

Romae, 1395 Maii 14.

Indiccione tercia, die [veneris, quarta decima mensis Maii, pont. anno VI°.] venerabilis pater frater Dyonisius[a]) abbas monasterii ss. Adalberti et Benedicti Brewnouiensis prope Pragam ord. s. Benedicti per dom. fratrem Johannem de Przedewicz[1]) rectorem parrochialis ecclesie in Nezamislicz[b]) Pragensis diocesis, monachum dicti monasterii, [c]) procuratorem suum ad hoc legitime constitutum, promisit camere et collegio pro suo communi servicio centum florenos auri de camera et quinque servicia consueta; solvendo medietatem in festo nativitatis domini nostri Jesu Chr. proxime futuro, et aliam medietatem in festo nativitatis eiusdem domini nostri extunc proxime secuturo [d]) . . . .

Oblig. et sol. 52 fol. 57 [b], et iterum Oblig. et sol. 48. fol. 178[a] — [a]) ‚Dywissius' Obl. 48 [b]) ‚Nezatnislicz' cod. [c]) ‚Johannem Predebornicz monacum dicti monasterii' Obl. 48 [d]) ‚solvendo medietatem in festo nativ. s. Johannis Baptiste proxime futuro, aliam medietatem in festo nativ. dom. n. J. Chr. extunc proxime secuturo' Obl. 48 — [1]) Předbořicz.

---

920. Dionysius abbas Břevnoviensis quitatur de solutione partis suorum servitiorum camerae sacri collegii.

Romae, 1395 Maii 15.

Henricus[. . . . s. Anastasie presbyter cardinalis, sacri collegii . . . . cardinalium camerarius, ... notum facimus], quod venerabilis pater frater Dyuissius abbas monasterii ss. Adalberti et Benedicti (*sic*) pro parte partis sui communis servicii . . . . viginti quinque florenos auri de camera . . . ., et pro parte partis unius eciam sui minuti servicii unum similem florenum, solidos triginta tres, denarios duos et obolum per manus religiosi viri fratris Johannis de Pyzedworycz[1]) rectoris parrochialis ecclesie in Nezamislicz Pragensis diocesis etc., monachi dicti ordinis, tempore debito solvi fecit . . . . Datum [Rome ap. S. Petrum a. 1395] die quinta decima mensis Maii pont. anno sexto.

Oblig. et sol. 59 fol. 53[a] — In fine: FL. I GR. II — De eadem solutione in libro „divisionum 1389—1399" (Oblig. et sol. 51) mentio fit in haec verba (fol. 79 [a]): „[A. 1395] die XV mensis Maii fr. Dionisius abbas monasterii ss. Adalberti et Benedicti Brewnouiensis prope Pragam solvit pro parte partis sui communis servicii flor. 25 et pro minuto flor. 1, sol. 33, den. 4 (!) et obolum. Fuit promotus anno dom. Urbani VIII° (i. e. 1385 $^{17}/_{4}$—1386 $^{17}/_{4}$) . . . ." — [1]) Předbořicz.

---

921. Monasterio Fontis b. Mariae virginis in Sar cisterciensis ord. Pragensis dioc., cuius fructus 50 marcarum argenti valorem annuum non excedunt, uniuntur parrochiales ecclesiae in Sar, Loučan,[a]) Bobravia Superiore et Zaječí[b]) Olomucensis dioc., quae de iure patronatus eiusdem monasterii existunt, et quarum fructus 40 marcarum argenti valorem annuum non excedunt, ita ut per monachos

dicti monasterii per eiusdem abbatem ponendos et amovendos gubernari debeant. „Sacre vestre religionis" „Rome ap. S. Petrum quinto decimo kal. Junii a. sexto".

Romae, 1395 Maii 18.

R. Lat. 38 fol. 140b — a) ‚Lauzans' b) ‚Zagecz' — Supra in marg. sin.: P. DE BOSCO; in fine: N. LXXX DE BENEVENTO — Ed. Steinbach, Diplomatische Sammlung historischer Merkwürdigkeiten aus dem Archive des gräfl. Cisterzienserstiftes Saar in Mähren, Th. II. 1783, p. 118 nr. 76; et iterum ex originali in Cod. diplom. Moraviae XII. p. 244 nr. 256.

---

922. *Zdenkoni abbati monasterii Lucensis prope Znojmam praemonstratensis ord. Olomucensis dioc. eiusque successoribus absolvendi auctoritate apostolica canonicos ipsius monasterii a quibuscunque excommunicationum et aliis sententiis etiam maioribus ac poenis et cum eis super irregularitate dispensandi facultas conceditur. „Sincere devocionis" „Rome ap. S. Petrum quarto decimo kal. Junii a. sexto".*

Romae, 1395 Maii 19.

R. Lat. 38 fol. 101b — In fine: N.-C-DE BENEVENTO — Ed. ex originali in Cod. dipl. Moraviae XII. p. 245 nr. 257.

---

923. *Abbas monasterii Scotorum in Vienna*a) *Pataviensis dioc. et Pragensis ac Pataviensis ecclesiarum decani conservatores Zdenkonis*b) *abbatis et conventus monasterii Lucensis prope Znojmam*c) *praemonstratensis ord. Olomucensis dioc. usque ad decennium instituuntur. „Militanti ecclesie" „Rome ap. S. Petrum quarto decimo kal. Junii a. sexto".*

Romae, 1395 Maii 19.

R. Lat. 37 fol. 250a — a) ‚Wyenna' b) ‚Sdenkonis' c) ‚Snoymam' — In fine: N. L DE BENEVENTO.

---

924. *Abbati monasterii Lucensis conceditur, ut canonicos dicti monasterii in parrochialibus ecclesiis ad monasterium ipsum spectantibus institutos, cum delinquant, ad claustrum revocare possit.*

Romae, 1395 Maii 19.

Bonifacius . . . . abbati et conventui monasterii Lucensis prope Snoymam premonstratensis ord. Olomucensis diocesis . . . . Sincere devocionis affectus, quem ad nos et Romanam geritis ecclesiam, promeretur, ut votis vestris, illis presertim, per que fervor devocionis et regularis observancia in monasterio vestro succrescat et extirpentur errores, libenter annuamus eosque favorabiliter exaudiamus. Dudum siquidem pro parte Premonstratensis et aliorum monasteriorum ordinis vestri abbatum fel. rec. Alexandro IIII. predecessori nostro inter alia exposito, quod cum canonici eiusdem ordinis, commorantes in parrochialibus ecclesiis ad ipsos

spectantibus, aliquo casu delinquerent, ita quod expediret eos ad claustrum suum recepturos disciplinam ordinis revocari, quidam archiepiscopi et episcopi indignum favorem impendentes eisdem, ipsos retinere conarentur in locis, in quibus nequirent absque scandalo et ecclesiarum ipsarum dispendio commorari, idem predecessor eisdem archiepiscopis et episcopis per suas litteras mandavit, ut, cum dicti abbates tales ad claustrum propter scandalum et ecclesiarum dispendium evitandum seu eciam pro disciplina monastica circa delinquentes huiusmodi exercenda ducerent revocandos, non obsisterent eisdem nec illis favorem indebitum impenderent, sed instituerent, prout ad eos pertineret, in illis ecclesiis alios, eis presentatos ab ipsis, delinquentes revocari ad claustrum libere permittendo disciplinam ordinis recepturos, ne aliter faciendo, tribuendo eis audaciam detractandi, obediencie iugum et ipsorum abbatum potestatem quodam modo enervarent, prout in ipsis litteris plenius continetur. Cum autem, sicut exhibita nobis nuper pro parte vestra peticio continebat, canonici predicti monasterii vestri in nonnullis ecclesiis, quas in usus vestros canonice obtinetis, instituti seu commorantes sepius delinquant, qui propterea per vos ad claustrum dicti monasterii vestri pro tempore revocati, nichilominus contra tenorem dictarum litterarum predecessoris eiusdem in ecclesiis ipsis per illicos favores quorundam eis favencium seu alias remaneant, ad huiusmodi claustrum, ut evitent ordinis eiusdem disciplinam, redire temere non curantes in suarum animarum dispendium et regularis obediencie contemptum et scandalum plurimorum, pro parte vestra nobis fuit humiliter supplicatum, ut providere vobis et eidem monasterio super hoc de oportuno remedio . . . . dignaremur. Nos itaque . . . ., ut tu, fili abbas, et successores tui, dicti monasterii vestri abbates pro tempore existentes, quoscunque tales canonicos dicti monasterii vestri delinquentes, in eisdem ecclesiis, quas, ut premittitur, obtinetis, pro tempore institutos seu inibi commorantes, tam presentes quam posteros, ad claustrum dicti vestri monasterii propter scandalum et earundem ecclesiarum dispendium evitandum seu eciam alias pro disciplina monastica circa eos, ut premittitur, exercenda pro tempore revocare . . . . valeatis, ipsisque revocatis, alii canonici eiusdem vestri monasterii ydonei eis surrogari seu loco eorum institui in ecclesiis ipsis . . . . possint et debeant, ... tibi, fili abbas, et eisdem successoribus tuis concedimus facultatem, volentes et auctoritate apostolica statuentes, quod ipsi revocati ad claustrum huiusmodi pro tempore cum prompta devocione ac humiliter accedere teneantur, disciplinam ordinis predicti pro commissis humiliter recepturi, et eis, ne post et contra revocacionem de se taliter factam ad huiusmodi claustrum, ut prefertur, in ecclesiis ipsis, quas obtinetis, ut prefertur, remanere seu illas contra dictam revocacionem vestram, ulterius retinere presumant, ac eciam . . . . episcopo Olomucensi pro tempore existenti et quibusvis aliis, ne ipsis canonicis sic revocatis aliquem indignum favorem impendant, districcius inhibemus, decernentes irritum . . . ., si secus . . . . contigerit attemptari. Nulli ergo . . . . Datum Rome ap. S. Petrum quarto decimo kal. Junii a. sexto.

R. Lat. 38 fol. 178a — In marg sin.: P. DE BOSCO; in fine: N. XXXX DE BENEVENTO.

925. *Abbas monasterii s. Vincentii extra muros Vratislavienses et decanus veteris capellae Ratisbonensis ac officialis Pragensis conservatores abbatis et conventus monasterii Břevnoviensis*[a]) *prope Pragam ord. s. Benedicti usque ad decennium instituuntur. „Militanti ecclesie" „Rome ap. S. Petrum nonis Junii a. sexto".*

Romae, 1395 Junii 5.

R. Lat. 37 fol. 250b — a) ‚Brewnouiensis' — In fine: N. L DE BENEVENTO.

---

926. *Abbati et conventui monasterii Břevnoviensis conceditur, ut parrochialem ecclesiam in Chrudim eorum monasterio incorporatam per unum ex monachis eiusdem monasterii ad nutum ipsius abbatis instituendum et destituendum gubernari facere possint.*

Romae, 1395 Junii 5.

Bonifacius . . . . ad perpetuam rei memoriam. Sacre religionis, sub qua . . . . abbas et conventus monasterii Brewnouiensis extra muros Pragenses ord. s. Benedicti sedulum et devotum exhibent altissimo famulatum, promeretur honestas, ut votis eorum . . . . annuamus. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte ipsorum abbatis et conventus peticio continebat, quod hactenus parrochialis ecclesia in Chrudim Luthomislensis diocesis per bone memorie Albertum episcopum Luthomislensem ordinaria et deinde apostolica auctoritatibus extitit dicto eorum monasterio perpetuo incorporata, unita et annexa,[1]) cuius vicaria ad presens per . . . . Jaroslaum de Chotyeticz monachum dicti monasterii, qui super ea contra . . . . Johannem de Mastyow in palacio apostolico duas diffinitivas sentencias, quarum ultima nulla provocacione suspensa in rem transiverat iudicatam, pro se reportavit, regitur et gubernatur, quodque prefatum monasterium adeo propter nonnullorum abbatum, qui eidem prefuerunt, malum regimen et guerras, que in ipsis partibus viguerunt, ac indebitas exacciones principum et baronum ipsarum parcium est debitorum oneribus gravatum et ad paupertatem redactum, quod, nisi per sedem apostolicam de alicuius subvencionis auxilio eis provideatur, ipsi abbas et conventus ex ipsius monasterii fructibus sustentari, hospitalitatem solitam tenere et alia eis incumbencia onera commode non valebunt supportare. Quare pro parte ipsorum abbatis et conventus nobis fuit humiliter supplicatum, ut cedente vel decedente dicto Jaroslao eiusdem ecclesie perpetuo vicario vel perpetuam vicariam ipsius ecclesie alias quomodolibet dimittente, liceat eis huiusmodi ecclesiam per unum ex monachis predicti monasterii ad nutum abbatis eiusdem monasterii, qui est et erit pro tempore, in eadem ecclesia instituendum et destituendum regi facere et gubernari ac ipsius ecclesie fructus . . . . in eorum usus proprios convertere, eisdem concedere . . . . dignaremur. Nos igitur . . . . eisdem abbati et conventui [concedimus], ut cedente vel decedente dicto Jaroslao aut eandem vicariam alias quomodolibet dimittente, liceat eis predictam ecclesiam de cetero per unum ex prefatis monachis ad hoc ydoneum, per eundem abbatem pro tempore existentem in eadem ecclesia ad ipsius abbatis nutum instituendum et destituendum, perpetuo regi facere et eciam gubernari et animarum curam dicte ecclesie diligenter exercere

ac ipsius vicarie fructus . . . . in eorum proprios usus libere convertere, diocesani loci et cuiuscunque alterius licencia vel consensu minime requisitis . . . . Volumus autem, quod dicti abbas et conventus iura episcopalia solvere et alia predicte ecclesie incumbencia onera supportare legitime teneantur . . . . Datum Rome ap. S. Petrum nonis Junii a. sexto.

R. Lat. 38 fol. 87ª — Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: N. XXX DE BENEVENTO. — [1]) Litterae episcopi Litomyšlensis super unione ecclesiae in Chrudim ddto. 1379 Maii 12 (insertae litteris cardin. Pilei ddto. 1380 Octob. 13) ap. Dobner, Monum. hist. Bohem. VI. p. 93 editae sunt.

927. *Michaeli de Broda Theutonicali conceditur, ut litem super parrochiali ecclesia s. Adalberti Novae civitatis Pragensis etiam post institutionem suam in rectorem parrochialis ecclesiae in Chlum ulterius prosequi valeat.*

Romae, 1395 Junii 11.

Bonifacius . . . . Michaeli Micha[e]lis de Brode Theutunicali clerico Pragensis diocesis . . . . Vite ac morum . . . . Exhibita siquidem nobis nuper pro parte tua peticio continebat, quod olim tu ad parrochialem ecclesiam s. Adalberti sub monasterio Zderasiensi Noue ciuitatis Pragensis, tunc per obitum quondam Johannis ultimi ipsius ecclesie rectoris extra Romanam curiam defuncti vacantem, per . . . . Franciscum de Benessow archidiaconum ecclesie Pragensis et . . . . Johannes de Zdyar, qui se gerit pro presbytero Pragensis diocesis per . . . . parrochianos dicte parrochialis ecclesie, cum[a]) tam Franciscus ad archidiaconum dicte Pragensis ecclesie, qui est pro tempore, quam parrochiani prefati ius patronatus et presentandi rectorem ad eandem parrochialem ecclesiam ad se spectare pretenderent, ad ipsam parrochialem ecclesiam sic vacantem . . . . Johanni archiepiscopo Pragensi alias infra tempus legitimum presentati fuistis, et deinde orta inter te et Johannem predictum super prefata parrochiali ecclesia, quam quilibet vestrum pretextu presentacionis huiusmodi de se facte ad se spectare, tuque eundem Johannem se presentacioni huiusmodi de te facte contra iusticiam opposuisse et opponere ac fecisse et facere, quominus in rectorem dicte parrochialis ecclesie instituaris, Johannes vero predictus eandem parrochialem ecclesiam ad se de iure spectare asserebatis, prout asseritis, coram officiali Pragensi non ex delegacione apostolica materia questionis, quolibet vestrum presentacionem huiusmodi de se factam fuisse et esse canonicam pronunciari, decerni et declarari seque in rectorem dicte parrochialis ecclesie instituendum fore et institui petente: prefatus officialis in huiusmodi causa procedens, diffinitivam pro dicto Johanne et contra te sentenciam promulgavit; a qua pro parte tua ad sedem fuit apostolicam apellatum, nosque causam appellacionis huiusmodi et negocii principalis . . . . magistro Nicolao de Borrellis cappellano nostro et causarum palacii apostolici auditori ad tui instanciam . . . . commisimus . . . ., dictusque auditor in causa ipsa inter partes easdem ad nonnullos actus citra tamen conclusionem dicitur processisse.[1]) Cum autem, sicut eadem peticio subiungebat, lite huiusmodi sic indecisa pendente tu ad parrochialem ecclesiam in Chlum dicte diocesis tunc certo modo vacantem

per .... Wentzeslaum de Chlum et Johannem de Vseczky armigeros dicte diocesis veros patronos ipsius ecclesie in Chlum .... prefato archiepiscopo infra tempus legitimum fueris presentatus, tuque dubites expensas in huiusmodi causa oportunas ex eo, quod dictus Johannes de Zdyar in possessione prefate ecclesie s. Adalberti existit, non posse commode supportare, nos .... tibi, cui dudum, ut asseris, de decanatu s. Egidii Pragensis, qui dignitas est, et de s. Petri Wissegradensis prope Pragam ac de ss. Cosme et Damiani Boleslauiensis ecclesiarum canonicatibus et prebendis, necnon de parrochiali ecclesia in Prienn dicte Pragensis et Chyemensis diocesium ac de quadam perpetua vicaria siue cura in ecclesia Olomucensi, quorum omnium fructus .... nonaginta novem marcharum argenti puri .... valorem annuum non excedunt, tunc certis modis vacantibus et quorum possessionem nondum habes, graciose concessimus provideri, apostolica auctoritate concedimus, ut dictam ecclesiam in Chlum, cuius fructus .... duodecim marcharum argenti puri .... valorem annuum .... non excedunt, si in eius rectorem canonice instituaris, recipere, et quousque dictam ecclesiam s. Adalberti, si illam te evincere contigerit, pacifice assequaris, retinere ac nichilominus litem et causam huiusmodi eciam post institucionem huiusmodi ad ipsam ecclesiam in Chlum ulterius prosequi et defendere libere et licite valeas .... Volumus autem, quod, quamprimum dicte ecclesie s. Adalberti, si illam te evincere contingat, possessionem fueris pacificam assecutus, eandem ecclesiam in Chlum, si eam assequaris .... , omnino, prout ad id te sponte obtulisti, dimittere tenearis, quodque predicte concessionum gracie de decanatu et ecclesia in Prienn tibi .... facte et quecunque inde secuta sint cassa .... Datum Rome ap. S. Petrum tercio idus Junii a. sexto.

R. Lat. 82 fol. 241[a] — [a]) ‚tamen' cod. — Supra in marg sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: N. XX DE BENEVENTO — [1]) Cf. supra nr. 861, necnon Tadra, Acta indic. consist. Prag. III. 170. 171. 203. 204. 227.

---

928. *Adalbertus Hilsunk monasterio s. Ambrosii Novae civitatis Pragensis in abbatem praeficitur.*

Romae, 1395 Junii 23.

Bonifacius .... Adalberto Hilsunk abbati monasterii s. Ambrosii Noue ciuitatis Pragensis ord. s. Benedicti .... Inter sollicitudines varias .... Dudum siquidem quondam Henrico abbate monasterii s. Ambrosii Noue ciuitatis Pragensis ord. s. Benedicti regimini eiusdem monasterii presidente, nos .... provisionem ipsius monasterii ordinacioni et disposicioni nostre duximus specialiter reservandam, decernentes extunc irritum .... , si secus .... contingeret attemptari. Postmodum vero prefato monasterio per ipsius Henrici abbatis obitum, qui extra Romanam curiam diem clausit extremum, abbatis regimine destituto, nos .... post deliberacionem, quam super hiis cum fratribus nostris habuimus diligentem, demum ad te, monachum monasterii in Insula ordinis et diocesis predictorum ordinem ipsum expresse professum et in sacerdocio constitutum, ... direximus oculos nostre mentis, quibus omnibus meditacione attenta pensatis de persona tua ....

eidem monasterio s. Ambrosii de ipsorum fratrum consilio auctoritate apostolica providemus teque illi preficimus in abbatem . . . . Datum Rome ap. S. Petrum nono kal. Julii a. sexto.

Simili modo . . . . conventui monasterii s. Ambrosii Noue ciuitatis Pragensis ord. s. Benedicti . . . .

Simili modo . . . . archiepiscopo Pragensi . . . .

R Lat. 35 fol. 210a — In fine: N. XVI. VIII. VIII DE BENEVENTO — Altera copia in R. Lat. 42 fol. 110a invenitur, sed nota registratoris illic deest, et in margine est adscriptum: „Cancellata, quia alibi de anno sexto registrata est. N. de Benevento." — Cf. Tadra, Acta indic. VII p. 176 et al.

---

929. *Abbates monasteriorum s. Mariae in Arena extra muros Vratislavienses et Scotorum in Vienna Pataviensis dioc. et decanus ecclesiae Pragensis conservatores abbatis et conventus monasterii Milocensis praemonstratensis ord. Pragensis dioc. usque ad quinquennium instituuntur. „Militanti ecclesie" „Rome ap. S. Petrum sexto kal. Julii a. sexto".*

Romae, 1395 Junii 26.

R. Lat. 37 fol. 252a — In fine: N. XXX DE BENEVENTO.

---

930. *Henricus s. Anastasiae presbyter cardinalis, sacri collegii cardinalium camerarius, Johannem episcopum Misnensem quitat de pecunia, quam pro parte partis suorum communis et minuti servitiorum per manus Johannis Westfal*a) *canonici Pragensis camerae sacri collegii solvi fecit. „[Rome ap. S. Petrum a. 1395], die ultima mensis Junii, pont. a. sexto".*

Romae, 1395 Juni 30.

Oblig. et sol. 59 fol 55a — a) ‚Westwal' — In fine: FL. IIII GR. IIII

---

931. *Petro Pribislai de Czarnowo*a) *clerico Plocensis dioc. reservatur beneficium ecclesiasticum cum vel sine cura, ad collationem episcopi Plocensis et praepositi, decani, archidiaconi, scholastici, cantoris, custodis singulorumque canonicorum et personarum ecclesiae Plocensis pertinens. „Vite ac morum" „Rome ap. S. Petrum kal. Julii a. sexto". — Simili modo abbati monasterii s. Adalberti in castro Plocensi et Vratislaviensis et s. Michaelis Plocensis ecclesiarum praepositis.*

Romae, 1395 Julii 1.

R. Lat. 37 fol. 50a — a) ‚Carnowo' — Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: PRO DEO, N. DE BENEVENTO.

932. Ordinatio super aequalitate praebendarum in ecclesia Vratislaviensi per canonicos eiusdem ecclesiae in generali capitulo facta confirmatur.

Romae, 1395 Julii 1.

Bonifacius . . . . ad perpetuam rei memoriam. Is, que pro ecclesiarum . . . . Dudum siquidem pro parte . . . . Wenceslai episcopi et . . . . capituli Wratislauiensium nobis exposito, quod prebende canonicales in ecclesia Wratislauiensi multum inequales existebant, et quod canonici ipsius ecclesie parvi valoris prebendas habentes statum ipsis congruentem de fructibus prebendarum suarum tenere commode non poterant, alii vero canonici magni valoris prebendas habentes non curaverant in dicta ecclesia residenciam facere personalem, et quod propterea in ipsa ecclesia cultus divinus plurimum minuebatur, ac nobis humiliter supplicato, ut equalitatem prebendarum in dicta ecclesia instituere ipsamque ecclesiam statutis racionabilibus reformare dignaremur: nos . . . . Johanni episcopo Lubucensi per nostras litteras commisimus et mandavimus, ut ad eandem ecclesiam personaliter accederet et habens pre oculis solum deum consideratis circumstanciis universis et aliis, que circa hoc forent attendenda, cum consensu dicti episcopi Wratislauiensis, qui esset pro tempore, et dictorum capituli equalitatem prebendarum huiusmodi auctoritate nostra in dicta ecclesia institueret, ita quod cedentibus vel decedentibus canonicis ipsius ecclesie, qui magni valoris prebendas obtinebant, seu prebendas ipsas alias quomodolibet dimittentibus huiusmodi institucio debitum sortiretur effectum, et nichilominus ipsam ecclesiam statutis et ordinacionibus racionabilibus et alias, sicut pro huiusmodi divini cultus augmento expedire cognosceret, eadem auctoritate reformaret, prout in eisdem litteris plenius continetur.[1]) Deinde vero, sicut exhibita nobis nuper pro parte dictorum Wenceslai episcopi et capituli peticio continebat, prefatus Johannes episcopus pretextu earundem litterarum statuit, ut canonici tunc prebendas in eadem ecclesia obtinentes corpora prebendarum huiusmodi, quoad viverent, tenere valerent, et quociens aliquem ex ipsis cedere vel decedere contingeret, successor ad huiusmodi prebendam admittendus pro corpore prebende duodecim marchas grossorum bohemicalium numeri polonici et consueti dumtaxat ac in certis locis reddituum in decimis campestribus, fertonibus et maldratis, ad prebendam quamlibet pertinentibus, eidem per capitulum predictos assignandas habere deberet, residuum vero illius prebende inter canonicos in ipsa ecclesia residentes, qui divinis officiis interessent, divideretur. Cum autem . . . . prefati Wenceslaus episcopus et capitulum considerantes statutum huiusmodi congruum non fore canonicosque ipsius ecclesie ex tam exilibus prebendis commode sustentari non posse, in generali capitulo per certos canonicos dicte ecclesie ad hoc ab eisdem capitulo specialiter deputatos statuerint et eciam ordinaverint, ut omnes et singule prebende eiusdem ecclesie deinceps valoris annui triginta marcharum huiusmodi existere deberent, sic videlicet quod in prebendis, que valoris huismodi triginta marcharum non existerent, valor huiusmodi ex decimis campestribus prebendarum ipsius ecclesie, que post prefatum statutum ipsius Johannis episcopi vacaverunt, suppleretur, quodque obtinentes prebendas valorem annuum huiusmodi triginta marcharum excedentes eas, quoad viverent, possent retinere, residuum autem, quod huiusmodi prebendis sic ad equalitatem ut

premittitur redactis, ex ipsis prebendis, iam forsan vacantibus vel imposterum vacaturis, superesse contingeret, sive in decimis sive in maldratis seu in fertonibus consisteret, pro usu communi ipsius ecclesie iuxta disposicionem dictorum capituli converteretur. Quare pro parte dictorum Wenceslai episcopi et capituli nobis fuit humiliter supplicatum, ut ultimo statuto et ordinacioni huiusmodi robur apostolice confirmacionis adiicere de benignitate apostolica dignaremur. Nos itaque . . . . ultimum statutum et ordinacionem predicta rata habentes et grata, illa, eciam si prebende, per quas huiusmodi ultimum statutum et ordinacionem effectum sortiri contigerit, ex s. Romane ecclesie cardinalium seu cappellanorum, subdiaconorum vel referendariorum sedis apostolice aut litterarum apostolicarum scriptorum vel abbreviatorum seu . . . . collectorum vel succollectorum aut ex aliquorum apud eandem sedem cedencium vel decedencium personis seu [per] munus consecracionis, alicui vel aliquibus per sedem predictam ad aliquam vel aliquas cathedralem vel cathedrales ecclesiam vel ecclesias promoto vel promotis impensum seu impendendum, vel per lapsum temporis de consecrandis episcopis actu vacaverint vel in futurum vacare contingerint seu alias disposicioni apostolice specialiter aut generaliter reservate fuerint, auctoritate apostolica tenore presencium ex certa sciencia confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus, supplentes omnes defectus, si qui forsan intervenerint in premissis . . . . Datum Rome ap. S. Petrum kal. Julii pont. n. a. sexto.

R. Lat. 36 fol. 186[a] — In fine: N. C DE BENEVENTO. — [1]) Vide nr. 372.

---

933. *Magistro Hermanno de Bielefeld capellano apostolico et causarum palatii apostolici auditori mandatur, quatenus, si ei constiterit neque Mathiae de Moravia neque Nicolao Hielkonis de Izdencz in palatio apostolico super canonicatu et praebenda ecclesiae s. Spiritus Csazmensis Zagrabiensis dioc. litigantibus ius in eisdem competere, ipsos canonicatum et praebendam, quorum fructus 40 florenorum auri valorem annuum non excedunt, illi eorum conferat, quem ad hoc sufficientiorem reppererit. „Rome ap. S. Petrum quinto nonas Julii a sexto.“*

Romae, 1395 Julii 3.

R. Lat. 36 fol. 57[a] — Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: N. XXIIII DE BENEVENTO — Ed. Fraknói, Monum. Vatic. Hung., Ser I. tom. III p. 298 nr. 321.

---

934. *Praeposito monasterii Cunicensis mandatur, quatenus Theoderico dicto Drlice parrochialem ecclesiam in Olkovicz conferat.*

Romae, 1395 Julii 4.

Bonifacius . . . . preposito monasterii Cunicensis per prepositum soliti gubernari Olomucensis diocesis . . . . Dignum arbitramur . . . . Dudum siquidem omnia beneficia ecclesiastica secularia et regularia cum cura et sine cura quorumcunque, per assecucionem pacificam aliorum beneficiorum ecclesiasticorum quorum-

libet per nos seu auctoritate litterarum nostrarum tunc collatorum et inantea conferendorum eisdem tunc vacancia et imposterum vacatura, collacioni et dispositioni nostre reservantes, decrevimus extunc irritum et inane, si secus .... contingeret attemptari. Cum itaque postmodum parrochialis ecclesia in Olokwicz Olomucensis diocesis ex eo vacaverit et vacet ad presens, quod .... Przibico Sbinconis rector parrochialis ecclesie in Lodiricz[1]) dicte diocesis dictam ecclesiam in Olokwicz tunc obtinens, eandem ecclesiam in Lodiricz tunc vacantem, quarundam litterarum nostrarum vigore sibi collatam, extitit pacifice assecutus ...., nos volentes .... Theodericum dictum Drlicze canonicum monasterii Lucensis premonstratensis ord. dicte diocesis .... favore prosequi gracioso, discrecioni tue .... mandamus, quatenus, si .... eundem Theodericum .... ydoneum ad dictam ecclesiam in Olokwicz obtinendum esse reppereris ...., ecclesiam in Olokwicz predictam, que per canonicos eiusdem monasterii, cuius idem Theodericus canonicus eciam expresse professus existit, regi consuevit, cuiusque fructus .... octo marcharum argenti puri .... valorem annuum .... non excedunt ...., eidem Theoderico auctoritate nostra conferre et assignare procures ....; non obstantibus ...., quod dictus Theodericus, ut asserit, infirmariam dicti monasterii noscitur obtinere. Volumus autem, quod, quamprimum prefatus Theodericus .... eandem ecclesiam in Olokwicz fuerit pacifice assecutus, infirmariam predictam .... omnino, prout ad id eciam se sponte obtulit, dimittere teneatur .... Datum Rome ap. S. Petrum quarto nonas Julii a. sexto.

R. Lat. 35 fol 122a — Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: N. XXII DE BENEVENTO — [1]) i. e. Loděnicz?

---

935. *Johanni archiepiscopo Pragensi conceditur, ut fratribus ordinis praedicatorum locum quendam ad mensam archiepiscopalem Pragensem pertinentem donare possit, in quo novam domum cum ecclesia construant.*

Romae, 1395 Julii 5.

Bonifacius .... Johanni archiepiscopo Pragensi .... Dum tue devocionis consideramus affectum, quem ad Romanam geris ecclesiam et nos ipsos, favorem et graciam tibi libenter impendimus et peticiones tuas, presertim que divini cultus augmentum respiciunt et ex quibus salus animarum provenire speratur, quantum cum deo possumus, favorabiliter exaudimus. Sane peticio tua nobis nuper exhibita continebat, quod nonnulli ordinis fratrum predicatorum professores zelo alcioris contemplacionis, et ut animas suas apcius domino lucrifaciant, in deserto seu loco solitario in monticulo videlicet ‚Ziedelig' vulgariter nuncupato tue diocesis, qui ad tuam mensam archiepiscopalem Pragensem pertinet, et cuius valor vix ad ducentos florenos auri de camera se extendit, et in quo dudum carceres clericorum malefactorum civitatis Pragensis et dicte diocesis deputati fuerunt, desiderant commorari et ibidem tamquam in loco ad hoc congruo et honesto pro usu et habitacione ipsorum novam domum cum ecclesia seu oratorio ac campanili, campana et cimiterio, domibus, ortaliciis et aliis officinis necessariis construere, in qua iuxta instituta regularia b. Dominici vivere ac domino perpetuo

famulari proponunt, tuque locum ipsum predictis fratribus ad hoc, quod huiusmodi novam domum cum eisdem ecclesia seu oratorio ac campanili, campana et cimiterio, domibus, ortaliciis et aliis officinis huiusmodi ibidem construere et in eodem pro tempore degere possint sub observancia regulari ordinis predicti, perpetuo deputare ac fratribus ipsis liberaliter donare ob divini cultus augmentum et eciam ob remedium tue salutis anime pie desideras, si hoc ex licencia sedis apostolice procedat. Quare nobis humiliter supplicasti, ut votis tuis in hac parte annuentes, tibi donandi perpetuo ac irrevocabiliter locum ipsum fratribus ipsis, eisdem fratribus locum ipsum recipiendi et perpetuo retinendi ac ibidem pro tempore degendi et domum ipsam cum eisdem ecclesia seu oratorio, campanili, campana, cimiterio, domibus, ortaliciis et officinis construendi, ut prefertur, licenciam concedere ac eciam statuere et ordinare, quod ipsi fratres, quibus locum ipsum donaveris et qui infra decennium in huiusmodi nova domo pro tempore residebunt, archiepiscopo Pragensi et magistro generali predicti ordinis pro tempore existentibus dumtaxat et nulli alii inferiori ab eisdem archiepiscopo et magistro debeant esse subiecti, et alias in premissis salubriter providere de speciali gracia dignaremur. Nos igitur tuum pium propositum in hac parte merito commendantes et illud potissime ob predicti cultus augmentum congruo favore prosequi cupientes ac eisdem tuis supplicacionibus inclinati fraternitati tue deputandi et ordinandi perpetuo locum ipsum, ut prefertur, eisdem fratribus et ipsis fratribus idem recipiendi et ibidem dictam novam domum cum huiusmodi ecclesia seu oratorio ac campanili, campana, cimiterio, domibus, ortaliciis et aliis necessariis officinis construendi et inibi perpetuo habitandi et in usus suos tenendi — fel. rec. Bonifacii pape VIII. predecessoris nostri prohibente domus vel loca quecunque a religiosis mendicantibus de novo recipi vel iam recepta mutari absque sedis predicte licencia speciali, faciente plenam et expressam de prohibicione huiusmodi mencionem, [et aliis constitucionibus apostolicis contrariis . . . .] non obstantibus quibuscunque — plenam et liberam tenore presencium auctoritate apostolica concedimus facultatem. Volumus eciam ac auctoritate predicta statuimus et ordinamus, quod predicti fratres, quibus eundem locum donabis et quos in ipsa nova domo infra decem annos a tempore donacionis huiusmodi computandos residere continget, archiepiscopo Pragensi et magistro prefatis debeanttantum modo subesse, ut prefertur, iure tamen parrochialis ecclesie et alterius cuiuscunque in omnibus semper salvo, volentes eciam et eisdem fratribus auctoritate apostolica concedentes, quod ipsi, qui in ipso loco pro tempore residebunt, gaudeant omnibus privilegiis, indulgenciis, graciis, exempcionibus et libertatibus, quibus alii fratres eiusdem ordinis ex concessionibus apostolicis alias gaudent seu eciam pociuntur . . . . Datum Rome ap. S. Petrum tercio nonas Julii[a] a. sexto.

R. Lat. 36 fol. 30b — a) correctum ex ‚Junii' — Supra in marg sin.: P. DE BOSCO; in fine: N. LX DE BENEVENTO.

936. Abbati monasterii s. Mariae in Arena extra muros Vratislavienses mandatur, quatenus erectionem parrochialis ecclesiae s. Bartholomaei in Superiore Glogovia in collegiatam, per Henricum ducem Falkenbergensem factam, confirmet.

Romae, 1395 Julii 6.

Bonifacius . . . . abbati monasterii s. Marie in Arena extra muros Wratislauienses . . . . Humilibus et honestis . . . . Sane . . . . capituli ecclesie s. Bartholomei in oppido Superiori Glogouie Wratislauiensis diocesis [peticio] nobis nuper exhibita continebat, quod dudum quondam Henricus dux Falkinbergensis ac dominus dicti oppidi . . . . predictam ecclesiam, que tunc parrochialis et de iure patronatus ipsius ducis existebat, per . . . . Wenceslaum episcopum Wratislauiensem, ad id . . . . capituli Wratislauiensis accedente consensu, in collegiatam erigi et inibi quatuor dignitates, videlicet preposituram, decanatum, scolastriam et custodiam, ac novem canonicatus et totidem prebendas auctoritate ordinaria institui ac de bonis suis et eciam de quibusdam decimis et redditibus certarum parrochialium ecclesiarum de iure patronatus ipsius ducis similiter existencium sufficienter dotari obtinuit, de huiusmodi decimis et redditibus pro singulis perpetuis vicariis singularum ipsarum ecclesiarum congruis porcionibus, de quibus congrue sustentari, episcopalia iura solvere et alia sibi incumbencia onera supportare valeant, dimissis et assignatis, ac ipsam ecclesiam s. Bartholomei eiusque personas, res et bona nonnullis privilegiis et libertatibus insignivit. [1]) Quare pro parte ipsorum capituli ecclesie s. Bartholomei nobis fuit humiliter supplicatum, ut ereccioni, institucioni, dotacioni et omnibus aliis premissis robur apostolice firmitatis adiicere . . . . dignaremur. Nos igitur, qui de premissis certam noticiam non habemus . . . ., discrecioni tue . . . . mandamus, quatenus de premissis omnibus et singulis et eorum circumstanciis universis te diligenter informes, et si per informacionem huiusmodi tibi id pro divini cultus augmento expedire videatur, . . . ereccionem, institucionem, dotacionem et privilegia ac libertates huiusmodi et quecunque inde secuta auctoritate apostolica confirmes, iure tamen cuiuscunque alius semper salvo, supplendo nichilominus eadem auctorite omnes defectus, si qui forsan intervenerint in premissis. Datum Rome ap. S Petrum secundo nonas Julii a. sexto.

R. Lat. 36 fol. 156 b — Supra in marg. sin.: P. DE BOSCO; in fine: N. XXXX DE BENEVENTO — [1]) Erectio parrochialis ecclesiae s. Bartholomaei Glogoviensis in collegiatam 1379 Februarii 24 facta est; cf. Heyne, Geschichte des Bisthums Breslau, Bd. II p. 854.

---

937. Ad reparationem parrochialis ecclesiae in Frankenstein[a]) Vratislaviensis dioc., quae ignis incendio destructa est, manus adiutrices porrigentibus tres anni et totidem quadragenae de iniunctis eis poenitentiis relaxantur, praesentibus post triennium minime valituris. „Ecclesiarum fabricis“ „Rome ap. S. Petrum secundo nonas Julii a. sexto“.

Romae, 1395 Julii 6.

R. Lat. 35 fol. 32[a] — [a]) ‚Frankinsteyn‘ — In fine: N. XXX DE BENEVENTO.

938. *Universitati oppidi Svidnicensis indulgetur, ut, cum ad dictum oppidum excommunicati vel interdicti quidam casualiter accesserint, statim post eorum recessum divina officia ibidem celebrari possint.*

Romae, 1395 Julii 7.

Bonifacius . . . . ad futuram rei memoriam. Exhibita nobis nuper pro parte . . . . proconsulum, consulum et universitatis oppidi Swydenicz Wratislauiensis diocesis peticio continebat, quod sepe contingit oppidum ipsum pro eo, quod nonnulli barones, milites, armigeri et alii nobiles ac eciam populares ipsarum parcium, variis de causis excommunicacionum sentenciis innodati et quibus ingressus ecclesie existit interdictus, ad oppidum ipsum pro treugis faciendis aut aliis negociis eorum expediendis seu tractandis declinantes, ibidem moram faciunt aut inibi lares fovent, ecclesiastico supponi interdicto et quandoque propter adventum et moram excommunicatorum ipsorum, huiusmodi excommunicacionis sentencias animis induratis sustinencium, ... clerum dicti oppidi per plures dies aut menses post huiusmodi excommunicatorum et interdictorum ab eodem oppido recessum, prout ex forma provincialium aut synodalium constitucionum vel processuum super litteris apostolicis habitorum, quarum seu quorum vigore huiusmodi barones, milites, armigeri, nobiles vel populares excommunicati et interdicti existunt, alias legitime, preter tamen culpam dictorum proconsulum, consulum et universitatis cessare oportet a divinis, propter quod divinus cultus et fidelium devocio diminuitur ibidem in animarum periculum et scandalum plurimorum. Quare pro parte proconsulum, consulum et universitatis predictorum nobis fuit humiliter supplicatum, ut providere ipsis super premissis . . . dignaremur. Nos igitur . . . . prefatis clero, ut, si huiusmodi excommunicati et interdicti ob premissas aut alias causas casualiter ad dictum oppidum accesserint vel ibidem aliquam moram traxerint seu inibi lares foverint, dummodo proconsules, consules et universitas predicti illos exinde expellant aut ipsi excommunicati et interdicti abinde sponte recesserint, postquam ab oppido ipso recesserint, iidem clerus in eorum ecclesiis et capellis oppidi predicti in ipsorum proconsulum, consulum et universitatis aut singularium personarum huiusmodi presencia divina officia, excommunicatis et interdictis tamen exclusis, per se celebrare eciam publice solemniter et alta voce pulsatis campanis ac ianuis apertis ac eis et eorum cuilibet ecclesiastica sacramenta ministrare et corpora mortuorum in eorum cimiteriis sepelire seu per alios sacerdotes ydoneos divina celebrari et sacramenta huiusmodi ministrari ac eciam corpora huiusmodi sepeliri facere libere et licite possint, dumtamen oppidum huiusmodi specialiter ecclesiastico non fuerit suppositum interdicto, nec id clero aut proconsulibus, consulibus et universitati predictis contigerit specialiter interdici . . . ., indulgemus. Nulli ergo . . . . Datum Rome ap. S. Petrum nonis Julii a. sexto.

R. Lat. 36 fol. 96[a] — In marg. sin.: P. DE BOSCO, C[ANCELLARIA]; in fine: N. L DE BENEVENTO.

---

939. *Episcopus Misnensis et abbas monasterii Scotorum in Vienna* [a]) *Pataviensis dioc. ac officialis Vratislaviensis conservatores Johannis episcopi Litomyślensis* [b])

usque ad quinquennium instituuntur. „Ad hoc nos deus pretulit“ „Rome ap. S. Petrum sexto idus Julii a. sexto“.

Romae, 1395 Julii 10.

R. Lat 37 fol. 255[a] — [a]) ‚Wyenna‘ [b]) ‚Luthomuslen‘ — Supra in marg. sin.: JO. DE BONONIA; in fine: N. XXX DE BENEVENTO.

---

940. *Auditori apostolico mandatur, quatenus Thomam de Veleboř surroget ad omne ius, quod Alberto de Edmitz tempore eius obitus in parrochiali ecclesia in Hösting competebat.*

Romae, 1395 Julii 15.

Bonifacius . . . . magistro Jacobo Floriani capellano nostro et causarum palacii apostolici auditori . . . . Vite ac morum honestas aliaque . . . . merita, super quibus . . . . Thomas Vlrici de Welebors presbyter Olomucensis diocesis . . . . commendatur . . . ., nos inducunt, ut sibi reddamur . . . . liberales. Dudum siquidem pro parte dicti Thome nobis exposito, quod orta dudum inter ipsum et quondam Albertum Nicolai de Etnicz presbyterum super parrochiali ecclesia in Hostings eiusdem diocesis . . . . coram . . . . officiali Olomucensi non ex delegacione apostolica materia questionis, idem officialis in huiusmodi causa procedens diffinitivam, per quam inter cetera dictum Thomam in rectorem ecclesie instituit illamque sibi adiudicavit et super ea prefato Alberto perpetuum silencium imposuit, sentenciam promulgaverat, a qua pro parte ipsius Alberti fuerat ad sedem apostolicam appellatum, nosque causam appellacionis huiusmodi tibi . . . . commiseramus . . . ., quodque . . . . a nonnullis asserebatur, neutrum dictorum Thome et Alberti in prefata ecclesia ius habere, nos tibi nostris dedimus litteris in mandatis, ut, si per eventum litis huiusmodi tibi constaret neutrum dictorum Thome et Alberti in prefata ecclesia ius habere, [eandem] ecclesiam . . . . prefato Thome auctoritate nostra conferres et provideres eciam de eadem, prout in dictis litteris plenius continetur.[1]) Cum autem, sicut exhibita nobis nuper pro parte prefati Thome peticio continebat, antequam ad execucionem dictarum litterarum procederes, licet ad conclusionem inclusive in causa ipsa processisses, prefatus Albertus lite huiusmodi coram te sic indecisa pendente apud sedem predictam fuerit vita functus, nos . . . . discrecioni tue . . . . mandamus, quatinus eundem Thomam . . . . in omni iure et ad omne ius, si quod dicto Alberto tempore sui obitus in eadem ecclesia, cuius fructus . . . . quatuordecim marcharum argenti puri . . . . valorem annuum . . . . non excedunt, seu ad eam quomodolibet competebat aut competere poterat, auctoritate nostra surroges . . . .; et nichilominus eandem ecclesiam . . . . prefato Thome alias iuxta tenorem dictarum litterarum auctoritate nostra conferas et assignes . . . . Datum Rome apud S. Petrum idibus Julii pont. n. a. sexto.

Copia ex originali archivii monasterii in Geras in diplomatario manuscripto musei regni Bohemiae exstat, iuxta quam in originali hae notae leguntur: (sub plica ad sin.) GRATIS PRO DEO MERITIS, M. DE CHERUBINIS; (in plica ad dext.) GRATIS PRO DEO ETC., JO. DE TREMOSNICZ; (a tergo) R[EGISTRATA]. — [1]) Vide nr. 884.

941. *Mauricius Simonis de Praga ord. fratrum minorum professor in capellanum sedis apostolicae recipitur. „Virtutibus clarens" „Rome ap. S. Petrum idibus Julii a. sexto.*

Romae, 1395 Julii 15.

R. Vat. 314 fol. 369[b] cum his notis in fine: (sin.) X, M. DE CHERUBINIS, JO. VULPIS; (med.) JO. DE BONONIA; (dext.) JO. DE TREMOSNICZ; iterum registratum in R. Lat. 38 fol. 275[a], ubi in fine adscriptum est: N. X DE BENEVENTO.

---

942. *Judicibus mandatur, quatenus Bernardo de ‚Plessen' canonicatum et prebendam ecclesiae Zverinensis, per Johannem archiepiscopum Pragensem ei ex quadam concessione apostolica collatos, auctoritate apostolica conferant.*

Romae, 1395 Julii 18.

Bonifacius . . . . Dobranensis et Noui Campi Zwerinensis diocesis monasteriorum abbatibus ac preposito ecclesie Zwerinensis . . . . Nobilitas generis, vite ac morum honestas, ... super quibus . . . . Bernardus de Plessen thesaurarius ecclesie Zwerinensis . . . . commendatur . . . ., nos inducunt, ut sibi reddamur . . . . liberales. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dicti Bernardi peticio continebat, quod olim per . . . . Johannem archiepiscopum Pragensem accepto, quod Gerardus Vur olim canonicus Zwerinensis bone memorie Pothonem episcopum Zwerinensem [1]) contra quasdam prohibiciones et litteras apostolicas, quominus ipse episcopus possessionem administracionis bonorum ad mensam episcopalem Zwerinensem spectancium assequeretur, impediverat, idem archiepiscopus habens ad hoc a fel. rec. Urbano papa VI. predecessore nostro specialem per easdem litteras potestatem, contra eundem Gerardum propter hoc ad sui presenciam evocatum legitime procedens, ipsum Gerardum canonicatu et prebenda ecclesie predicte, quos tunc temporis obtinebat, per suam diffinitivam sentenciam, que nulla provocacione suspensa in rem transivit iudicatam, extra Romanam curiam privaverat et amoverat eciam ab eisdem. Et deinde idem archiepiscopus dictarum litterarum vigore, per quas conferendi eciam beneficia ecclesiastica, que per privaciones per eum propterea faciendas vacarent, personis ydoneis, eciam si beneficia ipsa canonicatus et prebende cathedralium ecclesiarum forent, potestatem habebat, eosdem canonicatum et prebendam . . . . eidem Bernardo contulit et providit eciam de eisdem, ipseque Bernardus vigore collacionis et provisionis huiusmodi possessionem dictorum canonicatus et prebende extitit assecutus. Cum autem . . . . idem Bernardus dubitet collacionem et provisionem predictas ex certis causis viribus non subsistere . . . ., nos volentes eidem Bernardo, qui, ut asserit, ex utroque parente de militari genere procreatus existit . . . ., graciam facere specialem, discrecioni vestre . . . . mandamus, quatenus . . . . dictos canonicatum et prebendam, quorum fructus . . . viginti marcarum argenti . . . . valorem annuum . . . non excedunt . . . ., eidem Bernardo auctoritate nostra conferre et assignare curetis . . . .; non obstantibus . . . ., quod ipse Bernardus in predicta ecclesia thesaurariam, que simplex officium est

necnon parrochialem ecclesiam in Swan Zwerinensis diocesis, quorum fructus . . . . eciam viginti marcharum argenti . . . . valorem annuum . . . . non excedunt, noscitur obtinere . . . . Datum Rome ap. S. Petrum quinto decimo kal. Augusti pont. n. a. sexto.

R. Lat. 36 fol. 68 a — In fine: N. XX DE BENEVENTO — [1]) Potho de Potenstein aa. 1381—1390 episcopus Zverinensis fuit.

---

943. *Archiepiscopo Pragensi mandatur, ut de omnibus circumstantiis litis, inter Engelhardum et Johannem Stralenvelser super abbatia monasterii in Reichenbach ord. s. Benedicti Ratisbonensis dioc. exortae, cuius occasione a dicto Johanne eiusque complic'bus contra praefatum Engelhardum magnae violentiae sunt commissae, diligenter se informet et quae invenerit quantotius sedi apostolicae per suas litteras referat. „Apostolice sedis benignitas" „Rome ap. S. Petrum quarto decimo kal. Augusti a. sexto."*

Romae, 1395 Julii 19.

R. Lat. 38 fol. 31 a — Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: N. XXX DE BENEVENTO.

---

944. *Ad reparationem ecclesiae Litomyšlensis manus adiutrices porrigentibus indulgentiae conceduntur.*

Romae, 1395 Julii 21.

Bonifacius . . . universis . . . Ecclesiarum fabricis . . . . Cum itaque, sicut accepimus, ecclesia Luthomislensis, que, ut asseritur, ignis incendio concremata et consumpta existit, non modicum sumptuosa indigeat reparacione, ad quam faciendam eiusdem ecclesie non suppetunt facultates, nisi . . . . Johannes episcopus Luthomislensis prefataque sua ecclesia per eum, ut asseritur, iam reparari incepta per caritativa eorundem Christi fidelium subsidia ad reparacionem huiusmodi adiuventur, nos cupientes, quod ecclesia predicta decenter reparetur, universitatem vestram requirimus et hortamur in domino . . . ., quatenus . . . . ad reparacionem predictam velitis pias elemosinas et grata caritatis subsidia erogare . . . . Nos enim . . . . omnibus vere penitentibus et confessis, qui ad reparacionem huiusmodi manus porrexerint adiutrices vel caritativum subsidium per questuarios ad illud petendum per provinciam Pragensem et alia loca, ad quam et que pro fabrica ecclesie Pragensis destinari consueverunt, propterea destinandos, super quo eis potestatem concedimus, destinaverint, septem annos et totidem quadragenas de iniunctis eis penitenciis misericorditer relaxamus, presentibus post quinquennium minime valituris. Volumus autem . . . . Datum Rome ap. S. Petrum duodecimo kal. Augusti a. sexto.

R. Lat. 36 fol. 190 b — In fine: N. XXX DE BENEVENTO.

945. *Abbas monasterii Scotorum in Vienna* [a]) *Pataviensis dioc. et decani Olomucensis ac s. Petri Vyšehradensis* [b]) *Pragensis ecclesiarum conservatores praepositi et conventus monasterii in Louňovicz* [c]) *per praepositum soliti gubernari praemonstratensis ord. Pragensis dioc. usque ad quinquennium instituuntur. „Militanti ecclesie“ „Rome ap. S. Petrum sexto kal. Augusti a sexto“.*

Romae, 1395 Julii 27.

R. Lat. 37 fol. 255 [b] — [a]) ‚Wyenna‘ [b]) ‚Wissegraden.‘ [c]) ‚Lunouicz‘ — In fine: N. XXX DE BENEVENTO.

---

946. *Archiepiscopo Pragensi et abbati monasterii Brevnoviensis extra muros Pragenses mandatur, ut ambo infra octo menses a tempore praesentationis praesentium ad executionem litterarum eidem archiepiscopo in negotio monasterii in Reichenbach ord. s. Benedicti Pataviensis dioc. sub data 1395 Julii 19 directarum,* [1]) *quarum tenor praesentibus de verbo ad verbum insertus est, procedant et per suas patentes litteras de omnibus, quae invenerint, sedem apostolicam certiorem faciant; dictis autem octo mensibus elapsis eorum iurisdictio in hac parte eo ipso perempta esse debet. „Nuper tibi“ „Rome ap. S. Petrum quarto kal. Augusti a. sexto“.*

Romae, 1395 Julii 29.

R. Lat. 38 fol. 203 [a] — Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: N. XXXX DE BENEVENTO. — [1]) Nr. 943 huius libri.

---

947. *Cum Theoderico Petri de Praga, qui parrochialem ecclesiam s. Michaelis in Znojma* [a]) *ac canonicatum et praebendam Montis s. Petri in Brunna Olomucensis dioc. necnon canonicatum sub exspectatione praebendae Vyšehradensis prope Pragam* [1]) *ecclesiarum obtinet et in minoribus ordinibus constitutus existit, dispensatur, ut ratione dictae parrochialis ecclesiae usque ad quinquennium a data praesentium ad aliquos sacros ordines promoveri minime teneatur. „Vite ac morum“ „Rome ap. S. Petrum kal. Augusti a. sexto“.*

Romae, 1395 Augusti 1.

R. Lat. 36 fol. 152 [b] — [a]) ‚Snoyma‘ — In fine: N. XX DE BENEVENTO. — [1]) Cf. nr. 210.

---

948. *Johanni Helferi de Strelicz clerico Vratislaviensis dioc. non coniugato, nec in sacris ordinibus constituto conceditur tabellionatus officium, ad quod per magistrum Bartholomaeum Francisci praepositum ecclesiae s. Stephani Pratensis Pistoriensis dioc., notarium apostolicum officium cancellariae s. Romanae ecclesiae regentem, idoneus repertus est. „Ne contractuum memoria“ „Rome ap. S. Petrum tercio idus Augusti a. sexto“.*

Romae, 1395 Augusti 11.

R. Lat. 35 fol. 192 [a] — In fine: N. XVI DE BENEVENTO.

949. *Ecclesiam monasterii in Pustiměř ord. s. Benedicti Olomucensis dioc. annuatim in die dedicationis ipsius ecclesiae visitantibus duorum annorum et totidem quadragenarum indulgentiae conceduntur. „Licet is“ „Rome ap. S. Petrum XVIII. kal. Septembris pont. n. a. sexto“.*

Romae, 1395 Augusti 15.

Ed. in Cod. dipl. Moraviae XII. p. 257 nr. 276.

---

950. *Infrascripti mercatores Pragenses quitantur de 2200 florenis, quos nomine Nicolai Calvi [de Bavorov] collectoris Pragensis camerae apostolicae tradiderunt.*

Romae, 1395 Augusti 17.

Bonifacius . . . . Reynhardo et Rudolfo de Mulhausen ac Nicolao Ortlini civibus et mercatoribus Maioris ciuitatis Pragensis . . . . Cum vos duo milia et ducentos florenos auri de camera olim per . . . . Nicolaum Caluum canonicum Pragensem, tunc fructuum et proventuum camere apostolice in provincia Pragensi debitorum collectorem, de pecuniis ad ipsam cameram pertinentibus et per ipsum Nicolaum collectorem de ipsa provincia nomine ipsius camere recollectis vobis in cambium traditos et assignatos, ut eos per modum ipsius cambii eidem camere tradi et assignari curaretis, gentibus dicte camere nomine ipsius camere recipientibus per manus . . . . Johannis Kbel canonici Pragensis de mandato nostro realiter et cum effectu die date presencium tradi et assignari feceritis: nos . . . . vos omnes et singulos et dictum Johannem ac vestros et ipsius Johannis heredes, successores et bona de dictis duobus milibus et ducentis florenis et ab omnibus pactis, obligacionibus et caucionibus, in quibus propterea extiteritis eidem camere seu dicto Nicolao aut aliis collectoribus vel officialibus ipsius camere quibuscunque nomine ipsius camere quovis modo obligati, auctoritate apostolica . . . . liberamus, absolvimus perpetuo et quitamus, et nihilominus vos omnes et singulos et quoscunque alios, quos presens tangit negocium, et qui occasione et ex causa predictarum pecuniarum aut contemptus mandatorum apostolicorum seu officialium nostrorum et dicte camere quorumcunque excommunicacionis sentenciam incurrerunt, a quibuscunque excommunicacionis sentenciis et penis tam spiritualibus quam temporalibus, ... si quas propter retardacionem tradicionis et assignacionis huiusmodi aut alias quovis modo racione ipsarum pecuniarum et aliorum premissorum incurristis et incurrerunt, et ab omnibus processibus propterea contra vos et eos . . . . factis et sentenciis forsan inde secutis, eciam si in rem transiverunt iudicatam, ... absolvimus penitus et liberamus, ac cum illis ex personis ecclesiasticis, que . . . irregularitatem quovis modo contraxerunt, super huiusmodi irregularitate . . . dispensamus, ac quecunque interdicta propterea in civitate Pragensi aut aliis quibuscunque locis vel ecclesiis . . . . quacunque auctoritate apposita tollimus penitus et relaxamus, pacta, obligaciones, cauciones, processus, sentencias et penas huiusmodi tollentes, cassantes, irritantes et omnino viribus vacuantes, ac eidem camere eiusque et aliis quibuscunque apostolice sedis officialibus super premissis

et eorum quolibet perpetuum silencium imponentes. Datum Rome ap. S. Petrum sexto decimo kal. Septembris pont. n. a. sexto.

R. Vat. 314 fol. 378[a] — In fine: (ad sin.) P. DE BOSCO; (ad dext.) REGISTRATA DE CURIA, JO. DE TREMOSNICZ.

---

951. *Obligatio Johannis abbatis Insulensis.*

Romae, 1395 Augusti 24.

Anno [nat. 1395, pont. VI.], die iovis, XXIIII Augusti . . . . venerabilis pater frater Johannes abbas monasterii s. Johannis Insulensis ord. s. Benedicti diocesis Pragensis per religiosum virum fratrem Franciscum prepositum in Thesslim, professum dicti monasterii, procuratorem suum ad hoc legitime constitutum, promisit camere et collegio pro suo communi servicio sexaginta florenos[a]) auri de camera et duos tercios alterius similis floreni et quinque servicia consueta, et plus vel minus, secundum quod taxabitur iuxta informacionem mittendam de partibus; solvendo medietatem usque ad festum resurreccionis domini nostri Jesu Chr. proxime futurum et aliam medietatem usque ad festum omnium sanctorum extunc proxime secuturum[b]) . . . .

Oblig. et sol. 48 fol. 182[a], et iterum Oblig. et sol. 52. fol. 61[b] [a]) ‚sexaginta sex flor. Obl. 52. [b]) ‚solvendo — secuturum . . . .' in Obl. 52 ommissum est.

---

952. *Abbas monasterii Scotorum in Vienna Pataviensis dioc. et decani ecclesiarum Omnium Sanctorum in castro Pragensi ac veteris capellae Ratisbonensis conservatores abbatis et conventus monasterii s. Johannis Insulensis ord. s. Benedicti Pragensis dioc. usque ad quinquennium instituuntur. „Militanti ecclesie" „Rome ap. S. Petrum quinto kal. Septembris a. sexto".*

Romae, 1395 Augusti 28.

R. Lat. 37 fol. 256[b] — In fine: N. XXX DE BENEVENTO.

---

953. *Abbatissae et conventui monasterii in Pastiměř alias ‚Ad infantiam salvatoris' nuncupati ord. s. Benedicti Olomucensis dioc. indulgetur, ut singulis annis in vigilia pascae post horam completorii vel circa in ecclesia dicti monasterii missam celebrari facere possint, prout a quinquaginta annis citra ex indulto sedis apostolicae facere consueverunt, cum litterae apostolicae super huiusmodi indulto confectae casualiter sint amissae. „Sincere devocionis" „Rome ap. S. Petrum II. nonas Septembris pont. n. a. sexto".*

Romae, 1395 Septembris 4.

R. Lat. 36 fol. 153[b] — In fine: N. XXX DE BENEVENTO — Ed. ex originali in Cod. dipl. Moraviae XII. p. 263 nr. 280.

954. *Dĕpoldo praeposito monasterii Plagensis conceditur, ut, etiam postquam possessionem administrationis bonorum dicti monasterii assecutus fuerit, parrochialem ecclesiam in Bernarticz usque ad decennium retinere valeat.*

Romae, 1395 [Augusti 27—Septembris 8].

Bonifacius . . . . Dyepoldo preposito monasterii Plagensis per prepositum soliti gubernari premonstratensis ord. Patauiensis diocesis . . . . Personam tuam . . . . Dudum siquidem monasterio Plagensi premonstratensis ord. Patauiensis diocesis tunc per obitum quondam Petri prepositi eiusdem monasterii per prepositum soliti gubernari, qui extra Romanam curiam decesserat, vacante, nos eidem monasterio, cuius provisio per nos antea fuerat disposicioni apostolice specialiter reservata, de persona tua, qui canonicus ipsius monasterii ac rector parrochialis ecclesie in Bernarticz Pragensis diocesis tunc existebas, duximus auctoritate apostolica providendum, preficiendo te eidem monasterio in prepositum, prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur. Cum autem, sicut exhibita nobis nuper pro parte tua peticio continebat, predictum monasterium novissimis temporibus in suis edificiis ignis incendio fuerit quasi consumptum, tuque propterea de fructibus ad preposituram eiusdem monasterii pertinentibus onera tibi incumbencia supportare et huiusmodi edificia commode reparare non posses, nisi tibi de alicuius subvencionis auxilio succurratur, nos . . . . tibi, qui, ut asseris, possessionem administracionis bonorum eiusdem monasterii nondum es adeptus, et super quo in palacio apostolico litigas, auctoritate apostolica . . . . concedimus, ut, eciam postquam huiusmodi possessionem administracionis dictorum bonorum pacifice assecutus fueris, dictam parrochialem ecclesiam per canonicos dicti monasterii regi consuetam, quam adhuc obtines, et cuius octo, una cum huiusmodi prepositura prefati monasterii, cuius sexaginta marcharum argenti puri . . . . valorem annuum . . . . [fructus . . . .] non excedunt, usque ad decennium a data presencium computandum . . . . retinere valeas . . . . Datum Rome ap. S. Petrum sexto nonas Septembris (*sic*)[1]) a. sexto.

R. Lat. 35 fol. 123[a] — Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: N. XX DE BENEVENTO — [1]) ‚nonas' hic per errorem loco ‚kal.' vel ‚idus', aut ‚sexto' loco ‚secundo' scriptum esse videtur.

955. *Lucae Lynczel clerico Olomucensis dioc. reservatur beneficium ecclesiasticum cum vel sine cura, consuetum clericis saccularibus assignari, cuius fructus 25 resp. 18 marcarum argenti valorem annuum non excedant, ad collationem episcopi Olomucensis et praepositi, decani, thesaurarii, scholastici, cantoris, custodis et capituli singulorumque canonicorum et personarum ecclesiae Olomucensis, necnon abbatissae et conventus monasterii in Oslavia[a]) cisterciensis ord. Olomucensis dioc. pertinens, etiam si canonicatus et praebenda dictae ecclesiae existat, si quod vacat, vel cum vacaverit. „Vite ac morum" „Rome ap. S. Petrum quinto decimo kal. Octobris a. sexto". — Simili modo episcopo Aquensi et abbatibus monasteriorum Gradicensis prope Olomucz ac Scotorum in Vienna Pataviensis dioc.*

Romae, 1395 Septembris 17.

R. Lat. 37 fol. 111b — a) ‚Oslawia' — In marg. sin.: P. DE BOSCO; in fine: N. XVIIII XXI DE BENEVENTO.

---

956. *Monasterio beatorum Petri et Pauli apostolorum in Vilémov ord. s. Benedicti Pragensis dioc., cuius fructus valorem annuum 100 marcarum argenti non excedunt, parrochiales ecclesiae in Valč, Uherčicz (Auerschitz), ‚Lonpraticz' et Liběč Olomucensis et Pragensis dioc., quarum fructus 60 marcarum argenti valorem annuum non excedunt, incorporantur, reservatis tamen congruis portionibus pro perpetuis vicariis inibi instituendis, qui etiam monachi professi eiusdem monasterii esse possunt. „Exigit vestre" „Rome ap. S. Petrum secundo idus Octobris a. sexto".*

Romae, 1395 Octobris 14.

R. Lat. 38 fol. 214a — In fine: N. LXXX DE BENEVENTO. — Ed. ex originali ap. Dobner, Monum. hist. Bohemiae IV. p. 386 nr. 328, et iterum in Cod. dipl. Moraviae XII. p. 264 nr. 283. Iuxta copiam, quae in diplomatario manuscripto musei regni Bohemiae exstat, originale, cui bulla plumbea in filo serico appendet, in fine has notas habet: (sub plica ad sin.) LXXX, M. DE CHERUBINIS, JO. VULPIS; (in plica ad dext.) V. BONINC VIII; (a tergo) R[EGISTRATA].

957. *Vratislaviensis et Olomucensis episcopi ac abbas monasterii s. Vincentii extra muros Vratislavienses conservatores abbatis et conventus monasterii s. Mariae in Arena extra muros Vratislavienses ord. s. Augustini usque ad quinquennium instituuntur. „Militanti ecclesie" „Rome ap. S. Petrum decimo septimo kal. Novembris a. sexto".*

Romae, 1395 Octobris 16.

R. Lat. 37 fol. 257a — In fine: N. XXX DE BENEVENTO.

---

958. *Dionysio abbati monasterii Břevnoviensis prope Pragam ord. s. Benedicti indulgetur, ut liceat ei habere altare portatile. „Sincere devocionis" „Rome ap. S. Petrum XVI. kal. Novembris pont. n. a. sexto".*

Romae, 1395 Octobris 17.

Editum apud Dobner, Monum. hist. Bohemiae VI. p. 123 (Hist. dipl. Brewnov. nr. 136). Copia ex originali archivii Břevnoviensis B. IV. 130 in diplomatario manuscripto musei regni Bohemiae habetur, iuxta quam originali in filo serico bulla plumbea Bonifacii IX. appendet et hae notae in illo reperiuntur: (in plica ad dext.) REGISTRATA GRATIS, V. BONINC; (a tergo) R[EGISTRATA].

---

959. *Henricus s. Anastasiae presbyter cardinalis, sacri collegii cardinalium camerarius, Henricum episcopum Vladislaviensem quitat de pecunia, quam pro parte partis suorum communis et minuti servitiorum per manus Petri Adolphi rectoris*

parrochialis ecclesiae s. Catherinae prope Vratislaviam[a]) *camerae sacri collegii solvi fecit. „[Rome ap. S. Petrum a 1395] die penultima mensis Octobris . . . . a. sexto“.*

Romae, 1395 Octobris 30.

Oblig. et sol. 59. fol. 58[b] — [a]) ‚Wlatislauiam‘ (!)

---

960. *Incorporatio parrochialis ecclesiae in Conradivilla Vratislaviensis dioc. cuius fructus 20 marcarum argenti valorem annuum non excedunt, monasterio b. Mariae in Arena extra muros Vratislavienses ord. s. Augustini, cuius fructus 150 marcarum argenti eundem valorem non excedunt, per Venceslaum episcopum Vratislaviensem cum capituli ecclesiae Vratislaviensis consensu 1384 Junii 27 facta, auctoritate apostolica cum insertione litterarum a dicto episcopo super huiusmodi incorporatione editarum confirmatur. „Sacre vestre religionis“ „Rome ap. S. Petrum quarto idus Novembris pont. n. a. septimo“.*

Romae, 1395 Novembris 10.

Ed. ap. Heyne, Dokumentirte Geschichte des Bisthums Breslau, p. 684; litterae Venceslai episcopi ibidem p. 682 editae sunt.

961. *Magister Dětvinus*[a]) *praepositus ecclesiae s. Petri in Brunna Olomucensis dioc. in sedis apostolicae capellanum recipitur. „Virtutibus clarens“ „Rome ap. S. Petrum nonis Januarii pont. a. septimo“.*

Romae, 1396 Januarii 5.

R. Vat. 315 fol. 15[b] — [a]) ‚Dytwinus‘ — In fine: (sin.) XX, N. DE FREGONA; (med.) P. DE BOSCO; (dext.) PRO NICOLAO, JO. DE TREMOSNICZ.

---

962. *Judicibus mandatur, quatenus Osvaldo Čech parrochialem ecclesiam in Čulba conferant.*

Romae, 1396 Januarii 6.

Bonifacius . . . . archiepiscopo Barensi et episcopo Olomucensi ac . . . . decano ecclesie Patauiensis . . . . Vite ac morum honestas aliaque . . . . merita, super quibus Oswaldus Czech presbyter Olomucensis diocesis . . . . commendatur . . . ., nos inducunt, ut sibi reddamur . . . . liberales. Cum itaque . . . . parrochialis ecclesia s. Marie in Czulba dicte diocesis ex eo vacaverit et vacet ad presens, quod . . . . Johannes Sczekne rector parrochialis ecclesie in Pirzimakow Cracouiensis diocesis, eandem ecclesiam s. Marie tunc obtinens, ecclesiam in Pirzimakow prefatam tunc vacantem, auctoritate ordinaria sibi collatam, extitit pacifice assecutus, nos . . . discrecioni vestre . . . . mandamus, quatenus . . . . ecclesiam

s. Marie predictam, cuius fructus .... quatuordecim marcharum argenti puri .... valorem annuum .... non excedunt ...., prefato Oswaldo auctoritate nostra conferre et assignare curetis ....; non obstantibus ...., quod dictus Oswaldus, ut asserit, beneficium ecclesiasticum cum cura vel sine cura ad collacionem vel presentacionem .... prepositi et conventus monasterii in Cunicz per prepositum soliti gubernari premonstratensis ord. dicte Olomucensis diocesis auctoritate quarundam litterarum nostrarum in ea forma, secundum quam pro pauperibus clericis beneficiandis tunc scripsimus, sibi concessarum noscitur expectare. Volumus autem, quod, quamprimum idem Oswaldus .... ecclesiam predictam fuerit pacifice assecutus, predicte littere ac processus habiti per easdem et quecunque inde secuta sint cassa et irrita .... Datum Rome ap. S. Petrum octavo idus Januarii a. septimo.

R. Lat. 39 fol. 117a — In fine: N. XVIII DE BENEVENTO.

---

963. *Judicibus mandatur, quatenus Jacobo [de Ledeč] alteram portionem parrochialis ecclesiae in Načeradec conferant.*

Romae, 1396 Januarii 7.

Bonifacius .... episcopo Perusino et .... decano ecclesie Omnium Sanctorum in castro Pragensi ac officiali Luthomuslensi .... Vite ac morum honestas aliaque .... merita, super quibus .... Jacobus Martini rector parrochialis ecclesie in Lidman Pragensis diocesis .... commendatur ...., nos inducunt, ut sibi reddamur .... liberales. Cum itaque .... altera porcio parrochialis ecclesie in Naczeracz per duos solite gubernari rectores dicte diocesis ex eo, quod .... Petrus Klieczka olim dictam porcionem obtinens, eandem porcionem tunc vacantem, canonice sibi collatam, assecutus (*sic*) eamque per annum et amplius pacifice possidens, impedimento cessante legitimo nullaque super hoc canonica dispensacione obtenta, se non fecit ad sacerdocium promoveri, vacet ad presens et tanto tempore vacaverit, quod eius collacio .... est ad sedem apostolicam legitime devoluta, nos volentes dicto Jacobo, qui presbyter est, ... graciam facere specialem, discrecioni vestre .... mandamus, quatenus ...., si est ita, porcionem predictam, cuius fructus .... decem marcharum argenti puri .... valorem annuum .... non excedunt ...., eidem Jacobo auctoritate nostra conferre et assignare curetis ....; non obstantibus ...., quod idem Jacobus, ut asserit, predictam ecclesiam in Lidman, cuius fructus .... sex florenorum auri .... valorem annuum non excedunt, obtinet,[1]) et nos dudum sibi de beneficio ecclesiastico cum cura vel sine cura, ad .... prepositi et conventus monasterii in Chocyessowicz per prepositum soliti gubernari ordinis premonstratensis necnon prepositi, decani et capituli Boleslauiensis dicte diocesis ac .... prepositi, decani et capituli Wissegradensis prope Pragam ecclesiarum collacionem .... pertinente, vacante vel vacaturo, graciose concessimus provideri. Volumus autem, quod idem Jacobus, quamprimum .... dicte porcionis fuerit possessionem pacificam assecutus, prefatam ecclesiam in Lidman .... omnino dimittere teneatur,

quodque huiusmodi concessionis gracia et quecunque inde secuta, quoad curatum beneficium dumtaxat, sint cassa et irrita .... Datum Rome ap. S. Petrum septimo idus Januarii a. septimo.

R. Lat. 39 fol. 198 a — Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: PRO DEO N. DE BENEVENTO. — [1]) Cf. nr. 844 et 856.

---

964. *Decanis maioris et s. Ludgeri Monasteriensium et s. Crucis Vratislaviensis ecclesiarum mandatur, quatenus Vilhelmo Juncfrynch clerico Monasteriensis dioc. canonicatum et praebendam in ecclesia Bekemensi Monasteriensis dioc. vacantes conferant. „Vite ac morum“ „Rome ap. S. Petrum septimo idus Januarii pont. n. a. septimo.“*

Romae, 139[6] Januarii 7.

R. Lat. 41 fol. 9a — In fine: PRO DEO. N. DE BENEVENTO.

---

965. *Camerarius apostolicus universis praelatis et officialibus prohibet, ne in magistrum Dětvinum [a]) praepositum ecclesiae s. Petri in Brunna Olomucensis dioc. ullam iurisdictionem exerceant, cum ipse capellanus apostolicus sit.[1]) „Rome ap. s. Petrum a. dom. MCCCLXXXX sexto, indiccione quarta, die quinta decima mensis Januarii, pont. ... a. septimo.“*

Romae, 1396 Januarii 15.

Armar. XXXI tom. 36 fol. 77 a — [a]) ‚Dytwino‘ — [1]) Cf nr. 297 et 961.

---

966. *Henrico de Borsnicz presbytero ex utroque parente de militari genere procreato providetur de parrochiali ecclesia in Karzen [a]) Vratislaviensis dioc., cuius fructus 24 marcarum argenti puri valorem annuum non excedunt, vacante per obitum Petri de ‚Jarow‘ apud sedem apostolicam defuncti [1]); non obstante, quod nuper ei de uno vel duobus beneficiis ecclesiasticis sine cura, ad collationem episcopi Vratislaviensis necnon praepositi, decani et capituli ecclesiae Vratislaviensis pertinentibus, vacantibus vel vacaturis, a papa concessum est provideri. „Nobilitas generis“ „Rome ap. S. Petrum quinto decimo kal. Februarii a. septimo“. — Simili modo praeposito et decano ecclesiae Vratislaviensis ac officiali Vratislaviensi.*

Romae, 1396 Januarii 18.

R. Lat. 39 fol. 228 b — [a]) ‚Carczin‘ — Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: N. XII. XIIII DE BENEVENTO — [1]) Cf. nr. 867 et 872.

---

967. *Dionysius abbas Brevnoviensis quitatur de solutione partis suorum serviti-orum camerae sacri collegii.*

Romae, 1396 Januarii 28.

Henricus [. . . . s. Anastasie presbyter cardinalis, sacri collegii . . . . cardinalium camerarius, ... notum facimus,] quod venerabilis pater frater Dyonisius abbas monasterii ss. Alberti et Benedicti Brewnouiensis prope Pragam ord. s. Benedicti pro parte partis sui communis servicii viginti quinque florenos auri de camera et pro complemento unius minuti servicii unum similem florenum, solidos triginta tres et denarios quatuor monete Romane die date presencium tempore debito per manus religiosi viri fratris Johannis de Przyedborcycz rectoris parrochialis ecclesie in Nezamislicz Pragensis diocesis, monaci dicti monasterii, solvi fecit . . . . Datum [Rome ap. S. Petrum a. 1396] die vicesima octava mensis Januarii, pont. anno septimo.

Oblig. et sol. 59 fol. 61[a] — In fine: FL. II GR. II — De eadem solutione in libro „divisionum ab a. 1389 ad 1399“ (Oblig. et. sol. 51) mentio fit his verbis (fol. 90[b]): „[A. 1396] die XXVIII. mensis Januarii ven. pater fr. Dyonisius abbas monasterii ss. Adalberti et Benedicti Brewouiensis (*sic*) prope Pragam, solvit pro complemento (!) sui communis servicii . . . . 25 florenos auri de camera, et pro complemento unius minuti servicii . . . . unum similem florenum, solidos 33 et denarios 4 monete Romane; summa flor. 26, sol. 33 et den 4. Fuit promotus anno VIII. dom. Urbani pp. VI. (i. e. 1385 $^{18}/_{4}$—1386 $^{17}/_{4}$) . . . .“

---

968. *Volframus ecclesiae Pragensi in archiepiscopum praeficitur.*

Romae, 1396 Januarii 31.

Bonifacius . . . . Wolframo electo Pragensi . . . . Apostolatus officium quamquam insufficientibus meritis nobis ex alto commissum, quo ecclesiarum omnium regimini presidemus, utiliter exsequi coadiuvante domino cupientes, solliciti reddimur et solertes, ut, cum de ipsarum regiminibus agitur committendis, tales eis in pastores preficere studeamus, qui commissum sibi gregem dominicum sciant non solum doctrina verbi, sed exemplo boni operis informare commissasque sibi ecclesias in statu pacifico et tranquillo velint et valeant duce domino salubriter regere et feliciter gubernare. Dudum siquidem provisiones omnium ecclesiarum metropolitanarum et cathedralium tunc apud sedem apostolicam vacancium et inantea vacaturarum ordinacioni et disposicioni nostre reservantes, decrevimus extunc irritum . . . ., si secus . . . . contingeret attemptari. Postmodum vero ecclesia Pragensi ex eo apud dictam sedem vacante, quod . . . . Johannes episcopus, tunc Pragensis archiepiscopus, regimini eiusdem ecclesie, cui tunc preerat, per . . . . Johannem Kbel decretorum doctorem et Wenceslaum Henrici canonicum monasterii s. Marie in Rudnycz ordinis s. Augustini Pragensis diocesis, procuratores ipsius Johannis episcopi ad hoc ab eo sufficiens et speciale mandatum habentes, in manibus . . . . Cosmati tituli s. Crucis in Jerusalem presbyteri cardinalis apud dictam sedem libere et sponte cessit, dictusque cardinalis cessionem huiusmodi de speciali mandato nostro facto super hoc ei oraculo vive vocis apud eandem sedem admisit [1]): nos ad provisionem eiusdem ecclesie ce-

lerem et felicem, de qua nullus preter nos hac vice se intromittere potuit neque potest, reservacione et decreto obsistentibus supradictis, ne ipsa ecclesia longe vacacionis exponeretur incommodo, paternis et sollicitis studiis intendentes, post deliberacionem, quam de preficiendo eidem ecclesie personam utilem ac eciam fructuosam cum fratribus nostris habuimus diligentem, demum ad te, prepositum ecclesie s. Apolinaris Pragensis in sacerdocio constitutum, cui de litterarum sciencia, vite mundicia, honestate morum, spiritualium providencia et temporalium circumspeccione ac aliis multiplicium virtutum donis apud nos fidedigna testimonia perhibentur, direximus oculos nostre mentis, quibus omnibus debita meditacione pensatis, de persona tua nobis et eisdem fratribus ob dictorum tuorum exigenciam meritorum accepta eidem Pragensi ecclesie de ipsorum fratrum consilio auctoritate apostolica providemus teque illi preficimus in archiepiscopum et pastorem, curam et administracionem ipsius ecclesie Pragensis tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, in illo, qui dat gracias et largitur premia confidentes, quod dicta Pragensis ecclesia sub tuo felici regimine gracia tibi assistente divina prospere dirigetur et grata in eisdem spiritualibus et temporalibus suscipiet incrementa. Quocirca discrecioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus impositum tibi a domino onus regiminis dicte ecclesie Pragensis suscipiens reverenter, sic te in eius cura salubriter exercenda diligentem exhibeas et eciam studiosum, quod ecclesia ipsa gubernatori provido et fructuoso administratori gaudeat se commissam, tuque proinde preter eterne retribucionis premium nostram et dicte sedis benediccionem et graciam uberius consequi mererearis. Datum Rome ap. S. Petrum secundo kal. Februarii anno septimo.

Simili modo .... capitulo ecclesie Pragensis ....

Simili modo .... clero civitatis et diocesis Pragensium ....

Simili modo .... populo civitatis et diocesis Pragensium ....

Simili modo .... universis suffraganeis ecclesie Pragensis ....

Simili modo .... universis vasallis ecclesie Pragensis ....

Simili modo .... Wenceslao Romanorum et Bohemie regi illustri .... Gracie divine premium et preconium humane laudis acquiritur, si per seculares principes ecclesiarum prelatis, presertim ecclesiarum cathedralium regimini presidentibus, oportuni favoris presidium et honor debitus impendatur etc. Quocirca serenitatem regiam rogamus et hortamur attente, quatenus Wolframum electum una cum ecclesia Pragensi predicta suo regimini commissa habens pro divina et apostolice sedis reverencia propensius commendatos, sic eisdem te exhibeas favore regio benevolum et in oportunitatibus graciosum, quod idem Wolframus electus auxilium tue gracie in commisso sibi ecclesie prefate regimine utilius proficere valeat, tuque proinde consequaris premia felicitatis eterne, et nos eciam celsitudinem regiam exinde condignis possimus in domino laudibus commendare. Datum ut supra.

R. Lat. 42 fol 82ª — In fine: N. XXIIII. XII. XII. XII. XII. XII. XII DE BENEVENTO. — [1]) Cf. Tomek, Dějepis Prahy III² p. 393.

969. *Episcopo Ferentinatensi mandatur, quatenus, si ei constiterit neque Smiloni de Vícov neque Johanni de Třemošnicz in canonicatu et praebenda ecclesiae Vyšehradensis ius competere, dicto Smiloni eos conferat.*

Romae, 1396 Februarii 1.

Bonifacius . . . . Nicolao episcopo Ferentinatensi in Romana curia commoranti . . . . Litterarum sciencia, vite ac morum honestas . . . ., super quibus . . . . Smylo de Wiczow canonicus Olomucensis, bacallarius in decretis, ... commendatur . . . ., nos inducunt, ut sibi reddamur . . . . liberales. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dicti Smylonis peticio continebat, quod orta dudum inter ipsum et . . . . Johannem Petri de Trzyemosnicz, qui se gerit pro clerico Pragensis diocesis, super canonicatu et prebenda ecclesie s. Petri Wissegradensis Pragensis Romane ecclesie immediate subiecte, quos, tunc per obitum quondam Jacobi de Sicca ipsius ecclesie canonici extra Romanam curiam defuncti vacantes, Smylo sibi auctoritate apostolica collatos seque illos assecutum fuisse canonice eosque aliquamdiu tenuisse et possedisse et tunc eciam tenere et possidere, dictumque Johannem se collacioni et assecucioni huiusmodi contra iusticiam opposuisse et opponere . . . ., Johannes vero predicti eosdem canonicatum et prebendam ad se de iure spectare asserebant, prout asserunt, materia questionis: nos causam huiusmodi ad dicti Johannis instanciam, non obstante, quod causa ipsa de sui natura ad dictam curiam legitime devoluta . . . . non esset, tibi, tunc capellano nostro et causarum palacii apostolici auditori, ... commisimus . . . ., tuque in causa ipsa ad nonnullos actus inter partes easdem citra tamen conclusionem diceris processisse. [1]) Cum autem . . . . a nonnullis asseratur neutri dictorum Smylonis et Johannis in ipsis canonicatu et prebenda seu ad eos ius competere . . . ., nos . . . . fraternitati tue, qui adhuc locum unius ex auditoribus causarum dicti palacii de speciali mandato nostro tenes, ... committimus et mandamus, quatenus, si per eventum litis huiusmodi tibi constiterit neutrum dictorum Smylonis et Johannis in ipsis canonicatu et prebenda seu ad eos ius habere, eosdem canonicatum et prebendam, quorum et archidiaconatus Lithomericensis in maiori ecclesia Pragensi, quem ipse Smylo possidet, et de quo hodie sibi certo modo, ut credebatur, vacante de novo graciose concessimus provideri, [2]) fructus . . . . quadraginta marcharum argenti puri . . . . valorem annuum non excedunt . . . ., eidem Smyloni auctoritate nostra conferre et assignare procures . . . .; non obstantibus . . . ., quod idem Smylo, ut asserit, canonicatum et prebendam ecclesie Olomucensis, quorum decem, et capellam s. Petri in Bordeuicz, cuius eciam decem marcharum argenti, necnon parrochialem in Batyn (*sic*) [3]) Olomucensis diocesis, cuius similiter decem marcharum argenti puri fructus . . . . valorem annuum non excedunt, obtinet, et nos dudum secum, ut parrochialem ecclesiam et archidiaconatum predictos, qui quidem archidiaconatus dignitas, non tamen maior post pontificalem, in maiori ecclesia Pragensi existit, usque ad quinquennium insimul retinere [a]) posset, auctoritate apostolica duximus dispensandum . . . . Datum Rome ap. S. Petrum kal. Februarii a. septimo.

R. Lat. 41 fol. 212[a] — [a]) ‚recipere‘ cod. — In fine: N. XXIIII DE BENEVENTO. — [1]) Cf. nr. 622,623,730. [2]) Cf. nr. 970 [3]) recte Rataj.

970. *Smiloni de Vícov conceditur, ut provisio de archidiaconatu Litoměřicensi alias ei facta valeat, etiam si super dicto archidiaconatu in palatio apostolico lis pependerit indecisa.*

Romae, 1396 Februarii 1.

Bonifacius . . . . Smyloni de Wiczow canonico Olomucensi, bacallario in decretis . . . . Litterarum sciencia . . . . Dudum siquidem tibi de archidiaconatu Lithomericensi in maiori ecclesia Pragensi, tunc per obitum quondam Jacobi de Sicca archidiaconi Lithomericensis in ecclesia predicta extra Romanam curiam defuncti vacante et antea disposicioni apostolice reservato, per nostras litteras graciose duximus providendum, certis tibi super hoc executoribus deputatis . . . ., [1]) tuque, sicut exhibita nobis nuper pro parte tua peticio continebat, archidiaconatum ipsum predictarum litterarum vigore assecutus fuisti. Cum autem . . . . a nonnullis asseratur inter prefatum Jacobum et nonnullos alios super ipso archidiaconatu in palacio apostolico litem pependisse seu remansisse indecisam, et propterea tu dubites te posse super ipso archidiaconatu imposterum molestari, pro parte tua nobis fuit humiliter supplicatum, ut tibi super hoc providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur . . . . volumus et tibi, super canonicatu et prebenda ecclesie s. Petri Wissegradensis Pragensis, quorum et dicti archidiaconatus quadraginta, in dicto palacio litiganti [2]) ac parrochialem ecclesiam in Ratayn, cuius decem marcharum argenti puri, necnon canonicatum et prebendam ecclesie Olomucensis, quorum similiter decem, ac capellam sine cura s. Petri in Bozdenicz [3]) Olomucensis diocesis, cuius eciam decem marcharum argenti fructus . . . . valorem annuum, ut asseris, non excedunt, obtinenti, et cum quo dudum, ut archidiaconatum, qui dignitas, non tamen maior post pontificalem, in dicta ecclesia maiori Pragensi, existit, et parrochialem ecclesiam predictos usque ad quinquennium insimul retinere posses, aliarum litterarum nostrarum tenore duximus dispensandum, apostolica auctoritate concedimus, quod predicte littere, per quas tibi de dicto archidiaconatu providimus, ut prefertur, ... a data presencium valeant . . . ., eciam si super ipso archidiaconatu inter prefatum Jacobum et quosvis alios in eodem palacio lis . . . . pependerit et remanserit indecisa . . . . Datum Rome ap. S. Petrum kal. Februarii a. septimo.

R. Lat. 40 fol. 233[a] — Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: N. XX DE BENEVENTO — [1]) Vide nr. 622. [2]) Cf. nr. 969. [3]) i. e. Bordovice, Bordavitz.

971. *Philippo de Želetav conceditur, ut provisio de canonicatu et praebenda ecclesiae Pragensis alias ei facta valeat, etiam si super eisdem canonicatu et praebenda in palatio apostolico lis pependerit indecisa.*

Romae, 1396 Februarii 1.

Bonifacius . . . . Philippo de Zelcow canonico Olomucensi . . . . Vite ac morum . . . . Dudum siquidem tibi de canonicatu et prebenda ecclesie Pragensis, tunc per obitum quondam Jacobi de Sicca canonici ecclesie predicte extra Ro-

manam curiam defuncti vacantibus et antea disposicioni apostolice reservatis, per nostras litteras graciose mandavimus provideri . . . . Cum autem, sicut exhibita nobis nuper pro parte tua peticio continebat, a nonnullis asseratur, quod inter dictum Jacobum tempore sui obitus et quendam suum adversarium super ipsis canonicatu et prebenda . . . . in palacio apostolico lis remanserit indecisa, tuque dubites te propterea super ipsis canonicatu et prebenda posse imposterum molestari, nos . . . . volumus et tibi, Olomucensis et Wratislauiensis ecclesiarum canonicatus et prebendas ac parrochialem ecclesiam in Walcz Olomucensis diocesis, quorum omnium fructus . . . . quinquaginta sex marcharum argenti puri . . . . valorem annuum non excedunt, obtinenti, apostolica auctoritate concedimus, quod predicte littere . . . . a data presencium valeant . . . ., eciam si super eisdem canonicatu et prebenda ecclesie Pragensis, quorum fructus . . . . viginti marcharum argenti . . . . valorem annuum . . . . non excedunt, inter prefatum Jacobum et aliquos alios in palacio predicto lis pependerit indecisa . . . . Datum Rome ap. S. Petrum kal. Februarii a. septimo.

R. Lat. 40 fol. 234[a] — Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: N. XX DE BENEVENTO.

---

972. *Angelo s. Laurentii in Damaso cardinali mandatur, quatenus, si ei constiterit neque Nicolaum Flenczel neque Děpoldum canonicum Milocensem in regimine monasterii in Plaga ius habere, eidem monasterio dictum Nicolaum in praepositum praeficiat.*

Romae, 1396 Februarii 17.

Bonifacius . . . . Angelo tituli s. Laurencii in Damaso presbytero cardinali . . . . Inter sollicitudines varias . . . . Dudum siquidem quondam Petro preposito monasterii in Plaga per prepositum soliti gubernari premonstransis ord. Patauiensis diocesis regimini dicti monasterii presidente, nos . . . . provisionem ipsius monasterii ordinacioni et disposicioni nostre duximus ea vice specialiter reservandam . . . . Et deinde, sicut peticio pro parte . . . . Nicolai dicti Flenczel canonici dicti monasterii nobis nuper exhibita continebat,[a]) orta inter ipsum et . . . . Dypoldum canonicum monasterii Milocensis dicti ordinis Pragensis diocesis super regimine et administracione eiusdem monasterii in Plaga, cui, tunc per obitum dicti Petri prepositi extra Romanam curiam defuncti vacanti, quilibet ipsorum Nicolai et Dypoldi de sui persona apostolica auctoritate provisum seque illi in prepositum prefectum fuisse canonice ac regimen et administracionem huiusmodi vigore provisionis et prefeccionis earundem ad se de iure spectare asserebat, prout asserit,[1]) materia questionis et causa huiusmodi per appellacionem dicti Nicolai ad sedem apostolicam legitime introducta: nos causam appellacionis huiusmodi et negocii principalis . . . . Johanni episcopo Assanensi, tunc capellano nostro et causarum palacii apostolici auditori, ad instanciam ipsius Nicolai primo, et deinde, postquam dictus Johannes episcopus, tunc auditor, in huiusmodi causa ad nonnullos actus inter partes easdem processerat, ex certis causis . . . . Cosmato tituli s. Crucis in Jerusalem presbytero cardinali . . . .

commisimus . . . .; qui in huiusmodi causa procedens diffinitivam, per quam provisionem et prefeccionem predictas de persona prefati Dypoldi, ut premittitur, factas pronunciavit fuisse et esse canonicas suumque debuisse et debere sortiri effectum, necnon regimen et administracionem huiusmodi Dypoldo[b]) adiudicavit et super illis Nicolao prefatis perpetuum silencium imposuit, sentenciam promulgavit; a qua pro parte dicti Nicolai ad sedem fuit appellatum eandem, nosque in causa appellacionis huiusmodi a predicta sentencia interiecte . . . . Bartholomeum tituli s. Martini in Montibus presbyterum cardinalem eidem Cosmato cardinali duximus adiungendum, qui quidem Bartholomeus cardinalis solus in huiusmodi causa procedens, per suam diffinitivam sentenciam dictam sentenciam eiusdem Cosmati cardinalis confirmavit. Cumque ab huiusmodi sentencia dicti Bartholomei cardinalis pro ipsius Nicolai parte ad sedem fuisset appellatum predictam, nos in causa ultime appellacionis huiusmodi . . . . Angelum s. Lucie in Septem soliis diaconum cardinalem primo, et deinde ex certis causis te prefato Bartholomeo cardinali duximus adiungendos, tuque solus in causa ipsa inter dictas partes ad nonnullos actus citra tamen prolacionem sentencie diceris processisse. Cum autem . . . . a nonnullis asseratur neutri dictorum Nicolai et Dypoldi in regimine et administracione predictis ius competere . . . ., nos . . . . sperantes, quod dextera domini assistente per circumspeccionem providam et studium fructuosum ipsius Nicolai, qui ordinem ipsum expresse professus et in sacerdocio constitutus est, ... predictum monasterium in Plaga regetur utiliter et prospere dirigetur . . . ., circumspeccioni tue . . . . committimus et mandamus, quatenus, si per eventum litis huiusmodi tibi constiterit neutrum dictorum Nicolai et Dypoldi in regimine et administracione predictis seu ad illa ius habere, de persona dicti Nicolai . . . . eidem monasterio in Plaga, cuius fructus . . . . quinquaginta marcharum argenti . . . . valorem annuum . . . . non excedunt . . . ., auctoritate nostra provideas ipsumque illi preficias in prepositum . . . . Datum Rome ap. S. Petrum quarto decimo kal. Marcii a. septimo.

R. Lat. 42 fol. 49[a] — [a]) Sequitur in cod. ‚quod' [b]) ‚Dypoldi' cod. — In fine: N. L DE BENEVENTO — [1]) Cf nr. 954.

---

973. *Universis praelatis et clero atque omnibus dominis temporalibus mandatur, ut Ludovico Philippi domicello Perusino pro Romanae ecclesiae negotiis ad Alamanniae, Bohemiae et nonnullas alias partes dudum destinato de securo conductu provideant. „Rome ap. S. Petrum XI. kal. Marcii a. septimo".*

Romae, 1396 Februarii 20.

R. Vat. 315 fol. 33[b] — In fine: (ad sin.) JO. DE BONONIA; (ad dext.) DE CURIA, JO. DE TREMOSNICZ.

974. *Causis inter Vitkonem [de Černčicz] et Vilhelmum Slavatae super perceptione decimarum ad ecclesiam in Budeč pertinentium exortis et in palatio apostolico diutius ventilatis finis imponitur.*

Romae, 1396 Februarii 22.

Bonifacius . . . . ad futuram rei memoriam. Humilibus supplicum votis . . . . Exhibita siquidem nobis nuper pro parte . . . . Witkonis prepositi ecclesie s. Egidii Pragensis peticio continebat, quod, cum olim . . . . Wilhelmus Slawathe rector parrochialis ecclesie in Budecz Pragensis diocesis in causa seu causis per eum contra prefatum Witkonem super percepcione quarundam decimarum tunc expressarum, ad dictam parrochialem ecclesiam pertinencium, quas idem Witko Wilhelmo, ut asserebat, et ecclesie parrochiali predictis per nonnullos preteritos annos eciam tunc expressos subtraxerat, et quarum percepcione ac eciam nonnullis animalibus, bonis et rebus aliis ac eorum occasione similiter tunc expressis spoliaverat, mota seu motis et in palacio apostolico coram diversis auditoribus causarum dicti palacii ex commissionibus apostolicis diucius ventilata seu ventilatis. tres, per quas inter cetera dictus Witko ad restituendum eidem Wilhelmo decimas sic subtractas necnon animalia, bona et res alias huiusmodi vel eorum verum valorem et in expensis in huiusmodi causa factis condempnatus fuerat, diffinitivas sentencias reportasset et super execucione sentenciarum necnon restitucione animalium, bonorum et rerum ac expensarum huiusmodi, que quidem expense ad certas pecuniarum summas tunc expressas taxate fuerant, apostolicas ad episcopum Tudensem, eius proprio nomine non expresso, et duos alios eius in hac parte collegas litteras impetrasset, idemque Witko ex eo, quod infra terminum ad hoc sibi prefixum processibus per easdem litteras habitis parere non curaverat, excommunicacionis sentencia innodatus ac excommunicatus publice denunciatus extitisset: Witko et Wilhelmus predicti postmodum ad certam amicabilem composicionem tunc expressam devenerunt; idemque Witko pro decimis subtractis certam, necnon pro animalibus, bonis et rebus aliis huiusmodi quandam aliam pecuniarum summas tunc expressas in certis terminis eciam tunc expressis prefato Wilhelmo solvere ac quamplura alia similiter tunc expressa sub diversis penis facere promisit, prout in instrumento publico inde confecto dicitur plenius contineri. Propter quod . . . . Turibius episcopus Tudensis prefatum Witkonem consenciente in hoc dicto Wilhelmo ab huiusmodi excommunicacionis sentencia absolvit, sed voluit, quod, si dictus Witko omnia et singula in dicto instrumento contenta non adimpleret, aut per eum staret, quominus adimplerentur, extunc in huiusmodi excommunicacionis sentencias et alias penas ac censuras ecclesiasticas in prefatis processibus contentas reincideret. Et nichilominus . . . . magister Henricus Bowet archidiaconus Lincolniensis, capellanus noster, tunc causarum curie camere apostolice generalis auditor, in eosdem Witkonem et Wilhelmum coram eo personaliter constitutos et in hoc sponte consencientes, si non servarent, aut in alterum ipsorum, qui non servaret composicionem supradictam ac omnia et singula in instrumento eiusdem composicionis contenta, excommunicacionis sentenciam promulgavit, et licet ipse Witko in huiusmodi terminis sibi ad hoc, ut premittitur, prefixis prefatas pecuniarum summas per eum, ut prefertur, promissas seu earum verum valorem ipsi Wilhelmo realiter persolvisset, tamen postmodum predictus Turibius episcopus ad instanciam eiusdem Wilhelmi, confingentis eundem Witkonem predictam composicionem non servasse vel ex alia causa reincidisse prefatas excommunicacionis sentencias et penas alias in dictis processibus contentas, in illas ipsum Witkonem declaravit dampnabiliter incidisse ipsumque excommunicatum publice nunciari et huiusmodi sentencias in ipsum aliquociens aggravari

fecit eciam et mandavit. Subsequenter vero nos ad instanciam dicti Witkonis causam nullitatis processuum, sentenciarum et censurarum ecclesiasticarum huiusmodi, necnon iniuriarum, damnorum et diffamacionum eidem Witkoni propterea, ut asserebat, illatorum . . . . magistro Paulo de Dugnano capellano nostro et causarum dicti palacii auditori audiendam commisimus et fine debito terminandam, et deinde eciam ipsi auditori eciam commisimus, ut ipsum Witkonem a quibuscunque excommunicacionum sentenciis et aliis censuris huiusmodi in eum, ut premittitur, latis, si et prout de iure simpliciter vel ad cautelam absolveret ipsasque censuras relaxaret ac tolleret et partibus ipsis iusticiam ministraret. Et licet postmodum ipse Witko per dictum Paulum auditorem ab huiusmodi excommunicacionis sentencia in dictis processibus, ut premittitur, lata fuisset ad cautelam absolutus, tamen postmodum obtentum est ipsum Paulum auditorem in hoc male processisse, ipseque Witko in huiusmodi excommunicacionis sentencia reintrusus extitit, et hoc forsan ex eo, quod coram dicto Paulo auditore non plene doctum fuerat nec deductum de totali observacione composicionis antedicte, et eciam quod forsan prefatus Wilhelmus alias gravatus fuerit in premissis. Cum autem, sicut eadem peticio subiungebat, quamvis constet vel saltem constare possit, quod, antequam huiusmodi causa dicto Paulo auditori, ut prefertur, committeretur, dictus Witko composicionem prefatam in hiis, que in eo fuerant, ut credit, observaverit, quia tamen iidem Witko et Wilhelmus in ipsa composicione super quibusdam differenciis, litibus, discordiis et certis rebus aliis inter eos stare promiserant ordinacioni duorum proborum tunc expressorum, et si super hiis ipsi duo infra terminum ad hoc prefixum non ordinarent, partes ipse starent in terminis, in quibus erant ante composicionem eandem, ipsique duo nichil super hiis ordinarunt, a nonnullis asseritur, quod ipse Witko excommunicatus remaneret sicut ante, quamvis sue intencionis fuerit, quod solum differencie, lites et discordie huiusmodi starent sicut prius, ipse autem propterea excommunicatus non esset. Verum licet dictus Wilhelmus nuper eciam in quadam alia causa, per eum contra prefatum Witkonem super nonnullis iniuriis ei per dictum Witkonem, ut asserebat, illatis, necnon damnis et rebus aliis tunc expressis et eorum occasione mota et in palacio prefato coram certis auditoribus causarum eiusdem palacii ex commissionibus apostolicis aliquandiu ventilata, eciam tres, per quas inter cetera ipse Witko in centum florenis auri de camera predicto Wilhelmo racione iniuriarum huiusmodi ei, ut dicebatur, illatarum, necnon pro damnis passis in aliis centum et in expensis eciam in huiusmodi causa factis, que postmodum ad certas florenorum auri summas tunc expressas taxate fuerunt, [condemnatus fuit], diffinitivas sentencias reportarit, ipse tamen Witko in sua consciencia secundum se maiores ab eodem Wilhelmo recepit iniurias atque damna, de quibus confidit constare posse, si prosequeretur materiam transgressionis composicionis antedicte. Quare pro parte ipsius Witkonis nobis fuit humiliter supplicatum, ut, quod huiusmodi litibus, discordiis, differenciis et involucionibus finis imponatur in premissis, providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur causas ac composicionem huiusmodi necnon omnia et singula in eis contenta et deducta, eciam si de ipsis vel ipsorum aliquo seu aliquibus presentibus specialis mencio seu expressio habenda foret, habentes presentibus pro expressis, consideracione carissimi in Chr. filii nostri Wenceslai Romanorum et Boemie regis illustris, cupientis, ut asserit,

prefatum Witkonem remanere in pace ac status reintegritate, nobis super hoc humiliter supplicantis, ... omnes et singulas causas ceteraque negocia supradicta, eciam super quibus dicte sentencie late sunt et que per eas censeri possunt sopita, cum suis dependentibus, emergentibus et connexis ad nos advocamus ac utrumque Witkonis et Wilhelmi predictorum ab impeticione alterius occasione premissorum absolvimus eisque super omnibus et singulis premissis sopitis et non sopitis ex certa sciencia de plenitudine potestatis perpetuum silencium imponimus per presentes ac declaramus neutrum ipsorum Witkonis et Wilhelmi ab altero eorum nec pro re iudicata neque pro expensis huiusmodi neque alias quovis modo premissorum occasione quicquam petere vel exigere posse seu debere, ipsum Witkonem propter premissa nullam irregularitatis sive infamie maculam sive notam incurrisse eumque ab omnibus excommunicacionum sentenciis, si quas propterea incurrit, absolvimus et super irregularitate, si quam forsan huiusmodi sentenciis ligatus divina celebrando vel immiscendo se illis, non tamen in contemptum clavium, incurrerit, dispensamus; constitucionibus apostolicis et aliis contrariis non obstantibus quibuscumque . . . . Datum Rome ap. S. Petrum nono kal. Marcii a. septimo.

R. Lat. 43 fol. 172[a] — Supra in marg. sin.: P. DE BOSCO; in fine: N.-C-DE BENEVENTO. — Ad totum conf. Tadra, Kniha protokolů auditorů papežských (Věstník uč. spol. = Sitzb. der böhm. Ges. d. Wiss. 1893, IV.) p. 3 et 9.

---

975. *Judicibus mandatur, quatenus Petro Adolphi canonicatum et praebendam in ecclesia Opoliensi vacantes conferant.*

Romae, 1396 Februarii 24.

Bonifacius . . . . episcopo Monopolitano et . . . decano ecclesie Wratislauiensis ac officiali Wratislauiensi . . . . Vite ac morum honestas aliaque . . . . merita, super quibus . . . . Petrus Adolphi rector parrochialis ecclesie s. Katherine extra muros Wratislauienses . . . . commendatur . . . ., nos inducunt, ut sibi reddamur . . . . liberales. Cum itaque . . . . canonicatus et prebenda ecclesie Opoliensis Wratislauiensis diocesis per liberam resignacionem . . . . Alberti de Curia . . . . per eum de illis in manibus . . . . Georgii Ffulschussil officialis Wratislauiensis extra Romanam curiam sponte factam et per eundem officialem de speciali mandato nostro sibi per nos super hoc facto extra eandem curiam admissam vacaverint et vacent ad presens, nos . . . . [discrecioni vestre . . . . mandamus, quatenus] canonicatum et prebendam predictos, quorum fructus . . . . sedecim marcarum argenti puri . . . . valorem annuum . . . . non excedunt, ... eidem Petro auctoritate nostra conferre et assignare curetis . . . .; non obstantibus . . . ., quod idem Petrus, ut asserit, parrochialem ecclesiam predictam ac in Legnicz Wratislauiensis diocesis canonicatum et prebendam et in maiori Wratislauiensi unum et in b. Marie Magdalene Wratislauiensis aliud altaria sita, quorum omnium triginta, obtinet, et nos nuper sibi de cancellaria in eadem maiori ecclesiis, que dignitas est, et cuius decem marcarum argenti fructus . . . . valorem annuum non excedunt, tunc certo modo vacante, graciose concessimus provideri, secum nichilominus, ut eandem cancellariam . . . . recipere et una

cum dicta parrochiali ecclesia usque ad triennium retinere . . . . posset, dispensando, ita tamen, quod unam ex eisdem cancellaria et parrochiali ecclesia infra huiusmodi triennium pro alio beneficio ecclesiastico cum earum reliqua compatibili permutare, alioquin ipsam parrochialem ecclesiam . . . . omnino dimittere teneretur . . . . Datum Rome ap. S. Petrum septimo kal. Marcii pont. n. a. septimo.

R. Lat. 40 fol. 45b — Supra in marg. sin.: A. DE PORTUGRUARIO; in fine: N. XXII DE BENEVENTO.

---

976. *Ulricus Petri de Strašicz*[a]) *clericus Pragensis in familiarem sedis apostolicae recipitur. „Sincere devocionis" „Rome ap. S. Petrum kal. Marcii a. septimo".*

Romae, 1396 Martii 1.

R. Lat. 41 fol. 264b — a) ‚Strassicz' — In marg. sin.: P. DE BOSCO; in fine: DE MANDATO, N. DE BENEVENTO.

---

977. *Ulrico de Strašicz providetur de canonicatibus Pragensis et Vyšehradensis ecclesiarum sub exspectatione praebendarum, necnon dignitatis, personatus seu officii.*

Romae, 1396 Martii 1.

Bonifacius . . . . Vlrico Petri de Strassicz canonico Pragensi, familiari nostro . . . . Grata tue familiaritatis . . . . Volentes itaque tibi . . . . graciam facere specialem, unum in maiori et alium in Wyssegradensi Pragensibus ecclesiis canonicatus . . . . apostolica tibi auctoritate conferimus . . . ., necnon unam in maiori et aliam prebendas in Wyssegradensi ecclesiis predictis ac dignitatem vel personatum seu officium cum cura vel sine cura in aliqua ipsarum aut aliarum civitatis et diocesis Pragensium collegiatarum ecclesiarum, eciam si dignitas huiusmodi in dicta maiori maior post pontificalem aut in predicta Wyssegradensi vel aliqua alia ex collegiatis ecclesiis huiusmodi principalis fuerit, et ad eam quis consueverit per eleccionem assumi, si que vel si qui aut si qua vacant ad presens, vel cum simul aut successive vacaverint . . . ., conferenda tibi . . . . donacioni apostolice reservamus . . . .; non obstantibus tam fel. rec. Urbani pp. V. predecessoris nostri, qua cavetur, quod nullus in maiori et alia seu duabus ecclesiis civitatis Pragensis et suburbiorum eiusdem duos canonicatus et prebendas simul obtinere possit[1]) . . . ., quam aliis constitucionibus apostolicis . . . ., aut si aliqui . . . . super provisionibus sibi faciendis . . . . dicte sedis vel legatorum eius litteras impetrarint . . . ., quibus omnibus, eciam auctoritate nostra in ecclesiis ipsis receptis vel prebendas ac dignitates vel personatus seu officia eciam cum simili vel alia antelacionis prerogativa expectantibus in eisdem, preterquam . . . . cardinalibus et . . . . familiaribus nostris actu domesticis continuis commensalibus, te . . . . volumus anteferri . . . ., seu quod, ut asseris, altare s. Margarete in dicta maiori ecclesia, super quo in palacio apostolico litigas, obtines, et nos dudum tibi de canonicatu et prebenda eiusdem maioris tunc certo modo vacantibus concessimus necnon de uno

et duobus, tribus seu quatuor .... beneficiis .... ecclesiasticis, eciam si alterum ipsorum curatum foret, ad collacionem .... dicti archiepiscopi [Pragensis] et .... prepositi, decani, archidiaconorum, scolastici, custodis, cantoris et capituli singulorumque canonicorum et personarum dicte maioris ecclesie .... pertinentibus, ... vacantibus vel .... vacaturis, per alias nostras litteras sub data quinto idus Novembris pont. n. a primo graciose mandavimus provideri. [2]) Volumus autem, quod, quamprimum .... canonicatum et prebendam dicte maioris ecclesie ac dignitatem vel personatum seu officium curatum fueris pacifice assecutus, huiusmodi concessionis gracia ac littere ipse, per quas tibi de beneficiis huiusmodi provideri mandavimus ...., quoad curatum beneficium duntaxat, extunc sint cassa ...., quodque eciam dictum altare ac omne ius tibi in eo seu ad illud quomodolibet competens omnino, prout ad id te eciam sponte obtulisti, dimittere tenearis .... Datum Rome ap. S. Petrum kal. Marcii a. septimo.

Simili modo .... episcopo Aquensi et .... abbati monasterii Aule Regie Pragensis diocesis ac .... decano ecclesie s. Apolinaris Pragensis ....

R. Lat. 41 fol. 30[a] — Supra in marg. sin.: P. DE BOSCO; in fine: DE MANDATO, N. DE BENEVENTO -- [1]) Cf. nri. 4 not. 2. [2]) Cf. nr. 218.

---

978. Obligatio Volframi archiepiscopi Pragensis.

Romae, 1396 Martii 4.

Anno [nativ. 1396] die sabbati, quarta mensis Marcii [pont. Bonifacii pape IX anno VII. in thesauria apostolice camere] .... reverendus pater dom. Wolframus[a]) electus in archiepiscopum Pragensem per venerabilem virum dom. Johannem[b]) Kbel decretorum doctorem, curie archiepiscopalis Pragensis et apostolice sedis legati officialem, procuratorem suum ad hoc legitime constitutum, promisit camere et collegio pro suo communi servicio duo milia octingentos florenos auri de camera et quinque servicia consueta; item recognovit camere et collegio pro communi servicio domini Johannis predecessoris sui florenos octo, solidos XVII, denarios IIII[c]); solvendo medietatem promissi usque ad festum nativitatis domini nostri Jesu Chr. proxime futurum, et aliam medietatem cum recognito in festo assumpcionis b. Marie virginis proxime futuro extunc ....

Oblig. et sol. 48 fol. 189[b], et iterum Oblig. et sol. 52 fol. 70[a] — [a]) ‚Welframus' Obl. 52 [b]) ‚Jacobm' *sic*) Obl. 52 [c]) ‚flor. — den. IIII' omissum in Obl. 52.

---

979. Officiali Vratislaviensi mandatur, quatenus Nicolao Seckel praecentoriam capellae s. Mariae, auctoritate ordinaria ei collatam, auctoritate apostolica conferat.

Romae, 1396 Martii 10.

Bonifacius .... officiali Wratislauiensi .... Dignum arbitramur .... Exhibita siquidem nobis nuper pro parte .... Nicolai Seckel canonici ecclesie

Othmuchouiensis Wratislauiensis diocesis peticio continebat, quod olim precentoria capelle s. Marie, que capella annexa est ecclesie Wratislauiensi, per obitum quondam Johannis Tyncz . . . ., qui extra Romanam curiam decessit, vacante, ... Wenczeslaus episcopus Wratislauiensis, cum ad episcopum Wratislauiensem pro tempore existentem eiusdem precentorie collacio et provisio eciam de antiqua . . . . consuetudine pertineat, precentoriam ipsam sic vacantem prefato Nicolao auctoritate ordinaria contulit et de illa eciam providit, ipseque Nicolaus precentoriam ipsam . . . . assecutus, illam per nonnulla tempora tenuit et possedit, prout tenet et possidet, pacifice et quiete. Cum autem . . . . dictus Nicolaus dubitet collacionem et provisionem huiusmodi . . . . viribus non subsistere . . . ., nos . . . . discrecioni tue . . . . mandamus, quatenus, si precentoria predicta dignitas vel personatus aut curata existat, et . . . . prefatum Nicolaum bene legere . . . . et bene cantare . . . . et alias ydoneum ad obtinendum dictam precentoriam reppereris . . . ., vel eciam si ipse Nicolaus non bene cantaret, dummodo . . . . iuret . . . ., quod infra annum . . . . bene cantare addiscet, precentoriam predictam, eciam si curata vel dignitas, non tamen principalis, in dicta capella existat, et ad eam quis consueverit per eleccionem assumi, et si forte ita esse non inveneris, dictaque precentoria curata nec dignitas vel personatus sit, et ipse Nicolaus non bene cantet nec iuraverit, ut prefertur, dummodo ipsum alias . . . . ad hoc idoneum esse reppereris, precentoriam predictam, cuius fructus . . . . sexdecim marcharum argenti puri valorem annuum . . . . non excedunt, ... eidem Nicolao auctoritate nostra conferre et assignare procures . . . .; non obstantibus . . . ., quod idem Nicolaus, ut asserit, canonicatum et prebendam et quoddam altare sine cura situm in dicta ecclesia Othmuchouiensi, quorum omnium fructus . . . . decem et octo marcarum argenti . . . . valorem annuum non excedunt, noscitur obtinere . . . . Datum Rome ap. S. Petrum sexto idus Marcii a. septimo.

R. Lat. 41 fol. 234 b — In fine: N. XXI DE BENEVENTO.

---

980. *Venceslaus Petri de Újezd Monachorum* [a] *monachus monasterii s. Mariae in Smilenheim* [b] *(Vyzovicz) cisterciensis ord. Olomucensis dioc. in sedis apostolicae capellanum recipitur.* „*Virtutibus clarens*“ „*Rome ap. S. Petrum VIII. kal. Aprilis a. septimo.*“

Romae, 1396 Martii 25.

R. Vat. 315 fol. 25 a — a) ‚Vgerd monachorum‘ b) ‚Smylenheym‘ — In fine: (sin.) X. N. DE FRAGONA, JO. DE LYNS; (med.) JO. DE BONONIA; (dext.) JO. DE BONONIA.

---

981. *Johannes abbas Insulensis quitatur de solutione partis suorum servitiorum camerae sacri collegii.*

Romae, 1396 Aprilis 1.

Henricus . . . . [s. Anastasie presbyter cardinalis, sacri collegii . . . . cardinalium camerarius, ... notum facimus,] quod venerabilis pater frater Johannes

abbas monasterii s. Johannis Baptiste de Insula Pragensis diocesis ord. s. Benedicti pro parte partis sui communis servicii . . . . sexdecim florenos auri de camera, solidos triginta tres et denarios quatuor, et pro parte partis unius eciam sui minuti servicii unum similem florenum, solidos novem et denarios sex die date presencium tempore debito per manus fratris dom. Johannis de Pazedborzich [1]) rectoris ecclesie s. Marie in Nezamislicz Pragensis diocesis solvi fecit . . . . Datum [Rome ap. S. Petrum a. 1396] die prima mensis Aprilis, anno VII.

Oblig. et sol. 59. fol. 63b — In fine: FL. I GR. II — De eadem solutione in libro „divisionum a. 1389—1399“ (Oblig. et sol. 51) mentio fit his verbis (fol 95b): „Die prima mensis Aprilis [1396] fr. Johannes abbas monasterii s. Johannis Baptiste de Insula Pragensis diocesis ord. s Benedicti solvit pro parte partis sui communis servicii . . . . 16 flor. auri de camera, sol. 33 et den. 4, et pro parte partis unius minuti servicii . . . . unum similem flor., sol. 9 et den. 6 monete Romane; summa flor. 17, sol. 42 et den. 10 . . . . . Fuit promotus anno sexto (correctum ex ‚quarto‘) dom. Bonifacii predicti (id e. 1394 $^{9}/_{11}$—1395 $^{8}/_{11}$)....“ — [1]) i. e. Předbořicz.

---

982. *Nicolao de Glivicz conceditur, ut litterae Urbani VI., per quas ei de canonicatu et prebenda ecclesiae Vratislaviensis provisum fuit, valeant, etiam si dicti canonicatus et prebenda alias vacaverint, quam in eisdem litteris erat contentum.*

Romae, 1396 Aprilis 5.

Bonifacius . . . . magistro Nicolao de Glywicz canonico Wratislauiensi scriptori et familiari nostro . . . . Grata tue familiaritatis . . . . Dudum siquidem fel. rec. Urbanus papa V. predecessor noster quondam Petro Begonis archidiacono de Condrosio in ecclesia Leodiensi de archidiaconatu de Condrosio . . . . per suas litteras graciose providit, volens inter cetera, quod idem Petrus, quamprimum . . . . dictum archidiaconatum foret pacifice assecutus, canonicatum et prebendam ecclesie Wratislauiensis, quos idem Petrus tunc temporis obtinebat . . . ., omnino dimittere teneretur, et deinde canonicatu et prebenda predictis ex eo vacantibus, quod prefatus Petrus dictum archidiaconatum pie memorie Gregorio papa XI. . . . . in humanis agente . . . . extiterat pacifice assecutus, fel. rec. Urbanus papa VI., eiusdem Gregorii predecessoris successor immediatus, ... de ipsis canonicatu et prebenda . . . ., de quibus Urbanus papa V. ac Gregorius predecessores prefati minime disposuerant, tibi per suas litteras graciose providit, ..., tuque, sicut exhibita nobis nuper pro parte tua peticio continebat, dictos canonicatum et prebendam . . . . assecutus, illos extunc tenuisti et possedisti, prout tenes et possides, pacifice et quiete.[1]) Cum autem . . . . tu dubites canonicatum et prebendam predictos alias quam ut premittitur vacavisse seu vacare teque posse super eis imposterum molestari, nos volentes te, qui eciam litterarum apostolicarum abbreviator existis . . . ., favore prosequi gracie specialis . . . ., volumus et tibi, eciam, ut asseris, canonicatum et prebendam in Pragensi[2]) ac archidiaconatum Belinensem in eadem[3]) necnon capellam ‚advocatorum‘ nuncupatam sitam in parrochiali in Nysa Wratislauiensis diocesis ecclesiis, quorum omnium necnon dictorum canonicatus et prebende ecclesie Wratislauiensis

fructus . . . . nonaginta marcharum argenti puri . . . . valorem annuum non excedunt, ac eciam auctoritate aliarum nostrarum litterarum canonicatum sub expectacione prebende ecclesie s. Marie Glogouiensis dicte diocesis obtinenti,[4]) apostolica auctoritate concedimus, quod predicte littere, per quas tibi de canonicatu et prebenda predictis ecclesie Wratislauiensis . . . . est provisum, ... a data presencium valeant, sive canonicatus et prebenda ecclesie Wratislauiensis predicti ut prefertur sive alias quovis modo . . . . vacent . . . . Datum Rome ap. S. Petrum nonis Aprilis pont. n. a. septimo.

R. Lat. 41 fol. 230ᵃ — In fine: PRO SOCIO, N. DE BENEVENTO — [1]) Cf. autem supra nr. 87. [2]) Nr. 916. [3]) Nr. 524. [4]) Nr. 222.

---

983. *Judicibus mandatur, quatenus Nicolao de Glivicz archidiaconatum Bělinensem necnon canonicatum et praebendam in ecclesia Pragensi vacantes conferant.*

Romae, 1396 Aprilis 5.

Bonifacius . . . . episcopo Tudensi et . . . . cantori ecclesie Wratislauiensis ac officiali Wratislauiensi . . . . Grata . . . . magistri Nicolai de Glywicz canonici Pragensis, scriptoris et familiaris nostri, devocionis et familiaritatis obsequia . . . . nos inducunt, ut sibi reddamur . . . . liberales. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dicti Nicolai peticio continebat, quod olim archidiaconatu Belinensi in dicta ecclesia, quem quondam Fridemannus de Praga . . . ., per Fridemanni et canonicatu et prebenda dicte ecclesie, quos quondam Martinus de Gebicza . . . . obtinebant, per Martini predictorum obitum, qui extra Romanam curiam diem clauserunt extremum, vacantibus, prefatus Nicolaus auctoritate quarundam litterarum nostrarum, per quas canonicatum dicte ecclesie obtinens, prebendam necnon dignitatem vel personatum seu officium cum cura vel sine cura inibi expectabat, archidiaconatum primo, ac deinde canonicatum et prebendam predictos sic vacantes infra tempus legitimum acceptavit sibique de illis obtinuit provideri. Cum autem . . . . idem Nicolaus dubitet acceptaciones et provisiones predictas . . . . viribus non subsistere . . . ., nos volentes eidem Nicolao, qui eciam litterarum apostolicarum abbreviator existit, ... graciam facere specialem, discrecioni vestre . . . . mandamus, quatenus . . . . archidiaconatum, qui dignitas, non tamen maior post pontificalem, in dicta ecclesia existit, et ad quem quis per eleccionem non assumitur, ac canonicatum et prebendam predictos, quorum ac canonicatus et prebende ecclesie Wratislauiensis necnon capelle ‚advocatorum' nuncupate site in parrochiali ecclesia in Nysa Wratislauiensis diocesis, quos ipse Nicolaus obtinet,[1]) fructus . . . . nonaginta marcharum argenti puri . . . . valorem annuum non excedunt . . . ., eidem Nicolao auctoritate nostra conferre et assignare curetis . . . .; non obstantibus . . . ., quod idem Nicolaus, ut asserit, auctoritate quarundam litterarum nostrarum canonicatum sub expectacione prebende ecclesie Glogouiensis dicte diocesis noscitur obtinere.[2]) Volumus autem, quod, quamprimum ipse Nicolaus vigore presencium canonicatum et prebendam

ac archidiaconatum predictos fuerit pacifice assecutus, prefate littere, per quas illos acceptavit et de ipsis sibi provideri fecit, ... et quecunque inde secuta sint cassa et irrita. Datum Rome ap. S. Petrum nonis Aprilis pont. n. a. septimo.

R. Lat. 41 fol. 246a — In fine: PRO SCRIPTORE, N. DE BENEVENTO — [1]) Cf. nros. 524. 916. 982. [2]) Cf. nr. 222.

984. *Auditori apostolico mandatur, quatenus Blasium de Tescovicz surroget ad omne ius, quod Hrzkoni de Verona tempore eius obitus in parrochiali ecclesia in Řevnicz competebat.*

Romae, 1396 Aprilis 7.

Bonifacius . . . . magistro Jacobo Floriani capellano nostro et causarum palacii apostolici auditori . . . . Vite ac morum honestas aliaque . . . . merita, super quibus . . . . Blasius dictus Jastrambek de Tescouicz clericus Wratislauiensis diocesis . . . . commendatur, nos inducunt, ut sibi reddamur . . . . liberales. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dicti Blasii peticio continebat, quod orta dudum inter . . . . Wenczeslaum Jacobi de Horzowicz clericum Pragensis diocesis et quondam Hrzkonem de Verona presbyterum super parrochiali ecclesia in Rzyewnicz dicte Pragensis diocesis, quam, tunc per obitum quondam Stanislai dicti Stanik ipsius ecclesie rectoris extra Romanam curiam defuncti vacantem, Hrzko se auctoritate ordinaria assecutum fuisse canonice illamque aliquamdiu tenuisse et possedisse et tunc eciam tenere et possidere pacifice et quiete, dictumque Wenczeslaum se postmodum assecucioni huiusmodi contra iusticiam opposuisse et opponere . . . ., Wenczeslaus vero predicti ecclesiam ipsam ad se de iure spectare asserebant, prout ipse Wenczeslaus adhuc asserit, materia questionis: [1]) nos causam huiusmodi, non obstante, quod de sui natura ad dictam curiam legitime devoluta .... non esset, tibi ad instanciam dicti Wenczeslai .... commisimus . . . ., tuque in causa ipsa ad nonnullos actus citra tamen conclusionem inter partes ipsas diceris processisse. Cum autem . . . . lite huiusmodi sic indecisa pendente prefatus Hrzko, in possessione predicte ecclesie existens, extra dictam curiam fuerit vita functus, nos . . . . discrecioni tue . . . . mandamus, quatenus eundem Blasium . . . . in omni iure et ad omne ius, quod prefato Hrzkoni in dicta ecclesia, cuius fructus . . . . duodecim marcharum argenti puri . . . . valorem annuum . . . . non excedunt, seu ad eam tempore sui obitus quomodolibet competebat aut competere poterat, auctoritate nostra surroges . . . ., et nihilomus, si per eventum litis huiusmodi tibi constiterit Hrzkoni, dum vixit, non compeciisse, ac Wenczeslao prefatis in dicta ecclesia seu ad eam ius non competere, ecclesiam ipsam . . . . prefato Blasio auctoritate nostra conferas et assignes . . . . Datum Rome ap. S. Petrum septimo idus Aprilis pont. n. a. septimo.

R. Lat. 43 fol. 27a — In fine: PRO DEO, N. DE BENEVENTO — [1]) Cf. nros. 688. 689.

985. *Confirmantur concessiones annuarum pensionum, Petro Adolphi de ‚Goltb' per episcopos Vratislaviensem et Vladislaviensem sine capitulorum consensu factae.*

Romae, 1396 Aprilis 7.

Bonifacius .... ad futuram rei memoriam. Iis, que Romane ecclesie fidelibus et devotis concessa sunt, ut illibata consistant, libenter adicimus robur apostolice firmitatis. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte .... Petri Adolphi de Goltb presbyteri Wratislauiensis diocesis peticio continebat, quod olim .... Wenczeslaus Wratislauiensis et Henricus Wladislauiensis episcopi provide attentendentes servicia per dictum Petrum eis et suis Wratislauiensi et Wladislauiensi ecclesiis impensa, videlicet Wenczeslaus dicto Petro annuam pensionem decem marcarum polonicalium de mensa sua episcopali tamdiu eidem Petro per procuratorem curie episcopalis Wratislauiensis pro tempore existentem annuatim certo tempore anni persolvendarum, quousque sibi per ipsum de aliquo beneficio ecclesiastico tanti vel valoris maioris fuerit provisum, primo, et deinde Hinricus episcopus predictus similem provisionem viginti marcarum prutenicalium de fructibus ville de Melewancz Wladislauiensis diocesis ad dictum episcopum Wladislauiensem et mensam suam episcopalem spectantibus per scultetum et villanos ipsius ville eciam pro tempore existentes eidem Petro, quoad vixerit, annuatim similiter persolvendarum, consensu tamen .... ecclesiarum predictarum capitulorum minime interveniente, concesserunt et donarunt, prout in litteris super huiusmodi concessionibus et donacionibus confectis, sigillis eorundem episcoporum munitis, dicitur plenius contineri .... Quare pro parte ipsius Petri nobis fuit humiliter supplicatum, ut concessionibus et donacionibus huiusmodi robur apostolici muniminis adicere .... dign remur. Nos igitur. .... concessionem et donacionem predictas et quecunque inde secuta .... auctoritate apostolica .... confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus, supplentes huiusmodi et alios omnes defectus, si qui forsan intervenerint in eisdem, volentes dictas concessiones et donaciones, ac si .... capitulorum ecclesiarum predictarum expressus consensus intervenerit, ... robur firmum obtinere .... Datum Rome ap. S. Petrum septimo idus Aprilis a. septimo.

R. Lat. 43 fol. 280[b] — Supra in marg. sin : JO. DE BONONIA: in fine: DE MANDATO, JAC. DE TERAMO.

---

986. *Abbati monasterii in Teplá Pragensis dioc. et decano ecclesiae Omnium Sanctorum in castro Pragensi ac officiali Pragensi mandatur, quatenus Andreae Bedrici de Teplá presbytero Pragensis dioc. parrochialem ecclesiam in Tisová[a]) dictae dioc., cuius fructus 10 marcarum argenti puri valorem annuum non excedunt, vacantem per obitum ultimi rectoris Bartholomaei extra Romanam curiam defuncti, conferant.* „*Vite ac morum*" „*Rome ap. S. Petrum tercio decimo kal. Maii a. septimo*".

Romae, 1396 Aprilis 19.

R. Lat. 39 fol. 145[a] — [a]) ‚Tyssowa' — In fine: PRO DEO, N. DE BENEVENTO.

***987**. Judicibus mandatur, quatenus sententias in palatio apostolico latas executioni demandantes. Dĕpoldum in corporalem possessionem praeposituraе monasterii Plagensis restituant.*

Romae, 1396 Aprilis 19.

Bonifacius .... episcopo Aquensi et .... abbati monasterii in Alto Uado Pragensis diocesis ac officiali Pragensi .... Exhibita nobis pro parte .... Diepoldi prepositi monasterii Plagensis per prepositum soliti gubernari premonstratensis ord. Patauiensis diocesis peticio continebat, quod, licet olim de persona sua dicto monasterio tunc per obitum quondam Petri ipsius monasterii prepositi vacanti auctoritate apostolica provisum dictusque Diepoldus eidem monasterio in prepositum prefectus fuisset ac huiusmodi provisionis et prefeccionis vigore ad prepositurам eiusdem monasterii receptus et admissus et administracionis bonorum dicti monasterii corporalem possessionem adeptus extitisset canonice ipsamque prepositurам aliquamdiu tenuisset et possedisset et tunc eciam teneret et possideret pacifice et quiete, tamen postmodum .... Nicolaus Flantzel, qui se gerit pro canonico dicti monasterii, falso asserens dictam praeposituram ad se spectare ac provisioni et prefeccioni, recepcioni et admissioni necnon possessionis adepcioni huiusmodi contra iusticiam se opponens, dictum Diepoldum eadem prepositura et eius possessione contra iusticiam spoliavit seque in dicta prepositura intrusit ipsamque occupavit et detinuit, prout detinet, indebite occupatam, fructus percipiens ex eadem, et alias eundem Diepoldum super eadem prepositura et eius occasione multipliciter impedivit et eciam impeciit, ortaque propterea inter Diepoldum et Nicolaum prefatos super dicta prepositura et eius occasione materia questionis, nos causam huiusmodi .... Johanni episcopo Assanensi, tunc capellano nostro et causarum palacii apostolici auditori, ad instanciam dicti Nicolai .... commisimus ...., non obstante, quod causa ipsa de sui natura ad Romanam curiam legitime devoluta ... non esset; coram quo ... magistris Johanne Scriuani Diepoldi et Conrado de Lapide Nicolai predictorum procuratoribus in iudicio comparentibus, et per quemlibet eorum quodam dato libello, et per eundem Johannem Scriuani de calumnia et de veritate dicenda in ipsius episcopi tunc auditoris presencia prestito iuramento, dicto Conrado tunc huiusmodi iuramentum prestare non curante ac traditis per eos nonnullis posicionibus et articulis et contra huiusmodi posiciones et articulos quibusdam excepcionibus hinc inde datis, productisque per eos nonnullis litteris apostolicis, instrumentis publicis aliisque iuribus et munimentis, quibus partes ipse uti voluerunt in causa huiusmodi, et contra producta huiusmodi quibusdam excepcionibus utrinque datis in certis terminis eis ad singulos actus huiusmodi per dictum episcopum, tunc auditorem, successive et peremptorie assignatis, nos causum huiusmodi .... Cosmato tituli s Crucis in Jerusalem presbytero cardinali .... commisimus .... Coram quo prefatis Johanne Scriuani et Conrado .... in iudicio comparentibus ac predicto Johanne Scriuani in causa huiusmodi concludi petente, memoratus cardinalis cum eodem Johanne Scriuani in huiusmodi causa concludente conclusit et habuit pro concluso in certo termino ad hoc dato, ac eisdem Johanne Scriuani et Conrado .... in iudicio comparentibus ac predicto Johanne Scriuani in causa huiusmodi diffinitivam sentenciam ferri petente in certa die ad hoc prefixa, sepedictus

cardinalis . . ., habito super hoc consilio cum peritis, per suam diffinitivam sentenciam pronunciavit, decrevit et declaravit, prout hec omnia in dicto libello pro parte ipsius Diepoldi in huiusmodi causa exhibito petita fuerant: provisionem, prefeccionem, recepcionem, admissionem et induccionem huiusmodi fuisse et esse canonicas suumque debitum debuisse et debere sortiri effectum, dictamque prepositurain ad eundem Diepoldum spectasse et pertinuisse ac spectare et pertinere de iure sibique eandem adiudicandam fore et adiudicavit, dictoque Nicolao nullum ius in dicta prepositura seu ad eam compeciisse sive competere ipsumque Nicolaum ab occupacione et detencione dicte prepositure iuriumque et pertinenciarum eiusdem amovendum fore et, quantum potuit, amovit, prefatumque Diepoldum reinducendum, restituendum et reintegrandum fore et, quantum potuit, reinduxit, restituit et reintegravit in et ad corporalem possessionem prepositure iuriumque et pertinenciarum predictorum, opposicionesque, spoliaciones, intrusiones, occupaciones et detenciones ac impedimenta predicta fuisse et esse temeraria, illicita et iniusta ac de facto presumpta, dictoque Nicolao super opposicionibus, intrusionibus, spoliacionibus, occupacionibus et detencionibus ac impedimentis necnon prepositura predictis perpetuum silencium imponendum fore et imposuit, prefatumque Diepoldum ab impeticione dicti Nicolai absolvendum fore et absolvit, ipsumque Nicolaum in fructibus ex dicta prepositura a tempore spoliacionis huiusmodi citra perceptis et in expensis in huiusmodi causa legitime factis condemnandum fore et condemnavit, ipsarum expensarum taxacione sibi imposterum reservata. A qua quidem sentencia pro parte dicti Nicolai ad sedem fuit apostolicam appellatum, nos[que] . . . . Bartholomeum tituli s. Martini in Montibus presbyterum cardinalem in causa appellacionis huiusmodi eidem Cosmato cardinali duximus adiungendum; cumque prefatus Cosmatus cardinalis pro parte dicti Bartholomei cardinalis requisitus fuisset, ut secum in huiusmodi causa procedere vellet, predictus Cosmatus cardinalis respondit, quod sibi placeret, quod idem Bartholomeus solus procederet in causa supradicta. Qui quidem Bartholomeus cardinalis ad dicti Johannis Scriuani instanciam prefatum Conradum ad dandum et recipiendum libellum necnon ad prestandum et per alteram partem prestari videndum iuramentum de calumnia et de veritate dicenda in causa huiusmodi per porterium suum iuratum citari fecit ad certos terminos peremptorios competentes, in quibus dictus Johannes Scriuani . . . . comparens predicti Conradi non comparentis contumaciam accusavit et in eius contumaciam quendam pro parte sua in causa huiusmodi dedit libellum et predictum in ipsius Bartholomei cardinalis presencia prestitit iuramentum in dictis terminis ad hec datis; et deinde prefatis Johanne Scriuani et Conrado . . . . in iudicio comparentibus, ac traditis per quemlibet eorum quibusdam posicionibus et articulis et contra posiciones et articulos huiusmodi quibusdam excepcionibus hinc inde datis, productisque per eos nonnullis litteris apostolicis, instrumentis publicis aliisque iuribus et munimentis . . . . et contra producta huiusmodi quibusdam excepcionibus utrinque datis in certis terminis ad hec eis per dictum Bartholomeum cardinalem successive et peremptorie assignatis, dictisque Johanne Scriuani et Conrado . . . . in iudicio comparentibus ac ipso Johanne Scriuani in causa huiusmodi concludi petente, memoratus Bartholomeus cardinalis cum eodem Johanne Scriuani in huiusmodi causa concludente conclusit et habuit pro concluso in certo termino ad hoc statuto et ad eiusdem Johannis

Scriuani instanciam predictum Conradum ad suam in causa huiusmodi diffinitivam sentenciam audiendam per dictum porterium citari fecit ad certam diem peremptoriam competentem; in qua prefato Johanne Scriuani . . . . in iudicio comparente et predicti Conradi non comparentis contumaciam accusante . . . ., sepedictus Bartolomeus cardinalis reputans eundem Conradum . . . . merito contumacem, in eius contumaciam . . . ., tollendo tamen primo de dicta sentencia hec verba videlicet ‚a tempore spoliacionis' et loco illorum hec verba videlicet ‚a tempore mote litis' ponendo, per suam diffinitivam sentenciam pronunciavit, decrevit et declaravit: per eundem Cosmatum cardinalem in causa huiusmodi bene et legitime fuisse et esse processum, sentenciatum et diffinitum ipsiusque sentenciam confirmandam fore et confirmavit, et ab eodem Cosmato cardinali et dicta eius sentencia male fuisse et esse apellatum, ipsumque Nicolaum in fructibus ex dicta prepositura a tempore dicte late sentencie citra perceptis et in expensis in huiusmodi causa legitime factis condemnandum fore et condemnavit, ipsarum expensarum taxacione sibi imposterum reservata. Cumque ab eadem sentencia ipsius Bartholomei cardinalis pro parte dicti Nicolai fuisset ad sedem appellatum eandem, nos in causa ultime appellacionis huiusmodi . . . . Angelum tituli s. Lucie in Septem soliis diaconum cardinalem prefato Bartholomeo cardinali duximus adiungendum; cumque prefatus Bartholomeus cardinalis pro parte dicti Angeli cardinalis requisitus fuisset, ut secum in huiusmodi causa procedere vellet, predictus Bartholomeus cardinalis respondit, quod sibi placeret, quod idem Angelus cardinalis solus procederet in causa predicta. Coram quo quidem Angelo cardinali prefatis Johanne Scriuani et Conrado in iudicio comparentibus, et per quemlibet eorum quodam dato libello ac de calumnia et de veritate dicenda in ipsius Angeli cardinalis presencia prestitis iuramentis, ac traditis per eos quibusdam posicionibus et articulis et contra posiciones et articulos huiusmodi quibusdam excepcionibus hinc inde datis, productisque per eos nonnullis litteris apostolicis, instrumentis publicis aliisque iuribus et munimentis, ... deinde nos . . . . Angelum tituli s. Laurencii in Damaso presbyterum cardinalem eidem Angelo diacono cardinali in causa huiusmodi . . . duximus adiungendum; cumque idem Angelus diaconus cardinalis pro parte dicti Angeli presbyteri cardinalis requisitus fuisset, ut secum in huiusmodi causa procederet, predictus Angelus diaconus cardinalis respondit, quod sibi placeret, quod idem Angelus presbyter cardinalis solus procederet in causa supradicta. Coram quo quidem Angelo presbytero cardinali prefatis Johanne Scriuani et Conrado in iudicio comparentibus et per eundem Johannem Scriuani quibusdam excepcionibus contra producta partis sibi adverse datis, ipso Conrado tunc aliquas excepciones contra producta partis sibi adverse huiusmodi dare non curante in certo termino ad hoc statuto, deinde prefatis Johanne Scriuani et Conrado . . . . in iudicio comparentibus et dicto Johanne Scriuani in causa huiusmodi concludi petente, idem Angelus presbyter cardinalis cum eodem Johanne Scriuani in huiusmodi causa concludente conclusit et habuit pro concluso . . . ., ac eisdem Johanne Scriuani et Conrado . . . . in iudicio comparentibus dictoque Johanne Scriuani diffinitivam in causa huiusmodi sentenciam ferri petente . . . ., sepedictus Angelus presbyter cardinalis . . . . per suam diffinitivam sentenciam pronunciavit, decrevit et declaravit: per prefatum Bartholomeum cardinalem in huiusmodi causa bene et legitime fuisse et esse processum, sentenciatum

et diffinitum ipsiusque sentenciam confirmandam fore et confirmavit, et pro parte dicti Nicolai ab eodem Bartholomeo cardinali et eius sentencia male fuisse et esse appellatum, ipsumque Nicolaum in fructibus ex dicta prepositura a tempore dicte late sentencie ipsius Bartholomei cardinalis citra perceptis et in expensis in hac instancia legitime factis condemnandum fore et condemnavit, ipsarum expensarum taxacione sibi imposterum reservata. Et subsequenter Cosmatus coram se in octuaginta octo et Bartholomeus coram se in quadraginta quinque et Angelus presbyter cardinales predicti coram eo factas expensas huiusmodi in quadraginta florenis auri de camera . . . in contumaciam dicti Conradi, de mandatis Cosmati et Bartholomei necnon Angeli presbyteri cardinalium predictorum ad videndum taxari expensas huiusmodi ad instanciam dicti Johannis Scriuani per quosdam porterios eorundem Cosmati, Bartholomei et Angeli presbyteri cardinalium . . . . citati et non curantis comparere, predicto Johanne Scriuani . . . . in iudicio comparente et dicti Conradi . . . . contumaciam accusante . . . ., successive providis moderacionibus taxaverunt, prefati Johannis Scriuani super expensis ipsis iuramentis secutis, prout in instrumentis publicis inde confectis ipsorum Cosmati et Bartholomei necnon Angeli presbyteri cardinalium sigillis munitis dicitur plenius contineri. Cum autem . . . . prefatus Diepoldus dubitet, ne eciam aliqui alii in dicta prepositura iam forsan se intruserint vel imposterum se intrudant, pro parte dicti Diepoldi nobis fuit humiliter supplicatum, ut providere sibi super hiis de oportuno remedio dignaremur. Nos itaque . . . . discrecioni vestre . . . . mandamus, quatenus . . . . premissa execucioni debite demandantes, eundem Diepoldum . . . . in corporalem possessionem prepositure iuriumque et pertinenciarum predictorum amoto exinde dicto Nicolao auctoritate nostra restituatis et reintegretis . . . ., facientes ipsum . . . . prefate prepositure pacifica possessione gaudere sibique . . . . de predictis perceptis fructibus et florenorum summis pro dictis expensis . . . . satisfaccionem impendi; et insuper ad execucionem presencium eciam contra huiusmodi forsan intrusos et intrudendos perinde, quoad possessionem dumtaxat dicte prepositure prefato Diepoldo tradendam, eadem auctoritate procedatis, ac si sentencia ipsa contra eos lata foret, et nichilominus legitimis super hiis habendis servatis processibus eos, quociens expedierit, aggravare curetis . . . . Datum Rome ap. S. Petrum tercio decimo kal. Maii pont. n. a. septimo.

R. Vat. 318 fol. 121ª — In fine: N. LXIIII DE BENEVENTO — Cf. nros. 954 et 972.

---

988. *Erectio parrochialis ecclesiae in Pustiměř Olomucensis dioc. in monasterium monialium ord. s. Benedicti, olim iam quinquaginta annis elapsis et ultra per Johannem episcopum Olomucensem facta, necnon translatio iuris patronatus dictae ecclesiae per vicarium perpetuum inantea gubernandae in ipsum monasterium et eius abbatissam confirmantur.* [1]) „*Iis, que pro divini cultus*“ „*Rome ap. S. Petrum XIII. kal. Maii pont. n. a. septimo.*“

Romae, 1396 Aprilis 19.

Ed. in Cod. dipl. Moraviae XII. p. 289 nr. 311 — [1]) Litteras Johannis episcopi Olo-

mucensis super erectione monasterii in Pustiměř ddto. 1340 Sept. 30 vide in Cod. dipl. Moraviae VII. p. 209 nr. 290.

---

989. *Decanis maioris et veteris s. Pauli Monasteriensium et s. Crucis Vratislaviensis ecclesiarum mandatur, quatenus Gherlaco Stopenberg clerico Monasteriensis dioc. altare s. Jacobi situm in parrochiali ecclesia in Wolbeck* [a]) *dictae dioc. conferant. „Vite ac morum" „Rome ap. S. Petrum tercio decimo kal. Maii pont. n. a. septimo".*

Romae, 1396 Aprilis 19.

R. Lat. 40 fol. 128 [a] — [a]) ‚Wolbeke' — In fine: PRO DEO, N. DE BENEVENTO.

---

990. *Episcopo Ferentinatensi mandatur, quatenus Antonium de Kácov surroget ad omne ius, quod Johanni de Miličín tempore eius cessionis in parrochiali ecclesia in Skramníky competebat.*

Romae, 1396 Aprilis 21.

Bonifacius . . . . Nicolao episcopo Ferentinatensi in Romana curia commoranti . . . . Vite ac morum honestas aliaque . . . . merita, super quibus . . . . Antonius de Caczow presbyter Pragensis diocesis . . . . commendatur . . . ., nos inducunt, ut sibi reddamur . . . . liberales. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dicti Antonii peticio continebat, quod orta dudum inter ipsum et . . . . Johannem dictum Jesconem de Miliczin, qui se gerit pro rectore parrochialis ecclesie in Inferiori Dyax Olomucensis diocesis, super parrochiali ecclesia in Skrrampnik dicte Pragensis diocesis, quam, tunc per obitum quondam Mathie dicti Skrampnick ipsius ecclesie rectoris in Romana curia defuncti vacantem, Antonius se auctoritate quarundam litterarum apostolicarum . . . . assecutum fuisse canonice, dictumque Johannem se . . . . assecucioni huiusmodi contra iusticiam opposuisse et opponere . . . ., Johannes vero prefati ecclesiam predictam in Skrampnik ad se de iure spectare asserebant, prout idem Antonius adhuc asserit, materia questionis: nos causam ipsam tibi, qui tunc locum unius ex auditoribus causarum palacii apostolici de speciali mandato nostro tenebas, prout tenes, ad instanciam dicti Johannis, non obstante, quod causa ipsa de sui natura ad eandem curiam legitime devoluta . . . . nones set, ... commisimus . . . ., tuque in causa ipsa ad nonnullos actus inter partes easdem citra tamen conclusionem diceris processisse. Cum autem . . . lite huiusmodi sic indecisa pendente prefatus Johannes liti et cause huiusmodi ac omni iuri, si quod sibi in dicta ecclesia in Sk[r]ampnik seu ad eam quomodolibet competebat seu competere poterat, in tuis manibus apud sedem apostolicam libere et sponte cesserit, nos . . . . huiusmodi cessionem ratam et gratam habentes, fraternitati tue . . . . committimus et mandamus, quatenus eundem Antonium, dummodo ipse in dicta ecclesia in Sk[r]ampnick, cuius fructus . . . . triginta marcharum argenti puri . . . . valorem annuum . . . . non excedunt, intrusus non fuerit . . . ., in iure et ad ius huiusmodi auctoritate nostra surroges . . . . Datum Rome ap. S. Petrum undecimo kal. Maii a. septimo.

R. Vat. 318 fol. 134[a] — In fine: N. XX DE BENEVENTO.

991. *Officium cancellariae apostolicae regenti mandatur, quatenus resignatione cuiusdam capellae sitae in Neuburga Claustrali a Henrico Neudlitz recepta, eandem capellam Venceslao Thiem conferat.*

Romae, 1396 Aprilis 21.

Bonifacius .... magistro Bartholomeo Francisci preposito ecclesie s. Stephani Pratensis Pistoriensis diocesis, notario nostro .... Vite ac morum honestas aliaque .... merita, super quibus .... Wenceslaus Thiem canonicus Ratisponensis .... commendatur ...., nos inducunt, ut sibi reddamur .... liberales. Cum itaque .... Heinricus Newdlicz rector capelle ss. Bartholomei et Marie Magdalene site in porticu ecclesie parrochialis s. Martini in Newburga Claustrali Patauiensis diocesis capellam ipsam .... apud sedem apostolicam .... resignare proponat, nos .... volentes dicto Wenceslao, qui, ut asserit, baccalarius in artibus existit ...., graciam facere specialem, discrecioni tue, qui officium cancellarie s. Romane ecclesie de mandato nostro regis, ... committimus et mandamus, quatenus ab eodem Heinrico vel procuratore suo .... resignacionem huiusmodi .... hac vice dumtaxat auctoritate nostra recipias et admittas, eaque per te recepta et admissa eandem capellam, que sine cura est, cuiusque fructus .... decem marcharum argenti .... valorem annuum .... non excedunt ...., prefato Wenceslao auctoritate nostra conferre et assignare procures ....; non obstantibus ...., quod idem Wenceslaus, ut asserit, canonicatum et prebendam ecclesie Ratisponensis, quorum duodecim, et ecclesiam parrochialem in Lazperg,[1]) cuius viginti marcharum argenti, et capellam s. Anne in ecclesia parrochiali in oppido Lincz prefate diocesis, cuius triginta florenorum auri fructus .... valorem annuum non excedunt, obtinet, et nos nuper sibi de beneficio ecclesiastico cum cura vel sine cura, ad collacionem .... prefati [Pataviensis] episcopi et .... prepositi, decani et capituli ecclesie Patauiensis .... pertinente, vacante vel vacaturo, graciose concessimus provideri[2]) .... Datum Rome ap. S. Petrum undecimo kal. Maii a. septimo.

R. Lat. 39 fol. 208[a] — In fine: N. XX DE BENEVENTO — [1]) Cf. nr. 702 [2]) Nr. 864.

---

992. *Preposito s. Crucis Opoliensis et decano ac scholastico b. Mariae Vetzlariensis ecclesiarum Vratislariensis et Treverensis dioc. mandatur, quatenus Petro Herban de Vetzlaria clerico Treverensis dioc. canonicatum et praebendam in ecclesia s. Georgii in Limburg[a]) dictae dioc. vacantes conferant. „Vite ac morum“ „Rome ap. S. Petrum decimo kal. Maii a. septimo.“*

Romae, 1396 Aprilis 22.

R. Lat. 41 fol. 71[a] - [a]) ‚Lympurg‘ — In fine: DE MANDATO, N. DE BENEVENTO.

---

993 *Johanni episcopo Caminensi indulgetur, ut pro caritativo subsidio a clero civitatis et diocesis Caminensis ei voluntarie concesso ab omnibus personis ecclesiasticis,*

beneficia ecclesiastica in eisdem civitate et diocesi obtinentibus, praeceptoribus et fratribus hospitalis s. Johannis Ierosolimitani ac abbatibus, prioribus et aliis praelatis et personis cartusiensis ordinis dumtaxat exceptis, decimam exigere possit. „Exigit tue devocionis" „Rome ap. S. Petrum kal. Maii a. septimo". — Simili modo scribitur episcopo Tudensi et decano ac scholastico ecclesiae Vratislaviensis, ut faciant semel dumtaxat eidem episcopo huiusmodi decimam a praedictis personis integraliter exhiberi.

Romae, 1396 Maii 1.

R. Lat. 40 fol. 229 a — In fine: N. XXIIII. XXVI DE BENEVENTO.

---

994. *Johanni de Malesicz terminus, ad quem certa beneficia incompatibila insimul retinere potest, de novo prorogatur.*

Romae, 1396 Maii 3.

Bonifacius . . . . magistro Johanni de Malesicz canonico Olomucensi, scriptori et familiari nostro . . . . Grata tue familiaritatis . . . . Dudum siquidem tibi canonicatum ecclesie Olomucensis apostolica auctoritate contulimus et de illo eciam providimus, prebendam vero necnon dignitatem vel personatum seu officium ipsius ecclesie, eciam si dignitas ipsa curata et maior post pontificalem in ipsa ecclesia foret et ad eam quis per eleccionem assumi ipsaque dignitas per canonicos prebendatos dicte ecclesie dumtaxat gubernari consuevisset, si que vel si qui aut si qua vacabant tunc, vel cum simul aut successive vacarent . . . ., conferendas vel conferendos seu conferenda tibi . . . . donacioni apostolice reservavimus certis tibi super hoc executoribus deputatis,[1]) ac tecum, ut dignitatem vel personatum huiusmodi . . . . recipere et una cum scolastria ecclesie Pragensis, que dignitas curata est, et quam tunc temporis obtinebas, prout obtines, usque ad unum annum retinere libere et licite posses, eadem auctoritate duximus dispensandum, ita tamen, quod dignitatem vel personatum aut scolastriam huiusmodi infra annum predictum pro aliquo alio beneficio ecclesiastico cum earum vel eorum reliqua seu reliquo compatibili permutare, alioquin scolastriam huiusmodi . . . . omnino dimittere tenearis. Et subsequenter, cum tu vigore dictarum litterarum certos canonicatum et prebendam primo, et demum prepositurum ipsius ecclesie Olomucensis, que dignitas curata, non tamen maior post pontificalem in eadem ecclesia existit, et ad quam quis per eleccionem assumitur, acceptasses et de illis tibi provideri fecisses, nos predictum annum, qui tunc, ut asserebas, non erat lapsus, usque ad unum alium annum a fine eiusdem primi anni extunc inantea computandum auctoritate apostolica tenore aliarum litterarum nostrarum duximus prorogandum . . . . Nos igitur volentes te, qui eciam litterarum apostolicarum abbreviator existis et, ut asseris, possessionem dicte prepositure nondum totaliter es adeptus, ... favoribus prosequi gracie amplioris . . . ., huiusmodi alium annum, qui nondum lapsus est, usque ad unum alium annum a fine dicti alterius anni computandum auctoritate apostolica . . . . prorogamus . . . . Datum Rome apud S. Petrum quinto nonas Maii a septimo.

R. Lat. 43 fol. 235 b — In fine. PRO SOCIO, N. DE BENEVENTO — [1]) Cf. nr. 324.

995. *Episcopo Litomyšlensi*[a]) *et praeposito ecclesiae s. Petri Vyšehradensis prope Pragam ac officiali Pragensi mandatur, quatenus Johanni Hirdonczonis de Alta Civitate presbytero Litomyšlensis*[a]) *dioc. parrochialem ecclesiam in Veletov*[b]) *Pragensis dioc., cuius fructus 4 marcarum argenti puri valorem annuum non excedunt, vacantem per obitum Jacobi Hodíkonis de Sadská*[c]) *extra Romanam curiam defuncti, conferant.* „*Vite ac morum*“ „*Rome ap. S. Petrum sexto idus Maii a. septimo.*“

Romae, 1396 Maii 10.

R. Lat. 39 fol. 75[a] — [a]) ‚Luthomuslen.‘ [b]) ‚Welletow‘ [c]) ‚Saczska‘ — In fine: PRO DEO, N. DE BENEVENTO.

---

996. *Praeposito ecclesiae Mechoviensis mandatur, quatenus Stephanum rectorem ecclesiae in Wischnitz, si ei constiterit ipsum Stephanum excommunicationis sententia ligatum divina celebravisse, eadem ecclesia sententialiter privet.*

Romae, 1396 Maii 13.

Bonifacius . . . . preposito ecclesie Mechouiensis Cracouiensis diocesis . . . . Exhibita nobis pro parte . . . . Andree Nauogii de Magna Rudna presbyteri Wratislauiensis diocesis peticio continebat, quod, cum olim ipse contra Sthephanum rectorem parrochialis ecclesie in Wissnicz dicte diocesis, qui super quibusdam pecuniarum summis, terris, possessionibus et rebus aliis eidem Andree iniuriabatur, apostolicas super hiis, cum ipsius Stephani potenciam merito perhorrescens eum infra civitatem Wratislauiensem seu dictam diocesim nequiret convenire secure, ad abbatem monasterii Tiniciensis Cracouiensis diocesis, eius proprio nomine non expresso, in communi forma litteras impetrasset, dictumque Stephanum super hiis earundem litterarum vigore coram . . . . Msczislao abbate ipsius monasterii fecisset ad iudicium evocari, dictusque Stephanus in certo termino sibi per eundem abbatem ad hoc deputato coram ipso abbate in iudicio comparens, quasdam excepciones contra iurisdiccionem eiusdem abbatis dedisset, prefatusque Andreas ad replicandum contra excepciones easdem sibi certum competentem terminum per dictum abbatem concedi postulasset, predictus Stephanus ad hoc nullatenus consentire volebat, sed protinus ad sedem apostolicam verbo dumtaxat, licet frivole, appellavit ac de iudicio ipsius abbatis absque licencia contumaciter recessit, nec postmodum aliquam de prosecucione appellacionis huiusmodi diligenciam fecit; propter quod dictus abbas in ipsum Stephanum excommunicacionis sentenciam exigente iusticia promulgavit, idemque Stephanus huiusmodi excommunicacionis sentenciam, eciam postquam idem abbas eam pluries aggravaverat, divina celebrando seu verius prophanando sustinuit, prout sustinet, animo indurato in anime sue periculum et scandalum plurimorum. Quare pro parte prefati Andree nobis fuit humiliter supplicatum, ut providere sibi super hiis de oportuno remedio dignaremur. Nos igitur, ne premissa vergant aliis in perniciosum exemplum, super hiis providere volentes . . . ., discrecioni tue . . . . mandamus, quatenus legitimis super hiis per dictum abbatem habitis servatis processibus, eos, quociens expedierit auctoritate nostra aggravari procures, et nichilominus, si vocatis dicto Stephano et aliis, qui fuerint evocandi, per summariam informacionem simpliciter

et de plano ac sine strepitu ac figura iudicii tibi constiterit, quod ipse Stephanus huiusmodi excommunicacionis sentencia ligatus divina notorie celebraverit seu verius prophanaverit, ut prefertur, ipsum predicta ecclesia, quam obtinet, eadem auctoritate sentencialiter prives ipsumque amoveas realiter ab eadem, prout de iure fuerit faciendum . . . . Datum Rome ap. S. Petrum tercio idus Maii pont. n. a. septimo.

R. Lat. 40 fol. 226a — Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: N. XVI DE BENEVENTO.

997. *Praeposito ecclesiae Mechoviensis mandatur, quatenus, si Stephanum rectorem parrochialis ecclesiae in Wischnitz eadem ecclesia sententialiter privaverit, ecclesiam ipsam personae idoneae, quam duxerit eligendam, conferat.*

Romae, 1396 Maii 13.

Bonifacius . . . . preposito ecclesie Mechouiensis Cracouiensis diocesis . . . . Apostolice sedis providencia . . . . Hodie siquidem pro parte . . . . Andree Navogii de Magna Rudna presbyteri Wratislauiensis diocesis nobis exposito, quod, cum olim ipse contra Stephanum rectorem parrochialis ecclesie in Wiisnitz dicte diocesis . . . . ad abbatem monasterii Tiniciensis Cracouiensis diocesis . . . . litteras impetrasset dictumque Stephanum . . . . coram . . . . Msczislao abbate ipsius monasterii fecisset ad iudicium evocari, dictusque . . . . abbas in ipsum Stephanum excommunicacionis sentenciam . . . . promulgaverat, idemque Stephanus huiusmodi excommunicacionis sentenciam . . . . sustinebat animo indurato . . . ., nos tibi per alias nostras litteras dedimus in mandatis, ut legitimis super hiis per dictum abbatem habitis servatis processibus, eos, quociens expediret, aggravare curares, et nichilominus, si . . . . tibi constaret, quod ipse Stephanus huiusmodi excommunicacionis sentencia ligatus divina notorie celebrasset seu verius profanasset, ut prefertur, ipsum predicta ecclesia, quam obtinebat, prout obtinet, eadem auctoritate sentencialiter privares . . . .[1]) Nos igitur, si per te predictarum litterarum vigore prefatum Stephanum dicta ecclesia sentencialiter privari et ab ea amoveri contigerit, ut prefertur, ne propterea ecclesiam ipsam diucius vacare contingat ac eciam uni persone ydonee providere volentes, discrecioni tue . . . . mandamus, quatenus, si per te prefatum Stephanum eadem ecclesia sentencialiter privari . . . . contigerit, ut prefertur, eandem ecclesiam, que de iure patronatus laicorum existit, et cuius fructus . . . . decem marcharum argenti puri . . . . valorem annuum . . . . non excedunt, cum per huiusmodi privacionem vacaverit, ... alicui persone ydonee, quam duxeris eligendam, de consensu tamen huiusmodi patronorum dicte ecclesie, auctoritate nostra hac vice dumtaxat conferas et assignes . . . . Volumus autem, quod de nomine et cognomine illius, cui ecclesiam ipsam conferes, ... ac de die collacionis huiusmodi gentes camere apostolice aut collectorem fructuum et proventuum eidem camere debitorum in illis partibus deputatum quantocius certificare procures. Datum Rome ap. S. Petrum tercio idus Maii a. septimo.

R Lat. 43 fol. 204a — Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: N. XXII DE BENEVENTO — [1]) Vide nr. 996.

998. *Cancellariae apostolicae officium regenti mandatur, quatenus resignatione parrochialis ecclesiae in Plánicz a Jacobo rectore eiusdem recepta, ecclesiam ipsam Alberto de Smrkovec conferat.*

Romae, 1396 Maii 19.

Bonifacius . . . . magistro Bartholomeo Francisci preposito ecclesie s. Stephani Pratensis Pistoriensis diocesis, notario nostro . . . . Vite ac morum honestas aliaque . . . . merita, super quibus . . . . Albertus Hostani de Smrkewecz alias de Welessicz clericus Pragensis diocesis . . . . commendatur . . . , nos inducunt, ut sibi reddamur . . . . liberales. Cum itaque . . . . Jacobus rector parrochialis ecclesie in Planicz Pragensis diocesis dictam parrochialem ecclesiam, quam obtinet, sponte ac libere ex certis causis resignare proponat, nos . . . volentes eidem Alberto, qui, ut asserit, in vicesimo sue etatis anno constitutus existit, ... graciam facere specialem, discrecioni tue, qui officium cancellarie s. Romane ecclesie de speciali mandato nostro regis, ... committimus et mandamus, quatenus ab eodem Jacobo vel procuratore suo ad hoc ab eo specialiter constituto resignacionem huiusmodi . . . . auctoritate nostra hac vice recipias et admittas, eaque per te recepta et admissa predictam parrochialem ecclesiam, cuius fructus . . . . quindecim marcharum argenti puri . . . . valorem annuum . . . . non excedunt, ... eidem Alberto auctoritate predicta conferas et assignes . . . .; non obstantibus . . . ., quod prefatus Albertus patitur in etate defectum, cum, ut prefertur, in vicesimo sue etatis anno constitutus existat. Nos enim secum, ut dictam ecclesiam . . . . recipere et retinere . . . . possit, huiusmodi etatis defectu et . . . . aliis . . . . contrariis nequaquam obstantibus, auctoritate apostolica . . . . dispensamus . . . . Datum Rome ap. S. Petrum quarto decimo kal. Junii a. septimo.

R. Lat. 39 fol. 156ᵃ — In fine: N. XXVIII DE BENEVENTO.

---

999. *Engelberto Wnken presbytero Monasteriensis dioc. reservatur beneficium ecclesiasticum cum vel sine cura, ad collationem episcopi et capituli Monasteriensium necnon abbatissae et capituli saecularis ecclesiae in Borghorst*[a]*) ord. s. Benedicti Monasteriensis dioc. pertinens, si quod vacat, vel cum vacaverit. „Vite ac morum“ „Rome ap. S. Petrum octavo idus Junii pont. n. a. septimo.“ — Simili modo Osnaburgensis et s. Crucis Vratislaviensis ac s. Martini Monasteriensis ecclesiarum decanis.*

Romae, 1396 Junii 4.

R. Lat. 42 fol. 296ᵃ — [a]) ‚Borchorst‘ — In fine: PRO DEO, N. DE BENEVENTO.

1000. *Johannes Buckeler canonicus monasterii in Roggenburg*[a]*) praemonstratensis ord. Augustensis dioc., baccalarius in decretis, ordinem ipsum expresse professus et in sacerdotio constitutus, monasterio Augiae Minoris eiusdem ord. Constantiensis dioc., per cessionem Rudolphi abbatis in manibus quorundam abbatum et praepo-*

sitorum dicti ordinis Constantiensis dioc. extra Romanam curiam sponte factam vacanti, in abbatem praeficitur; qui quidem abbates et praepositi ad hoc a Johanne abbate monasterii Strahoviensis Pragensis dicti ordinis, vices gerente auctoritate apostolica in illis et nonnullis aliis partibus abbatis monasterii Praemonstratensis Laudunensis dioc. tunc vacantis, patris abbatis praefati monasterii Augiae Minoris, specialem per ipsius abbatis Strahoviensis litteras potestatem habuerunt. „Summi disposicione rectoris" „Rome ap. S. Petrum nonis Junii a. septimo." — Simili modo: 1.) conventui monasterii Augiae Minoris praemonstratensis ord. Constantiensis dioc.; 2.) Johanni abbati monasterii Strahoviensis Pragensis praemonstratensis ordinis.

Romae, 1396 Junii 5.

R. Lat. 42 fol. 115[b] — [c]) ‚Rockenburg' — In fine: N. XVI. VIII. VIII DE BENEVENTO.

1001. *Episcopo Misnensi et praeposito ac decano ecclesiae Budissinensis Misnensis dioc. mandatur, quatenus Nicolao dicto Jode perpetuo vicario in ecclesia Misnensi parrochialem ecclesiam in Bernsdorf dictae dioc., cuius fructus 12 marcarum argenti valorem annuum non excedunt, et quae, tunc per obitum ultimi rectoris Nicolai Konigisbrucke vacans, per Annam abbatissam monasterii in Marienstern [a]) cisterciensis ord. praedictae dioc., eiusdem ecclesiae patronam, ei collata est, auctoritate apostolica conferant. „Vite ac morum." „Rome ap. S. Petrum tercio idus Junii a. septimo."*

Romae, 1396 Junii 11.

R. Lat. 43 fol. 132[a] — [a]) ‚Marginstein' — Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: N. XX DE BENEVENTO.

1002. *Monasterio Aulae Regiae parrochiales ecclesiae s. Galli prope ipsum monasterium necnon in Radotín, Slapy et Velím uniuntur.*

Romae, 1396 Junii 13.

Bonifacius . . . . ad perpetuam rei memoriam. Sacre religionis, sub qua .... abbas et conventus monasterii Aule Regie cisterciensis ord. Pragensis diocesis devotum et sedulum exhibent altissimo famulatum, promeretur honestas, ut votis eorum, illis presertim, per que ipsius monasterii utilitas procuratur, quantum cum deo possumus, favorabiliter annuamus. Hinc est, quod nos . . . . Wenceslai regis Romanorum illustris, super hoc nobis humiliter supplicantis, et ipsorum abbatis et conventus in hac parte supplicacionibus inclinati, s. Galli prope ipsum monasterium, in Radotin et in Slaps ac in Welymye Pragensis diocesis parrochiales ecclesias ad presentacionem dictorum abbatis et conventus, ut asseritur, pertinentes, quarum quadraginta, ipsi monasterio, cuius [fructus ....] quadringentarum marcharum argenti puri secundum communem extimacionem valorem annuum, ut asseritur, non excedunt, cum omnibus iuribus et pertinenciis

suis auctoritate apostolica tenore presencium unimus, annectimus et incorporamus, ita quod cedentibus vel decedentibus rectoribus prefatarum ecclesiarum, qui nunc sunt, vel ecclesias ipsas alias quomodolibet dimittentibus liceat eisdem abbati et conventui . . . . corporalem possessionem cuiuslibet ipsarum ecclesiarum propria auctoritate apprehendere et perpetuo retinere ac earum fructus, redditus et proventus in abbatis et conventus ac monasterii predictorum utilitatem et supportacionem onerum eis incumbencium convertere et eciam deputare, alicuius licencia super hoc minime requisita, reservatis tamen ex fructibus . . . . singularum ecclesiarum ipsarum singulis congruis porcionibus pro singulis perpetuis vicariis in earum qualibet perpetuo instituendis, de quibus ipsi vicarii sustentari, episcopalia iura solvere et alia eis incumbencia onera valeant commode supportare, proviso tamen, quod propterea cultus divinus et solitus ministrorum numerus in eisdem ecclesiis nullatenus minuatur; non obstantibus constitucionibus apostolicis contrariis quibuscunque . . . . Datum Rome ap. s. Petrum idibus Junii pont. n. a. septimo.

E copia diplomatarii manuscripti musei regni Bohemiae, quae ubi originale sit non commemorat; iuxta eandem copiam originali bulla plumbea appendet et in fine illi inscriptum est: GRATIS DE MANDATO DOMINI NOSTRI PAPE JE. DE FERENTINO — Clausulae hic omnisae cum illis nri. 721 concordant.

1003. *Incorporationes nonnullarum ecclesiarum parrochialium monasterio Břevnoviensi confirmantur.*

Romae, 1396 Junii 17.

Bonifacius . . . . al bati et conventui monasterii Brewnouiensis prope Pragam ord. s. Benedicti . . . . Digna exaudicione vota personarum humilium, maxime divinis laudibus sacreque religionis observancie deditarum, apostolico nos convenit favore prosequi et ipsarum necessitatibus occurrere provisionis gracia congruentis. Exhibita nobis nuper pro parte vestra [peticio] continebat, quod olim bone memorie Johannes episcopus Pragensis de consensu et assensu . . . . decani, . . archidiaconi, . . scolastici et capituli ecclesie Pragensis Nezamislicz et Chezebuz parrochiales ecclesias Pragensis diocesis, que de iure patronatus vestri monasterii existebant, ex certis racionabilibus causis eidem vestro monasterio auctoritate ordinaria incorporavit, annexuit et univit ipsasque ecclesias cum omnibus bonis mobilibus et immobilibus, iuribus et utilitatibus, fructibus et pertinenciis earundem universis, quocunque nomine censeantur, in ius et proprietatem prefati monasterii transtulit et ipsas eidem monasterio tam in spiritualibus quam temporalibus in totum subiecit et cum pleno iure tradidit et donavit ac voluit, quod cedentibus vel decedentibus rectoribus ipsarum ecclesiarum tunc existentibus abbas, qui pro tempore foret, et conventus ipsius possent libere fratres seu monachos dicti monasterii in eis instituere et destituere, prout et quando ipsius monasterii utilitati crediderint expedire. Quas quidem ecclesias vigore incorporacionis, annexionis et unionis huiusmodi assecuti, extunc in usus vestros tenuistis et possedistis, prout tenetis et possidetis, pacifice et quiete. Et insuper in Brunow

et Costeletz circa Zwyekow et Brzyestie parrochiales ecclesias dicte diocesis, quarum alique ab ipsarum fundacione, quedam vero a tanto tempore, cuius memoria non existebat, erant eidem monasterio tam in spiritualibus quam in temporalibus plenarie subiecte, queque per monachos dicti monasterii retroactis temporibus gubernari consueverant, eidem monasterio confirmavit, auctorisavit et eciam approbavit easque eidem monasterio pleno iure subiectas fore decrevit, iuribus tamen suis et successorum suorum, Pragensium episcoporum[a]), legatorum et nunciorum sedis apostolice et archidiaconorum, decanorum et aliorum, quorum interest, salvis et reservatis, et quedam alia fecit et ordinavit, prout in litteris autenticis inde confectis ipsius episcopi et capituli predictorum sigillis munitis, quarum tenorem de verbo ad verbum inferius inseri fecimus, plenius continetur.[1]) Quare pro parte vestra nobis fuit humiliter supplicatum, ut incorporationem, annexionem et unionem et omnia et singula premissa et in dictis litteris contenta auctoritate apostolica confirmare et omnem defectum, si quis intervenerit in eisdem, supplere [et] vobis, [ut] tam in predictis quam in parrochiali s. Marie in Chrudim ecclesiis Luthomislensis diocesis, que eidem monasterio auctoritate apostolica subiecta existit et que eciam per monachos dicti monasterii regi consuevit et eciam gubernari,[2]) eodem modo sicut predicte de cetero per monachos dicti monasterii ad nutum abbatis ipsius monasterii pro tempore existentis instituendos et destituendos perpetuo valeatis facere deserviri, de benignitate apostolica concedere dignaremur. Nos igitur huiusmodi vestris in hac parte supplicacionibus inclinati, incorporacionem, annexionem, unionem, concessiones et omnia alia et singula supradicta et in dictis litteris contenta rata habentes et grata, ea auctoritate apostolica ex certa sciencia confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus, supplentes omnes defectus, si qui forsan intervenerint in eisdem; et nichilominus, ut in dictis ecclesiis, quarum fructuum, reddituum et proventuum verum annuum valorem presentibus haberi volumus pro expresso, et earum qualibet per monachos dicti vestri monasterii ad nutum dicti abbatis pro tempore existentis instituendos eciam et destituendos valeatis, prout hactenus consuevistis, de cetero perpetuis futuris temporibus facere deserviri, devocioni vestre eadem auctoritate indulgemus, constitucionibus et ordinacionibus apostolicis ac statutis et consuetudinibus monasterii et ordinis predictorum et aliis in contrarium editis non obstantibus quibuscunque. Tenor vero dictarum litterarum talis est: [Sequitur tenor donationis Johannis Pragensis episcopi de dato: Prage in ecclesia Pragensi 27. Septembris 1341, quae in Reg. Bohem. et Morav. IV. p. 404 nr. 1012 ex originali edita est.] Nulli ergo .... Datum Rome ap. S. Petrum XV. kal. Julii pont. n. a septimo.

Copia istius bullae ex originali duplo archivii Brevnoviensis (B. IV. 133) in diplomatario manuscripto musei regni Bohemiae exstat, iuxta quam originali bulla plumbea in filo serico appendet, et hae notae ei inscriptae sunt: (in plica) REGISTRATA GRATIS DE MANDATO DOMINI NOSTRI PAPE, JE. DE FERENTINO; (a tergo) R[EGISTRATA] — [a]) ‚sibi et successoribus suis Pragensibus episcopis' orig. — [1]) Cf. nros. 199 et 496 [2]) Cf. nr. 926.

1004. *Monasterium Břevnoviense prope Pragam ord. s. Benedicti cum omnibus membris et bonis suis necnon personis degentibus in eodem de novo in ius et proprietatem b. Petri et sedis apostolicae ac sub eorum protectione suscipitur atque ab omni iurisdictione, dominio et potestate archiepiscopi Pragensis aliorumque ordinariorum prorsus eximitur. „Sedis apostolice" „Rome ap. S. Petrum XV. kal. Julii pont. n. a. septimo".*

Romae, 1396 Junii 17.

Ed. Ziegelbauer, Historia monasterii Brewnoviensis p. 295; excerptum apud Dobner Hist. dipl. Brew. nr. 141 (Mon. hist. Boh. VI.) Copia ex originali duplo archivii Břevnoviensis (B. IV. 134) in diplomatario manuscripto musei regni Bohemiae exstat, iuxta quam utrique originali bulla plumbea appendet, et hae notae eis inscriptae sunt, primo videlicet eorum: (in plica) GRATIS DE MANDATO DOMINI NOSTRI PAPE, JE. DE FERENTINO; (a tergo) R[EGISTRATA]; alteri autem: (in plica) DUPPLICATA PER C. CASTELLUTII, JE. DE FERENTINO; (sub plica ad dext.) ASCULTATA PER ME NICOLAUM DE BENEVENTO REGISTRATOREM LITTERARUM APOSTOLICARUM. CONCORDAT CUM REGISTRO.

1005. *Dionysio abbati et conventui monasterii Břevnoviensis prope Pragam Romanae ecclesiae immediate subiecti ord. s. Benedicti, quod in correctione ac reformatione regularis disciplinae obtinet super omnia monasteria ord. s. Benedicti in regno Bohemiae consistentia principatum, cuiusque abbas ab ipsius monasterii fundatione post archiepiscopum Pragensem super omnes habet primum locum, conceditur, ut, quotiescunque prefatus abbas eiusque successores in summis aut maioribus vel duplicibus festis aut coram rege Bohemiae in ecclesia dicti monasterii vel locis aliis ei subiectis in pontificalibus divina celebraverint, duo monachi eiusdem monasterii in presbyteratus ordine constituti in matutinis, missis ac vesperis et etiam processionibus cum mitris albis, prout canonicis ecclesiae Vyšehradensis Pragensis ministrari consuevit, eis ministrare possint. „Sincere devocionis affectus" „Rome ap. S. Petrum XV. kal. Julii pont. n. a. septimo."*

Romae, 1396 Junii 17.

Ed. apud Ziegelbauer, Historia mon. Brewnov. p. 294; excerptum ap. Dobner Historia diplom. Brew. nr. 140 (Mon. hist. Boh. VI.) Copia ex originali archivii Břevnoviensis (B. IV. 136) in diplomatario manuscripto musei regni Bohemiae exstat, iuxta quam originali bulla plumbea appendet, et hae notae ei inscriptae sunt: (in plica) GRATIS DE MANDATO DOMINI NOSTRI PAPE, JE. DE FERENTINO; (in tergo) R[EGISTRATA].

1006. *Dionysio abbati monasterii Břevnoviensis prope Pragam Romanae ecclesiae immediate subiecti ord. s. Benedicti eiusque successoribus indulgetur, ut ecclesias, capellas et coemeteria monasterio Břevnoviensi subiecta et quomodolibet violata reconciliare, monachis eiusdem monasterii omnes minores ordines conferre, atque calices, altaria et vestes sacerdotales ac etiam aquam, cineres et salem in monasterio seu locis ei subiectis consecrare possint. „Precibus vestre devocionis" „Rome ap. S. Petrum XV. kal. Julii pont. n. a. septimo".*

Romae, 1396 Junii 17.

Editum ap. Dobner, Monum. hist. Boh. VI. p. 125 (Hist. diplom. Brewnov. nr. 138). Copia ex originali archivii Břevnoviensis (B. IV. 139) in diplomatario manuscripto musei regni Bohemiae exstat, iuxta quam originali in filo serico bulla plumbea appendet, et hae notae in illo leguntur: (in plica ad dext.) GRATIS DE MANDATO DOMINI NOSTRI PAPE, JE. DE FERENTINO; (a tergo) R[EGISTRATA].

1007. *Dionysio abbati monasterii Břevnoviensis prope Pragum ord. s. Benedicti eiusque successoribus dispensandi cum monachis dicti monasterii super irregularitate, quam ex quacunque causa praeter homicidium et membri mutilationem incurrerint, facultas conceditur. „Benigno sunt illa“ „Rome ap. S. Petrum XV. kal. Julii pont. n. a. septimo“.*

Romae, 1396 Junii 17.

Editum ap. Dobner, Monum. hist. Boh. VI. p. 127 (Hist. diplom. Brewnov. nr. 139). Copia ex originali archivii Břevnoviensis (B. IV. 137) in diplomatario manuscripto musei regni Bohemiae habetur, iuxta quam originali in filo serico bulla plumbea appendet, et hae notae in illo leguntur: (in plica ad dext.) GRATIS DE MANDATO DOMINI NOSTRI PAPE, JE. DE FERENTINO; (a tergo) R[EGISTRATA].

1008. *Visitantibus ecclesiam in Nezamyslicz indulgentiae conceduntur.*

Romae, 1396 Junii 17.

Bonifacius . . . . universis . . . . Gloriosus deus in sanctis suis et in ipsorum glorificacione congaudens, in veneracione b. Marie semper virginis eo iocundius delectatur, quo ipsa utpote mater eius effecta meruit alcius sanctis ceteris in celestibus collocari. Cupientes igitur, ut ecclesia b. Marie in Nezamislicz Pragensis diocesis congruis honoribus frequentetur . . . ., omnibus vere penitentibus et confessis, qui in nativitatis, annunciacionis, purificacionis, assumpcionis, visitacionis, concepcionis et b. Marie nivis, necnon corporis domini nostri Jesu Christi et s. Benedicti festivitatibus ecclesiam ipsam devote visitaverint annuatim, singulis videlicet huiusmodi festivitatibus, quibus dictam ecclesiam annuatim visitaverint, quinque annos et totidem quadragenas de iniunctis eis penitenciis misericorditer relaxamus. Volumus autem . . . . Datum Rome ap. S. Petrum quinto decimo kal. Julii a. septimo.

R. Lat. 43 fol. 278[a] — Supra in marg. sin.: P. DE BOSCO; in fine: DE MANDATO, N. DE BENEVENTO.

1009. *Episcopo Jauriensi et praepositis ecclesiarum Dorlanensis ac Pozoniensis Maguntinensis et Strigoniensis diocesium mandatur, quatenus Petro Rettel presbytero Pragensis diocesis conferant parrochialem ecclesiam b. Mariae virginis in Csava*[a]) *Strigoniensis dioc., cuius fructus 20 florenorum auri valorem annuum non excedunt, vacantem per obitum Nicolai dicti de Moravia, qui extra Romanam*

curiam decessit. „*Vite ac morum*“ „*Rome ap. S. Petrum undecimo kal. Julii pont n. a. septimo*“.

Romae, 1396 Junii 21.

R. Lat. 39 fol. 79ª — ª) ‚Schara‘ — In fine: PRO DEO, N. DE BENEVENTO — Ed. Fraknói, Monum. Vatic. Hung., Ser. I. tom. III p. 325 nr. 346.

1010. *Nicolao episcopo Olomucensi mandatur, quatenus causam super parrochiali ecclesia in Račicz, inter Philippum de Vysočan et Drslaum plebanum in Slatina exortam et coram diversis iudicibus diutius ventilatam, ulterius audiat eamque decidat.*

Romae, 1396 Junii 27.

Bonifacius . . . . Nicolao episcopo Olomucensi . . . . Vite ac morum honestas aliaque . . . . merita, super quibus . . . . Philippus Stephani de Wissoczan presbyter Olomucensis diocesis . . . . commendatur . . ., nos inducunt, ut sibi reddamur . . . liberales. Dudum siquidem per fel. rec. Urbanum pp. VI. predecessorem nostrum accepto, quod parrochialis ecclesia s. Wenceslai in Raczicz dicte diocesis, quam quondam Johannes dictus Hensl . . . . obtinebat, per ipsius Johannis obitum, qui extra Romanam curiam decesserat, vacaverat et vacabat tunc, idem predecessor quondam Petro Gasconis capellano sedis apostolice et auditori causarum palacii apostolici suis dederat litteris in mandatis, ut dictam ecclesiam, que de iure patronatus laicorum existebat, prout existit, sive ut prefertur sive per . . . . Dislai parrochialis in Slatina predicte diocesis sive per quondam Petri dicti Cziessik tunc predicte in Raczicz ecclesiarum rectorum liberam resignacionem . . . . vel alias quovis modo vacaret, ... eidem Philippo auctoritate apostolica conferret et eciam assignaret. Et deinde . . . nos . . . . Johanni episcopo Nazarotensi tunc in eadem diocesi commoranti et . . . . abbati monasterii de Luca dicte diocesis ac . . officiali Olomucensi, eorundem abbatis et officialis nominibus propriis non expressis, nostris dedimus litteris in mandatis, ut ipsi . . . . ad execucionem dictarum litterarum, ad quam processum nondum fuerat, perinde auctoritate apostolica procederent, ac si eis dumtaxat dicte littere per eundem predecessorem et non eidem auditori directe fuissent. Et deinde per eundem Philippum iterum nobis significato, quod ipse eundem Dislaum, qui tunc in dicta ecclesia s. Wenceslai simoniace et de facto se intruserat illamque occupaverat et detinuerat, prout detinebat, indebite occupatam, super hoc . . . . coram eodem officiali dictarum litterarum vigore fecerat ad iudicium evocari, idemque officialis in causa huiusmodi inter partes ipsas usque ad conclusionem inclusive dicebatur processisse, quodque prefatus Dislaus, alias per te auctoritate ordinaria propter notoriam offensam maioris excommunicacionis sentencia innodatus et excommunicatus publice denunciatus, eandem sentenciam per triennium et ultra sustinuerat, prout tunc eciam sustinebat, animo indurato . . . ., nos tibi per alias litteras mandavimus, quod, si dictus Philippus prefatum Dislaum de simoniaco ingressu et aliis premissis accusare et se in forma iuris inscribere vellet, postquam se

inscripsisset et accusasset, ut prefertur, vocatis dicto Dislao et aliis, qui forent evocandi, quod iustum foret appellacione remota decerneres, et si per dictam sentenciam dictum Dislaum . . . . declarares in eadem ecclesia nullum ius habuisse sive eum dicta ecclesia suis demeritis exigentibus privares, eandem ecclesiam s. Wenceslai, cuius fructus . . . . quatuordecim marcharum argenti puri . . . . valorem annuum . . . . non excedebant, ... eidem Philippo auctoritate nostra conferre et assignare curares;[1]) et quod, postquam ipse Philippus ultimas litteras predictas tibi presentaverat et iuxta ipsarum tenorem se ad huiusmodi inscripcionem et accusacionem per te admitti postulaverat, et cum tu primo et deinde. . . . Zanderus archidiaconus Prerouiensis in ecclesia Olomucensi et idem officialis, quibus tu super hiis licet de facto commiseras vices tuas, donec eas ad te duceres revocandas, pretextu litterarum et commissionis huiusmodi ad nonnullos actus inter ipsas partes processissent, prefatus Dislaus, pretendens se licet false ab eisdem archidiacono et officiali indebite gravari, ad te et successive a te, gravamen ipsum revocare non curante, ad sedem predictam appellaverat, cui quidem appellacioni tu detuleras ob reverenciam sedis eiusdem; que tamen appellacio credebatur esse deserta pro eo, quod ipse Dislaus dictam appellacionem infra tempus legitimum prosequi non curaverat neque curabat, et quod postmodum, cum dictus Dislaus a dicta ecclesia s. Wenceslai se absentasset et per sex menses aut circa illam dereliquisset divinis officiis defraudatam nec constaret in partibus illis, ubi declinasset aut si ageret in humanis, ipse Philippus pretextu quarundam litterarum nostrarum, per quas ipse beneficium ecclesiasticum cum cura vel sine cura, ad collacionem . . . . episcopi Olomucensis pro tempore existentis et . . . . prepositi, decani, archidiaconi, scolastici, cantoris, custodis et capituli singulorumque canonicorum et personarum ipsius ecclesie Olomucensis eciam racione dignitatum, personatuum vel officiorum, que in eadem ecclesia obtinerent, communiter vel divisim pertinens, expectabat, dictam ecclesiam s. Wenceslai, credens eius collacionem iuxta Lateranensis statuta concilii ad episcopum Olomucensem tunc fore legitime devolutam, prout alias iuxta ipsarum litterarum, per quas huiusmodi beneficium expectabat, ut prefertur, formam poterat, acceptaverat et de illa sibi provideri fecerat licet de facto, necnon pretextu litterarum, acceptacionis et provisionis predictarum dictam ecclesiam s. Wenceslai assecutus fuerat eciam de facto illamque aliquamdiu detinuerat occupatam; quodque, cum ipse Dislaus postea ad illas partes reversus existeret, tu, ad quem predictus Dislaus super hiis recursum habuerat, eundem Philippum per tuas litteras monueras, ut eidem Dislao eandem ecclesiam s. Wenceslai et eius possessionem infra certum tempus tunc expressum libere et omnino dimitteret, alioquin in ipsum extunc excommunicacionis sentenciam promulgabas ipsumque mandabas et faciebas excommunicatum publice nunciari; propter quod ipse Philippus, senciens indebite se gravari, ad curiam Pragensem, loci metropolitanam, appellaverat prefatumque Dislaum fecerat coram . . . . officiali Pragensi in causa appellacionis huiusmodi ad iudicium evocari, sed tu, huiusmodi appellacione, cuius non eras ignarus, et infra cuius prosecucionis tempus, de quo non modicum supererat, idem Philippus existebat, contempta, ipsum Philippum declaraveras dictam excommunicacionis sentenciam ultimam damnabiliter incurrisse, quam eciam postea de facto aggravaveras; quodque ipse Philippus postea ab huiusmodi sentencia in eum per te,

ut premittitur, lata per dictum officialem Pragensem ad cautelam absolutus fuerat, dictaque accusacionis et inscripcionis causa iam diu duraverat, ipseque dictam ecclesiam s. Wenceslai libere dimiserat, et prefatus Dislaus ad illam postea regressum habuerat et extunc eam detinuerat et detinebat occupatam, et quod ipse Philippus dubitabat dictam absolucionem viribus carere, nos . . . . abbati monasterii in Trzrebon Pragensis diocesis, eius proprio nomine eciam non expresso, aliis nostris dedimus litteris in mandatis, ut vocatis eodem Dislao et aliis, qui forent evocandi, eidem Philippo, si hoc humiliter peteret, recepta ad prius ab eo caucione ydonea super eo, pro quo excommunicatus habebatur, quod, si sentenciam excommunicacionis huiusmodi in eum latam, ut prefertur, eidem abbati monasterii in Trzrebon constaret fore iustam, suis et ecclesie mandatis pareret, huiusmodi absolucionis beneficium simpliciter vel ad cautelam, si et prout de iure foret, auctoritate apostolica impenderet, et nichilominus dictam inscripcionis et accusacionis causam in statu predicto eadem auctoritate apostolica resumeret eamque ulterius audiret et debito fine decideret et faceret in omnibus et per omnia iuxta continenciam litterarum predictarum tibi, ut prefertur, directarum [observari] et eas debite execucioni demandaret, prout in eisdem litteris dicto abbati monasterii in Trzrebon, ut prefertur, directis plenius continetur. Postmodum vero, sicut exhibita nobis nuper pro parte dicti Philippi peticio continebat, prefatus abbas monasterii in Trzrebon, postquam eundem Philippum ab huiusmodi excommunicacionis sentencia iuxta predictarum litterarum per nos sibi, ut prefertur, directarum formam absolverat et in huiusmodi accusacionis et inscripcionis causa ad nonnullos actus processerat, ... decano ecclesie Pragensis pretextu huiusmodi litterarum . . . . super premissis de facto commisit vices suas, donec eas ad se duceret revocandas, idemque decanus in huiusmodi accusacionis et inscripcionis causa pretextu commissionis huiusmodi . . . . inter partes ipsas ad nonnullos alios actus citra tamen conclusionem processerat, et successive decanus ad eiusdem abbatis monasterii in Trzrebon ac demum abbas monasterii in Trzrebon prefati, postquam ad nonnullos alios actus citra tamen conclusionem huiusmodi in dicta accusacionis et inscripcionis causa processerat, causam accusacionis et inscripcionis huiusmodi ad apostolicum examen duxerunt remittendam. Cum autem, sicut eadem peticio subiungebat, ipse Philippus litem huiusmodi propter eius paupertatem, qua laborat, in dicta curia nequaquam prosequi possit, pro parte sua nobis fuit humiliter supplicatum, ut sibi super hoc providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos itaque . . . . fraternitati tue . . . . mandamus, quatenus vocatis dicto Dislao et aliis, qui fuerint evocandi, huiusmodi accusacionis et inscripcionis causam in eo statu, in quo coram dicto abbate monasterii in Trzrebon ultimo remansit, auctoritate nostra resumens, eam ulterius audias et fine debito decidas, ac in omnibus et per omnia predictas litteras tibi prius ac alias abbati monasterii in Trzrebon prefato per nos, ut premittitur, directas debite execucioni demandes . . . . Volumus autem, quod, quamprimum prefatus Philippus . . . . dictam ecclesiam s. Wenceslai fuerit pacifice assecutus, predicte littere, per quas eam acceptavit et de illa sibi provideri fecit, ut prefertur, et processus habiti per easdem et omnia inde secuta sint cassa et irrita nulliusque roboris vel momenti . . . . Datum Rome ap. S. Petrum quinto kal. Julii a. septimo.

R. Vat. 318 fol. 34[a] — Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: PRO DEO, N. DE BENEVENTO — [1]) Vide nr. 598.

1011. *Johanni de Manešovicz dispensatio alias ei concessa, ut decanatum ecclesiae s. Mauritii in Cremsir una cum parrochiali ecclesia in Luborzyca usque ad unum annum retinere posset, ad quinquennium prorogatur.*

Romae, 1396 Junii 27.

Bonifacius . . . . Johanni Stephani de Manessowicz decano ecclesie s. Mauricii in Cremser Olomucensis diocesis . . . . Vite ac morum . . . . Dudum siquidem tibi de decanatu ecclesie s. Mauricii in Cremsir Olomucensis diocesis tunc vacante per nostras litteras graciose mandavimus provideri, et nichilominus tecum, ut eundem decanatum . . . . recipere et una cum parrochiali ecclesia in Luborzicza Cracouiensis diocesis, super qua tunc, ut asserebas, in palacio apostolico litigabas, si illam interim evinceres, usque ad annum retinere libere et licite valeres, apostolica auctoritate earundem litterarum tenore dispensavimus, ita tamen, quod alterum eorum infra huiusmodi annum pro alio beneficio ecclesiastico cum eorum altero compatibili permutare, alioquin eandem parrochialem ecclesiam . . . . omnino dimittere tenereris, prout in ipsis litteris plenius continetur. Cum autem . . . . tu postmodum tam super decanatu quam super parrochiali ecclesia predictis in palacio apostolico litigando victoriam obtinuisti, ipsiusque decanatus possessionem adeptus, illum per annum et ultra tenueris et possederis, prout tenes et possides, pacifice et quiete, dubites tamen, an plenam dicte parrochialis ac iurium et pertinenciarum eius possessionem assecutus existas, nos volentes te, qui presbyter es et, ut asseris, per quindecim annos et ultra in registro supplicacionum tam per fel. rec. Urbanum pp. VI. predecessorem nostrum quam eciam per nos seu de ipsius predecessoris vel de nostro mandato signatarum fideliter scribendo laborasti, prout laboras, ... favoribus prosequi graciosis, ... prefatum annum usque ad quinquennium a fine eiusdem anni computandum auctoritate apostolica . . . . prorogamus; et nichilominus tibi, ut decanatum, qui curatus et dignitas principalis in dicta ecclesia s. Mauricii existit, et ad quem quis per eleccionem assumitur, et cuius quadraginta, necnon parrochialem ecclesiam predictos, cuius quinquaginta marcharum argenti puri fructus . . . . valorem annuum . . . . non excedunt, ex causa permutacionis . . . . in manibus cuiuscunque . . . . ordinarii . . . . locorum, sedis predicte super hoc licencia minime requisita, simul vel successive, tociens, quociens tibi placuerit, pro similibus vel dissimilibus beneficiis ecclesiasticis resignandi et huiusmodi ordinario . . . . resignaciones huiusmodi auctoritate nostra recipiendi . . . . ac illa, que persone, cum quibus permutacionem huiusmodi facere volueris, ... resignaverint, tibi, et personis eisdem predicta beneficia, que tu resignaveris, eciam si beneficia ipsa resignata disposicioni apostolice specialiter reservata et persone huiusmodi . . . . tales fuerint, quod eorum beneficia disposicioni apostolice generaliter reservata existant, eadem auctoritate conferendi . . . . auctoritate apostolica . . . . licenciam elargimur. Volumus autem, quod huiusmodi ordinarius . . . . de diebus collacionum ac nominibus et cognominibus beneficiorum et personarum

huiusmodi cameram apostolicam seu collectorem fructuum et proventuum predictorum in illis partibus deputatum certificare procuret . . . . Datum Rome ap. S. Petrum quinto kal. Julii a. septimo.

R. Lat. 43 fol. 203ª — In fine: DE MANDATO, N. DE BENEVENTO.

1012. *Cum Michaele de Broda Theutonicali dispensatur motu proprio, ut parrochialem ecclesiam s. Adalberti Pragensem, si illam evicerit, una cum parrochiali ecclesia in Chlum usque ad biennium retinere possit.*

Romae, 1396 Junii 28.

Bonifacius . . . . Michaeli de Broda Teutonicali rectori parrochialis ecclesie in Chlum Pragensis diocesis . . . . Vite ac morum honestas . . . . Dudum siquidem pro parte tua nobis exposito, quod olim parrochiali ecclesia s. Adalberti Pragensi sub monasterio Sderass tunc per obitum quondam Johannis ultimi ipsius ecclesie rectoris extra Romanam curiam defuncti vacante, tu per . . . . Franciscum de Benessow archidiaconum maioris ecclesie Pragensis et . . . . Johannes de Zdyar, qui se gerit pro presbytero dicte diocesis, per nonnullos ex . . . . parrochianis dicte parrochialis ecclesie, cum tu ad archidiaconum dicte maioris ecclesie pro tempore existentem ac ipse Johannes de Zdyar ad eosdem parrochianos in solidum ius patronatus et presentandi rectorem ad eandem parrochialem ecclesiam spectare pretenderetis, ad dictam parrochialem ecclesiam sic vacantem . . . . Johanni episcopo, tunc archiepiscopo Pragensi, infra tempus legitimum fueritis presentati, et deinde orta inter te et Johannem predictum super prefata parrochiali ecclesia . . . . coram . . . . Johanne Kbel officiali Pragensi non ex delegacione apostolica materia questionis . . . ., prefatus officialis in huiusmodi causa procedens diffinitivam pro dicto Johanne et contra te sentenciam promulgaverat, quodque ab eadem sentencia pro parte tua ad sedem apostolicam fuerit appellatum, nosque causam appellacionis huiusmodi . . . . Nicolao de Borrellis cappellano nostro et causarum palacii apostolici auditori ad tui instanciam . . . . commisimus . . . ., idemque auditor in causa ipsa ad nonnullos actus citra tamen conclusionem dicebatur processisse, quodque lite huiusmodi sic indecisa pendente tu ad parrochialem ecclesiam in Chlum dicte diocesis tunc certo modo vacantem per . . . . Wenceslaum de Chlum et Johannem de Vseczky armigeros dicte diocesis, veros patronos eiusdem ecclesie in Chlum . . . ., prefato episcopo, tunc archiepiscopo, infra tempus legitimum fueras presentatus, et quod dubitabas te expensas in huiusmodi causa factas ex eo, quod dictus Johannes Zdyar in possessione dicte ecclesie s. Adalberti extiterat, non posse commode supportare: nos tibi per alias litteras nostras concessimus, ut dictam ecclesiam in Chlum . . . . recipere, et quousque dictam ecclesiam s. Adalberti . . . . pacifice assequereris, retinere, ac nichilominus litem et causam huiusmodi eciam post institucionem huiusmodi prosequi et defendere libere et licite valeres, ac voluimus, quod, quamprimum dicte ecclesie s. Adalberti . . . . possessionem fores pacificam assecutus, predictam ecclesiam in Chlum . . . . omnino, prout ad id te sponte obtulisti, dimittere tenereris, prout in ipsis litteris plenius continetur.[1]) Cum autem,

sicut accepimus, tu postmodum, dicta ecclesia s. Adalberti nondum per te evicta, in dicta ecclesia in Chlum auctoritate ordinaria institutus et eius possessionem pacifice extiteris assecutus,[2]) nos . . . . motu proprio . . . . tecum, ut prefatam ecclesiam s. Adalberti, si te illam evincere contingat, recipere, et in Chlum necnon s. Adalberti ecclesias prefatas usque ad biennium insimul retinere . . . . valeas, priori voluntate nostra predicta et generalis concilii et quibuscunque aliis constitucionibus apostolicis contrariis non obstantibus, auctoritate apostolica . . . dispensamus; ita tamen, quod infra huiusmodi biennium alteram ex ecclesiis predictis pro alio beneficio ecclesiastico cum earum reliqua compatibili permutare, alioquin eandem ecclesiam in Chlum . . . . omnino dimittere tenearis . . . . Datum Rome ap. S. Petrum quarto kalendas Julii a. septimo.

R. Lat. 43 fol. 279b — Supra in marg. sin.: A. DE PORTUGRUARIO; in fine: N. XXV. DE BENEVENTO — [1]) Vide nr. 927. [2]) Michael de Broda Theutonicali 1395 Septembris 23 in rectorem parr. ecclesiae in Chlum institutus est; conf. Tingl, Libri confirmationum aa. 1393—1399 p. 232.

1013. *Judicibus mandatur, quatenus sententiam, quae in causa, inter Benešium de Chobolicz et Bohuslaum de Krnovia super quadam praebenda ecclesiae Pragensis exorta, in palatio apostolico lata est, executioni demandantes, eandem praebendam dicto Benešio conferant.*

Romae, 1396 Julii 4.

Bonifacius . . . . Perusino et Olomucensi episcopis ac . . . . preposito ecclesie s. Egidii Pragensis . . . . Peticio . . . . Benessii de Cobolicz canonici ecclesie Pragensis nobis exhibita continebat, quod olim canonicatu et prebenda dicte ecclesie tunc per obitum quondam Martini Yspani . . . . vacantibus, idem Benessius, alios canonicatum et prebendam dicte ecclesie tunc obtinens, dictam prebendam sic vacantem, prout iuxta consuetudinem dicte ecclesie se posse credebat, infra tempus legitimum optavit eamque vigore opcionis huiusmodi extitit assecutus, dicta sua priori prebenda per eum dimissa, et licet postmodum eadem prebenda optata ab eodem Benessio preter sui culpam per magistrum Johannem de Borsnicz canonicum dicte ecclesie, capellanum nostrum, cum ipso Benessio in palacio apostolico litigando per diffinitivam sentenciam, que nulla provocacione suspensa in rem transivit iudicatam, fuisset evicta, et propterea ipse Benessius ad dimissam prebendam huiusmodi de iure regredi deberet, ipsaque dimissa prebenda sibi de iure deberetur, tamen Bohuslaus de Krnowia, qui se gerit pro decano dicte ecclesie, falso asserens dimissam prebendam huiusmodi ad se spectare ac iuri ipsius Benessii indebite se opponens, impedivit, prout impedit, ac fecit et facit, quominus ipse Benessius ad dimissam prebendam huiusmodi regredi posset, ipseque Bohuslaus eandem dimissam prebendam occupavit ac detinuit, prout detinet, indebite occupatam; ortaque propterea inter Benessium et Bohuslaum predictos super dicta dimissa prebenda et eius occasione materia questionis: nos causam huiusmodi . . . . Johanni episcopo Assanensi, tunc capellano nostro et causarum palacii apostolici auditori, ad in-

stanciam dicti Benessii . . . . commisimus . . . ., non obstante, quod causa ipsa de sui natura ad Romanam curiam legitime devoluta . . . . non esset; qui ad instanciam magistri Johannis Scriuani, substituti per magistrum Andream de Broda Theutonicali procuratorem dicti Benessii . . . ., magistrum Jacobum de Krnowia procuratorem dicti Bohuslai . . . . ad dandum et recipiendum libellum ac ad prestandum et per alteram partem prestari videndum iuramentum de calumnia et de veritate dicenda per quosdam cursores nostros citari fecit ad certos terminos peremptorios competentes; in quibus dictus Johannes Scriuani . . . . in iudicio comparens predicti Jacobi non comparentis contumaciam accusavit et in eius contumaciam quendam pro parte sua in causa huiusmodi dedit libellum et predictum in ipsius episcopi tunc auditoris presencia prestitit iuramentum: et deinde dicto Johanne Scriuani et magistro Johanne Kempen, substituto per dictum Jacobum . . . ., in iudicio comparentibus ac traditis per eos nonnullis posicionibus et articulis et contra huiusmodi posiciones et articulos quibusdam excepcionibus hinc inde datis, productisque per eos nonnullis litteris apostolicis, instrumentis publicis aliisque iuribus et munimentis . . . . et contra huiusmodi producta quibusdam excepcionibus utrinque datis . . . ., postmodum nos causam huiusmodi . . . . magistro Brande de Castelliono capellano nostro et causarum dicti palacii auditori . . . commisimus . . . . Qui ad dicti Johannis Scriuani instanciam prefatum Johannem Kempen ad dicendum contra huiusmodi producta quicquid vellet, necnon ad concludendum et concludi videndum in causa huiusmodi vel dicendum causam racionabilem, quare in ea concludi non deberet, ... successive citari fecit ad certos terminos peremptorios competentes; in quibus predicto Johanne Scriuani . . . . comparente et predicti Johannis Kempen non comparentis contumaciam accusante et in eius contumaciam in causa ipsa concludi petente, memoratus Branda auditor, reputans eundem Johannem Kempen . . . . merito contumacem, in eius contumaciam cum eodem Johanne Scriuani . . . . conclusit . . . . et ad eiusdem Johannis Scriuani instanciam prefatum Johannem Kempen ad suam in causa huiusmodi diffinitivam sentenciam audiendam . . . . citari fecit ad certam diem peremptoriam competentem. In qua dicto Johanne Scriuani . . . . comparente et prefati Johannis Kempen non comparentis contumaciam accusante et in eius contumaciam sentenciam ipsam ferri petente, sepedictus Branda auditor, reputans eundem Johannem Kempen . . . . merito contumacem, in eius contumaciam . . . . per suam diffinitivam sentenciam pronunciavit, decrevit et declaravit, prout hec omnia in dicto libello petita fuerant: regressum ad dictam prebendam dimissam eidem Benessio deberi, ipsamque prebendam fuisse et esse ipsi Benessio debitam sibique adiudicandam fore et adiudicavit, dictoque Bohuslao nullum ius in dicta prebenda dimissa seu ad eam competiisse sive competere, prefatumque Bohuslaum amovendum fore, et quantum potuit, amovit ab occupacione et detencione eiusdem prebende dimisse, ipsumque Benessium inducendum fore, et quantum potuit, induxit in et ad corporalem possessionem eiusdem prebende dimisse . . . ., dictoque Bohuslao . . . . perpetuum silencium imponendum fore et imposuit, ipsumque Bohuslaum in expensis coram eo in huiusmodi causa legitime factis condemnandum fore et condemnavit, ipsarum expensarum taxacione sibi imposterum reservata, prout in instrumento publico inde confecto ipsius Brande auditoris sigillo munito dicitur plenius contineri. Nos itaque . . . . predictam sentenciam . . . . ratam

habentes et gratam eamque auctoritate apostolica confirmantes, discrecioni vestre .... mandamus, quatinus .... sententiam ipsam execucioni debite demandantes. eundem Benessium vel procuratorem suum eius nomine in corporalem possessionem dimisse prebende iuriumque et pertinenciarum predictorum, amoto exinde dicto Bohuslao, inducatis auctoritate nostra .... Datum Rome ap. S. Petrum IIII. nonas Julii pont. n. a. septimo.

Originale cum bulla in filo canapis in archivio capituli ecclesiae Pragensis XIX, 23 In plica ad dext.: PRO A. DE CALVIS, JE. DE FERENTINO; sub plica ad sin.: JUL., XX. T. FABRI, JO. JACOZI; a tergo: a) B. PRO D. CC b) JO. ZADELMAN c) MUNDETUR B, d) VIDI et SIGILLAVI.

1014. *Universis doctoribus, magistris et scholaribus studii Pragensis, praesentibus et futuris, indulgetur, ut Pragae litterarum studio insistentes, fructus beneficiorum suorum ecclesiasticorum usque ad quinquennium perinde percipere valeant, quotidianis distributionibus dumtaxat exceptis, ac si in locis, in quibus huiusmodi beneficia consistunt, personaliter residerent; praesentibus litteris ad sedis apostolicae beneplacitum tantummodo valituris. „Dum attente consideracionis" „Rome ap. S. Petrum quinto idus Julii a. septimo". — Simili modo Vratislaviensis et Lubicensis ac Omnium Sanctorum in castro Pragensi ecclesiarum decanis.*

Romae, 1396 Julii 11.

R. Lat. 41 fol. 317[a] — In fine: N. LII DE BENEVENTO — Ed. in Monum. univ. Pragensis II./I. p. 334 nr. 36, executoria ibidem p. 338 nr. 37.

1015. *Bertrando episcopo Eugubino in Romana curia commoranti et locum unius ex auditoribus sacri palatii tenenti mandatur, ut, cum Benedictus Blasii clericus Quinqueecclesiensis dioc. causae, quae inter ipsum et Georgium Galli custodem ecclesiae Quinqueecclesiensis super canonicatu et praebenda eiusdem ecclesiae in palatio apostolico vertebatur, necnon omni iuri ei in dictis canonicatu et praebenda competenti cedere proponat, praefatum Georgium Galli ad omne ius huiusmodi surroget; qui quidem canonicatus et praebenda ex eo vacaverunt, quod „Valentinus tituli s. Sabine presbyter cardinalis, administrator eiusdem ecclesie in spiritualibus et temporalibus per sedem apostolicam deputatus, contra quondam Johannem de Praga tunc canonicum eiusdem ecclesie propter hoc ad sui presenciam evocatum legitime procedens, ipsum canonicatu et praebenda, quos in dicta ecclesia tunc temporis obtinebat, suis culpis et demeritis exigentibus per suam diffinitivam sententiam .... auctoritate ordinaria privaverat." „Rome ap. S. Petrum septimo kal. Augusti a. septimo."*

Romae, 1396 Julii 26.

R. Vat. 318 fol. 45[b] — In fine: N. XXII DE BENEVENTO — Ed. Theiner Monum. Hung. II. p. 168.

1016. *Francisco s. Susannae presbytero cardinali mandatur, quatenus, si ei constiterit neque Henrico Kunonis de Arnstadt*[a]*) rectori parrochialis ecclesiae s. Aegidii Erfordiensis Maguntinensis dioc., neque Theoderico de Goch praeposito ecclesiae Budissinensis Misnensis dioc., in certis canonicatu et praebenda ecclesiae b. Mariae Erfordiensis dictae Maguntinensis dioc. super quibus in curia apostolica inter eos diutius lis vertebatur, ius competere, ipsos canonicatum et praebendam praefato Henrico Kunonis conferat.* „*Vite ac morum*“ „*Rome ap. S. Petrum septimo kal. Augusti a. septimo*“.

Romae, 1396 Julii 26.

R. Lat. 43 fol. 130[a] — [a]) ‚Arnstete‘ — In fine: N. XXIII DE BENEVENTO.

1017. *Friderico abbati monasterii Aulae Regiae eiusque successoribus indulgetur, ut extra dictum monasterium illis cibis vesci possint, quibus in mensa abbatiali vescuntur.*

Romae, 1396 Julii 29.

Bonifacius . . . . Friderico abbati et conventui monasterii Aule Regie cisterciensis ord. Pragensis diocesis . . . . Exposcit vestre devocionis . . . . Cum itaque, sicut exhibita nobis nuper pro parte vestra peticio continebat, frequenter contingit abbatem vestri monasterii pro tempore existentem pro ipsius monasterii negociis et honore curias regum, ducum, principum et magnatum visitare et ad eas ac ad alia diversa loca declinare, nos vestris supplicacionibus inclinati, ut, quocienscunque te, abbatem, ac successores tuos, dicti monasterii abbates, ad predictas curias aut alia loca et presertim eidem monasterio subiecta vel ad ipsum pertinencia pro huiusmodi ipsius monasterii negociis expediendis aut ipsis regibus, ducibus, principibus et magnatibus visitandis contigerit declinare, tu et iidem successores cum duobus seu tribus monachis et conversis dicti monasterii, quos tu et iidem successores ad hoc vocaveris seu vocaverint, illis cibis, quibus tu et dicti monasterii abbates pro tempore existentes ac monachi et conversi predicti in mensa abbaciali dicti monasterii uti et vesci consuevistis, uti et vesci licite valeatis, dummodo tu vel ipsi iuramento vel voto speciali ad id minime sitis astricti, quibuscunque statutis, privilegiis consuetudinibus et constitucionibus monasterii et ordinis predictorum contrariis nequaquam obstantibus, tibi et eisdem successoribus auctoritate apostolica tenore presencium indulgemus. Nulli ergo . . . . Datum Rome ap. S. Petrum III. kal. Augusti pont. n. a. septimo.

Originale cum bulla in filo serico in c. r. bibliotheca Pragensi. In plica ad dext: PRO N. DE ROMA. JE. DE FERENTINO. Sub plica: (ad sin.) JUL., L, S. DE AQUILA, JO. DE CANEUARIIS; (ad dext.) P. DE BOSCO. A tergo: R[EGISTRATA] N. [DE BENEVENTO].

1018. *Henricus s. Anastasiae presbyter cardinalis, sacri collegii cardinalium camerarius, Henricum episcopum Vladislaviensem quitat de pecunia, quam pro*

complemento suorum communis et minuti servitiorum per manus Petri Adolphi[a]*) rectoris parrochialis ecclesiae s. Catherinae prope Vratislaviam camerae sacri collegii solvi fecit. „[Rome ap. S. Petrum a. 1396], die XXIX. mensis Julii, pont. a. septimo.“*

Romae, 1396 Julii 29.

Oblig. et sol. 59 fol. 65[b] — [a]), Adulphi.'

1019. *Jacobus Floriani praepositus ecclesiae Vratislaviensis, decretorum doctor, capellanus sedis apostolicae et causarum palatii apostolici auditor, in subdiaconatus ordine constitutus, ecclesiae Plocensi per obitum Maffioli episcopi vacanti in episcopum praeficitur. „Divina disponente clemencia“ „Rome ap. S. Petrum kal. Augusti a. septimo“ — Simili modo: 1. capitulo ecclesiae Plocensis; 2. clero civitatis et dioc. Plocensium; 3. populo civitatis et dioc. Plocensium; 4. universis vassallis ecclesiae Plocensis; 5. archiepiscopo Gneznensi; 6. Vladislao regi Poloniae.*

Romae, 1396 Augusti 1.

R. Lat. 42 fol. 2[a] — In marg. sin: C[ANCELLARIA]; in fine: N. XX. X. X. X. X. X. X. X DE BENEVENTO.

1020. *Mathaeo de Cracovia indulgetur, ut in quibuscunque civitatibus et locis praedicationis ministerium exercere valeat.*

Romae, 1396 Augusti 18.

Bonifacius .... Matheo de Cracouia canonico ecclesie Omnium Sanctorum Pragensis, in sacra pagina magistro .... Litterarum sciencia, vite ac morum .... Cum itaque, sicut ex parte tua nobis nuper exhibita peticio continebat, tu desideres per ministerium predicacionis in dei ecclesia aliquando fructum afferre, nos tuis in hac parte supplicacionibus inclinati, tibi, qui presbyter es, ut, quocienscunque et quandocunque ad quevis civitates et loca te declinare contingat, in ecclesiis et locis aliis horis congruis coram populo proponere verbum dei et predicare et predicacionis ministerium exercere valeas, tenore presencium indulgemus. Nulli ergo .... Datum Rome ap. S. Petrum quinto decimo kal. Septembris a. septimo.

R. Lat. 43 fol. 222[b] — In fine: N. XIIII DE BENEVENTO.

1021. *Nicolao Prowin canonico ecclesiae Omnium Sanctorum Pragensis, in sacra pagina magistro, indulgetur, ut in quibuscunque civitatibus et locis praedicationis ministerium exercere valeat. „Litterarum sciencia“ „Rome ap. S. Petrum quinto decimo kal. Septembris a. septimo“.*

Romae, 1396 Augusti 18.

R. Lat. 43 fol. 230b — Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: N. XX DE BENEVENTO. Forma ut in numero praecedente. — In libro formularum cancellariae apostolicae, qui in bibliotheca Vaticana exstat (Cod. Vatic. 3940, copia alius bullae Bonifatii IX. data carens continetur (fol. 78b), per quam ‚Nicolao Probin canonico ecclesie Omnium Sanctorum Pragensis, in sacra theologia magistro' indulgetur, ut horas canonicas iuxta morem curiae Romanae dicere possit nec ad morem vel ordinem alium super his observandum teneatur. Forma huius bullae cum illa concordat, quae ap. Tangl, Die päpstlichen Kanzleiordnungen p. 338 nr. 149 edita est.

1022. *Officiali Pragensi mandatur, quatenus Ulrico de Tupadly parrochialem ecclesiam in Slané, auctoritate ordinaria ei collatam, auctoritate apostolica conferat.*

Romae, 1396 Augusti 24.

Bonifacius .... officiali Pragensi .... Dignum arbitramur .... Exhibita siquidem nobis nuper pro parte .... Vlrici de Tupadl monachi monasterii s. Johannis de Insula ord. s. Benedicti Pragensis diocesis peticio continebat, quod olim parrochiali ecclesia in Slana ‚prepositura' nuncupata dicte diocesis, quam quondam Theodricus Minardi .... obtinebat, per ipsius Theodrici obitum, qui extra Romanam curiam diem clausit extremum, vacante, ... abbas et conventus dicti monasterii, ad quos presentacio rectoris ad dictam ecclesiam, dum ipsam vacare contingit, de antiqua .... consuetudine pertinet, predictum Vlricum ad eandem ecclesiam sic vacantem .... archiepiscopo Pragensi infra tempus legitimum presentarunt, idemque archiepiscopus eundem Vlricum in rectorem ecclesie instituit supradicte, ipseque Vlricus eandem ecclesiam vigore presentacionis et institucionis huiusmodi assecutus, illam extunc tenuit et possedit, prout tenet et possidet, pacifice et quiete. Cum autem .... prefatus Vlricus dubitet presentacionem et institucionem huiusmodi .... viribus non subsistere ...., nos volentes eundem Vlricum, qui ipsum ordinem expresse professus existit, ... consideracione .... Wenceslai Romanorum et Boemie regis illustris, pro dicto Vlrico capellano suo nobis super hoc humiliter supplicantis, favore prosequi gracioso, discrecioni tue .... mandamus, quatenus, si .... eundem Vlricum .... ad dictam ecclesiam obtinendum ydoneum esse reppereris ...., eandem ecclesiam, que per monachos dicti ordinis gubernari consuevit, cuiusque fructus .... sexaginta marcharum argenti puri .... valorem annuum .... non excedunt ...., eidem Vlrico auctoritate nostra conferre et assignare procures .... Datum Rome ap. S. Petrum nono kal. Septembris a. septimo.

R. Lat. 40 fol. 278b — Supra in marg. sin.: JO. DE BONONIA; in fine: N. XXIIII DE BENEVENTO.

1023. *Johanni Stephani de Manešovicz*[a]) *decano ecclesiae s. Mauritii in Cremsir Olomucensis dioc. indulgetur, ut litterarum studio in aliquo studio generali insistens aut in Romana curia vel in aliquo beneficiorum suorum residens, fructus decanatus s. Mauritii in Cremsir et quorumcunque beneficiorum, quae obtinet aut*

obtinebit, cum ea integritate percipere possit, quotidianis distributionibus exceptis, cum qua eos perciperet, si in ecclesiis seu locis, in quibus huiusmodi beneficia consistunt, personaliter resideret. „*Vite ac morum*“ „*Rome ap. S. Petrum quinto kal. Septembris pont. n. a. septimo*[a]. — *Simili modo patriarchae Gradensi et abbati monasterii Gradicensis extra muros Olomucenses ac officiali Olomucensi.*

Romae, 1396 Augusti 28.

R. Lat. 40 fol. 301[a] — [a]) ‚Manessowicz‘ — Supra in marg. sin.: P. DE BOSCO; in fine: DE MANDATO, N. DE BENEVENTO.

1024. *Venceslao regi Romanorum laudes tribuuntur, quod honorem et statum ecclesiae Romanae plenis affectibus diligit et ipsam tamquam eius filius specialis et athleta fortissimus intento studio reveretur; monetur porro idem rex, ut quorumcunque scismaticorum insidias evitare studeat, eique Johannes Kbel familiaris apostolicus, praesentium exhibitor, cui nonnulla commissa sunt ex parte sedis apostolicae dicto regi oretenus explicanda, commendatur.* „*Non latet in abditis*“ „*Rome ap. S. Petrum V. idus Septembris pont. n. a. septimo*“.

Romae, 1396 Septembris 9.

Ed. ex originali Pelzel, Wenzel IV., Th. II. Urkundenb. p. 17 nr. 139.

1025. *Obligatio Adalberti abbatis monasterii s. Ambrosii Pragensis.*

Romae, 1396 Septembris 16.

Anno [nat. 1396, pont. VII] die sabbati, XVI. mensis Septembris venerabilis pater dom. frater Adalbertus abbas monasterii s. Ambrosii Pragensis ord. s. Benedicti . . . . per dom. Johannem Vestfal[a]) procuratorem suum ad hoc legitime constitutum promisit camere et collegio pro suo communi servicio sexaginta florenos auri de camera et quinque servicia consueta; solvendo medietatem usque ad festum resurreccionis domini nostri Jesu Christi proxime futurum, et aliam medietatem usque ad festum omnium sanctorum extunc proxime secuturum . . . .[b])

Oblig. et sol. 48 fol. 191[a], et iterum Oblig. et sol. 52 fol. 77[b] — a) ‚Westaphal‘ Obl. 52 [b]) In Obl. 52 sequitur eadem manu scriptum: ‚Promisit dictus dom. Johannes solvere camere et collegio totam suprascriptam summam in primo termino sub excommunicacionis pena.‘

1026. *Venceslao Thiem reservatur beneficium ecclesiasticum cum vel sine cura.*

Romae, 1396 Septembris 19.

Bonifacius . . . . Wenczeslao Thiem canonico Ratisponensi . . . . Vite ac morum . . . . Volentes itaque tibi, qui, ut asseritur, bacallarius in artibus existis, ...

graciam facere specialem . . . , beneficium ecclesiasticum cum cura vel sine cura, consuetum clericis secularibus assignari, cuius fructus . . . ., si cum cura, viginti quinque, si vero sine cura fuerit, decem et octo marcharum argenti . . . . valorem annuum non excedant, ad . . . . episcopi Patauiensis et . . . . prepositi, decani et capituli ecclesie Patauiensis . . . . ac . . . . abbatis et conventus monasterii in Medlico ord. s. Benedicti Patauiensis diocesis collacionem . . . . pertinens, dummodo canonicatus et prebenda ecclesie cathedralis non existat, si quod vacat ad presens, vel cum vacaverit . . . ., conferendum tibi . . . . donacioni apostolice reservamus . . . .; non obstantibus, si aliqui super provisionibus sibi faciendis . . . . apostolice sedis vel legatorum eius litteras impetrarint . . . ., quibus omnibus, eciam auctoritate nostra eciam cum simili vel alia quavis prerogativa antelacionis huiusmodi beneficium expectantibus, preterquam . . . . cardinalibus ac . . . . familiaribus nostris domesticis continuis commensalibus te . . . . volumus anteferri . . . ., aut quod, ut asseritur, parrochialem ecclesiam in Lazperg [1]) et capellam sine cura s. Anne sitam in cimiterio parrochialis ecclesie in Lincz obtines, et nuper tibi de canonicatu et prebenda ecclesie Ratisponensis et de capella eciam sine cura ss. Bartholomei et Marie Magdalene sita in cimiterio parrochialis ecclesie s. Martini in Newnburga Claustrali,[2]) tunc certis modis vacantibus et quorum possessionem nondum habes, apostolica auctoritate fuit provisum, et nos tibi de parrochiali in Rackelspurga dicte Patauiensis et Salzeburgensis diocesium ecclesia tunc vacatura, necnon de uno, duobus vel tribus . . . . beneficiis . . . . ecclesiasticis, eciam si ipsum unum vel ipsorum duorum seu trium aliquod curatum fuerit, ad collacionem . . . . episcopi, prepositi, decani et capituli predictorum . . . . pertinentibus, vacantibus, vel vacaturis graciose concessimus prouideri,[3]) ac tecum, ut duo beneficia ecclesiastica curata seu alias incompatibilia, eciam si dignitates, personatus vel officia cum cura vel sine cura fuerint . . . ., recipere et usque ad triennium insimul retinere illaque interim ex causa permutacionis vel alias tociens, quociens tibi videretur, dimittere et loco . . . . dimissorum . . . . alia . . . . beneficia . . . . ecclesiastica, duo tantum incompatibilia, recipere et retinere . . . . valeres, graciose duximus dispensandum. Volumus autem, quod illa de ecclesia in Rackelspurga, quoad eandem ecclesiam in Rackelspurga, prout id eciam sponte voluisti, ac illa de beneficio seu beneficiis huiusmodi . . . . concessionum gracie huiusmodi et quecunque inde secuta, quoad curatum beneficium duntaxat, sint cassa et irrita . . . ., quodque infra huiusmodi triennium alterum ex ecclesia in Lazperg et beneficio curato huiusmodi, quod te . . . . forsan assequi contigerit, pro alio beneficio ecclesiastico cum eorum reliquo compatibili permutare, alioquin eandem ecclesiam in Lazperg . . . . omnino dimittere tenearis . . . . Datum Rome ap. S. Petrum tercio decimo kal. Octobris a. septimo.

Simili modo . . . . archiepiscopo Barensi et . . . . Patauiensis et Omnium Sanctorum in Wienna Patauiensis diocesis ecclesiarum decanis . . . .

R. Lat. 42 fol. 256b — Supra in marg. sin.: A. DE PORTUGRUARIO; in fine: N. XXII XXIIII DE BENEVENTO — [1]) Cf. nr. 702 [2]) Nr. 991 [3]) Nr. 864.

1027. *Judicibus mandatur motu proprio, quatenus Nicolao de Volavia archidiaconatum ecclesiae Vratislaviensis conferant.*

Romae, 1396 Septembris 24.

Bonifacius . . . . Tudensi et Olomicensi episcopis ac . . . . officiali Wratislauiensi . . . . Grata devocionis et familiaritatis obsequia, que . . . . Nicolaus de Wolauia canonicus Wratislauiensis, familiaris noster, nobis et apostolice sedi . . . . impendit . . . ., nos inducunt, ut sibi reddamur . . . . liberales. Cum itaque . . . . hodie archidiaconatus ecclesie Wratislauiensis, quem quondam Nicolaus de Poznania . . . . obtinebat, per eiusdem Nicolai de Poznania obitum, qui extra Romanam curiam diem clausit extremum, vacaverit et vacet ad presens, nos . . . . motu proprio . . . . discrecioni vestre . . . . mandamus, quatinus . . . . archidiaconatum predictum, cuius fructus . . . . quadraginta marcharum argenti puri . . . . valorem annuum . . . . non excedunt, ... prefato Nicolao de Wolauia, eciam si illum, hodie ut premittitur vacantem, aliarum litterarum nostrarum auctoritate acceptaverit et sibi de eo fecerit provideri, auctoritate nostra conferre et assignare curetis . . . .; non obstantibus . . . ., si aliqui super provisionibus sibi faciendis . . . . prefate sedis vel legatorum eius litteras impetrarint . . . ., quibus omnibus, eciam illis, quibus forsan hodie, cuiuscunque dignitatis, status, gradus vel condicionis existant, de dicto archidiaconatu ut prefertur vacante in genere vel in specie sub quacunque forma vel expressione verborum per nos seu auctoritate nostra est provisum aut mandatum seu concessum provideri, prefatum Nicolaum de Wolauia . . . . volumus anteferri . . . . Nos enim cum eodem Nicolao de Wolauia, ut dictum archidiaconatum . . . . recipere et una cum aliis dignitatibus, personatibus, officiis et beneficiis ecclesiasticis cum cura et sine cura, que obtinet et expectat, et in quibus et ad que ius sibi quomodolibet competit, quecunque, quotcunque et qualiacunque fuerint, retinere . . . . valeat, ... auctoritate apostolica motu simili . . . . dispensamus . . . . Datum Rome ap. S. Petrum octavo kal. Octobris a. septimo.

R. Lat. 57 fol. 144[a] — Supra in marg. sin.: JO. DE BONONIA; in fine: DE MANDATO, JAC. DE TERAMO.

1028. *Cum Andrea de Broda Theutonicali dispensatur super inhabilitate, quam contraxerat, certa beneficia indebite detinens.*

Romae, 1396 Septembris 26.

Bonifacius . . . Andree de Broda Theutonicali canonico ecclesie Olomucensis . . . Sedes apostolica pia mater . . . Dudum siquidem tibi de beneficio ecclesiastico cum cura vel sine cura, ad collacionem . . . . archidiaconorum, . . thezaurarii, . . scolastici, . . cantoris et . . custodis singulorumque canonicorum et personarum ecclesie Pragensis . . . . pertinente, vacante vel vacaturo, ... mandavimus provideri, volentes inter cetera, quod, quamprimum dictarum litterarum vigore aliquod curatum beneficium fores pacifice assecutus, parrochialem ecclesiam in Pryenna Chyemensis diocesis, super qua tunc cum quodam adversario

tuo in palacio apostolico litigabas, si illam interim evinceres, ... dimittere, alioquin omni iuri tibi in eadem ecclesia in Pryenna vel ad eam quomodolibet competenti omnino cedere tenereris . . . . Postmodum vero, sicut exhibita nobis nuper pro parte tua peticio continebat, tu parrochialem ecclesiam in Popowicz Pragensis diocesis tunc vacantem, vigore dictarum litterarum tibi collatam, pacifice et canonice primo, et deinde prefatam litem post et contra voluntatem et decretum predicta prosequendo, dictam ecclesiam in Pryenna, quam eviceras, assecutus extitisti licet de facto, dictasque ecclesias per tres menses vel modicum ultra simul detinuisti, prout detines, fructus percipiendo ex ambabus similiter de facto. Quare pro parte tua nobis fuit humiliter supplicatum, ut tibi statuique tuo super premissis providere . . . . dignaremur. Nos igitur . . . . omnem inhabilitatis et infamie maculam sive notam per te premissorum occasione contractam auctoritate apostolica . . . . penitus abolemus. Volumus autem, quod predictas ecclesias in Pryenna et in Popowicz exnunc realiter et omnino dimittas . . . . Datum Rome ap. S. Petrum sexto kal. Octobris pont. n. a. septimo.

R. Lat. 41 fol. 266ª — In marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: N. XX DE BENEVENTO.

1029. *Judicibus mandatur, quatenus Andreae de Broda Theutonicali parrochialem ecclesiam in Prien, postquam eam dimiserit, de novo conferant.*

Romae, 1396 Septembris 26.

Bonifacius . . . . patriarche Gradensi et . . . . abbati monasterii s. Ambrosii Pragensis ac . . archidiacono Gradicensi in ecclesia Pragensi . . . . Vite ac morum honestas aliaque . . . . merita, super quibus . . . . Andreas de Broda Theutonicali canonicus ecclesie Olomucensis . . . . commendatur . . . ., nos inducunt, ut sibi reddamur . . . . liberales. Dudum siquidem eidem Andree de beneficio ecclesiastico cum cura vel sine cura, ad collacionem . . . . canonicorum et personarum ecclesie Pragensis . . . . pertinente . . . ., mandavimus provideri, volentes inter cetera, quod, quamprimum . . . . aliquod curatum beneficium foret pacifice assecutus, parrochialem ecclesiam in Pryenna Chyemensis diocesis . . . ., si illam interim evinceret, dimittere teneretur. Hodie vero pro parte dicti Andree nobis exposito, quod ipse parrochialem ecclesiam in Popovicz Pragensis diocesis . . . . primo, et deinde . . . . dictam ecclesiam in Pryenna . . . . assecutus extiterat . . . ., dictasque ecclesias per tres menses vel modicum ultra simul detinuerat, prout detinebat . . . ., nos omnem inhabilitatis maculam . . . . per eundem Andream occasione premissorum contractam . . . . per alias nostras litteras penitus abolevimus et voluimus, quod idem Andreas predictas ecclesias in Pryenna et in Popowicz extunc realiter et omnino dimitteret, prout in eisdem litteris plenius continetur.[1]) Cum autem, sicut accepimus, prefata ecclesia in Pryenna dudum ex eo vacaverit et vacet ad presens, quod . . . . Fredericus Graser olim ipsius ecclesie rector eandem ecclesiam tunc vacantem, canonice sibi collatam, assecutus illamque per annum et amplius pacifice possidens, impedimento cessante legitimo nullaque super hoc canonica dispensacione obtenta se non fecit ad sacerdocium

promoveri, nos volentes eidem Andree, qui, ut asserit, baccallarius in artibus est, graciam facere specialem, discrecioni vestre . . . . mandamus, quatenus . . . . ecclesiam in Pyenna predictam, cuius necnon canonicatus et prebende ac altaris s. Jacobi, que idem Andreas in dicta Olomucensi ecclesia canonice obtinet, fructus . . . . triginta unius marcharum argenti puri . . . . valorem annuum . . . . non excedunt, ... eidem Andree, postquam eam realiter et omnino dimiserit . . . ., conferre et assignare curetis . . . .; non obstantibus . . . ., quod[a]) idem Andreas, ut asserit, beneficium ecclesiasticum cum cura vel sine cura, ad collacionem . . . . archiepiscopi Pragensis et . . . . prepositi, decani et capituli ecclesie Pragensis . . . . pertinens, auctoritate quarundam litterarum nostrarum noscitur expectare, quarum vigore canonicatum et prebendam ecclesie s. Egidii Pragensis, quorum fructus . . . . duodecim marcharum argenti puri . . . . valorem annuum non excedunt, tunc vacantes et ad collacionem predicti archiepiscopi spectantes, infra tempus legitimum acceptavit et de illis sibi provideri fecit, quorum possessionem nondum extitit assecutus. Volumus autem, quod huiusmodi predicte alie littere, per quas canonicatum et prebendam ecclesie s. Egidii acceptavit et de eis sibi provideri fecit . . . ., et quecunque inde secuta, quoad curatum beneficium dumtaxat, sint cassa et irrita . . . . Datum Rome ap. S. Petrum sexto kal. Octobris pont. n. a. septimo.

R. Lat. 41 fol. 266[b] — [a]) In registro sequebatur: ‚quod nos dudum eidem Andree, ut asserit, de beneficio ecclesiastico cum cura vel sine cura, vacante vel vacaturo, spectante . . . . ad collacionem . . . . archiepiscopi Pragensis et . . . . prepositi, decani et capituli ecclesie Pragensis, per alias nostras litteras graciose mandavimus provideri. Volumus autem, quod, quamprimum idem Andreas vigore presencium eandem ecclesiam in Pyenna fuerit pacifice assecutus, prefate littere, per quas sibi de huiusmodi beneficio ad collacionem huiusmodi dictorum archiepiscopi, prepositi, decani et capituli mandavimus provideri, ut prefertur, ... et quecunque inde secuta . . . . sint cassa‘, sed totum cancellatum est et in margine ita correctum, sicut supra est positum, hac nota adiuncta: „Correctum et cancellatum de mandato, N. de Benevento“ — Supra in marg. sin.: A. DE PORTUGRUARIO, [CANCELLARIA]; in fine: N. XXIIII DE BENEVENTO — [1]) Vide nr. 1028.

1030. *Officiali Pragensi mandatur, quatenus Johanni de Žďár*[a]) *presbytero Pragensis dioc. conferat parrochialem ecclesiam in Popovicz*[b]) *dictae dioc., cuius fructus 5 marcarum argenti puri valorem annuum non excedunt, vacantem per liberam resignationem Andreae [de Broda Theutonicali] per Michaelem de Broda Theutonicali procuratorem eius in manibus papae factam.*[1]) *„Dignum arbitramur“ „Rome ap. S. Petrum sexto kal. Octobris a. septimo“.*

Romae, 1396 Septembris 26.

R. Lat. 40 fol. 158[b] — [a]) ‚Zdyar‘ [b]) ‚Popowicz‘ — In fine: N. XXII DE BENEVENTO — [1]) Cf. nr. 1028.

1031. *Auditori apostolico mandatur, quatenus Martinum de Sternberg ad omne ius surroget, quod Otticoni de Tlučna tempore eius obitus in parrochiali ecclesia in Hartvikovicz competebat.*

Romae, 1396 Septembris 29.

Bonifacius . . . . magistro Ricardo Jong capellano nostro et causarum palacii apostolici auditori . . . . Vite ac morum honestas aliaque . . . . merita, super quibus . . . . Martinus de Sterenberg canonicus Olomucensis . . . . commendatur . . . ., nos inducunt, ut sibi reddamur . . . . liberales. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dicti Martini peticio continebat, quod orta dudum inter ipsum et quondam Otticonem de Tluszna presbyterum super parrochiali ecclesia in Hartwicowicz Olomucensis diocesis, de qua, tunc ex eo vacante, quod . . . . Nicolaus Puchnik rector parrochialis ecclesie s. Nicolai in foro pullorum Pragensis, tunc dictam ecclesiam in Hartwicowicz obtinens, eandem eccclesiam s. Nicolai tunc vacantem, auctoritate ordinaria sibi collatam, fuerat pacifice assecutus, Martinus sibi auctoritate apostolica graciose et canonice mandatum fuisse provideri,[1]) dictamque ecclesiam in Hartwicowicz sibi huiusmodi gracie et mandati vigore deberi, prefatumque Otticonem se gracie et mandato huiusmodi contra iusticiam opposuisse . . . ., Ottico vero predicti eandem ecclesiam in Hartwicowicz ad se de iure spectare asserebant, materia questionis: nos causam huiusmodi . . . . magistro Paulo de Dugniano capellano nostro et causarum palacii apostolici auditori ad instanciam dicti Martini . . . . commisimus . . . ., non obstante, quod causa ipsa de sui natura ad Romanam curiam legitime devoluta . . . . non esset; qui quidem auditor . . . . diffinitivam, per quam inter cetera eandem ecclesiam in Hartwicowicz Otticoni adiudicavit et super ea Martino prefato perpetuum silencium imposuit, sentenciam promulgavit, a qua pro parte dicti Martini ad sedem apostolicam fuit appellatum, nosque causam appellacionis huiusmodi . . . . magistro Hermanno de Biluelt capellano nostro et causarum dicti palacii auditori . . . . commisimus . . . .; qui . . . . predictam sentenciam per suam, ut dicebat, diffinitivam sentenciam confirmavit; a qua pro parte eiusdem Martini ad sedem fuit appellatum antedictam, nosque causam ultime appellacionis huiusmodi tibi . . . . commisimus . . . .; quodque, postquam tu in causa ultime appellacionis huiusmodi ad nonnullos actus citra tamen conclusionem inter partes ipsas processeras, prefatus Martinus liti et cause huiusmodi in manibus tuis ex certis causis sponte et libere cessit, tuque cessionem huiusmodi diceris admisisse. Cum autem, sicut eadem peticio subiungebat, prefatus Ottico, [causa] huiusmodi alias coram te sic indecisa pendente, extra dictam curiam, in possessione eiusdem ecclesie in Hartwicowicz existens, fuerit vita functus, nos . . . . prefato Martino, qui, ut asserit, in palacio nostro servitor existit, ... specialem graciam facere volentes, discrecioni tue . . . . mandamus, quatenus eundem Martinum, dummodo ipse in dicta ecclesia in Hartwicowicz intrusus non fuerit, in omni iure et ad omne ius, quod prefato Otticoni in dicta ecclesia in Hartwicowicz seu ad eam tempore sui obitus quomodolibet competebat aut competere poterat, auctoritate nostra surroges . . . .; et nihilominus eandem ecclesiam in Hartwicowicz, cuius fructus . . . . viginti quinque marcharum argenti puri . . . . valorem annuum . . . . non excedunt, sive ut premittitur sive alias quovis modo aut ex alterius cuiuscunque per-

sona seu per dictam ipsius Martini cessionem vel per assecucionem alterius beneficii ecclesiastici apostolica auctoritate collati vel per liberam resignacionem dicti Otticonis, per eum de illis [in manibus alicuius] ad id potestatem habentis apud sedem apostolicam vel extra dictam curiam eciam coram notario publico et testibus sponte factam, vacet, eciam si tanto tempore vacaverit, quod eius collacio iuxta Lateranensis statuta concilii ad sedem predictam legitime devoluta aut ipsa ecclesia in Hartwicowicz disposicioni apostolice specialiter reservata et de iure patronatus laicorum existant, seu presentacio rectorum ad eandem ad clericos et laicos vicissim pertineat, et super ea alias inter aliquos lis, cuius eciam statum presentibus haberi volumus pro expresso, in dicto palacio pendeat seu remanserit indecisa, dictusque Ottico vel persona huiusmodi sedis predicte capellanus, nuncius, referendarius vel alias officialis seu fructuum et proventuum camere apostolice debitorum collector vel succollector seu litterarum apostolicarum scriptor vel abbreviator aut eiusdem sedis vel alicuius ex . . . . s. Romane ecclesie cardinalibus familiaris fuerit . . . ., prefato Martino auctoritate nostra conferre et assignare procures . . . . ; non obstantibus . . . ., quod prefatus Martinus, ut asserit, canonicatum et prebendam ecclesie Olomucensis, quorum fructus . . . . duodecim marcharum argenti . . . . valorem annuum non excedunt, obtinet,[2]) et dudum sibi de parrochiali ecclesia s. Michaelis de Zneuma dicte diocesis graciose concessimus provideri. Volumus autem, quod ipse Martinus, quamprimum . . . eandem ecclesiam in Hartwicowicz fuerit pacifice assecutus, prefatam ecclesiam s. Michaelis et omne ius sibi in ea seu ad eam quomodolibet competens omnino, prout ad id eciam se sponte obtulit, dimittere teneatur . . . . Datum Rome ap. S. Petrum tercio kal. Octobris a. septimo.

R. Lat. 43 fol. 123a -- Supra in marg. sin : P. DE BOSCO, C[ANCELLARIA]; in fine : DE MANDATO, N. DE BENEVENTO— [1]) Cf. nr. 714; parr. ecclesiam s. Nicolai Pragensem Nicolao Puchník 1391 Maii 10 auctoritate ordinaria collatam fuisse Libri confirmationum testantur. [2]) Cf. nr. 353.

***1032**. Omnes gratiae aliis quam Johanni de Senging de certis beneficiis ecclesiasticis factae vel faciendae irritae declarantur.*

Romae, 1396 Octobris 1.

Bonifacius . . . . ad futuram rei memoriam. Grata dilecti filii magistri Johannis de Senging canonici Pragensis, capellani et familiaris nostri, devocionis et familiaritatis obsequia . . . . nos inducunt, ut ipsum specialibus favoribus et graciis prosequamur. Dudum siquidem eidem Johanni de maioris Pragensis et Olomucensis ac s. Petri Wissegradensis Pragensis ecclesiarum canonicatibus sub expectacionibus prebendarum necnon dignitatis, personatus vel officii cum cura vel sine cura alicuius earundem ecclesiarum, eciam si dignitas ipsa in maiori vel Olomucensi maior post pontificalem aut in s. Petri ecclesiis predictis principalis foret, et ad eam consuevisset quis per eleccionem assumi, per nostras litteras graciose duximus providendum, ipsumque inter cetera omnibus, eciam auctoritate nostra in ecclesiis ipsis receptis vel prebendas ac dignitates seu

personatus vel officia huiusmodi eciam cum simili vel alia quavis antelacionis prerogativa expectantibus in eisdem, preterquam . . . . s. Romane ecclesie cardinalibus et . . . . familiaribus nostris domesticis continuis commensalibus in assecucione prebendarum ac dignitatis, personatus vel officii huiusmodi voluimus anteferri, prout in dictis litteris plenius continetur. Nos igitur eidem Johanni, ne huiusmodi gracie effectum quoquo modo retardari contingat, super hoc providere . . . . volentes, motu proprio . . . . ex certa sciencia auctoritate apostolica tenore presencium declaramus: nostre intencionis fuisse et esse prefato Johanni et nulli alteri de huiusmodi canonicatibus et prebendis ac dignitate, personatu vel officio, sub predicta gracia cadentibus, et quas vel quos seu que idem Johannes predictarum litterarum vigore infra tempus legitimum acceptavit seu acceptabit et de quibus sibi fecit seu fecerit provideri, voluisse sive velle provideri, et quod, si forsan reperiri contingat nos alicui vel aliquibus alii seu aliis, cuiuscunque gradus, status vel condicionis existant, de canonicatibus et prebendis ac dignitate, personatu vel officio huiusmodi seu eorum aliquo vel aliquibus, sub predicta gracia cadentibus, et quas vel quos seu que prefatus Johannes huiusmodi litterarum vigore infra tempus legitimum hactenus forsan acceptavit et de quibus sibi provideri fecit seu in futurum acceptaverit et de quibus sibi provideri fecerit, ut prefertur, sub quacunque data providisse aut mandasse seu concessisse provideri seu inantea providere aut mandare seu concedere provideri, huiusmodi provisiones, concessiones et mandata alii vel aliis in genere vel in specie sub quacunque forma vel expressione verborum factas seu facta ac faciendas seu facienda, nisi in eis de huiusmodi gracia ac ipsius Johannis nomine et cognomine propriis mencio specialis habeatur, auctoritate predicta ex eadem sciencia decernimus irrita et inania nulliusque roboris vel momenti existere, ac huiusmodi gracie, prefato Johanni, ut premittitur, facte, non potuisse sive posse in aliquo preiudicasse seu preiudicare, ipsamque graciam quoad canonicatus et prebendas ac dignitatem vel personatum seu officium huiusmodi, sub predicta gracia cadencia et per ipsum Johannem acceptata et acceptanda, ut prefertur, perinde valuisse et valere suumque debuisse et debere sortiri effectum, ac si huiusmodi provisiones, concessiones aut mandata pro aliis personis a nobis minime emanassent hactenus seu in futurum emanarent, iuri ex eisdem provisionibus, concessionibus et mandatis alii vel aliis huiusmodi forsan quesito et acquirendo harum serie eadem auctoritate penitus derogantes, constitucionibus et ordinacionibus apostolicis necnon provisionibus, concessionibus et mandatis huiusmodi et aliis contrariis et eciam illis, que in predictis litteris voluimus non obstare, non obstantibus quibuscunque. Nulli ergo . . . . Datum Rome ap. S. Petrum kal. Octobris a. septimo.

R. Lat. 40 fol. 240ª — Supra in marg. sin.: A. DE PORTUGRUARIO, C[ANCELLARIA]; in fine: DE MANDATO, N. DE BENEVENTO.

1033. *Johanni de Miličín reservantur unum cum cura et aliud sine cura beneficia ecclesiastica.*

Romae, 1396 Octobris 1.

Bonifacius . . . . Jesconi de Miliczin rectori parrochialis ecclesie in Inferiori Dyax Olomucensis diocesis . . . . Vite ac morum . . . . Volentes itaque tibi graciam facere specialem, unum cum cura, cuius quinquaginta, et aliud sine cura beneficia ecclesiastica, cuius quadraginta marcharum argenti fructus . . . . valorem annuum non excedant, ad cuiuscunque . . . . collacionem . . . . pertinencia, eciam si alterum canonicatus et prebenda in Olomucensi et reliquum eorundem beneficiorum dignitas, personatus vel officium cum cura vel sine cura in aliqua ex collegiatis civitatis et diocesis Olomucensis, et dignitas ipsa in collegiatis ecclesiis huiusmodi principalis fuerit, et ad eam consueverit quis per eleccionem assumi, si qua in ecclesia Olomucensi aut civitate vel diocesi predictis vacant ad presens, vel cum simul vel successive vacaverint . . ., conferenda tibi . . . . donacioni apostolice reservamus . . .; non obstantibus . . ., si aliqui super provisionibus sibi faciendis . . . . apostolice sedis vel legatorum eius . . . . litteras impetrarint . . ., quibus omnibus, eciam auctoritate nostra huiusmodi beneficia expectantibus, preterquam . . . . cardinalibus et . . . . familiaribus nostris domesticis continuis commensalibus . . . . te . . . . volumus anteferri . . ., seu quod parrochialem ecclesiam in Inferiori Dyax ac in s. Petri in Brunna et in s. Mauricii Chremsirensi ac in s. Martini in Posonio dicte Olomucensis et Strigoniensis diocesium ecclesiis cum custodia, que simplex officium existit, canonicatus et prebendas, necnon capellam sine cura s. Ladislai sitam in domo archiepiscopali Strigoniensi obtines, et super canonicatu et prebenda dicte Olomucensis in palacio apostolico litigas, necnon aliarum litterarum nostrarum vigore, per quas canonicatum Pragensis ecclesiarum obtinens, prebendam necnon dignitatem, personatum vel officium cum cura vel sine cura inibi expectabas, prout expectas, cum prerogativa, quod te omnibus, eciam auctoritate nostra in ipsa Pragensi ecclesia receptis vel prebendas necnon dignitates vel personatus seu officia expectantibus in eadem, preterquam cardinalibus et familiaribus supradictis . . . . anteferri voluimus,[1]) canonicatum et prebendam dicte ecclesie Pragensis tunc certo modo vacantes, super quibus cum quibusdam tuis adversariis in palacio predicto aliquamdiu litigasti, prout adhuc super eisdem canonicatu et prebenda inter te et nonnullos adversarios huiusmodi lis remansit indecisa, acceptasti et de illis tibi provideri fecisti. Nos enim tecum, ut dignitatem seu personatum vel officium aut beneficium curatum huiusmodi, si illam vel illum seu illud presencium aut predictarum, per quas tibi de canonicatu sub expectacione prebende ac dignitatis, personatus vel officii in eadem Pragensi ecclesia provideri mandavimus, ut prefertur, litterarum vigore tibi canonice conferri contingat, recipere et una cum dicta parrochiali ecclesia retinere libere et licite valeas, ... dispensamus . . . . Volumus autem, quod, si canonicatum et prebendam dicte Olomucensis ecclesie vigore presencium fueris pacifice assecutus, predictos alios canonicatum et prebendam eiusdem ecclesie, super quibus, ut prefertur, litigas, si eos interim evincas . . ., omnino dimittere, alioquin omni iuri tibi in eis vel ad eos quomodolibet competenti cedere tenearis, quodque, quamprimum sive presencium sive predictarum litterarum vigore, per quas tibi de canonicatu sub expectacione prebende ac dignitatis, personatus vel officii . . . . eiusdem ecclesie Pragensis provideri mandavimus, dignitatem vel personatum seu officium aut beneficium curatum huiusmodi fueris pacifice assecutus, relique littere huiusmodi . . . . et

quecunque inde secuta quoad dignitatem, personatum vel officium seu beneficium curatum huiusmodi sint cassa . . . . Datum Rome ap. S. Petrum kal. Octobris [a]) a. septimo.

Simili modo . . . . patriarche Gradensi et . . . . Gradicensis prope Olomucz ac Lucensis prope Snoymam Olomucensis diocesis monasteriorum abbatibus . . . .

R. Lat. 42 fol. 259[a] — [a]) Correctum in margine ex ‚Septembris' adiuncta nota: „Correctum de mandato, N. de Benevento" — Supra in marg. sin.: P. DE BOSCO; in fine N. XXVIII DE BENEVENTO — [1]) Cf. nr. 676.

1034. *Judicibus mandatur, quatenus Georgio de Budissin parrochialem ecclesiam in Bernsdorf conferant.*

Romae, 1396 Octobris 5.

Bonifacius . . . . episcopo Adriensi et . . . . s. Appollinaris ac s. Petri Wissegradensis Pragensium ecclesiarum decanis . . . . Vite ac morum honestas aliaque . . . merita, super quibus . . . . Georgius Nicolai Bemchin de Budisyn presbyter Misnensis diocesis . . . . commendatur . . . ., nos inducunt, ut sibi reddamur . . . liberales. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dicti Georgii peticio continebat, quod olim parrochiali ecclesia in Bernharsdorf dicte diocesis ex eo vacante, quod . . . . Andreas Doryng eandem ecclesiam tunc obtinens, parrochialem ecclesiam in Witthindorf Pragensis diocesis tunc certo modo vacantem, auctoritate ordinaria canonice sibi collatam, extitit pacifice assecutus, idem Georgius vigore quarundam litterarum nostrarum, per quas beneficium ecclesiasticum cum cura vel sine cura, ad collacionem . . . . abbatisse et conventus monasterii in Merginstern cisterciensis ord. predicte diocesis . . . . pertinens, expectabat, eandem ecclesiam in Bernharsdorf sic vacantem et ad collacionem dictarum abbatisse et conventus communiter pertinentem infra tempus legitimum acceptavit et de illa sibi provideri fecit. Cum autem . . . . dictus Georgius dubitet acceptacionem et provisionem huiusmodi ex certis causis viribus non subsistere . . . ., nos . . . . discrecioni vestre . . . . mandamus, quatenus . . . . dictam ecclesiam in Bernharsdorf, cuius fructus . . . . viginti quatuor marcharum argenti puri . . . . valorem annuum . . . . non excedunt, ... eidem Georgio conferre et assignare curetis . . . . [1]) Datum Rome ap. S. Petrum tercio nonas Octobris a. septimo.

R. Lat. 43 fol. 68[a] — Supra in marg. sin.: P. DE BOSCO; in fine: N. XVIII DE BENEVENTO — [1]) Cf. nros. 1001 et 2080.

1035. *Episcopo Perusino et decano ecclesiae in Budissin [a]) Misnensis dioc. ac officiali Misnensi mandatur, quatenus Francisco Floszer [de Brega] perpetuo vicario ad altare s. Michaelis situm in parrochiali ecclesia in Nissa Vratislaviensis dioc. perpetuam vicariam sine cura ad altare s. Venceslai in ecclesia Misnensi, cuius fructus 10 marcarum argenti valorem annuum non excedunt*

quamque, per obitum Johannis Beler vacantem, ipse Franciscus per provisionem Johannis episcopi Misnensis assecutus est, auctoritate apostolica conferant; non obstante, quod perpetuam vicariam ad praefatum altare s. Michaelis, cuius fructus 6 marcarum argenti valorem annuum non excedunt, noscitur obtinere. „*Vite ac morum*“ „*Rome ap.S. Petrum sexto decimo kal. Novembris a. septimo*“.

Romae, 1396 Octobris 17.

R. Vat. 318 fol. 115[a] — [a]) ‚Budeshem‘ — Supra in marg. sin.: P. DE BOSCO; in fine: N XX DE BENEVENTO.

1036. *Episcopo Vratislaviensi mandatur, quatenus cum Nicolao Advocati laico et Barbara Francisci Fechsil nata muliere Vratislaviensis dioc., qui quarto consanguinitatis gradu invicem sunt coniuncti, dispenset, ut impedimento huiusmodi non obstante matrimonium invicem contrahere possint.* „*Oblate nobis*“ „*Rome ap. S. Petrum quarto decimo kal. Novembris a. septimo*“.

Romae, 1396 Octobris 19.

R. Lat. 43 fol. 160[a] — In fine: N. XII DE BENEVENTO.

1037. *Episcopo Monopolitano et decano ecclesiae Legnicensis Vratislaviensis dioc. ac officiali Vratislaviensi mandatur, quatenus Francisco Simonis clerico Vratislaviensis dioc. conferant parrochialem ecclesiam s. Mathaei in Lesna dictae dioc., ad collationem capituli ecclesiae s. Crucis Vratislaviensis spectantem, cuius fructus 15 marcarum argenti valorem annuum non excedunt, quamque, per obitum Nicolai Blecker extra Romanam curiam defuncti vacantem, ipse Franciscus vigore quarundam litterarum apostolicarum, per quas beneficium ecclesiasticum cum vel sine cura, ad collationem praepositi, decani, cantoris, scholastici, custodis et capituli dictae ecclesiae s. Crucis pertinens, exspectabat,*[1]) *assecutus est.* „*Vite ac morum*“ „*Rome ap. S. Petrum sexto kal. Novembris a. septimo*“.

Romae, 1396 Octobris 27.

R. Lat. 43 fol. 1[a] — In fine: N. XVIII DE BENEVENTO — [1]) Vide nr. 271.

1038. *Officiali Pragensi mandatur, quatenus Vlachnikoni de Weitmül praeposituram ecclesiae Litoměřicensis, auctoritate ordinaria ei collatam, auctoritate apostolica conferat.*

Romae, 1396 Novembris 3.

Bonifacius . . . . officiali Pragensi . . . . Dignum arbitramur . . . . Exhibita siquidem nobis nuper pro parte . . . . Wlachniconis de Weytemmulle presbyteri Pragensis diocesis peticio continebat, quod olim ipse Pragensis et

Wratislauiensis ac Luthomiricensis Pragensis diocesis canonicatus et prebendas, et quondam Henricus de Hackenborn preposituram eiusdem Luthomiricensis ecclesiarum, quos tunc temporis obtinebant, desiderantes illos . . . . invicem permutare, Wlachnico videlicet Wratislauiensis in . . . . Wenceslai episcopi Wratislauiensis et Pragensis in . . . . Bohuslai decani et capituli eiusdem Pragensis ac Luthomiricensis canonicatus et prebendas in . . . . Proczkonis decani et capituli eiusdem Luthomiricensis ecclesiarum, necnon Henricus prefati preposituram predictos in . . . . Johannis episcopi, tunc archiepiscopi Pragensis, manibus extra Romanam curiam ex causa permutacionis huiusmodi libere resignarunt, ac Wratislauiensis per Wenceslaum episcopum et Pragensis per Bohuslaum decanum et capitulum eiusdem Pragensis necnon Luthomiricensis per Proczkonem decanum et capitulum eiusdem Luthomiricensis ecclesiarum canonicatuum et prebendarum, cum ad decanum pro tempore existentem et capitulum ipsius Pragensis dictorum Pragensis ac ad decanum eciam pro tempore existentem et capitulum ipsius Luthomiricensis eorundem Luthomiricensis ecclesiarum canonicatuum et prebendarum resignacionum recepciones et admissiones, que eciam ex causa permutacionis fiunt, necnon ad ipsos decanum pro tempore existentem et capitulum ecclesie Pragensis dictorum canonicatus et prebende Pragensis collacio, provisio ac ad decanum similiter pro tempore existentem et capitulum Luthomiricensis institucio canonici ad dictam prebendam Luthomiricensis ecclesiarum predictarum de antiqua . . . . consuetudine pertineant, necnon prepositure predictorum resignacionibus huiusmodi per Johannem episcopum, tunc archiepiscopum, prefatos extra dictam curiam auctoritate ordinaria admissis, Wenceslaus episcopus Wratislauiensis et Bohuslaus decanus et capitulum Pragensis eiusdem Pragensis ecclesiarum canonicatus et prebendas eidem Henrico auctoritate predicta contulerunt et de illis eciam providerunt, ac . . . . Wenceslaus Romanorum et Boemie rex illustris, cum ad regem Boemie pro tempore existentem presentacio persone ydonee ad dictos canonicatum et prebendam ecclesie Luthomiricensis ex privilegio sedis predicte, cui non est in aliquo derogatum, pertineat, ipseque verus patronus dicte prepositure ac in pacifica possessione vel quasi iuris presentandi prepositum dicte Luthomiricensis ecclesie existat, Henricum videlicet in canonicum eiusdem ecclesie Luthomiricensis ad eandem prebendam Proczkoni decano et capitulo ipsius ecclesie Luthomiricensis necnon Wlachniconem prefatos ad prepositurum eiusdem ecclesie Luthomiricensis Johanni episcopo, tunc archiepiscopo, supradictis infra tempus legitimum presentavit, ac Proczko decanus et capitulum ecclesie Luthomiricensis Henricum ad prebendam in canonicum ipsius ecclesie, necnon Johannes episcopus, tunc archiepiscopus, prefati ad prepositurum predictas sic vacantes Wlachniconem sepedictos in prepositum eiusdem ecclesie Luthomiricensis auctoritate predicta instituerunt,[1]) ipseque Wlachnico prepositurum predictam vigore presentacionis et institucionis huiusmodi de ea sibi, ut premittitur, factarum extitit assecutus. Cum autem . . . . dictus Wlachnico dubitet presentacionem et institucionem predictas de ipsa prepositura . . . . sibi factas . . . . viribus non subsistere . . . ., nos volentes dictum Wlachniconem, qui, ut asserit, prefati regis prothonotarius existit, ... favore prosequi gracioso, discrecioni tue . . . . mandamus, quatenus, si dicta prepositura curata vel dignitas sit, et per diligentem examinacionem dictum Wlachniconem bene legere, bene cantare . . . . et alias ydoneum

ad obtinendum eandem prepositurarn esse reppereris, vel eciam si ipse Wlachnico non bene cantaret, dummodo in tuis manibus iuret, quod . . . . bene cantare addiscet, prepositurarn predictam, eciam si curata et dignitas eciam principalis in eadem ecclesia Luthomiricensi existat, et si forsan ita esse non inveneris, dictaque prepositura curata vel dignitas aut personatus non sit, ipseque Wlachnico non bene cantaret et non iuraverit, ut prefertur, dummodo ipsum alias . . . . ad obtinendum dictam prepositurarn ydoneum esse reppereris . . . ., prepositurarn predictam, cui certi canonicatus et prebenda prefate ecclesie Pragensis canonice sunt annexi, et cuius fructus . . . . octuaginta marcharum argenti puri . . . . valorem annuum . . . . non excedunt, ... eidem Wlachniconi auctoritate nostra conferas et assignes . . . . Datum Rome ap. S. Petrum tercio nonas Novembris a. septimo.

R. Lat. 41 fol. 171ª — In fine: N. XXVII DE BENEVENTO — [1]) Vlachnikonem de Weitmül 1396 Junii 7 ad praeposituram ecclesiae Litoměřicensis auctoritate ordinaria institutum fuisse Libri confirmationum testantur.

1039. *Officiali Pragensi mandatur, quatenus Francisco de Jevíčko canonicatum et praebendam maioris ecclesiae Pragensis, auctoritate ordinaria ei collatos, auctoritate apostolica conferat.*

Romae, 1396 Novembris 3.

Bonifacius . . . . officiali Pragensi . . . Dignum arbitramur . . . . Exhibita siquidem nobis nuper pro parte . . . . Francisci de Gewicz canonici Olomucensis peticio continebat, quod olim ipse prepositurarn Northusensis Maguntinensis diocesis ac s. Petri Wissegradensis et quondam Henricus de Hackenborn maioris Pragensis ecclesiarum canonicatus et prebendas, quos tunc temporis obtinebant, desiderantes illos . . . . invicem permutare, Franciscus videlicet prepositurarn in bone memorie Conradi archiepiscopi Maguntinensis ac s. Petri in . . . . Wenceslai decani et capituli eiusdem s. Petri, necnon Henricus prefati maioris ecclesiarum predictarum canonicatus et prebendas huiusmodi in . . . . Bohuslai decani et capituli eiusdem maioris ecclesie manibus extra Romanam curiam ex causa permutacionis huiusmodi libere resignarunt, ac prepositure per archiepiscopum et s. Petri per Wenceslaum decanum et capitulum eiusdem s. Petri necnon maioris ecclesiarum predictarum canonicatuum et prebendarum per Bohuslaum decanum et capitulum eiusdem ecclesie maioris, cum ad decanum pro tempore existentem et capitulum ipsius s. Petri dictorum s. Petri et ad decanum eciam pro tempore existentem et capitulum maioris earundem maioris ecclesiarum canonicatuum et prebendarum resignacionum recepciones et admissiones, que eciam ex causa permutacionis fiunt, necnon ad eosdem videlicet decanum pro tempore existentem et capitulum s. Petri institucio canonici ad dictam prebendam eiusdem s. Petri ac ad decanum similiter pro tempore existentem et capitulum maioris ipsorum canonicatus et prebende eiusdem maioris ecclesiarum collacio et provisio de antiqua . . . . consuetudine pertineant, resignacionibus huiusmodi extra eandem curiam auctoritate ordinaria admissis, ... Wenceslaus Romanorum et Boemie

rex illustris, verus patronus et existens in pacifica possessione vel quasi iuris presentandi prepositum dicte ecclesie Northusensis, cumque eciam ad regem Romanorum pro tempore existentem presentacio persone ydonee ad dictos canonicatum et prebendam ecclesie s. Petri ex privilegio sedis predicte, cui non est in aliquo derogatum, pertineat, eundem Henricum in prepositum Northusensis archiepiscopo et in canonicum s. Petri ad dictam prebendam eiusdem s. Petri ecclesiarum Wenceslao decano et capitulo ecclesie s. Petri predictis infra tempus legitimum presentavit, ac archiepiscopus in prepositum Northusensis et Wenceslaus decanus et capitulum dicte s. Petri in canonicum eiusdem s. Petri ad dictam prebendam ipsius s. Petri eundem Henricum auctoritate ordinaria instituerunt, necnon Bohuslaus decanus et capitulum predicte maioris ecclesiarum eosdem canonicatum et prebendam ipsius ecclesie maioris prefato Francisco auctoritate predicta contulerunt et de illis eciam providerunt, ipseque Franciscus vigore collacionis et provisionis huiusmodi predictos canonicatum et prebendam ecclesie maioris extitit assecutus. Cum autem . . . . dictus Franciscus dubitet collacionem et provisionem huiusmodi . . . . viribus non subsistere . . . ., nos volentes dictum Franciscum, qui, ut asserit, prothonotarius prefati regis existit . . . ., favore prosequi gracioso, discrecioni tue . . . . mandamus, quatenus, si . . . . eundem Franciscum ad hoc ydoneum esse reppereris . . . . canonicatum et prebendam maioris ecclesie predictos, quorum fructus . . . triginta marcharum argenti puri . . . . valorem annuum . . . . non excedunt . . . ., eidem Francisco auctoritate nostra conferre et assignare procures . . . .; non obstantibus . . . ., quod idem Franciscus, ut asserit, canonicatum et prebendam Olomucensis, quorum fructus . . . . quindecim marcharum argenti puri . . . . valorem annuum non excedunt, obtinet, et nos sibi nuper de canonicatu sub expectacione prebende ac dignitatis seu personatus vel officii cum cura vel sine cura prefate maioris ecclesiarum per alias nostras litteras graciose mandavimus provideri, et voluimus eundem Franciscum in assecucione prebende ac dignitatis vel personatus seu officii huiusmodi omnibus, eciam autoritate nostra in ipsa maiori ecclesia receptis aut prebendas necnon dignitates, personatus seu officia expectantibus in eadem, preterquam . . . . dicte Romane ecclesie cardinalibus et . . . . familiaribus nostris domesticis continuis commensalibus . . . anteferri. Volumus autem, quod, quamprimum dictus Franciscus canonicatum et prebendam ecclesie maioris predictos presencium vigore fuerit pacifice assecutus, predicte littere, per quas sibi de canonicatu sub expectacione prebende ac dignitatis vel personatus seu officii eiusdem maioris ecclesie provideri mandavimus . . . ., et quecunque inde secuta, quoad canonicatum et prebendam dumtaxat, sint cassa . . . . Datum Rome ap. S. Petrum tercio nonas Novembris a. septimo.

R. Lat. 41 fol. 202a — In fine: N. XXVI DE BENEVENTO.

1040. *Officiali Vratislaviensi mandatur, quatenus, si ei constiterit neque Martino de Praga neque Stephano de Staňkov in canonicatu et praebenda ecclesiae s. Crucis Vratislaviensis ius competere, dicto Martino eos conferat.*

Romae, 1396 Novembris 3.

Bonifacius . . . . Georgio dicto Fullschussel officiali Wratislauiensi . . . Vite ac morum honestas aliaque . . . . merita, super quibus . . . . Martinus de Praga canonicus ecclesie Antique-Boleslauiensis Pragensis diocesis . . . . commendatur . . . ., nos inducunt, ut sibi reddamur . . . . liberales. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dicti Martini peticio continebat, quod, cum olim ipse ad canonicatum et prebendam ecclesie s. Crucis Wratislauiensis, tunc per obitum quondam Johannis de Reidburg . . . . extra Romanam curiam defuncti vacantes, per . . . . Wenceslaum Romanorum et Boemie regem illustrem, cum ad regem Boemie pro tempore existentem presentacio persone ydonee ad dictos canonicatum et prebendam ex privilegio sedis apostolice, cui non est in aliquo derogatum, pertineat, huiusmodi privilegii vigore . . . . Wenceslao episcopo Wratislaviensi infra tempus legitimum presentatus et per eundem episcopum ad dictam prebendam sic vacantem auctoritate ordinaria in canonicum dicte ecclesie s. Crucis institutus ac predictos canonicatum et prebendam vigore presentacionis et institucionis huiusmodi assecutus fuisset illosque aliquamdiu tenuisset et possedisset et tunc eciam teneret et possideret pacifice et quiete, ac postmodum . . . . Stephanus de Stankow, qui se gerit pro presbytero dicte diocesis, asserens eosdem canonicatum et prebendam ad se spectare, prefatum Martinum super hoc, petendo eundem Martinum ab ipsis canonicatu et prebenda amoveri ac eos sibi adiudicari et super ipsis eidem Martino perpetuum silencium imponi, coram te non ex delegacione apostolica fecit ad iudicium evocari, tuque in causa ipsa inter partes predictas ad nonnullos actus citra tamen conclusionem diceris processisse. Cum autem . . . . a nonnullis asseratur neutri dictorum Martini et Stephani in eisdem canonicatu et prebenda seu ad eos ius competere, nos . . . . volentes dicto Martino, qui, ut asserit, litterarum dicti regis scriptor existit, ... graciam facere specialem, discrecioni tue . . . . committimus et mandamus, quatenus, si per eventum litis huiusmodi tibi constiterit neutri dictorum Martini et Stephani in eisdem canonicatu et prebenda seu ad eos ius competere, canonicatum et prebendam predictos, quorum fructus . . . . viginti marcharum argenti . . . . valorem annuum . . . . non excedunt, ... eidem Martino auctoritate nostra conferre et assignare procures . . . .; non obstantibus . . . , quod idem Martinus, ut asserit, in Antique-Boleslauiensi predicta et in Tinensi ecclesiis dicte diocesis canonicatus et prebendas, quorum fructus . . . . eciam viginti marcharum argenti valorem annuum non excedunt, obtinet, et nos dudum sibi de dignitate, personatu vel officio sine cura in eadem Antique-Boleslauiensi vacante vel vacatura seu vacaturo per alias nostras litteras sub data quinto idus Novembris pont. n. anno primo[1]) graciose mandavimus provideri . . . . Datum Rome ap. S. Petrum tercio nonas Novembris a. septimo.

R. Lat. 41 fol. 204[b] — In fine: N. XXII DE BENEVENTO — [1]) 1389 Nov. 9.

1041. *Episcopo Eugubino mandatur, quatenus, si Georgium Kruklini omni iure in parrochiali ecclesia in Broda Ungaricali ei competente sententialiter privaverit, Blasium [de Broda Ungaricali] ad huiusmodi ius surroget dictamque ecclesiam ei conferat.*

Romae, 1396 Novembris 3.

Bonifacius . . . . Bertrando episcopo Eugubino in Romana curia commoranti . . . . Vite ac morum honestas aliaque . . . . merita, super quibus . . . . Blasius Ade presbyter Olomucensis diocesis . . . . commendatur . . . ., nos inducunt, ut sibi reddamur . . . . liberales. Exhibita siquidem nobis pro parte dicti Blasii peticio continebat, quod orta dudum inter ipsum et . . . . Georgium Kruklini, qui se gerit pro presbytero dicte diocesis, super parrochiali ecclesia in Broda Ungaricali dicte diocesis, quam, tunc per obitum quondam Johannis Parvi ipsius ecclesie rectoris vacantem, Blasius se auctoritate apostolica assecutum fuisse canonice[1]) illamque aliquandiu tenuisse et possedisse et tunc eciam tenere et possidere pacifice et quiete, dictumque Georgium se assecucioni huiusmodi contra iusticiam opposuisse et opponere ac ipsum Blasium eadem ecclesia contra iusticiam spoliasse et de ea eiecisse illamque occupasse ac detinuisse et detinere indebite occupatam fructus percipiens ex eadem et alias dictum Blasium super predicta ecclesia et eius occasione multipliciter impedivisse, Georgius vero prefati eandem ecclesiam ad se de iure spectare asserebant, prout asserunt, materia questionis: nos causam huiusmodi . . . Jacobo electo Plocensi, tunc capellano nostro et causarum palacii apostolici auditori, ad instanciam dicti Blasii . . . . commisimus . . . ., non obstante, quod causa ipsa de sui natura ad Romanam curiam legitime devoluta . . . . non esset, idemque electus tunc auditor, cognitis huiusmodi cause meritis, de consilio et assensu coauditorum suorum dicti palacii, quibus super hiis relacionem fecit fidelem, per suam diffinitivam sentenciam pronunciavit, decrevit et declaravit, prout hec omnia in libello pro parte dicti Blasii in huiusmodi causa exhibito petita fuerant: spoliaciones, eiecciones, occupaciones, detenciones et impedimenta predicta fuisse et esse temeraria, illicita et iniusta ac de facto presumpta, dictoque Georgio premissa non licuisse seu licere, ipsumque Georgium ab occupacione et detencione predicte ecclesie iuriumque et pertinenciarum eiusdem amovendum fore et, quantum potuit, amovit, prefatumque Blasium in et ad corporalem possessionem ecclesie iuriumque et pertinenciarum predictorum reintegrandum, reinducendum et restituendum fore et, quantum potuit, reintegravit, reinduxit et restituit, predictoque Georgio in, de et super opposicionibus, spoliacionibus, eiecciouibus, occupacionibus, detencionibus et impedimentis ac ecclesia predictis perpetuum silencium imponendum fore et imposuit, ipsumque Georgium in fructibus ex dicta ecclesia a tempore mote litis predicte citra perceptis et in expensis in huiusmodi causa legitime factis condemnandum fore et condemnavit, ipsarum expensarum taxacione sibi imposterum reservata; a qua quidem sentencia pro parte dicti Georgii fuit ad sedem apostolicam appellatum. Nos, cum prefatus Georgius ecclesiam nondum per triennium, ut asserebatur, pacifice possedisset antedictam, et pro eodem Blasio predicta sentencia, ut premittitur, promulgata fuisset, ... episcopo Olomucensi, eius proprio nomine non expresso, per nostras litteras mandavimus, ut eandem ecclesiam iuxta constitucionem fel. rec. Clementis pape quinti predecessoris nostri super hoc editam sequestrare curaret, exhibiturus id, quod de ipsius ecclesie fructibus debitis eiusdem supportatis oneribus superesse contingeret, illi, qui finalem in causa victoriam obtineret; et deinde, sicut eadem peticio subiungebat, nos causam appellacionis huiusmodi tibi, tunc capellano nostro et auditori causarum dicti palacii, . . . commisimus . . . ., tuque in causa huius-

modi ad nonnullos actus citra tamen conclusionem inter partes ipsas diceris processisse. Cum autem, sicut eadem peticio subiungebat, prefatus Georgius in reprobum sensum datus, laicali potencia suffultus, eiusdem ecclesie fructus post huiusmodi sequestracionem occupaverit et occupet, nos . . . . attendentes, quod veris existentibus supradictis prefatus Georgius omni iure, si quod sibi in dicta ecclesia seu ad eam quomodolibet competebat aut competere poterat, ipso iure privatus existit . . . ., fraternitati tue, qui adhuc locum unius ex auditoribus dicti palacii de mandato nostro tenes, ... mandamus, quatenus, si vocatis dicto Georgio et aliis, qui fuerint evocandi, reppereris ita esse, eundem Georgium omni iure, si quod sibi in dicta ecclesia seu ad eam quomodolibet competebat aut competere poterat, auctoritate nostra sentencialiter declares fuisse et esse privatum ipsumque amoveas realiter ab eodem; et insuper si per te prefatum Georgium huiusmodi iure fuisse et esse privatum declarari ipsumque ab eo amoveri contigerit, ut prefertur, eundem Blasium . . . . in iure et ad ius huiusmodi eadem auctoritate surroges . . . .; et nichilominus posiciones et articulos de huiusmodi materia pro parte dicti Blasii coram te dandos, dummodo alias sint admissibiles, admittas, lapsu temporis et minus exacta specificacione non obstante: et insuper ecclesiam ipsam, cuius fructus . . . . quatuordecim marcharum argenti . . . valorem annuum . . . . non excedunt . . . ., prefato Blasio auctoritate predicta conferre et assignare procures . . . Nos enim tibi citandi eundem Georgium extra dictam curiam et ad partes, quociens opus fuerit, plenam et liberam auctoritate apostolica tenore presencium concedimus facultatem; non obstantibus, quod causa huiusmodi de sui natura non sit ad eandem curiam legitime devoluta . . . ., necnon fel. rec. Bonifacii pape octavi predecessoris nostri ac de una vel duabus dietis in concilio generali et aliis constitucionibus apostolicis contrariis quibuscunque . . . . Datum Rome ap. S. Petrum tercio nonas Novembris pont. n. a. septimo.

R. Lat. 43 fol 121ª — In fine: PRO DEO, N. DE BENEVENTO — [1]) Cf. nr. 870.

1042. *Auditori apostolico mandatur, quatenus Venceslaum de Misa surroget ad omne ius, quod Volkmaro de Naumburg tempore eius obitus in canonicatu et praebenda ecclesiae Vyšehradensis competebat, et si ei constiterit neque dicto Venceslao neque Johanni dicto Liška in canonicatu et praebenda praedictis ius competere, praefato Venceslao eos conferat.*

Romae, 1396 Novembris 3.

Bonifacius . . . . magistro Johanni de Borsnicz capellano nostro et causarum palacii apostolici auditori . . . . Litterarum sciencia, vite ac morum honestas . . . ., super quibus . . . . Wenceslaus de Misa canonicus ecclesie s. Egidii Pragensis, magister in artibus, ... commendatur . . . ., nos inducunt, ut sibi reddamur . . . . liberales. Dudum siquidem per nos accepto, quod canonicatus et prebenda ecclesie s. Petri Wissegradensis Pragensis Romane ecclesie immediate subiecte, quos quondam Wolkmarus de Nuemburg . . . . obtinebat, per ipsius Wolkmari obitum, qui extra Romanam curiam diem clausit extremum, vacaverant

et vacabant tunc, licet . . . . Johannes dictus Liska, qui se gerit pro rectore parrochialis ecclesie in Stbeczna Pragensis diocesis, eosdem canonicatum et prebendam detineret indebite occupatos: nos de ipsis canonicatu et prebenda . . . . prefato Wenceslao graciose concessimus provideri, eosdem canonicatum et prebendam videlicet secundo nonas Septembris pont. n. a. sexto,[1]) collacioni et disposicioni nostre ea vice reservando . . . . Verum, sicut exhibita nobis nuper pro parte prefati Wenceslai peticio continebat, cum olim prefatus Johannes dictum Wolkmarum, qui tunc in humanis agebat, eisdem canonicatu et prebenda spoliasset seque in illis intrudi procurasset eosque occupasset ac aliquandiu detinuisset et detineret indebite occupatos, et propterea inter Wolkmarum et Johannem predictos super ipsis canonicatu et prebenda et eorum occasione orta fuisset materia questionis, fel. rec. Urbanus papa sextus predecessor noster causam huiusmodi . . . . magistro Johanni de Bononia capellano sedis apostolice et auditori causarum palacii apostolici ad instanciam dicti Wolkmari . . . . commisit . . . ., non obstante, quod causa ipsa de sui natura ad predictam curiam legitime devoluta . . . . non esset; et deinde postquam idem auditor ad nonnullos citacionis actus in causa huiusmodi inter partes ipsas processerat, cum prefatus Johannes Liska, qui canonicatum et prebendam predictos per plures annos detinuerat et adhuc detinebat occupatos, extra eandem curiam diceretur obiisse, quamvis adhuc ageret, prout agit, in humanis, dictique canonicatus et prebenda per huiusmodi obitum prefati Johannis Liska vacare crederentur, ... Wenceslaus Romanorum et Boemie rex illustris, verus patronus ipsorum canonicatus et prebende et existens in pacifica possessione vel quasi iuris presentandi personam ydoneam ad eosdem canonicatum et prebendam ex speciali privilegio sedis predicte, cui non erat in aliquo derogatum, prefatum Wenceslaum de Misa ad prebendam predictam sic, ut credebatur, vacantem . . . . decano et capitulo ecclesie s. Petri supradicte in canonicum eiusdem ecclesie infra tempus legitimum presentavit licet de facto, iidemque decanus et capitulum, cum ad decanum ipsius ecclesie s. Petri pro tempore existentem et dictos capitulum institucio persone huiusmodi ad eandem prebendam de antiqua . . . . consuetudine pertineret, prefatum Wenceslaum de Misa in canonicum ipsius ecclesie s. Petri ad eandem prebendam sic, ut credebatur, vacantem auctoritate ordinaria instituerunt similiter de facto, ipseque Wenceslaus de Misa pretextu presentacionis et institucionis huiusmodi eosdem canonicatum et prebendam assecutus, illos extunc aliquandiu tenuit et possedit, quotidianas distribuciones percipiens ex eisdem. Et subsequenter, cum de vita prefati Johannis Liska constaret et ad eius instanciam dictus Wenceslaus de Misa fuisset ab eisdem canonicatu et prebenda remotus, orta inter ipsos Wenceslaum de Misa et Johannem Liska super dictis canonicatu et prebenda, quos uterque Wenceslai de Misa et Johannis Liska predictorum ad se de iure spectare asserebat, prout asserit, et eorum occasione materia questionis: nos causam huiusmodi, que inter eosdem Wenceslaum de Misa et Johannem Liska, ut premittitur, vertebatur, non obstante, quod de sui natura ad predictam curiam legitime devoluta . . . . non esset, tibi ad instanciam prefati Wenceslai de Misa . . . . commisimus . . . ., tuque in causa huiusmodi ad nonnullos citacionis actus inter partes predictas diceris processisse. Cum autem, sicut eadem peticio subiungebat, lite huiusmodi inter Wolkmarum et Johannem Liska prefatos

indecisa pendente, idem Wolkmarus ante concessionis graciam prefatam extra dictam curiam fuerit vita functus, idemque Wenceslaus de Misa litteras apostolicas super dicta concessionis gracia infra certum tempus, prout iuxta quandam ordinacionem nostram super hoc editam tenebatur, non procuraverit expediri vel saltem in cancellaria nostra poni, et propterea ipsa concessionis gracia nequeat sortiri effectum, nos . . . . discrecioni tue . . . . mandamus, quatenus eundem Wenceslaum de Misa . . . . in omni iure et ad omne ius, quod prefato Wolkmaro tempore sui obitus in ipsis canonicatu et prebenda seu ad eos quomodolibet competebat aut competere poterat, auctoritate nostra surroges . . . ., et nichilominus, si per eventum litis huiusmodi tibi constiterit Wolkmaro non compeciisse et Wenceslao de Misa vel Johanni Liska prefatis non competere ius in dictis canonicatu et prebenda seu ad eos, canonicatum et prebendam predictos, quorum fructus . . . viginti marcharum argenti puri . . . . valorem annuum . . . . non excedunt, ... prefato Wenceslao de Misa auctoritate nostra conferas et assignes . . . .; non obstantibus . . . ., quod idem Wenceslaus de Misa, ut asserit, canonicatum et prebendam dicte ecclesie s. Egidii, quorum fructus . . . . quindecim marcharum argenti puri . . . . valorem annuum non excedunt, obtinet, et nos dudum sibi de beneficio ecclesiastico cum cura vel sine cura, ad collacionem . . . . abbatis et conventus monasterii Brewnouiensis prope Pragam ord. s. Benedicti . . . . pertinente, vacante vel vacaturo, per alias nostras litteras graciose mandavimus provideri, sibique concessimus, ut ipse, non obstante pie memorie Urbani pp. predecessoris nostri statuto contrario, plures canonicatus et prebendas in civitate Pragensi aut eius suburbiis . . . . simul posset retinere . . . . Datum Rome ap. S. Petrum tercio nonas Novembris a septimo.

R. Lat. 43 fol. 140b — In fine: N. XXVIII DE BENEVENTO — [1]) 1395 Septembris 4

1043. *Officium cancellariae apostolicae regenti mandatur, quatenus Johanni de Manešovicz et Andreae de Magna Rudna beneficia ecclesiastica, quae invicem permutare desiderant, conferat.*

Romae, 1396 Novembris 3.

Bonifacius . . . . magistro Bartholomeo Francisci preposito ecclesie s. Stephani Pratensis Pistoriensis diocesis, notario nostro . . . . Apostolice sedis circumspecta . . . . Exhibita siquidem nobis nuper pro parte . . . . Johannis Stephani rectoris parrochialis ecclesie in Luborzicza Cracouiensis diocesis peticio continebat, quod olim ipse in causa, per eum contra . . . . Laurencium Nicolai de Buyow, qui se gerit pro canonico Gneznensi, super dicta ecclesia . . . mota et in palacio apostolico coram diversis auditoribus causarum dicti palacii ex commissionibus apostolicis diucius ventilata, tres pro se et contra dictum Laurencium diffinitivas, per quas dicta ecclesia Johanni Stephani adiudicata et super ea Laurencio prefatis perpetuum silencium impositum fuerunt, sentencias reportavit, et super execucione sentenciarum huiusmodi nostras ad certos iudices litteras impetravit.[1]) Cum autem dictus Johannes Stephani ecclesiam predictam,

ipsius plena per eum possessione non habita, et.... Andreas Nawogii de Magna Rudna s. Egidii Cracouiensis et s. Marie Kilciensis ecclesiarum canonicatus et prebendas ac altare s. Marie situm in ecclesia s. Thome in Ratbor dicte Cracouiensis et Wratislauiensis diocesium, que ipse Andreas obtinet, desiderent .... invicem permutare: nos .... discrecioni tue, qui officium cancellarie s. Romane ecclesie de speciali mandato nostro regis ...., committimus et mandamus, quatinus a Johanne Stephani parrochialis ecclesie et Andrea predictis vel procuratoribus suis .... canonicatuum et prebendarum et altaris predictorum resignaciones .... auctoritate nostra hac vice recipias et admittas, et huiusmodi resignacionibus per te receptis et admissis, Johanni Stephani canonicatus et prebendas et altare, quod sine cura et de iure patronatus laicorum existit, et cuius necnon dictorum canonicatuum et prebendarum triginta quinque, et Andree prefatis parrochialem ecclesiam predicta, cuius octuaginta marcharum argenti puri fructus .... valorem annuum .... non excedunt, ... auctoritate predicta conferas et assignes ....; non obstantibus ...., quod, ut asseritur, dictus Johannes Stephani in Pragensi vigore quarumdam litterarum sub IIII. idus et in Olomucensi certarum aliarum litterarum nostrarum sub secundo idus datarum pontificatus nostri anno primo[2]) canonicatus sub expectacionibus prebendarum et in s. Mauricii in Cremisir Olomucensis diocesis decanatum, qui curatus et dignitas est, et cuius quadraginta, canonice obtinet, et dudum sibi de uno vel duobus .... beneficiis .... ecclesiasticis, eciam si canonicatus et prebende in metropolitanis vel cathedralibus vel collegiatis ecclesiis in civitate vel provincia Pragensibus, et eciam si ipsum unum vel ipsorum duorum aliquod curatum foret aut forent, simul vel successive vacantibus vel vacaturis, et prefato Andree de canonicatu et prebenda ecclesie Cracouiensis, quorum fructus .... triginta marcharum argenti puri valorem annuum non excedunt, tunc certo modo vacantibus, ac de canonicatibus sub expectacionibus prebendarum Wratislauiensis et Cracouiensis ecclesiarum graciose concessimus prouideri .... Datum Rome ap. S. Petrum tercio nonas Novembris pont. n. a. septimo.

R. Lat. 43 fol. 238[b] — Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: JAC. LII DE TERAMO. — Alia copia eiusdem bullae ibidem fol. 255[b] — 256[b] reperitur, sed cancellata est, adiuncta in margine nota: „Cassata de mandato domini nostri, quia superius in eodem libro registrata. Jac." Ibidem etiam hae notae leguntur: (in marg. sin.) „Jo. de Bononia" (in fine): „N. LII de Benevento" - [1]) Vide nr. 708 [2]) i. e. 1389 Nov. 10 et Nov. 12.

1044. *Tudensi et Pomezaniensi episcopis ac abbati monasterii Olivae Vladislaviensis diocesis mandatur, quatenus Nicolao Hulbestad perpetuam vicariam in ecclesia Varmiensi, quae sine cura est, cuiusque fructus 10 marcarum argenti valorem annuum non excedunt, per obitum Johannis Culmen vacantem, conferant, non obstante, quod idem Nicolaus quandam perpetuam vicariam ac unum altare in maiore et aliud altare in s. Aegidii Vratislaviensibus ecclesiis, quorum omnium fructus 60 florenorum valorem annuum non excedunt, canonice obtinet, et nuper ei de uno ad episcopi Pomezaniensis necnon de alio ad episcopi Vratislaviensis et praepositi, decani, thesaurarii, scholastici, archidiaconi et capituli ecclesiae*

Vratislaviensis collationem pertinentibus beneficiis ecclesiasticis cum vel sine cura, vacantibus vel vacaturis, a papa mandatum est provideri. „*Vite ac morum*“ „*Rome ap. S. Petrum septimo idus Novembris a. septimo*“.

Romae, 1396 Novembris 7.

R. Lat. 39 fol. 23b — In fine: N. XXI DE BENEVENTO.

1045. *Abbati monasterii s. Mariae in Arena extra muros Vratislavienses et praeposito Dorlanensis Maguntinensis diocesis ac decano maioris Vratislaviensis ecclesiarum mandatur, quatenus Francisco Floszer de Brega rectori altaris s. Venceslai in ecclesia Misnensi altare s. Michaelis situm in parrochiali ecclesia in Nissa*[a]) *Vratislaviensis dioc., quod sine cura est, et cuius fructus 5 marcarum argenti valorem annuum non excedunt, vacans per liberam resignationem dicti Francisci ipsius altaris rectoris* [1]), *in manibus Nicolai rectoris eiusdem parrochialis ecclesiae extra Romanam curiam sponte factam, conferant, non obstante, quod dictus Franciscus praedictum altare s. Venceslai, quod etiam sine cura est, cuiusque fructus 11 marcarum argenti valorem annuum non excedunt, noscitur obtinere.* „*Vite ac morum*“ „*Rome ap. S. Petrum quinto idus Novembris a. octavo*“.

Romae, 1396 Novembris 9.

R. Lat. 49 fol. 117a — a) ‚Misa‘ — In fine: N. XVIII DE BENEVENTO — 1) Cf. nros. 701 et 1035.

1046. *Judicibus mandatur, quatenus Petro Adolphi canonicatum et praebendam in ecclesia Vratislaviensi vacantes conferant.*

Romae, 1396 Novembris 9.

Bonifacius . . . . episcopo Monopolitano et . . . . decano ecclesie Legnicensis Wratislauiensis diocesis ac officiali Wratislauiensi . . . . Litterarum sciencia, vite ac morum honestas, super quibus . . . Petrus Adolphi rector parrochialis ecclesie s. Catherine extra muros Wratislauienses, bachalarius in decretis, ... commendatur . . . ., nos inducunt, ut sibi reddamur . . . . liberales. Cum itaque . . . . canonicatus et prebenda ecclesie Wratislauiensis, quos quondam Martinus de Gebiczka . . . . obtinebat, per ipsius Martini obitum, qui extra Romanam curiam diem clausit extremum, vacaverint et vacent ad presens, nos volentes prefato Petro, qui presbyter est, ... graciam facere specialem, discrecioni vestre . . . . mandamus, quatenus . . . . canonicatum et prebendam predictos, quorum fructus . . . . viginti septem marcharum argenti puri . . . . valorem annuum . . . . non excedunt, ... eidem Petro auctoritate nostra conferre et assignare curetis . . . .; non obstantibus . . . ., quod ipse Petrus, ut asserit, parrochialem ecclesiam predictam et in parrochiali s. Marie Magdalene Wratislauiensi unum ac in dicta Wratislauiensi aliud altaria sita, que sine cura sunt, ac canonicatum et prebendam Legnicensis, quorum omnium triginta, obtinet,

et quod nuper sibi de canonicatu et prebenda s. Crucis Opoliensis, super quibus causam contra quendam adversarium suum in palacio predicto committi obtinuerit, ac de cancellaria predicte Wratislauiensis, que dignitas est, et cuius ac dictorum canonicatus et prebende s. Crucis viginti marcharum argenti fructus... valorem annuum .... non excedunt, necnon de beneficio ecclesiastico cum cura vel sine cura, ad collacionem .... episcopi et capituli predictorum [Vratislaviensium] et prepositi, decani, scolastici, cantoris, custodis, thesaurarii et canonicorum predicte Wratislauiensis ecclesiarum .... pertinente, vacante vel vacaturo, per diversas nostras litteras graciose mandavimus provideri, et olim cum eodem Petro, ut cancellariam et parrochialem ecclesiam predictas insimul usque ad triennium retinere libere et licite possit, ... duximus dispensandum .... Datum Rome ap. S. Petrum quinto idus Novembris a. octavo.

R. Lat. 51 fol. 184[a] — In fine: N. XXII DE BENEVENTO.

1047. *Hano dicto Čihovka*[a]) *laico et Zdencae*[b]) *eius uxori Olomucensis dioecesis indulgetur, ut confessor eorum in mortis articulo plenam omnium peccatorum remissionem eis concedere possit.* „*Provenit*“ „*Rome ap. S. Petrum quinto idus Novembris a. octavo*“.

Romae, 1396 Novembris 9.

R. Lat. 45 fol. 145[b] — [a]) ‚Czyhowha‘ [b]) ‚Sdinke‘ — In fine: N. XVI DE BENEVENTO

1048. *Laurentio de Korycan*[a]) *et Annae eius uxori, civibus Pragensibus, indulgetur, ut confessor eorum in mortis articulo plenam omnium peccatorum remissionem eis concedere possit.* „*Provenit*“ „*Rome ap. S. Petrum sexto decimo kal. Decembris a. octavo*“.

Romae, 1396 Novembris 16.

R. Lat. 45 fol. 145[a] — [a]) ‚Koriczan‘ — In fine: N. XVI DE BENEVENTO.

1049. *Nicolao de Brolio reservantur motu proprio aliquot beneficia ecclesiastica in provincia Pragensi vacantia vel vacatura.*

Romae, 1396 Novembris 17.

Bonifacius .... Nicolao Petri de Brolio clerico Lunensis diocesis .... Vite ac morum .... Volentes itaque tibi, qui, ut asseris, de nobili genere procreatus existis, ... graciam facere specialem, unum, duo, tria, quatuor et plura ac tot beneficia ecclesiastica, quod eorum valor ad summam quingentorum florenorum auri secundum taxacionem decime annuatim ascendat, eciam si canonicatus

et prebende metropolitanarum vel cathedralium ecclesiarum vel aliquod eorum cum cura seu dignitas vel personatus aut officium cum cura vel sine cura, et dignitas ipsa in metropolitana vel cathedrali eciam maior post pontificalem et in collegiata ecclesia principalis fuerit, et ad eam consueverit quis per eleccionem assumi, ad quorumcunque collacionem . . . . pertinencia, si qua in civitate vel diocesi aut provincia Pragensibus vacant ad presens, vel cum simul vel successive vacaverint, ... conferenda tibi . . . . motu proprio . . . . donacioni apostolice reservamus . . . .; non obstantibus . . . ., si aliqui super provisionibus sibi faciendis . . . . predicte sedis vel legatorum eius litteras impetrarint . . . ., quibus omnibus, eciam auctoritate nostra similia beneficia expectantibus et similem vel dissimilem graciam cum clausula antelacionis habentibus, preterquam . . . . s. Romane ecclesie cardinalibus et . . . . familiaribus nostris continuis et domesticis commensalibus . . . . te volumus anteferri . . . . Datum Rome ap. S. Petrum decimo quinto kal. Decembris a. octavo.

Simili modo . . . . episcopo Tudensi et . . . . Stragouiensis Pragensis ac Chothiessetwicensis (*sic*) Pragensis diocesis monasteriorum abbatibus . . . .

R. Lat. 48 fol. 229[a] — Supra in marg. sin.: P. DE BOSCO; in fine: DE MANDATO, N. DE BENEVENTO.

1050. *Henrico Kremer alias dicto Ruwe clerico Traiectensis dioc. reservatur beneficium ecclesiasticum cum vel sine cura, consuetum clericis saecularibus assignari, cuius fructus 25 resp. 18 marcarum argenti valorem annuum non excedant, ad collationem abbatis de Campo S. Mariae cisterciensis ord. necnon abbatissae in Meteln[a]) ord. s. Benedicti Monasteriensis dioc. pertinens, si quod vacat, vel cum vacaverit, non obstante, quod ei nuper de beneficio ecclesiastico sine cura ad collationem praepositi et capituli ecclesiae s. Lebuini Daventriensis Traiectensis dioc. pertinente, vacante vel vacaturo, a papa concessum est provideri. „Vite ac morum“ „Rome ap. S. Petrum decimo kal. Decembris pont. n. a. octavo.“ — Simili modo maioris et s. Ludgeri Monasteriensium et s. Crucis Vratislaviensis ecclesiarum decanis.*

Romae, 1396 Novembris 22.

R. Lat. 50 fol. 129[a] — [a]) ‚Metelen‘ — In fine: PRO DEO, N. DE BENEVENTO.

1051. *Adae Bess de Kneja[a]) armigero Vratislaviensi conceditur, ut liceat ei habere altare portatile. „Sincere devocionis“ „Rome ap. S. Petrum III. kal. Decembris a. octavo“.*

Romae, 1396 Novembris 29.

R. Lat. 45 fol. 217[b] — [a]) ‚Knya‘ — In fine: N. X DE BENEVENTO.

1052. *Volframo archiepiscopo Pragensi indulgetur, ut confessor eius in mortis articulo plenam omnium peccatorum remissionem ei concedere possit. „Provenit" „Rome ap. S. Petrum II. kal. Decembris a. octavo".*

Romae, 1396 Novembris 30.

R. Lat. 45 fol. 146[b] — In fine: N. XIIII DE BENEVENTO.

1053. *Venceslao de Jenzenstein[a]) canonico Pragensi indulgetur, ut confessor eius in mortis articulo plenam omnium peccatorum remissionem ei concedere possit. „Provenit" „Rome ap. S. Petrum II. kal. Decembris a. octavo".*

Romae, 1396 Novembris 30.

R. Lat. 45 fol. 146[b] — [a]) ‚Jenczensteyn' — In fine: N. XIIII DE BENEVENTO.

1054. *Michael Jacobi Lewlini de Netolicz ord. fratrum predicatorum professor in sedis apostolicae capellanum recipitur. „Virtutibus clarens" „Rome ap. S. Petrum secundo kal. Decembris a. octavo".*

Romae, 1396 Novembris 30.

R. Lat. 45 fol. 106[b] — In fine: N. XX DE BENEVENTO.

1055. *Venceslaus Olserii de Budweis[a]) ord. fratrum praedicatorum professor in apostolicae sedis capellanum recipitur. „Virtutibus clarens" „Rome ap. S. Petrum II. kal. Decembris a. octavo".*

Romae, 1396 Novembris 30.

R. Vat. 315 fol. 157[b], cum his notis in fine: (sin.) XX, S. DE AQUILA, JO. DE CANEUARIIS; (med.) F. DE MONTEPOLICIANO; (dext.) PRO NICOLAO JO. DE TREMOSNICZ. Iterum registratum in R. Lat. 45 fol. 97[b], ubi supra in marg. sin. adscriptum est F. DE MONTEPOLICIANO, in fine autem: N. XX DE BENEVENTO — [a]) ‚Budways'.

1056. *Venceslao [de Radeč] decano ecclesiae s. Apollinaris Pragensis indulgetur, ut confessor eius in articulo mortis plenam omnium peccatorum remissionem ei concedere possit. „Provenit" „Rome ap. S. Petrum kal. Decembris a. octavo".*

Romae, 1396 Decembris 1.

R. Lat. 45 fol. 146[b] — In fine. N. XIIII DE BENEVENTO.

1057. *Auditori apostolico mandatur, quatenus causam super cantoria ecclesiae Pragensis decidat.*

Romae, 1396 Decembris 3.

Bonifacius . . . . magistro Ricardo Yong capellano nostro et causarum palacii apostolici auditori . . . . Inter ceteras sollicitudinis nostre curas, que specialiter incidunt cordi nostro, illa potissime pulsat et excitat mentem nostram, ut divinus cultus refloreat et iugiter augeatur, et cum sentimus oppositum, oportunum remedium celeriter adhibemus. Dudum siquidem per nos accepto, quod cantoria ecclesie Pragensis, quam[a]) quondam Johannes dictus Spyzyerz . . . . obtinebat, per ipsius Johannis obitum, qui extra Romanam curiam diem clausit extremum, vacaverat et vacabat tunc, nos de ipsa cantoria . . . . Johanni dicto Konczicz vicario in ecclesia predicta per nostras litteras graciose mandavimus provideri, scolastico ecclesie Boleslauiensis Pragensis diocesis, eius proprio nomine non expresso, et duobus aliis ipsius in hac parte collegis super hoc executoribus deputatis, prout in eisdem litteris plenius continetur;[1]) et deinde, sicut exhibita nobis nuper pro parte . . . . decani et capituli ecclesie Pragensis peticio continebat, prefatus Johannes dictus Konczicz, asserens sibi de ipsa cantoria vigore dictarum litterarum provisum fuisse canonice, ipsamque cantoriam ad se spectare, ... Nicolaum dictum Kaczye presbyterum Pragensis diocesis, quem prefati decanus et capitulum cantorem dicte Pragensis ecclesie deputaverant, quique in possessione ipsius cantorie vigore deputacionis huiusmodi tunc existebat, prout existit, super hoc, petendo cantoriam ipsam sibi adiudicari et super ea dicto Nicolao perpetuum silencium imponi ipsumque Nicolaum ab eadem cantoria amoveri seque in corporalem possessionem ipsius cantorie induci, coram quondam Wenceslao scolastico dicte Boleslauiensis ecclesie predictarum litterarum pretextu traxit in causam; et subsequenter, postquam idem Wenceslaus ad nonnullos actus in causa huiusmodi eciam usque ad conclusionem inclusive processerat, eodem Wenceslao dictam scolastriam[b]) dimittente, ... Troianus scolasticus ipsius Boleslauiensis ecclesie ulterius in huiusmodi causa procedens, diffinitivam pro prefato Johanne dicto Konczicz et contra dictum Nicolaum sentenciam promulgavit; a qua pro parte decani et capituli asserencium sua interesse ac Nicolai predictorum fuit ad sedem apostolicam appellatum; nos causas[c]) appellacionum huiusmodi tibi . . . . commisimus . . . ., tuque in huiusmodi appellacionum causis ad nonnullos actus inter partes easdem diceris processisse. Cum autem, sicut eadem peticio subiungebat, a dicta cantoria eam pro tempore obtinens pro solo nutu decani dicte Pragensis ecclesie pro tempore existentis ac prefatorum capituli amoveri potuisse ac eciam posse dicatur, sitque ipsa cantoria nudum ministerium, et ad cantoris eiusdem Pragensis ecclesie pro tempore existentis ministerium spectet ex commissione dictorum capituli clericos chorales eiusdem Pragensis ecclesie in cantu examinare ac docere, ipsum oporteat bonam vocem habere ac in cantu peritum esse et fortem ad intonandum et cantandum in choro, eiusque ministerio chorus, cantus et divinus cultus in dicta Pragensi ecclesia gubernetur et regatur, et si aliquis imperitus et insufficiens deputaretur ibidem, profecto, ut verisimiliter presumitur, divinus cultus et ordo in cantu in ecclesia Pragensi deficerent sepedicta: pro parte dictorum decani et capituli nobis fuit humiliter

supplicatum, ut super hiis providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur .... discrecioni tue .... committimus et mandamus, quatinus, si vocatis prefato Johanne dicto Konczicz et aliis, qui fuerint evocandi, tibi legitime constiterit, quod ab ipsa cantoria illam pro tempore obtinens pro solo nutu decani et capituli predictorum amoveri consueverit sive possit, eidem Johanni super dicta cantoria auctoritate nostra perpetuum silencium imponas, ipsumque amoveas ab eadem, et si forsan ita esse non inveneris, ipsamque cantoriam pro tempore obtinens ab ea pro huiusmodi nutu dictorum decani et capituli non consueverit neque possit amoveri, prefatum[que] Johannem dictum Konczicz in huiusmodi causa finalem victoriam ad dictam cantoriam contigerit obtinere, auctoritate predicta statuas et ordines, quod cedente vel decedente ipso Johanne dicto Konczicz vel eandem cantoriam alias quomodolibet dimittente, ab ipsa cantoria eam extunc de cetero pro tempore obtinens pro solo nutu decani dicte Pragensis ecclesie pro tempore existentis et capituli predictorum possit amoveri — nos enim tibi citandi eundem Johannem dictum Konczicz extra [d]) predictam curiam et ad partes, quociens opus erit, plenam et liberam tenore presencium concedimus facultatem — dictaque cantoria deinceps perpetuo manualis reputetur; non obstantibus, quod causa huiusmodi de sui natura ad eandem curiam non sit legitime devoluta...., et tam fel. rec. Bonifacii pape VIII. predecessoris nostri ac de una et de duabus dietis in concilio generali quam aliis quibuscunque constitucionibus apostolicis necnon statutis et consuetudinibus dicte Pragensis ecclesie contrariis .... Datum Rome ap. S. Petrum III. nonas Decembris pont. n. a. octavo.

Originale cum bulla in filo canapis in archivio capituli ecclesiae Pragensis sub XX, 4 exstat. Cui hae notae inscriptae sunt: (sub plica) XXX, P. DE BOSCO; (supra plicam) REGISTRATA GRATIS, H. BERNGHOS; (a tergo) R[EGISTRATA] N. [DE BENEVENTO] — [a]) ‚quem' orig. [b]) ‚scolastariam' or. [c]) ‚causam' or. [d]) ‚ex' or. — Tenor istius bullae etiam instrumento notarili ddto. 1397 Nov. 28 super promulgatione sententiae in palatio apostolico in causa huiusmodi latae insertus est, cuius instrumenti originale in eodem archivio sub XX, 15 est. — [1]) Vide nr. 748.

1058. *Volframo archiepiscopo Pragensi indulgetur, ut in ecclesia et monte Vyšehradensibus crucem erectam ante se portari facere possit.*

Romae, 1396 Decembris 3.

Bonifacius .... Wolframo archiepiscopo Pragensi .... Decens reputamus et debitum, ut que a iure communi conceduntur, favoris apostolici munimine fulciantur. Exhibita siquidem nobis pro parte tua peticio continebat, quod, licet de iure communi tibi liceat facere portari crucem erectam ante te per civitatem et diocesim ac provinciam tuas Pragenses, tamen dilecti filii decanus et capitulum ecclesie s. Petri Wissegradensis prope Pragam Romane ecclesie immediate subiecte te hactenus ex eo impediverunt et impediunt, quominus tu in dicta eorum ecclesia et eorum monte huiusmodi crucem ante te valeas facere deportari, quod nobis et dicte Romane ecclesie duntaxat immediate subiecti existunt, in magnum tuum et ecclesie tue Pragensis dedecus et preiudicium ac scandalum plurimorum. Quare pro parte tua nobis fuit humiliter supplicatum, ut tibi et ecclesie tue predicte

super hoc providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur huiusmodi supplicacionibus inclinati, ut tu et successores tui, Pragenses archiepiscopi, huiusmodi crucem erectam ante vos in ecclesia s. Petri et monte predictis deferri facere libere et licite valeatis, premissis et quibuscunque constitucionibus apostolicis ac aliis contrariis nequaquam obstantibus, tibi et eisdem successoribus tuis in fulcimentum dicti iuris communis auctoritate apostolica tenore presencium indulgemus. Nulli ergo . . . . Datum Rome ap. S. Petrum III. nonas Decembris pont. n. a. octavo.

Copia ex originali archivii archiepiscopalis Pragensis (Archiepiscopalia fasc. VII) in archivio regni Bohemiae exstat. Excerptum Raynaldi „ex libro primo de diversis formis a. octavo fol. 255“ in bibliothecae Vaticanae cod. Vatic. 6952 fol. 183[a] habetur.

1059. *Vratislaviensis et Misnensis episcopi ac abbas monasterii Strahoviensis prope Pragam conservatores abbatis et conventus monasterii in Porta Apostolorum usque ad quinquennium instituuntur. „Militanti ecclesie“ „Rome ap. S. Petrum tercio nonas Decembris a. octavo“.*

Romae, 1396 Decembris 3.

R. Lat. 45. fol. 122[a] — In fine: N. XXX DE BENEVENTO.

1060. *Johanni de Svidnicz[a]) et Margarethae eius uxori, civibus Vratislaviensibus, indulgetur, ut confessor eorum in mortis articulo plenam omnium peccatorum remissionem eis concedere possit. „Provenit“ „Rome ap. S. Petrum nonis Decembris a. octavo“.*

Romae, 1396 Decembris 5.

R. Lat. 45 fol. 149[a] — [a]) ‚Swydenicz‘ — In fine: N. XVI DE BENEVENTO.

1061. *Catherinae Libingynne relictae quondam Jacobi Libing, mulieri Vratislaviensi, indulgetur, ut confessor eius in mortis articulo plenam omnium peccatorum remissionem ei concedere possit. „Provenit“ „Rome ap. S. Petrum XVIII. kal. Januarii a. octavo“.*

Romae, 1396 Decembris 15.

R. Lat. 45 fol. 149[a] — In fine: N. XIIII DE BENEVENTO.

1062. *Venceslao [de Radeč] decano ecclesiae s. Apollinaris Pragensis, indulgetur ut liceat ei habere altare portatile. „Sincere devocionis“ „Rome ap. S. Petrum XIIII. kal. Januarii a. octavo“.*

Romae, 1396 Decembris 19.

R. Lat. 45 fol. 218[b] — In fine: N. X DE BENEVENTO.

1063. *Johannes monachus monasterii Portae Apostolorum eidem monasterio in abbatem praeficitur.*

Romae, 1396 Decembris 20.

Bonifacius . . . . Johanni abbati monasterii Porte Apostolorum ord. s. Benedicti Pragensis diocesis . . . . Inter solicitudines . . . . Dudum siquidem quondam Buscone abbate monasterii Porte Apostolorum ord. s. Benedicti Pragensis diocesis regimini eiusdem monasterii presidente, nos . . . . provisionem eiusdem monasterii ordinacioni et disposicioni nostre duximus ea vice specialiter reservandam, decernentes .... irritum ...., si secus .... contingeret attemptari. Postmodum vero predicto monasterio per obitum dicti Busconis abbatis, qui extra Romanam curiam decessit, vacante, dilecti filii conventus eiusdem monasterii reservacionis et decreti predictorum forsan ignari te, monachum eiusdem monasterii ordinem ipsum expresse professum et in sacerdocio constitutum, in eorum et dicti monasterii abbatem concorditer elegerunt licet de facto, tuque reservacionis et decreti predictorum similiter inscius eleccioni huiusmodi illius tibi presentato decreto eciam de facto consensisti, et demum reservacione et decreto predictis ad tuam deductis noticiam huiusmodi eleccionis negocium proponi fecisti in consistorio coram nobis. Nos igitur huiusmodi eleccionem et quecunque inde secuta . . . . reputantes . . . . irrita et inania . . . ., demum ad te . . . . direximus oculos nostre mentis, quibus omnibus necnon dictorum conventus te eligencium concordi voluntate attenta meditacione pensatis, de persona tua . . . . eidem monasterio . . . . providemus teque illi preficimus in abbatem . . . . Datum Rome ap. S. Petrum tercio decimo kal. Januarii a. octavo.

Simili modo . . . . conventui monasterii Porte Apostolorum ord. s. Benedicti Pragensis diocesis . . .

Simili modo . . . . archiepiscopo Pragensi . . . . „Ad cumulum“

R. Lat. 44 fol. 265[a] — Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: N. XVIII. VIIII. VIIII DE BENEVENTO.

1064. *Dominico Dominici civi Vratislaviensi et Catherinae eius uxori indulgetur, ut confessor eorum in mortis articulo plenam omnium peccatorum remissionem eis concedere possit. „Provenit“ „Rome ap. S. Petrum XIII. kal. Januarii a. octavo“.*

Romae, 1396 Decembris 20.

R. Lat. 45 fol. 150[b] — In fine: N. XVI DE BENEVENTO.

1065. *Johanni Čúch[a]) dicto Maršálek[b]) de Lobkovicz[c]) armigero Pragensis dioc. indulgetur, ut liceat ei habere altare portatile. „Sincere devocionis“ „Rome ap. S. Petrum XII. kal. Januarii a. octavo“.*

Romae, 1396 Decembris 21.

R. Lat. 45 fol. 218[b] — [a]) ‚Czuch' [b]) ‚Marssalek' [c]) ‚Lobkowicz' — In fine: N. X DE BENEVENTO.

1066. *Henrico Bucstok perpetuo vicario in ecclesia b. Mariae virginis in oppido Rostok*[a]) *Zwerinensis dioc. reservatur beneficium ecclesiasticum cum vel sine cura, consuetum clericis saecularibus assignari, cuius fructus 25 resp. 18 marcarum argenti valorem annuum non excedant, ad collationem abbatissae in Gerbstedt*[b]) *et priorissae in Hecklingen*[c]) *ord. s. Benedicti Halberstadensis dioc. monasteriorum necnon conventuum eorundem pertinens, si quod vacat, vel cum vacaverit. „Vite ac morum" „Rome ap. S. Petrum decimo kal. Januarii a. octavo". — Simili modo praeposito s. Crucis Opoliensis Vratislaviensis dioc. et s. Nicolai Novi Fori Magdeburgensis ac s. Mauritii extra muros Hildesheimenses*[d]) *ecclesiarum decanis.*

Romae, 1396 Decembris 23.

R. Lat. 48 fol. 146[a] — [a]) ‚Roztok' [b]) ‚Gerpstede' [c]) ‚Hekelynge' [d]) ‚Hildesemen'. — Supra in marg. sin.: C[ANCELLARIA]; in fine: PRO DEO, N. DE BENEVENTO.

1067. *Obligatio Johannis abbatis Portae Apostolorum.*

Romae, 1396 Decembris 30.

Anno dom. millesimo trecentesimo nonagesimo septimo, indiccione quinta, die sabbati, penultima mensis Decembris venerabilis pater frater Johannes abbas monasterii Porte Apostolorum ord. s. Benedicti Pragensis diocesis per dom. Wenceslaum decanum s. Appolinaris Pragensis, obligantem se tamquam principalem et privatam personam, promisit camere et collegio pro suo communi servicio sexaginta sex florenos auri de camera et terciam partem alterius similis floreni,[a]) et quinque servicia consueta, et plus et minus, secundum quod taxabitur iuxta informacionem de partibus mittendam;[b]) solvendo totum in festo omnium sanctorum proxime futuro . . . .

Oblig. et sol. 52 fol. 81[b], et iterum Oblig. et sol. 48 fol. 193[a] — [a]) ‚et duas tercias partes alterius floreni' Obl. 48 [b]) ‚et plus — mittendam' in Obl. 48 cancellatum est.

1068. *Johannes abbas Portae Apostolorum quitatur de solutione partis suorum servitiorum camerae sacri collegii*

Romae, 1396 Decembris 31.

Henricus [. . . . s. Anastasie presbyter cardinalis, sacri collegii . . . . cardinalium camerarius, ... notum facimus], quod venerabilis pater frater Johannes abbas monasterii Porte Apostolorum ord. s. Benedicti Pragensis diocesis pro parte partis sui communis servicii . . . . viginti duos florenos auri de camera, solidos

viginti quinque monete Romane . . ., et pro parte partis unius eciam sui minuti servicii tres similes florenos die date presencium tempore debito per manus venerabilis viri dom. Wenceslay decani ecclesie s. Appolinaris Pragensis solvi fecit . . . . Datum [Rome ap. S. Petrum a. 1397] indiccione quinta die ultima mensis Decembris pont. anno octavo.

Oblig. et sol. 59 fol. 70[a] — In fine: FL. I GR. II — De eadem solutione in libro „divisionum a. 1389—1399“ (Oblig. et sol. 51) mentio fit in haec verba (fol. 108[b]): „[A. 1397 (resp. 1396)] die ultima mensis Decembris, V indiccionis fr. Johannes abbas monasterii Porte Apostolorum ord. s. Benedicti Pragensis diocesis solvit pro parte partis sui communis servicii flor. 22, sol. 25 et pro minuto flor. 3; summa flor. 25 sol. 25. Fuit promotus anno VIII. dom. Bonifacii (i. e. 1396 $^{9}/_{11}$—1397 $^{8}/_{11}$) . . . .“

DB 193 M6 t.5 pars 1

Monumenta Vaticana res gestas Bohemicas illustrantia

PLEASE DO NOT REMOVE
CARDS OR SLIPS FROM THIS POCKET

UNIVERSITY OF TORONTO LIBRARY

UTL AT DOWNSVIEW
D RANGE BAY SHLF POS ITEM C
39 15 16 23 01 001 0